THEOLOGIA MORALIS CHRISTIANA DE SACRAMENTIS AD MENTEM SS. AUGUSTINI &...

Laurent Neesen

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
35 I
26

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48. O. 35.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA
MORALIS CHRISTIANA
DE
SACRAMENTIS
AD MENTEM
SS. AUGUSTINI & THOMÆ

Continens ſecuriores & tutiores regulas ea adminiſtrandi & ſuſcipiendi.

Paſtoribus, Confeſſariis, & omnibus Sacræ Theologiæ Studioſis perutilis.

AUTHORE

Rever: Admod. Domino LAURENTIO NEESEN
Canonico Theol. Metropol. Eccleſiæ Mechlinienſis.

NEC NON

SEMINARII PRÆSIDE.

Ad Uſum Theologorum Seminarii Archi-Epiſcopalis.

COLLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus BALTH. AB EGMONT & Sociorum M. DC. LXXVII.

Digitized by Google

ADMODUM

REVERENDO ET AMPLISSIMO

DOMINO

D. JACOBO

RHOSNATÆ CRILS,

Celeberrimæ Abbatiæ Tongerloënſis
Sacri ac Canonici Ordinis
Præmonſtratenſis,

ABBATI DIGNISSIMO,

Ordinum Brabantiæ Aſſeſſori &c.

AMPLISSIME PRÆSUL.

Non arbitror latere AMPLITUDINEM TUAM, quanta & quam prolixa exſtent volumina à Neotericis in Materiâ Sacramentali conſcripta, & quam multæ aliquibus iſtorum inſerantur ſententiæ & opinio-

Digitized by Google

nes, non ſolum Chriſtianæ Diſciplinæ relaxativæ, ſed & ſaluti animarum, Chriſti ſanguine redemptarum, plurimum pernitioſæ; neque enim in ullâ materiâ periculoſius erratur quam in hâc, in quâ opiniones hominum nequeunt ſupplere defectum, & tollere malum quod timetur; & idcircò S. Aug. lib. 3 contra Donat: meritò ait, *in rebus ad ſalutem neceſſariis hoc ipſo quis graviter peccat, quo certis incerta præponit.* Ut verò ad particularia deſcendam, quænam opinio in praxi poteſt ſaluti animarum eſſe periculoſior quam hæc, quæ ait, *licere pænitentem abſolvere cum dolore orto ex ſolo metu gehennæ*; cum enim hæc ad ſummum ſit purè tantum probabilis, quis non videt pœnitentem taliter abſolutum exponi periculo æternæ damnationis, caſu quo hæc ſit falſa? quæ tamen multorum libris inſeritur; prout & hæc ſubſequens, *quod liceat pænitentes conſuetudinarios indiſcriminatim* (cum inefficaci emendationis propoſito, aliud ſiquidem, per ſe loquendo, hi habere non ſolent) *abſolvere.* Quid dicam de compluribus propoſitionibus per decreta & deciſiones Romanorum Pontificum modò improbatis, & reprobatis, qualis imprimis eſt hæc, *quod approbatus in una Diæceſi ad audiendas fidelium confeſſiones, eò ipſo ſit approbatus in omni*: præterea *quod Regulares vi ſuorum privilegiorum poſſint abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis*: prout & pluribus aliis ejuſdem farinæ, quibus referti ſunt aliquorum Neotericorum libri. Taceo aliquos totam Theologiam Moralem proble-

matiçè

Digitized by Google

maticè in utramque contradictionis partem verſare; qui profecto non aliud faciunt quam componere de Ethicâ Christianâ ludibrium.

Ad quos ſcopulos vitandos, ne Tyrones Theologi & Confeſſarii in illos impingant, ego hunc laborem aſſumpſi edendi hunc tractatum, in quo, quantum poſſum, conor ſeparare pretioſum à vili, adeoque, tanquam bos laſſus fortius figens pedem, inſiſto utrobique uni ſententiæ ſecuriori & tutiori, quam conor dilucidè proponere diſcipulis meis futuris animarum Paſtoribus, ut ſemper habeant ad manum ſolidioris & ſanioris doctrinæ panem, quem ovibus ſuis adminiſtrent; ſtudiosè autem abſtineo à diverſis diverſorum Authorum citationibus, prout & à referendis compugnantibus inter ſeſe ſententiis, V. G. quid in hâc vel illâ quæſtione ſenſerit Scotus, quid Ariminenſis, quid Durandus, quid Suarez aut Vaſquez; prout quoque àb enumerandâ portentoſâ ſerie Authorum, eò quod hæc & ſimilia plus ſæpe inſerviant vanitati, quam veritati indagandæ, & Lectori obſcuritatem potius adfèrant, quam claritatem.

Porro hunc Tractatum meum de Sacramentis ſub Ampliſſimo Nomine tuo volui apparere, partim, quia utilitas ejus potiſſimum redundat in Confeſſarios, Paſtores, & animarum curatores, quorum tu tanquam Paſtor Paſtorum copioſum numerum non ſolum in hanc noſtram, ſed & in vicinas quoque Diœceſes in vineam

Domini

Digitized by Google

Domini educis, poſteaquam ſollicitudine verè Paſtorali ſanioris doctrinæ pabulo illos in Monaſterio tuo ſaginaſti. Partim quoque quia zelus regularis diſciplinæ, munificentia in pauperes, vigilantia in munere Abbatiali tibi commiſſo, & aliæ virtutes tuæ, quas hic referre non patitur modeſtia tua animique ſubmiſſio, ad id me provocarunt.

Patere itaque AMPLISSIME PRÆSUL, ut hic fœtus meus, tanquam publicum ſinceri mei erga te affectûs, & obſervantiæ teſtimonium, Tibi, per manus Typographi, conſimili affectu offeratur ad laudem & gloriam Salvatoris noſtri JESU CHRISTI ſeptem Sacramentorum inſtitutoris, quem precor, ut Amplitudinem Veſtram ad bonum Monaſterii Tongerloenſis, totiuſque candidi Ordinis Præmonſtratenſis diu ſervet incolumem.

Adm. R.dæ

& Ampl.mæ D.nis Veſtræ.

Humillimus Servus,

LAURENTIUS NEESEN.

CEN-

Digitized by Google

APPROBATIO.

HIc Tractatus *Theologiæ Moralis Chriſtianæ de Sacramentis* : Varia dogmata maximè neceſſaria juxta ſolidiora Chriſtianæ vitæ principia ita ſublimiter tractat, ut & eruditis uſui eſſe poſſit : ita dilucidè exponit, ut & rudiores, & præcipuè tyrones ea capere valeant: ita particulatim verſat ut eum omnibus ad praxim utilem judicem & ne jejuna ſit ſcientia, pietatis ei monita conjungit. Nihil in eo reperi Catholicæ fidei, aut bonis moribus contrarium. Propter quod utiliter excudetur. Actum Bruxellis 5. Auguſti 1676.

JOANNES ROUCOURT,
S. Theol. L. Eccleſ. Colleg. DD. Michaëlis & Gudulæ Pleb. Libr. Cenſor.

A P-

d by Google

APPROBATIO

Hic Liber cui Titulus *Theologia Moralis Chriſtiana* &c. Authore Rev. Adm. D. LAURENTIO NEESEN &c. nihil complectitur quod fidei Catholicæ aut bonis moribus adverſetur. Quin imò rejectis opinionibus Chriſtianæ diſciplinæ relaxativis, ac ſaluti animarum pernicioſis, ſecuriores paſſim & tutiores tam dilucidè, tamque breviter ac ſolidè inculcat ſententias, ut omnibus animarum Rectoribus non ſolùm commodam, ſed & omninò perutilem præſtet operam. Piis inſuper poſt Tractatus ſingulos interſperſis Recollectionibus Lectori ſuo tam ſuavem afflat odorem, ut ſanum quemlibet & bene affectum ad ſe pertrahere natus ſit. Quapropter publicâ luce dignum cenſeo. Actum Bruxel. 26. Novemb. 1676.

J. D. CUYPER S. T. L. Paſt. S. Joan. Bap. de Molenb. reſid. ad S. Catha. Lib. Cenſor.

APPROBATIO.

Hic Liber, aptâ methodo ſeptem Sacramentorum explicationem complectens, multam continet doctrinam, multiſque, præſertim Sacramentorum adminiſtris, futuram utilem; quapropter eundem publica luce dignum cenſeo.

ANTONIUS LE FELON Lib. Cenſor.

INDEX

INDEX,

TRACTATUUM, QUÆSTIONUM, ET DUBIOR.

Quæ in hoc Volumine continentur.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in Genere. *Fol.* 1

QUÆSTIO I.
Quid Sacramentum. *ibid.*

DUBIUM PRIMUM.
AN *Sacramentum n. legis ſit in genere ſigni.* 2
Dub. II. *An omne ſignum rei Sacra ſit Sacramentum.* 3
Dub. III. *An ratio Sacramenti univocè, an vero æquivocè conveniat Sacramentis novæ & veteris legis* 5
Dub. IV. *An omnia Sacramenta n. l. conficiuntur rebus & verbis.* 6
Dub. V. *An materia & forma Sacramentorum ſint determinata ex Chriſti inſtitutione.* 9
Dub. VI. *Quandonam mutatio formæ irritet Sacramentum.* 12
Dub. VII. *An mutare formam Sacramentorum ſit peccatum.* 18
Dub. VIII. *An forma poſſit iterari ſupra eadem materia.* 19

QUÆSTIO II.
De principali effectu Sacramentorum, qui eſt gratia.
Dub. I. *An Sacramenta n. l. gratiam conferant ex opere operato.* 21
Dub. II. *An omnia Sacramenta conferant æqualem gratiam.* 27
Dub. III. *An omnia Sacramenta interdum conferant primam gratiam.* 30
Dub. IV. *An Sacramenta ultra gratiam habitualem inſuper cauſent aliquam gratiam actualem.* 32
Dub. V. *Quandonam Sacramenta conferant ſuos effectus.* 35
Dub. VI. *An Sacramenta cauſent gratiam phiſicè, an moraliter.* 36
Dub. VII. *An Sacramenta novæ legis habeant vim ex paſſione Chriſti.* 39

QUÆSTIO III.
De effectu Sacramentorum, qui eſt character
Dub. I. *An aliqua Sacramenta imprimant characterem.* 41
Dub. II. *Quid rei ſit character.* 43

QUÆSTIO IV.
De Sacramentorum neceſſitate.
Dub. I. *Vnicum an omni in ſtatu fuerint neceſſaria Sacramenta.* 45

QUÆSTIO V.
De Sacramentis veteris legis.
Dub. I. *An Sacramenta veteris legis contulerint gratiam ex opere operato.* 47
Dub. II. *An circumciſio contulerit gratiam ex opere operato.* 48

QUÆSTIO VI.
De cauſa & numero Sacramentorum novæ legis.
Dub. I. *Quæ ſit cauſa efficiens Sacramentorum novæ legis.* 52
Dub. II. *Quænam ſit cauſa miniſterialis efficiens Sacramentorum.* 53
Dub. III. *Quot ſint Sacramenta.* 55

QUÆSTIO VII.
De Suſcipientibus Sacramenta.
Dub. I. *Quiſnam ſit capax Sacramentorum ſuſcipiendorum.* 56

§ Dub. II.

Dub. II. *An peccatum veniale impediat effectum Sacramenti ſuſcipiendi.* 61
Dub. III. *An fictio impediat effectum Sacramentorum.* 63

QUÆSTIO VIII.
De Miniſtro Sacramentorum.

Dub. I. *An Sacramenta per malos miniſtros validè poſſint conferri.* 66
Dub. II. *An peccat malus miniſter adminiſtrando Sacramentum.* 69
Dub. III. *An quandoque ſit licitum petere Sacramenta à miniſtro ea adminiſtraturo in ſtatu peccati mortalis.* 74
Dub. IV. *Quandonam Parochus obligetur ex juſtitia, & quando ex charitate miniſtrare Sacramenta ſuis ſubditis.* 78
Dub. V. *An Paſtor aut alius miniſter poſſit alicui in ſtatu peccati mortalis exiſtenti aut indiſpoſito adminiſtrare Sacramenta.* 80

QUÆSTIO IX.
De Intentione Miniſtri.

Dub. I. *Quæ intentio miniſtri requiratur ex parte objecti ad confectionem Sacramenti.* 83
Dub. II. *Qualis debeat eſſe intentio miniſtri ut validè conficiat Sacramentum.* 85
Dub. III. *An ad validè conficiendum Sacramentum requiratur intentio abſoluta, an vero ſufficiat conditionata.* 88
Dub. IV. *An ad valorem Sacramenti neceſſe ſit ut intentio miniſtri dirigatur in determinatam perſonam abſque aliquo errore.* 90
Dub. V. *An miniſter teneatur obſervare ceremonias in adminiſtratione Sacramentorum præſcriptas.* 91

RECOLLECTIO.

TRACTATVS II.
De Baptiſmo.

Dub. I. *QVid Baptiſmus, & quotuplex.* 95
Dub. II. *Quandonam Baptiſmus ſit inſtitutus.* 96
Dub. III. *An Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem.* 98
Dub. IV. *Quænam ſit materia Baptiſmi.* 104
Dub. V. *Quænam ſit forma Baptiſmi.* 109
Dub. VI. *An Baptiſmus poſſit iterari.* 113
Dub. VII. *Quis ſit miniſter Baptiſmi.* 116
Dub. VIII. *Qui & quot adhibendi patrini in Baptiſmo.* 121
Dub. IX. *Quodnam ſit ſubjectum Baptiſmi.* 125
Dub. X. *Quæ diſpoſitiones requirantur in adulto Baptizando.* 129
Dub. XI. *Qui ſint effectus Baptiſmi.* 132
Dub. XII. *An fictio impediat effectum Baptiſmi.* 136
Dub. XIII. *Quæ ceremoniæ in collatione baptiſmi ſint obſervandæ.* 137
Dub. XIV. *Quid Baptiſmus ſanguinis, ſeu martyrium.* 139

RECOLLECTIO.

TRACTATVS III.

Dub. I. *AN Confirmatio ſit Sacramentum.* 147
Dub. II. *An hoc Sacramentum ſit omnibus ad ſalutem neceſſarium.* 149
Dub. III. *Quæ ſit materia Confirmationis, & quæ forma.* 151
Dub. IV. *Quodnam ſit ſubjectum Confirmationis.* 156
Dub. V. *Qui ſint Confirmationis effectus.* 159
Dub. VI. *Quis ſit Confirmationis miniſter.* 160

RECOLLECTIO.

TRACTATVS IV.
De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

PROEMIVM.

QUÆSTIO I.

Quibus nominibus hoc Sacramentum appelletur, & quandonam ſit inſtitutum. 166
Dub. I. *IN quo conſiſtat Euchariſtia Sacramentum.* 169
Dub. II. *An Euchariſtia Sacramentum ſit unum aut plura.* 174

Dub. III.

Digitized by Google

Dub. III. *An Euchariſtia Sacramentum ſit de neceſſitate ſalutis prima, an ſecunda.* 177

QUÆSTIO II.

De materia Sacramenti Euchariſtiæ.

Dub. I. *An materia Euchariſtiæ ſit panis & vinum* 181

Dub. II. *An ſit licitum quandoque conficere hoc Sacramentum in unica ſpecie.* 185

Dub. III. *An hoc Sacramentum debeat confici in pane azymo.* 187

Dub. IV. *An aqua ſit vino permiſcenda.* 191

Dub. V. *An aqua ante conſecrationem non converſa in vinum per conſecrationem convertatur in ſanguinem Chriſti.* 193

Dub. VI. *Qualis præſentia materiæ requiratur ut ea validè poſſit conſecrari.* 195

QUÆSTIO III.

De forma SS. Euchariſtiæ Sacramenti.

Dub. I. *Quæ ſit forma hujus Sacramenti.* 200

Dub. II. *Quomodo verba conſecrationis proferantur.* 205

QUÆSTIO IV.

De Converſione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

Dub. I. *An corpus Chriſti factâ conſecratione panis & vini ſit verè & realiter præſens ſub accidentibus panis & vini.* 207

Probatio præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ex ejus inſtitutione. 210

Probatio præſentiæ corporis Chriſti in Euchariſtia ex Conciliis. 215

Probatio corporis Chriſti in Euchariſtia ex SS. PP. præſertim quinque primorum ſæculorum. 217

Objectiones hæreticorum ex Scriptura Sacra. 223

Objectiones hæreticorum ex SS. Patribus præſertim quinque primorum ſæculorum. 226

Objectiones hæreticorum ex ratione petitæ contra Euchariſtiam. 232

Dub. II. *An idem corpus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis & an habebit utrobique eaſdem formas: & ſi mutetur in uno etiam debeat mutari in alio.* 234

Dub. III. *An factâ conſecratione remaneat panis & vinum unà cum corpore & ſanguine Chriſti.* 236

Dub. IV. *Quâ actione ponatur corpus Chriſti in Euchariſtia.* 239

Dub. V. *An totus Chriſtus ſit in Euchariſtia ſub qualibet ſpecie conſecrata.* 240

Dub. VI. *Quamdiu maneat corpus Chriſti in Euchariſtia.* 244

Dub. VII. *An quando in hoc Sacramento aliquando apparet caro, ſanguis, aut puer, ſit corpus Chriſti vel ejus ſanguis.* 248

Dub. VIII. *An accidentia panis & vini remaneant in Euchariſtia poſt conſecrationem.* 250

QUÆSTIO V.

De effectibus Sacramenti Euchariſtiæ.

Dub. I. *Quot ſint hujus Sacramenti effectus.* 252

Dub. II. *Quandonam Sacramentum Euchariſtiæ inſumente producat gratiam ſanctificantem.* 259

QUÆSTIO VI.

De uſu ſeu ſumptione hujus Sacramenti.

Dub. I. *Quot modis dicatur ſumi Euchariſtia.* 263

Dub. II. *Quænam ſit optima diſpoſitio ad ſumendum hoc Sacramentum.* 264

Dub. III. *Quale peccatum ſit ſumere Euchariſtiam in peccato mortali.* 264

Dub. IV. *An dubitans ſe commiſiſſe peccatum mortale, teneatur præmittere confeſſionem.* 272

Dub. V. *An nocturna pollutio impediat à ſuſceptione hujus Sacramenti.* ibid.

Dub. VI. *An cibus vel potus præſumptus impediant communionem.* 279

Dub. VII. *An amentibus & uſu rationis carentibus debeat hoc Sacramentum adminiſtrari.* 284

Dub. VIII. *An detur divinum præceptum de ſumenda Sacra Communione.* 285

Dub. IX. *Quænam obligentur præcepto Eccleſiaſtico annuæ communionis.* 290

Dub. X. *Ad quem ſpectet adminiſtratio Euchariſtiæ.* 294

Dub. ult. *An liceat quotidie hoc Sacramentum ſumere.* 295

RECOLLECTIO ibid.

§ 2 De

De Sacrificio Miſſæ.

QUÆSTIO I.
Quid Sacrificium in Genere.

Dub. I. *Quotuplex ſit Sacrificium.* 299
Dub. II. *An in Miſſa offeratur verum Sacrificium novæ legis.* 300
Dub. III. *Quænam ſit res oblata ſeu materia Sacrificii Miſſæ.* 305
Dub. IV. *In qua actione Miſſæ eſſentialiter conſiſtat Sacrificium novæ legis.* 307
Dub. V. *Quale ſit Sacrificium Miſſæ.* 312
Dub. VI. *Quinam ſint offerentes.* 314
Dub. VII. *Pro quibus hoc Sacrificiũ poſſit offerri.* 317
Dub. VIII. *Qui ſint effectus Sacrificii Miſſæ.* 322
Dub. IX. *An Sacrificium Miſſæ ſit infiniti valoris, adeoque pro multis oblatum æque proſit ſingulis ac ſi pro uno ſolo offerretur.* 327
Dub. X. *Ad quem ſpectet applicare fructum Sacrificii Miſſæ.* 331
Dub. XI. *An & quale ſtipendium ſacerdos poſſit accipere pro celebratione Miſſæ.* 334
Dub. XII. *An ſacerdos ſit obligatus ſub mortali aliquando celebrare, & quoties.* 339
Dub. XIII. *An ſacerdos poſſit celebrare Miſſam quam vult.* 342
Dub. XIV. *Qua hora ſit licitum Miſſam celebrare.* 346
Dub. XV. *Quo loco Miſſa ſit celebranda.* 347
Dub. XVI. *Quale peccatum ſit celebrare in Eccleſia violata, & quotupliciter illa violetur.* 349
Dub. XVII. *An & quæ loca gaudeant immunitate Eccleſiaſtica.* 352
Dub. XVIII. *An ad celebrandum requiratur altare ab Epiſcopo conſecratum* 355
Dub. XIX. *De vaſis ad celebrationem Miſſæ neceſſariis.* 358
Dub. XX. *Quot & quæ veſtes ſacerdoti neceſſaria ſint ad celebrandum.* 361
Dub. XXI. *An & qualis miniſter requiratur ad celebrationem Miſſæ.* 365
Dub. XXII. *An Miſſa quoad ritus & ceremonias fuerit eodem modo ſemper in Eccleſia celebrata* 366
Dub. ult. *Quomodo occurrendum defectibus in Miſſæ Sacrificio occurrentibus.* 369

RECOLLECTIO.

TRACTATUS V.

De Pœnitentia.

De virtute Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

An Pœnitentia ſit virtus. 371
Dub. I. *Quid Pœnitentia prout eſt virtus ſpecialis.* 379

QUÆSTIO II.

De eſſentia Pœnientiæ. 381
Dub. I. *Quid ſit Contritio* 384
Dub. II. *An ad contritionem requiratur amor Dei & quidem ſuper omnia.* 386
Dub. III. *De diverſis gradibus amoris Dei ex quibus oritur dolor de peccatis.* 391
Dub. IV. *An quævis contritio ex quocumque gradu divini amoris elicita, habeat conjunctam remiſſionem peccatorum extra Sacramentum Pœnitentiæ.* 392
Dub. V. *An contritio charitate perfecta ſemper extra Sacramentum juſtificet.* 296
Dub. VI. *An dolor ſufficiens & requiſitus ad remiſſionem peccatorum ſit ſola contritio procedens ex amore Dei ſuper omnia.* 399
Dub. VIII. *Quantus debeat eſſe dolor contritionis.* 405
Dub. VIII. *An de ſingulis peccatis mortalibus requiratur ſingularis contritio.* 411
Dub. IX. *An exſtet præceptum contritionis eliciendæ.* 414
Dub. X. *Quandonam obliget illud præceptum.* 415
Dub. XI. *An peccatum veniale remitti poſſit ſine contritione.* 419
Dub. XII. *An gratia & auxilium ad agendam pœnitentiam ſeu ad excitandam contritionem omnibus ſemper ſit paratum ex parte Dei, adeoque an illud quovis tempore omnibus offerat.* 427
Dub. XIII. *An peccatum mortale remitti poſſit ſine pœnitentia ſeu ſine contritione.* 433
Dub. XIV. *An poſſit quem pœnitere de uno peccato mortali ſic ut unum poſſit remitti non remiſſo altero.* 436

Dub. XV.

Dub. XV. *An remiſsâ culpâ per contritionem, remittatur quoque reatus pœnæ unà cum reliquiis peccatorum.* 437

Dub. XVI. *An poſtquam peccata per contritionem ſunt remiſſa, illa per ſubſequens peccatum revertantur.* 440

Dub. XVII. *An bona opera & meritoria per peccatum mortificata reviviſcant per pœnitentiam.* 446

Dub. XVIII. *Quæ præparatio ad veram contritionem ſit requiſita.* 452

RECOLLECTIO.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quid Pœnitentia prout eſt Sacramentum.

Dub. I. *AN Pœnitentia ſit Sacramentum.* 456

Dub. II. *In quo eſſentialiter conſiſtat Sacramentum Pœnitentiæ.* 458

Dub. III. *Quænam ſit forma Sacramenti Pœnitentiæ.* 462

Dub. IV. *An hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem.* 470

QUÆSTIO II.

De Confeſſione, ſecunda parte materiali Pœnitentiæ.

Dub. I. *Quid Confeſſio, quo jure inſtituta, & an ſit ad ſalutem neceſſaria.* 471

Dub. II. *Quomodo computandus ſit annus quo ex præcepto Eccleſiæ tenemur confiteri.* 477

Dub. III. *An hoc præceptum tam divinum quam Eccleſiaſticum confeſſionis etiam obliget pueros.* 480

Dub. IV. *Qualis debeat eſſe confeſſio.* 482

Dub. V. *An confeſſio poſſit eſſe informis.* 487

Dub. VI. *An confeſſio debeat eſſe fidelis & vera.* 488

Dub. VII. *An confeſſio debeat eſſe integra.* 490

Dub. VIII. *An ad integritatem confeſſionis prærequiratur prævium examen conſcientiæ.* 492

Dub. IX. *An ſpectet ad integritatem confeſſionis ut explicentur omnia peccata mortalia quoad ſpeciem.* 493

Dub. X. *An ad integritatem confeſſionis requiratur ut omnia peccata mortalia quoad numerum explicentur.* 495

Dub. XI. *An circumſtantiæ notabiliter aggravantes debeant explicari in confeſſione ad hoc ut confeſſio ſit integra.* 498

Dub. XII. *An ad integritatem confeſſionis requiratur ut peccata dubia in ea explicentur.* 502

Dub. XIII. *An aliquando poſſit fieri confeſſio non integra, quæ tamen ſit valida & licita.* 505

Dub. XIV. *An poſſit abſolvi ægrotus qui petiit Confeſſarium aut dedit ſigna pœnitentiæ, & adveniente Confeſſario non poteſt amplius loqui, ſed exhibere tantum aliqua ſigna pœnitentiæ.* 509

Dub. XV. *An & quibus caſibus confeſſio ſit iteranda.* 511

QUÆSTIO III.

De Miniſtro Confeſſionis.

Dub. I. *An ſolus ſacerdos ſit hujus Sacramenti miniſter.* 514

Dub. II. *An omnis ſacerdos ſit miniſter hujus Sacramenti.* 516

Dub. III. *Quinam in foro Sacramentali cenſeantur ſubditi ut licite poſſit impendi illis abſolutio.* 522

Dub. IV. *An Paſtor habens injuſtum titulum ſui Paſtoratus validè abſolvat.* 526

Dub. V. *An & qualis approbatio requiratur antequam alicui committatur poteſtas audiendi fidelium confeſſiones.* 531

QUÆSTIO IV.

De qualitatibus in ſacerdote requiſitis ad dignam adminiſtrationem Sacramenti.

Dub. I. *Quæ bonitas ſeu virtus ſit neceſſaria Confeſſarii.* 540

Dub. II. *Quæ ſcientia ſit Confeſſario neceſſaria.* 542

Dub. III. *Quæ prudentia ſit Confeſſario neceſſaria.* 544

Dub. IV. *De prudentia Confeſſarii in examinando pœnitente.* 547

Dub. IV. *De prudentia Confeſſarii in reſolvendis caſibus partim communibus, partim rarioribus & gravioribus in confeſſione occurrentibus.* 550

QUÆSTIO V.

De Reſervatione caſuum.

Dub. I. *An ſit in Eccleſia poteſtas reſervandi caſus.* 571

Dub. IJ. *Quænam peccata reſerventur.* 575

Dub. IIJ. *Quinam & quot ſunt caſus reſervati ſummo Pontifici.* 577

Dub. IV. *An ſupradicti caſus Papales fiant quandoque Epiſcopales.* 580

Dub. V. *Qui caſus ſint reſervati Epiſcopo.* 582

Dub. VJ. *Qui caſus ſint reſervati Archi-Epiſcopo Mechlinienſi.* ibid.

Dub. VIJ. *Qui caſus ſint reſervati Epiſcopo Leodienſi.* 583

Dub. VIIJ. *Qui caſus ſint reſervati Epiſcopo Namurcenſi.* ibid.

Dub. IX. *Qui ſint caſus reſervati Prælatis Religioſorum.* 584

Dub. X. *Ad quem ſpectet caſuum reſervatio.* ibid.

Dub. XJ. *An Regulares virtute privilegiorum ſuorum poſſint abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis.* 589

Dub. XIJ. *Quomodo Confeſſarius non habens poteſtatem à reſervatis ſe geret erga pœnitentem gravatum caſu reſervato.* 592

QUÆSTIO VJ.

De Sigillo.

Dub. I. *Quid Sigillum, & quæ ejus obligatio.* 595

Dub. IJ. *Ex qua confeſſione oriatur obligatio ſigilli.* 597

Dub. IIJ. *Quæ ſit materia ſigillum.* 598

Dub. IV. *Quotupliciter poſſit violari ſigilli.* 600

Dub. V. *An Confeſſarius poſſit uti quandoque ſcientiâ habitâ ex confeſſione ad externam gubernationem v.g. faciendo vel omittendo aliquid quod alias non eſſet facturus vel omiſſurus.* 603

QUÆSTO VIJ.

De Satisfactione.

Dub. J. *Quid ſatisfactio & quotuplex.* 606

Dub. IJ. *Quid opus ſatisfactorium & quæ conditiones ad illud requiſitæ.* 609

Dub IIJ. *An noſtræ ſatisfactiones obſcurent aut imminuant ſatisfactiones Chriſti.* 612

Dub. IV. *An unus homo poſſit pro alio ſatisfacere.* 613

Dub. V. *Quid ſit ſatisfactio Sacramentalis.* 615

Dub. VI. *Cujuſmodi ſatisfactio ſit pœnitenti imponenda.* 619

Dub. VIJ. *Ad quot capita reducatur omnis ſatisfactio Sacramentalis.* 622

Dub. VIIJ. *An ſatisfactio debeat adimpleri ante abſolutionem, an vero poſt illam.* 623

Dub. IX. *An Confeſſarius poſſit quandoque immutare aut imminuere pœnitentiam impoſitã.* 624

RECOLLECTIO. 627

QUÆSTIO I.

De Cenſuris in Generali.

Dub. J. *Quid Cenſura & quotuplex.* 629

Dub. IJ. *Quis poſſit ferre Cenſuram.* 632

Dub. IIJ. *In quos poſſit ferri cenſura.* 632

Dub. IV. *Ob quæ peccata poſſit ferri cenſura.* 634

Dub. V. *Quæ ſint cauſæ excuſantes ab incurſione cenſuræ.* 637

Dub. VJ. *Quinam poſſint abſolvere à Cenſuris.* 639

Dub. VII. *Quomodo danda ſit abſolutio à cenſuris.* 643

QUÆSTIO IJ.

De Excommunicatione.

Dub. J. *Quid Excommunicatio.* 643

Dub. IJ. *Quænam ſit diſtinctio inter excommunicatum toleratum & non toleratum.* 645

Dub. IIJ. *Qui ſit effectus Excommunicationis* 647

Dub. IV. *De Excommunicatione ob percuſſionem clerici.* 651

QUÆSTIO III.

De ſuſpenſione.

Dub. I. *Quid ſuſpenſio & quotuplex.* 656

Dub. IJ. *Quænam ſuſpenſiones jure communi contrahantur à Clericis.* 657

Dub. IIJ. *Quid degradatio & quomodo à ſuſpenſione differat.* 659

QUAESTIO IV.

De Interdicto.

Dub I. *Quid interdictum & quotuplex.* 660

QUAESTIO V.

De Irregularitate.

Dub. I. *Quid Irregularitas.* 664

Dub. IJ. *Quinam ſint effectus irregularitatis* 666

Dub. III. *Quæ ſint irregularitates contractæ ex delicto.* 667

Dub. IV. *Quænam ſint irregularitates ortæ ex defectu.* 672

QUÆ-

d by Google

QUÆSTIO VI.
De Indulgentiis.

Dub. I. *An in Eccleſia ſit poteſtas conferendi indulgentias* 676
Dub. IJ. *An indulgentiæ a primis Eccleſiæ temporibus uſquemodo fuerint uſitatæ.* 677
Dub. IIJ. *An indulgentiæ valeant tantum pro remittendis pœnis quæ ſecundum canones pœnitentiales erant ſubeundæ, an vero etiam valeant pro relaxandis pœnis purgatorii.* 680
Dub. IV. *Quotuplices ſint indulgentiæ.* 681
Dub. V. *An ad concedendas, item ad lucrandas indulgentias requiratur cauſa.* 686
Dub. VJ. *Quid ſint indulgentiæ.* 689
Dub. VIJ. *Quæ conditiones requirantur ad lucrandas indulgentias.* 693
Dub. VIIJ. *An Indulgentiæ poſſint defunctis.* 695

QUAESTIO VIJ.
De Purgatorio.

Dub. I. *An poſt hanc vitam detur purgatorium* 696
Dub IJ. *Ubi ſit purgatorium.* 701
Dub. IIJ. *Quales ſint pœnæ quas animæ patiuntur in purgatorio.* 704
Dub. IV. *An animæ in purgatorio detentæ aliorum ſuffragiis poſſint juvari.* 707

TRACTATUS VI.
De Sacramento Extremæ Unctionis.

Dub. I. *AN detur in Eccleſia Sacramentum extremæ unctionis.* 710
Dub. IJ. *Quid extrema unctionis* 712
Dub. IIJ. *An extrema unctio ſit unicum numero Sacramentum.* 713
Dub. IV. *Quotuplex ſit materia hujus Sacramenti.* 718
Dub. V. *Quæ ſit forma hujus Sacramenti.* 720
Dub. VJ. *Quibus hoc Sacramentum conferri poſſit.* 722
Dub. VIJ. *Quis ſit miniſter hujus Sacramenti.* 725
Dub. VIIJ. *Quis ſit effectus hujus Sacramenti.* 728
Dub. IX. *An hoc Sacramentum poſſit iterari.* 730
Dub. X. *Quæ ſint ſigna ex quibus Paſtor colligere poteſt ægrum brevi moriturum.* 732
Dub. XJ. *An Paſtor ſit ſufficienter functus officio ſuo, eo ipſo quo ægroto adminiſtravit viaticum & extremam unctionem.* ibid.
Dub. XIJ. *Variæ exhortationes ad ægrotum.* 736

TRACTATUS VII.
De Sacramento Ordinis.

Dub. J. *QVid ſit vero.* 742
Dub IJ. *An ordo ſit Sacramentum.* 742
Dub. IIJ. *Quot ſint ordines, & an omnes ſint Sacramentum.* 744
Dub. IV. *An omnes hi ſeptem ordines ſint Sacramenta.* 746
Dub. V. *Quid Tonſura.* 748
Dub. VJ. *Quot ſint Ordines minores* 751
Dub. VIJ. *Quid ſint Ordines majores* 755
Dub. VIIJ. *An Epiſcopatus ſit Sacramenti.* 758
Dub. IX. *De diſtinctionibus ad ſuſceptionem ſacrorum ordinum requiſitis* 762
Dub. X. *De ſubjecto ſacrorum Ordinum* 766
Dub. XJ. *Quæ qualitates requirantur in ſubjecto Sacrorum Ordinum* 767
Dub. XIJ. *An neceſſitate præcepti requiratur ſcientia in ordinando.* 772
Dub. XIIJ. *An neceſſitate præcepti requiratur titulus ad Ordines ſuſcipiendos* 773
Dub. XIV. *An requirantur interſtitia temporum.* 776
Dub. XV. *Qui ſint Canones ſuper vita & honeſtate Clericorum innovati à Conc. Trident.* 777
Dub. XVJ. *Qui ſint effectus Sacramenti Ordinis.* 778
Dub. XVIJ. *Quis ſit miniſter hujus Sacramenti.* 779
Dub. XVIIJ. *Quomodo peccet promovens indignam ad SS. Ordines.* 784
Dub. XIX. *De caſtitate ſacris ordin. annexa.* 785
RECOLLECTIO.

Digitized by Google

TRACTATUS. VIII.
De Sacramento Matrimonii.

QUÆSTIO I.
De Sponſalibus.

Dub. I. QVid Sponſalia & quæ ad illa requiſita. 791
Dub. II. Quid ſponſalia clandeſtina. 795
Dub. III. Quinam ſint capaces ſponſalia contrahendi. 797
Dub. IV. Quæ obligatio oriatur ex ſponſalibus validis. 799
Dub. V. An fictè promittens obligetur vi ſponſalium ad illa implenda. 801
Quænam impediant validitatem ſponſalium. 802

QUÆSTO II.
Quibus modis diſſolvantur ſponſalia.

Dub. I. An ſponſalia diſſolvuntur per matrimonium unius partis initum de præſenti cum ſecunda. 803
Dub. II. An diſſolvantur ſponſalia per quodlibet impedimentum dirimens ſuperveniens. 804
Nub. III. An diſſolvantur ſponſalia priora per poſteriora. 805
Dub. IV. An diſſolvantur ſponſalia per mutuum conſenſum. 806
Dub. V. An ſponſalia diſſolvantur per ingreſſum unius in religionem. 807
Dub. VI. An diſſolvantur ſponſalia per votum ſimplex caſtitatis item Religionis, vel Ordinis Sacri. 808
Dub. VII. An diſſolvantur per fornicationem cum alio. 809
Dub. VII. An diſſolvi poſſint propter notabilem aliquem defectum corporis ſupervenientem uni è ſponſis. 810
Dub. IX. An ſufficiant cauſæ illæ ad diſſolvenda ſponſalia quando in contractu ſponſalitio fuerant ignoratæ, & poſtea apparint. 811
Dub. X. An ſponſalia cum ſupradictis deffectibus & impedimentis inita ſint ipſe facto inuita 812
Dub. XI. An diſſolvantur lapſu termini præfixi ad ineundum matrimonium. 814
Dub. XII. An diſſolvantur ſponſalio etiam jurata per diſceſſum alterius in longinquam regionem ſine conſenſu alterius. 815
Dub. XIII. An in illas caſibus ſufficientibus ad diſſolvenda ſponſalia ad illorum diſſolutionem requiratur judicis authoritas. 816
Dub. XIV. Qualis probatio requiratur ut judex Eccleſiaſticus diſſolvat ſponſalia. 817
Dub. XV. An ſponſalibus poſſit imponi pœna perſolvenda ab illo qui fidem fregit. 818
Dub. XVI. An in contractu ſponſalium non ſit licitum apponere arras amittendas per illum qui fregerit fidem. 819
Dub. XVII. An in contrahendis ſponſalibus filii & filiæ debeant ex quirere cenſum parentum. 820

QUÆSTIO III.
De natura & eſſentia Matrimonii.

Dub. I. Quid Matrimonium. 822
Dub. II. Quo jure Matrimonium ſit indiſſolubile. 824
Dub. III. An Matrimonium cadat ſub præcepto. 825
Dub. IV. An uſus Matrimonii ſit licitus. 827
Dub. V. An Matrimonium ſit Sacramentum. 829
Dub. VI. An omne Matrimonium ſit Sacramentum. 832
Dub. VII. Quæ ſit materia & forma Sacramenti Matrimonii. 837
Dub. VIII. Quis ſit miniſter Sacramenti Matrimonii. 838
Dub. IX. An mutuus conſenſus contrahentium requiratur, ad Matrimonium, & qualis. 840
Dub. X. Quodnam ſit objectum conſenſus Matrimonialis, ſeu quid debeant contrahentes intendere ut validè contrahant. 844
Dub. XI. Quem finem debeant contrahentes intendere, ad hoc ut parte illius non peccent. 847
Dub. XII. Qualiter poſſint peccare ſponſi in contrahendo Matrimonio. 849
Dub. XIII. Quandonam copula conjugalis ex parte finis exercetur ſine peccato. 850
Dub. XIV. Quandonam in actu matrimoniali peccetur mortaliter. 851

QUÆSTIO. IV.
De conſenſu conditionato.

Dub. I. An matrimonium celebratum ſub conditione ſit validum. 856

QUÆ-

d by Google

INDEX DUBIORUM &c.

QUÆSTIO V.

An Matrimonium coactum, ſeu, cui metus cauſam dedit, ſit validum. 863

QUÆSTIO VI.

De Matrimonio clandeſtino.

Dub. I. *Quid Matrimonium clandeſtinum.* 867

Dub. II. *An ubi hoc Concilii Decretum eſt receptum, ſit taliter neceſſaria, aſſiſtentia Parochi & duorum teſtium, ut ſine his Matrimonium nullo caſu ſit validum.* 871

Dub. III. *Cujus Parochi præſentia requiratur ut matrimonium ſubſiſtat.* 877

Dub. IV. *Qualis præſentia Parochi & teſtium requiratur ad hoc ut matrimonium coram illis contractum ſit validum.* 883

Dub. V. *An contractui Matrimoniali debeant præmitti denuntiationes.* 885

Dub. VI. *Quænam requirantur ad revalidandum matrimonium quod fuit invalidè contractum in facie Eccleſiæ.* 892

Dub. VII. *An Confeſſarius teneatur monere pœnitentem quem novit invalidè contraxiſſe matrimonium ex ignorantia juris vel facti.* 896

Dub. VIII. *An poſt Matrimonium bona fide ab utroque conjugum contractum ſi utrique vel alteri de valore ejus ſuperveniat dubium, poſſit dubitans petere & reddere debitum.* 900

Dub. IX. *An vinculum matrimoniale quandoque poſſit diſſolvi.* 906

Dub. X. *An Matrimonium per procuratorem contractum ſit validum.* 912

Dub. XI. *Quis poſſit quandoque diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium.* 914

QUÆSTIO VII.

De impedimentis dirimentibus Matrimonium

Dub. I. *Quis poſſit ſtatuere impedimenta Matrimonium dirimentia: & quale peccatum ſit contrahere cum impedimento dirimente.* 916

Dub. II. *Quotuplicia ſint impedimenta Matrimonii.* 918

Dub. III. *Quid impedimentum erroris.* 919

Dub. IV. *De errore conditionis ſervilis.* 922

Dub. V. *De impedimento voti.* 924

Dub. VI. *Ad quid obliget votum ſimplex caſtitatis vel religionis emiſſum ab altero conjuge ſine licentia alterius poſt matrimonium ratum & non conſummatum.* 926

Dub. VII. *An ordo ſacer dirimat matrimonium.* 930

Dub. VIII. *Quid impedimentum conſanguinitatis.* 933

Dub. IX. *De impedimento affinitatis.* 937

Dub. X. *De impedimento cognationis ſpiritualis* 942.

Dub. XI. *De cognatione legali.* 946

Dub. XII. *De impedimento publicæ honeſtatis.* 947

Dub. XIII. *De impedimento impotentiæ.* 949

Dub. XIV. *De impedimento maleficii.* 951

Dub. XV. *De impedimento diſparitatis cultus.* 952

Dub. XVI. *De impedimento criminis.* 954

Dub. XVII. *De impedimento raptus.* 956

QUÆSTIO VIII.

De Divortio.

Dub. I. *Quid divortium & quotupliciter accipiatur.* 958

Dub. II. *An divortium ſit licitum.* ibid.

Dub. III. *Quæ ſint aliæ cauſæ ob quas ſit licitum facere divortium.* 960

RECOLLECTIO. 962

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

NOn arbitror te ignorare Tiro Theologe (nam tibi potiſſimum ſcribo qui vocaris ad curam animarum, quarum ſanguis quandoque in noviſſimo judicii die à te ſtrictiſſimè requiretur ab eo qui venturus eſt judicare vivos & mortuos) quam fructuoſa, ne dicam neceſſaria tibi ſit accurata & exacta cognitio eorum quæ ſpectant ad adminiſtrationem ſeptem Sacramentorum novæ legis, & vice verſâ quam periculoſa, ne dicam pernicioſa; eorundem tibi ſit ignorantia. Quippe à quorum licitâ vel illicitâ, validâ vel invalidâ confectione pendeat ſalus aut damnatio tam tua, quam animarum tibi aliquando committendarum: nam, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 1. à ſeptem hiſce ſanctiſſimis Sacramentis omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur: eapropter hæc ſeptem Sacramenta ſunt veluti ſeptem columnæ, quas Jeſus Chriſtus ſapientia Patris æterni excidit è lapidicinâ potentiæ ſuæ; quibus domum ſuam, quæ eſt Eccleſia militans, ſuperinſtruxit: hæc ſunt ſeptem ſtellæ apparentes in dextera filii hominis Apocalypſis 2. ad effugandas peccatorum nebulas, & divini amoris ignem in cordibus fidelium accendendum: hæc ſunt ſeptem lucernæ quas vidit Zacharias ap. 4. in aureo & myſtico eccleſiæ candelabro illam fulgore ſuo irradiantes: hæc denique ſunt ſeptem ſalu-

Digitized by Google

berrimi fontes è quibus nos aquam ſalutis cum gaudio ſumpturos vaticinatus eſt Iſaias Propheta cap. 12. dum ait *haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris*, ſi quidem per hæc quaſi per totidem canales Chriſti ſanguis in paſſione effuſus nobis abundè applicatur, ejuſque gratia uberrimè in nos derivatur.

De his tam in generali quam in ſpeciali hîc tracto, reſectis interim quamplurimis & ad praxim Confeſſariorum minus utilibus quæſtionibus, nullâ tamen omiſsâ, inſtructioni illorum neceſſariâ. Quæ antequam tractare aggrediar, liceat mihi ô Sacræ Theologiæ candidate qui ignorantium Doctor, cæcorum ductor, gregis dominici Paſtor, myſteriorum ejus diſpenſator, & Sacramentorum illius magnus œconomus futurus es, liceat, inquam, mihi te alloqui verbis Apoſtoli 1. ad Tim. 4. *attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt*, quod ſi neglexeris, & te & ipſos perdes, nam *cæcus ſi cæco ducatum præſtet ambo in foveam cadent.* Eapropter meminiſſe debes te eodem divino præcepto naturali quo ex officio in cura animarum conſtitutus obligaberis Chriſti ſanguinem ſanctè & reverenter diſpenſare, ejuſque Sacramenta rite adminiſtrare, eodem ex nunc obligari, & quidem ſub graviſſimo peccato ſacrilegii comparare tibi ſcientiam ad munus tuum obeundum neceſſariam: quapropter certò tibi perſuadeas omnes ignorantias, omneſque defectus tam graves,

Digitized by Google

ves, quam leves quos poſtmodum in regimine animarum committes defectu competentis ſcientiæ tibi fore inexcuſabiles, quippe voluntarias in cauſa, ſcilicet in negligentia tempore & loco quo in ſtudiis verſaris debitam & neceſſariam ſcientiam tibi comparandi: neque enim hæc acquiri poteſt aut debet dum impræſentiarum cura animarum ſuſcipitur, ſed antea dum ab omnibus curis liber, & tibi vacans in ſtudiis verſaris: hinc niſi arma ſcientiæ quibus hoſtem ſuperes, & gregem tibi commiſſum ab eo defendas ante tibi comparaveris, miſer in ipſo conflictu ſuccumbes, teque & ſubditos tibi commiſſos perdes.

Porro eſto complures viri undequaque præcellentes fusè latèque plurima, eaque præclara huc pertinentia ſcripſerint quæ tibi poſſent ſufficere, tamen quia verſamur in ejuſmodi materia, in quam quadrat illud Senecæ epiſt. 27. ,, numquam nimium dicitur quod numquam ſatis dici- ,, tur, non erubui imitari pauperculam Ruth moabitidem, de qua S. Scriptura Ruth 2. narrat; quod, cum fame & egeſtate premeretur, contulerit ſeſe tempore meſſis hordeaceæ ad agrum viri præpotentis & divitis nomine Booz collectura Spicas decidentes poſt terga metentium ut hoc labore ſibi victum conquireret.

Hanc ego imitatus, conſcius quoque indigentiæ & tenuitatis meæ, Sacrarum Scripturarum, Traditionum, & Conciliorum fertiliſſimos agros ingreſſus ſum, & ibidem ſequens veſtigia primorum meſſorum, nempe

 SS. Au-

Digitized by Google

SS. Auguſtini & Thomæ, dein & aliorum Doctorum tam antiquorum quam neotericorum qui ſecuriores tramites tradiderunt, ſpicas poſt illorum meſſorum terga collegi, è quibus, adjunctis ſimul multorum annorum experientiis confeci ſeptem Tractatus de ſeptem Sacramentis, quos tibi, non veluti ſeptem craſſos manipulos (quales multi ad nauſeam fecerunt, ſed veluti totidem parvos faſciculos offero ut ex granis ejus ſanæ doctrinæ panes in tempore conficias quibus animas curæ tuæ quandoque concredendas paſcas in hac vita mortali, illaſque adaptes ad vitam immortalem: confido quod hi ſeptem faſciculi te non aggravabunt, quin potius onus animarum plurimùm alleviabunt, dum paucis cognoſces, quem, in materia adeo ſpinoſa & periculoſa, ſecuriorem tramitem tenere debeas ut tutus incedas: quod ſi feceris, glorificabis Patrem tuum qui in cælis eſt, honorificabis Matrem tuam Eccleſiam quæ in terris eſt, aſſecurabis animam tuam, & ſubditos tibi commiſſos cum divina gratia ſalvos facies.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in genere.

QUÆSTIO I.

Quid Sacramentum.

Varia acceptio nominis Sacramentum.

SACRAMENTI nomen quantumvis à ſcriptoribus Eccleſiaſticis variis modis uſurpetur, attamen in Scriptura S. accipitur potiſſimum duobus modis 1. pro re ſecreta & occulta quo modo vox latina Sacramentum, græcè idem eſt quod myſterium: & ita accipitur ab Apoſtolo ad Epheſ. 1. dum ait, *ut notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ*: pro ut quoque Tob. 12. dum dicitur: *Sacramentum regis abſcondere bonum eſt.* Secundò accipitur pro ſigno rei Sacræ, quo modo hanc vocem uſurpat Apoſtolus ad Epheſ 5. dum ait, *Sacramentum hoc magnum eſt*, *ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*: loquitur autem de matrimonio primi noſtri parentis, quod ait fuiſſe ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia.

Strictior Sacramenti acceptio.

Porro ex uſu SS. Patrum, Conciliorum & Theologorum vox Sacramentum uſurpatur ſtrictiùs nempè pro aliquo ſigno ſeu ceremonia ſacra homines ſanctificante.

Nos omiſſis variis definitionibus Sacramenti in genere, quæ à diverſis Doctoribus paſſim diverſæ adferuntur, magis propriam & exactam putamus illam quam adfert Catheciſmus Concilii Tridentini: & eſt hæc, Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibile ſignum ad noſtram ſanctificationem divinitus inſtitutum.

Definitio Sacramenti in genere.

Seu clarius ſic, Sacramentum eſt ſignum ſenſibile ſtabili lege in Eccleſia à Deo inſtitutum ſignificativum gratiæ ſanctificantis, & alicujus ſanctitatis collativum: Et hæ duæ definitiones competunt tam Sacramentis novæ, quàm veteris legis, dummodo tamen in prima definitione particula *Sanctificatio* ſumatur latius, ut comprehendat quoque ſanctificationem legalem.

Dices; ad rationem Sacra-

menti requiritur ut ſit ſignum veræ gratiæ ſanctificantis ; ſed hoc non competit ſacramentis veteris legis ; ergo illa non ſunt ſacramenta.

Reſpondeo, negando ſubſumptum : etenim cum fuerint figuræ noſtrorum ſacramentorum, etiam fuerunt ſigna gratiæ per noſtra ſacramenta conferendæ : neque enim ad rationem ſacramenti in genere requiritur ut conferat veram gratiam, quam ſignificat ; alioqui enim ſacramenta veteris legis eſſent excluſa à ratione ſacramenti, quæ tamen ſic appellantur à Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 2.

Petes ; quomodo definiatur ſacramentum novæ legis.

Definitio ſacramēti novæ legis. Reſp. utramque definitionem ſupra poſitam illi adæquatè convenire, dummodo illæ duæ particulæ ſanctificatio & ſanctitas in illis mentionatæ ſtrictè ſumantur nempe pro ea quæ formaliter hominem ſanctificat : ita ut ſacramentum novæ legis rectiſſimè & adæquatè definiatur hoc modo, eſt ſignum ſenſibile ſtabili lege à Deo in eccleſia inſtitutum ſignificativum & collativum veræ gratiæ ſanctificantis.

DUBIUM PRIMUM.

An Sacramentum novæ legis ſit in genere ſigni.

PRæmittendum, ſignum in genere non eſſe aliud quam id quod aliquid à ſe diſtinctum potentiæ cognitivæ repræſentat, ſeu præſens exhibet, cujus complures adferuntur diviſiones : & primò quidem dividitur in ſignum naturale, & in ſignum ex inſtituto ſignificativum : iſtud eſt quod vi eſſentiæ ſuæ aliud repreſentat, quale eſt fumus reſpectu ignis : hoc verò eſt quod ex voluntate agentis liberi ordinatur ad aliud repreſentandum. *Definitio ſigni.*

2. Dividitur ſignum in ſpeculativum & practicum : primum eſt quod eſt ſignificativum alterius ſed non effectivum, ut ſerpens æneus reſpectu crucifixionis Chriſti : poſterius eſt quod efficit id quod ſignificat : qualia ſunt omnia Sacramenta ; & quidem Moyſaïca reſpectu ſanctitatis legalis ; Sacramenta verò novæ legis reſpectu ſanctitatis veræ & formalis. *Varia ſigni diviſiones.*

Tertiò dividitur ſignum in ſenſibile & ſpirituale : illud eſt quod aliquo ſenſu externo percipi poteſt : hoc eſt quod ſolo intellectu eſt cognoſcibile, quale eſt

Digitized by Google

eſt character baptiſmi, confirmationis & ordinis.

Quartò dividitur ſignum in demonſtrativum, prognoſticon, & commemorativum: primum eſt ſignum rei preſentis, ſecundum rei futuræ, tertium rei preteritæ, quæ tres rationes ſigni competunt omnibus ſacramentis novæ legis utpote quæ ſunt demonſtrativa preſentis gratiæ quam efficiunt, prognoſtica futuræ gloriæ, commemorativa, dominicæ paſſionis.

Petes, quare Sacramentum debeat eſſe ſignum ſenſibile.

Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile.

Reſp. quia illud inſtitutum eſt pro homine; qui, cum ſit ſenſibilis ſolet per ſigna ſenſibilia venire in notitiam rerum ſpiritualium, neque enim aliter ſecundum naturalem ſuum modum cognoſcendi ſolet ipſe res ſpirituales cognoſcere. Et ratio congruentiæ eſt, quia ſacramenta ſunt quædam quaſi vincula quibus populus Chriſtianus in unam religionem coaleſcit, qui cœtus, cùm ſit ſenſibilis, eget quoque ſenſibilibus vinculis quibus colligetur in unum & diſtinguatur à populo infideli: hinc S. Auguſt. lib. 19. contra fauſtum cap. 11. rectè ait „ quod „ in nullum nomen religionis „ ſeu verum ſeu falſum coagulari „ homines poſſunt niſi aliquo „ ſignaculorum vel ſacramentorum „ rum viſibilium conſortio colli- „ gentur.

Petes, an ſacramentum ſit ſignum naturale, an verò ex inſtituto humano.

Sacramentum eſt ex inſtituto divino.

Reſp. eſſe neutrum, ſed ex inſtituto divino: ratio eſt, quia res naturalis ex ſe non poteſt habere ſignificationem rei ſupernaturalis niſi ad id inſtituatur ab auctore ſupernaturali: inſuper quia ſacramentum non eſt nudum ſignum, ſed & cauſa gratiæ; nulla autem res naturalis poteſt cauſare gratiam ex vi ſuæ naturæ, prout neque ulla creatura poteſt alicui ſigno naturali alligare vim infallibiliter conferendi gratiam.

DUBIUM II.

An omne ſignum rei Sacræ ſit Sacramentum.

Reſp. negativè; quia omnes creaturæ ſunt ſigna rei ſacræ: nam ut ait Apoſt. ad Rom. 1. *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur ſempiterna quoque ejus virtus eſt divinitas*: quapropter Sacramentum non eſt ſignum rei ſacræ quomodocumque acceptæ, ſed rei ſacræ hominem ſanctificantis.

Petes, an ſacramentum ſolum ſit ſacrum ratione rei ſignificatæ

catæ ſcilicet gratiæ ſanctificantis.

Sacramentum eſt quid ſacrum in ratione ſigni.

Reſp. negativè ſed inſuper eſt quoque ſacrum in ſe ſive in ratione ſigni: quod tamen non ita intelliges quaſi res illæ naturales è quibus ſacramentum conficitur v. g. aqua naturalis in baptiſmo, oleum, balſamum &c. ſint quid ſacrum ſecundum ſe; ſed quatenus à Deo aſſumuntur tamquam ceremoniæ ſpectantes ad Dei cultum & hominis ſanctificationem, adeoque quatenus ſunt materia ſpectans ad religionem.

Petes an ſacrificium miſſæ quatenus tale, non ſit ſacramentum.

Sacrificiũ miſſa non eſt Sacramentum,

Reſp. negativè: quia ut ſic non eſt inſtitutum ad hominis ſanctificationem, ſed eſt tantum actus religionis ad exhibendum debitum cultum Deo tamquam rerum omnium principio: inſuper nec confert ex inſtituto ſuo gratiam ſanctificantem, ſed quandoque tantum mediantibus gratiis actualibus & hominis cooperatione per modum impetrationis.

Petes, quare imagines Chriſti aut ſanctorum non ſint ſacramenta, cum ſint ſigna rei ſacræ.

Varia ſigna quæ excludũtur à definitione

Reſp. quia illa ſunt ſigna merè ſpeculativa rei ſacræ, ſacramenta verò debent eſſe ſigna practica.

Sacramenti.

Petes, quomodo à definitione ſacramenti excludatur ablutio pedum in ultima cœna: item verba à Chriſto Domino dicta Magdalenæ *remittuntur illi peccata multa quia dilexit multum*: item verba à Chriſto dicta latroni in cruce *hodie mecum eris in paradiſo*.

Reſp. per particulam illam, *ſtabili lege*, quia ſcilicet ſacramentum debet eſſe ſignum permanens quod ſtabili quadam lege in eccleſia ſolet uſurpari, qualia non fuerunt ejuſmodi verba; quippe quæ modo ſolùm extraordinario contulerunt gratiam: cum enim ſacramenta ſint quædam ſacræ teſſeræ relictæ congregationi fidelium, quibus ab aliis cœtibus diſtinguuntur, debent illa in illa congregatione ſtabiliter permanere.

Petes, an manna quod ſignificabat Euchariſtiam, item tranſitus maris rubri, qui ſignificabat ſanctificationem per noſtrum baptiſmum conferendam, ſaltem non fuerint ſacramenta veteris legis.

Reſp. negativè, quia etſi veram ſanctitatem ſignificarent, nullam tamen ſanctitatem, nequidem legalem, conferebant; quod tamen requiritur ad rationem ſacramenti in genere: ex quo tamen minimè ſequitur quod ſacramenta veteris legis erant

by Google

erant ſigna practica reſpectu omnis rei quam ſignificabant, quippè quæ reſpectu gratiæ ſanctificantis erant ſigna merè ſpeculativa; adeoque ab Apoſtolo appellata merè inania elementa, quamvis eſſent ſigna practica reſpectu alicujus ſanctitatis legalis ſeu externæ.

Petes per quid aqua luſtralis, item prima tonſura, & alia ſacramentalia excludantur à definitione ſacramenti.

Reſp. per particulam *divinitus*, quia ſcilicet non ſunt ſigna inſtituta à Deo ſed ab eccleſia: inſuper quia non ſunt ſigna practica reſpectu gratiæ ſanctificantis, ſed tantum quædam remotæ diſpoſitiones ad illam.

Petes per quam particulam excludatur martyrium à definitione ſacramenti.

Reſp. per particulam *divinitus*, utpote quod non eſt inſtitutum à Deo, ſed à tyrannis.

Petes denique quare actus contritionis, charitatis, item ſpei & fidei formatæ ſigno aliquo externo expreſſi non ſint ſacramenta cum cauſent gratiam.

Actus contritionis nō eſt ſacramentum.

Reſp. cauſare illam ex opere operantis, non tamen ex opere operato, quod requiritur ad rationem ſacramenti.

DUBIUM III.

An ratio Sacramenti univocè, an vero æquivocè conveniat Sacramentis novæ & veteris legis?

Reſp. univocè convenire: quia ratio ſubſtantiæ nomini accomodata, ſive per verbum Sacramentum principaliter ſignificata, tam in ratione ſigni, quam in ratione cauſæ eſt eadem.

Dices ſacramenta veteris legis ſignificabant gratiam habitualem ſolum remotè, quàm ſacramenta novæ legis ſignificant proximè, ergo ratio ſacramenti convenit ipſis æquivocè.

Reſp. negando conſequentiam, quia ad rationem ſacramenti in genere eſt impertinens quod mediate vel immediatè ſignificet gratiam, eo quod dicat rationem ſigni in confuſo, non verò determinatè.

Effectus Sacramentorū novæ legis eſt, analogicus reſpectu ſacramentorum veteris legis.

Dices; ſaltem effectus veterum Sacramentorum eſt Analogicus reſpectu ſacramentorum novæ legis, nempe ſanctitas legalis & ſanctitas formalis.

Reſp. id eſſe verum; ſed negandum eſt ex æquivocatione ſeu analogia effectuum ſequi analogiam cauſarum quando effectum ſuum æquè propriè cauſant:

ſant:

Digitized by Google

ſant: ſic enim actus intellectus quo quis intelligit ſubſtantiam, & alius actus intellectus quo quis intelligit accidens conveniunt univocè in ratione actus intelligendi, quamvis ipſa objecta ſint analoga ſeu æquivoca.

DUBIUM IV.

An omnia Sacramenta novæ legis conficiantur rebus & verbis.

NOta, dum quæritur, an omnia ſacramenta conſtent rebus & verbis idem eſſe ac ſi petatur an ſacramenta conſtent materiâ & formâ: ad quod.

Omnia Sacramenta perficiũtur tribus.

Reſp. affirmativè; quod definitum eſt in Conc. Flor. Decreto de ſacramentis, ubi dicitur omnia ſacramenta tribus perfici, rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, & perſonâ miniſtri ſacramentum conferentis cum intentione faciendi quod facit eccleſia. Confirmatur hoc ipſum ex S. Auguſt. tract. 80. in Joann. ubi ait „ accedit verbum „ ad elementum, & fit ſacramen- „ tum.

Dices ſacramentum eſt in ratione ſigni, forma verò ſigni eſt ipſius ſignificatio; ac conſequenter ſignificatio ſupernaturalis quam habet ſacramentum ex Chriſti inſtitutione, quæque fundatur in re & verbis ſimul (ſiquidem res & verba ſimul ſunt à Chriſto aſſumpta ad conſtituendum unum ſignum) habebit rationem formæ.

Sacramenta novæ legis ſpectantur dupliciter.

Reſp. propter hoc argumentum ſacramenta novæ legis dupliciter debere ſpectari, ſemel per modum compoſiti phyſici, quod pro materia ſua habet rem aliquam permanentem, vel tranſeuntem unà cum partiali ſua ſignificatione, & pro forma ſua habet verba propriè dicta, aut alia ſigna iis æquivalentia cum ſua itidem ſignificatione. Secundò idem ſacramentum ſpectari debere per modum compoſiti artificialis quod pro materia ſua habet res & verba ſimul; pro forma verò ſignificationem totalem reſultantem ex rebus & verbis ſimul.

Pro quorum majori explicatione.

Notandum in omni compoſito artificiali reperiri duplicem materiam, & duplicem formam; ſcilicet materiam partis, & formam partis; & iterum, materiam totius, & formam totius: ut v. g. in ſede aut ſcamno materia & forma partis ſunt materia ligni & forma ejus phyſica: & iterum materia totius eſt ipſum lignum quatenus compoſitum ex materia prima & forma phyſica,

gitized by Google

ſica, forma vero eſt aptitudo ad ſedendum orta ex lignis artificiosè inter ſe connexis. Eodem quoque modo in ſacramentis reperitur duplex materia & duplex forma; una ſcilicet partialis, & altera totalis E. C. in baptiſmo materia partialis eſt ipſa ablutio, forma verò partialis ſunt ipſa verba: materia verò totalis eſt ipſa ablutio ſumpta ſimul cum verbis: forma verò totalis eſt ipſa ſignificatio reſultans ex ejuſmodi ablutione & verbis ſimul, nimirum quatenus hæc duo ex inſtitutione divina uniuntur & ordinantur ad totalem ſignificationem ſacramentalem quæ eſt eſſe ſignificativum gratiæ regenerantis, illamque conferre.

In ſacramentis ſpectatur duplex materia, item duplex forma.

Ex hac diſtinctione facillimè diluitur ſupra facta objectio: dum enim dicuntur omnia ſacramenta novæ legis conſtare rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, id intelligendum venit de materia & forma partis; non verò de materia & forma totius.

Scilicet forma totius & forma partis, item materia totius & materia partis.

Petes quid nomine rerum, item nomine verborum intelligatur.

Reſp. nomine rerum intelligi id quo poſito necdum eſt completa ſignificatio ſacramenti: nomine vero verborum intelligitur id quod complet ſignificationem ſacramenti, ſive interim illud ſit nutus ſive verbum, ſive ſcriptura: eapropter ſicuti in compoſito phyſico id appellatur forma quod complet materiam, ſive quod illam indeterminatam determinat ita quoque verba in confectione ſacramenti apte dicuntur forma reſpectu rerum; eò quod ratione ſuæ ſignificationis quam habent ex hominum inſtituto determinent rem cujus ſignificatio eſt indeterminata: ſic ablutio in baptiſmo vocatur materia baptiſmi quia illâ ſolâ poſitâ ſignificatio baptiſmi necdum eſt completa, eò quod necdum appareat ad quem finem adhibeatur, quod ſtatim conſtat adhibitis verbis: ita quoque in matrimonio traditio corporum, eſt materia ſeu res; acceptatio verò, forma. In ſacramento pœnitentiæ confeſſio eſt materia; eo quod illâ poſitâ necdum appareat ad quem finem adhibeatur quod ſtatim patet datâ abſolutione, quæ habet rationem formæ.

Quid ſignificetur per verba, item per res.

Dices ſacramentum matrimonii poteſt eſſe validum ſine verbis, ut patet dum duo muti inter ſe contrahunt; ergo falſum eſt omnia ſacramenta conſtare rebus & verbis.

Reſp. negando conſequentiam: cujus ratio patet ex antedictis, ubi inſinuavimus etiam nutus

Non omne ſacramentum conſtat eſſentialiter rebus & verbis in facto eſſe

nutus venire nomine verborum.

Petes an ſacramenta novæ legis ita perficiantur rebus & verbis ut illis eſſentialiter conſtent.

Reſp. Affirm. loquendo de ſacramentis quæ eſſentialiter conſiſtunt in actione tranſeunte; idque ideo quod res & verba eſſentialiter requirantur ad eſſe ſacramentale; eò quod in illis ſimul junctis fundetur ſignificatio ſacramentalis: Sacramentum verò Euchariſtiæ, eò quod conſiſtat in re permanente, non conſtat eſſentialiter rebus & verbis ſaltem in facto eſſe, quamvis bene in fieri.

Petes quotuplex ſit materia ſacramentorum.

Reſp. duplex, proxima nimirum, & remota, proxima eſt ipſa actualis applicatio materiæ remotæ: remota eſt res illa, circa quam exercetur actio ſacramentalis: & ſic baptiſmus pro materia remota habet aquam naturalem, pro proxima ablutionem: confirmatio pro materia remota habet Chriſma pro proxima unctionem Chriſmatis: Pœnitentia pro materia remota habet peccata poſt baptiſmum commiſſa, pro proxima vero ipſam peccatorum confeſſionem, contritionem, & ſatisfactionem: Euchariſtia pro materia remota habet panem & vinum, pro proxima ſpecies panis & vini: Extrema-unctio. Pro materia remota habet oleum olivarum, pro proxima unctionem. Ordo pro materia remota habet inſtrumenta quibus ordines traduntur, pro proxima vero traditionem ipſorum inſtrumentorum. Matrimonium pro materia remota habet corpora contrahentium pro proxima vero traditionem corporum.

Petes qualia verba requirantur ad confectionem ſacramentorum.

Verbum aliud doctrinale, aliud ceremoniale.

Reſp. & dico pro explicatione hujus quæſtionis præmittere oportet duplex diſtingui verbum, unum doctrinale, ſeu concionatorium, alterum ceremoniale ſeu rituale: verbum doctrinale eſt omnis pia inſtructio facta ante ſuſceptionem alicujus ſacramenti: verbum vero rituale, eſt quod conſtat determinatâ verborum formulâ, nec profertur ante ſuſceptionem ſacramenti, ſed in ipſa ſuſceptione.

Hac præſuppoſita diſtinctione.

Ceremoniale eſt de eſſentia ſacramẽti.

Dico ad eſſentiam ſacramenti requiri verbum ceremoniale ſeu rituale. Probatur primò ex uſu univerſalis eccleſiæ quæ in omnibus ſacramentis ſemper uſu eſt, & adhuc utitur certâ verborum formula: negare autem id quod uni-

univerſalis eccleſia facit inſolentiſſimæ eſt inſaniæ, prout faciunt hæretici qui requirunt ſolum verbum doctrinale ſeu concionatorium, quo nimirum ſuſcepturi aliquod ſacramentum inſtruantur, quale eſt cathecifmus &c.

Porro quod non requiratur verbum doctrinale patet à poſteriori, quia alioquin neque infantes neque ſtulti validè baptizarentur, quia concio, teſte Calvino, ad hoc ſolum requiritur ut generet fidem, quam non poteſt generare in infantibus adultis. Taceo nequidem ad ſubſtantiam ſacramenti in adultis requiri ullam fidem aut inſtructionem, quamvis tamen hæc ſit ipſis neceſſaria ad conſequendum ſacramenti fructum & effectum.

Probatur hoc ipſum ex S. Auguſt. lib. 3. de Bapt. cap. 15. ubi ait, „quamobrem ſi Euangelicis „ verbis *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus S.* „ Marcion baptiſ„mum conſecrabat, integrum „ erat Sacramentum: ex quibus verbis patet Auguſtinum ad eſſe ſacramenti requirere verbum ceremoniale, non verò doctrinale.

Dices Auguſt. tract. 80. in Joann. petit „ unde tanta virtus „ aquæ ut corpus tangat, & cor „ abluat, niſi faciente verbo, non „ quia dicitur, ſed quia credi„ tur, ergo requirit verbum do„ ctrinale.

Reſp. negando conſequentiam: & Auguſtinum ſolum velle inſinuare verbis formæ competere vim mundandi non præciſe ratione ſoni materialis, ſed ratione virtutis latentis, ſcilicet ſignificationis quæ nobis innoteſcit per fidem.

Dices ſagæ & magi ſolent uti certâ verborum formulâ ad ſuas incantationes & veneficia, ergo talibus non eſt uſus Chriſtus in inſtitutione ſacramentorum, quippè cum nulla ſit conventio Chriſti ad Belial.

Reſp. negando conſequentiam: ſiquidem diabolus in multis eſt ſimia Dei, illumque imitatur ut ipſe habeatur pro Deo, & à ſuis ut talis colatur: neque inde ſequitur eſſe aliquam conventionem Chriſti ad Belial. quia aliud eſt verba aliqua determinata habere vim ex pacto divino, aliud verò ex pacto diabolico.

DUBIUM V.

An materia & forma Sacramentorum ſint determinata ex Chriſti inſtitutione?

SEnſus quæſiti eſt, an miniſter in confectione ſacramentorum uti debeat determinatâ ma-

teria, & determinatis verbis: an verò pro libitu ſuo poſſit uti qualibet materia aut forma verborum.

Miniſter uti debet materia & forma à Chriſto determinatis.

Reſp. nequaquam, ſed ad valorem ſacramenti requiritur ut utatur materiâ & formâ à Chriſto determinatis. Ratio eſt, quia Chriſtus qui eſt auctor ſacramentorum determinatis tantum verbis & rebus ſignificationem & efficaciam annexuit; quam, cum non poſſit annectere ipſe miniſter; ſequitur, ut ſi velit conficere ſacramentum, neceſſariò uti debeat verbis & rebus quibus Chriſtus talem efficaciam annexuit.

Petes, quomodo materiæ ſacramentorum ſint à Chriſto determinatæ, an quo ad individuum, an quo ad ſpeciem, an quo ad genus, an quo ad accidentia.

Non omnes materia itē forma ſunt à Chriſto determinata, quoad ſpeciem.

Reſp. & dico 1. nequaquam eſſe determinata quoad individuum; etenim ſacerdos volens celebrare, poteſt hanc vel illam, quam vult, hoſtiam adhibere: & quamvis plurimæ ſacramentorum materiæ ſint à Chriſto determinatæ quo ad ſpeciem, non tamen omnes; ſiquidem dantur aliquæ ab ipſo ſolùm determinatæ quoad genus relictâ Eccleſiæ poteſtate illam determinandi quoad ſpeciem: quod patet in materia & forma ſacramenti ordinis à Chriſto determinatis quo ad genus, nimirum ſub ſigno aliquo ſenſibili expreſſivo poteſtatis quæ per ordinem traditur: quod inde patet, quia alia eſt materia, & alia eſt forma quibus ordinantur presbyteri latini, ab ea quâ ordinantur græci: quod aliunde nequit provenire quam quod eccleſia aliam materiam & formam determinet pro latinis, & aliam pro græcis.

Sed aliqua ſolū quoad genus.

Petes quare aqua congelata nequeat tam bene eſſe materia baptiſmi, quam aqua non congelata cum ſint ejuſdem ſpeciei: item quare nequeat tam bene conſecrari vinum congelatum, quam non congelatum, cum hæc quoque ſint ejuſdem ſpeciei.

Aliqua materia ſunt à Chriſto determinata etiā quoad accidentia.

Reſp. quia materia baptiſmi, prout & Euchariſtiæ non tantum ſunt à Chriſto determinatæ quo ad ſpeciem, ſed etiam quo ad accidens, nempe quo ad eſſe potabile, item eſſe lavativum.

Petes, quare eccleſia non poſſit immutare materias aut formas ſacramentorum.

Reſp. quia inferior nequit invalidare facta ſui ſuperioris, quia non ſunt in ipſius poteſtate: inſuper quia ille nequit verbis aut rebus annectere efficaciam conferendi gratiam.

Dices,

Digitized by Google

Eccleſia nequit immutare materias aut formas ſacramentorum.

Dices, Eccleſia matrimonium clandeſtinum jure naturæ validum invalidat; ergo immutat materiam & formam ſacramenti matrimonii.

Reſp. negando conſequentiam; quia materia item forma ſacramenti matrimonii eſt contractus, eccleſia autem loco contractus non conſtituit aliud; quod alioqui neceſſe eſſet ad immutandam materiam ſacramenti, ſed alium tantummodo ſubſtituit contractum, invalidando nimirum actum, qui antea habebat formam contractus, quam modo non amplius habet; quo modo eccleſia non magis immutat materiam matrimonii, quam laïcus dicetur immutare materiam Euchariſtiæ ſi corrumpat aliquam hoſtiam non conſecratam.

Vndenã colligatur determinatio materiæ aut formæ alicujus ſacramenti.

Petes unde nam quis ſcire poterit quænam ſint illæ res ſive materia determinata quæ ad validam ſacramentorum confectionem eſt neceſſaria.

Reſp. id partim intelligi ex Scriptura S. partim ex communi uſu & praxi univerſalis Eccleſiæ.

Petes quotupliciter materia alicujus ſacramenti poſſit immutari.

Materia ſacramenti immutatur dupliciter.

Reſp. dupliciter, nempe ſubſtantialiter & accidentaliter: porro tunc contingit immutatio ſubſtantialis quando ſecundum communem hominum æſtimationem non remanet eadem cum ea quam Chriſtus inſtituit & eccleſia uſurpat: prout contingeret ſi quis loco aquæ naturalis in baptiſmo uteretur vino, cereviſia aut ſucco ex herbis expreſſo: Tunc autem cenſetur mutatio circa materiam eſſe accidentalis quando ſecundum communem hominum æſtimationem remanet eadem cum ea quam Chriſtus inſtituit, quantumvis immutata in aliqua ſui qualitate ut v. g. ſi quis in baptiſmo utatur aquâ naturali ſed calidâ. Immutatio ſubſtantialis ipſius materiæ invalidat ſacramentum, non ſic accidentalis.

Petes, quale peccatum admittat miniſter qui materiam ſacramenti ſubſtantialiter immutat, utendo nimirum alia quam Chriſtus inſtituit ut v. g. ſi quis in conſecratione utatur aceto loco vini, aquâ roſaceâ in baptiſmo loco aquæ naturalis, oleo ex amygdalis expreſſo in extrema unctione.

Immutatio ſubſtantialis eſt peccatũ mortale.

Reſp. indubiè peccabit mortaliter peccato ſacrilegii.

Petes, quid ſi miniſter utatur materiâ, non quidem ſubſtantialiter mutatâ, ſed notabiliter corruptâ; ut ſi utatur vino notabi-

liter

Digitized by Google

liter aceſcente in miſſa, aut oleo infirmorum benedicto ſuperaddat in majori quantitate oleum non benedictum.

Prout & ſæpe accidentalis.

Reſp. & illum quoque peccaturum mortaliter, quippe qui exponat ſacramentum periculo nulleitatis.

Petes, an ſit licitum in ſacramentis uti materiâ probabiliter tantum valida ſi adſit certa.

Non eſt licitum uti materia probabili per ſe loquendo.

Reſp. nequaquam, quippe cum non ſit licitum ſub graviſſimo peccato mortali ſine cauſa ſacramentum exponere periculo nulleitatis: ut hæc fusè deduximus.

Dixi ſine cauſa, quia ſi moralis neceſſitas ingruat adminiſtrandi aliquod ſacramentum & non adſit niſi materia probabilis, licitum erit tali uti, quippe cum in neceſſitate præſtet uti tali quam nullâ, & neceſſitas abſtergat omne periculum irreverentiæ.

DUBIUM VI.

Quandonam mutatio formæ irritet Sacramentum.

QUod ſupra diximus de materia ſacramentorum, idem hic affirmamus de forma, ſcilicet illam conſtare verbis à Chriſto determinatis, cujus ratio ſupra eſt allegata, quia nimirum determinatis tantum verbis Chriſtus ſignificationem & efficaciam alligavit quam nullus inferior poteſt ſupplere. Eapropter quotieſcumque forma ſubſtantialiter mutatur, invalidum eſt ſacramentum, ſecùs verò ſi tantum accidentaliter.

Petes quandonam forma cenſeatur ſubſtantialiter mutari.

Quandonâ forma ſacramenti ſubſtantialiter immutatur.

Reſp. tunc quando ſecundum communem hominum æſtimationem non remanet idem ſenſus vel ſignificatio quam habet forma à Chriſto præſcripta: tunc verò mutatur accidentaliter quando variantur verba manente eâdem ſignificatione.

Pro horum majori explicatione.

Notandum verba formæ à Chriſto non eſſe aſſumpta ad eſſe Sacramentale ratione ſoni materialis, ſed ratione ſuæ ſignificationis quam habent ex hominum inſtituto, ac proinde ubi eſt eadem ſignificatio & formalis ſenſus apud homines, cenſentur verba ſufficienter determinata, eſto illa exprimantur diverſo idiomate ut v. g. ſive quis baptiſando aut conſecrando utatur verbis hebræis, græcis, aut latinis validè baptizabit, dum modo verba habeant eundem formalem ſenſum à Chriſto determinatum.

Petes

Digitized by Google

Contingere poteſt mutatio in verbis formæ octo modis.

Petes quot modis forma ſeu verba poſſint immutari.

Reſp. octo modis: primo quidem accidentaliter ratione idiomatis, ut dum verba formæ transferuntur in aliam linguam; v. g. forma latina baptiſmi in formam Flandricam.

Primo per mutationem idiomatis.

Secundò dum verba intra idem idioma transferuntur in ſynonima; quæ immutatio quoque eſt accidentalis: ut ſi quis loco *ego te baptizo* diceret, *ego te abluo.*

2. Per mutationem in alia verba ſynonima.

Petes, an ſi quis in forma baptiſmatis, loco horum verborum *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*, diceret *ego te Baptizo in nomine SS. Trinitatis*, valeret baptiſmus?

Reſp. negativè, quia ut immutatio facta per verba ſynonima ſit tantum accidentalis, requiritur ut illa verba ſynonima idem diſtinctè ſignificent; quo modo vox illa *Trinitas* non ſignificat diſtinctè Patrem filium & ſpiritum S.

3. Per tranſpoſitionem verborum.

Tertiò immutatur forma per tranſpoſitionem verborum; hæcque mutatio regulariter eſt accidentalis: ut ſi quis dicat, *ego baptizo te.* Quod ſi tamen tranſpoſitio ſit tanta ut ſecundum communem æſtimationem non remaneat idem ſenſus verborum, erit immutatio ſubſtantialis; ut hic *ego Patris te baptizo in nomine, Filii, & Spiritus S.*

4. Per interruptionem eorum.

Quartò immutatur forma per interruptionem partium ipſius formæ; quæ ſi ſit tanta ut ex modo proferendi non cenſeatur una oratio aut integra ſententia, erit mutatio eſſentialis, unde nec valebit ſacramentum: ut ſi quis dicat, *Ego te baptizo*, & dein poſt quadrantem horæ addat, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Quod ſi vero inter unum, aut alterum verbum formæ intercedat modica mora, erit mutatio ſolum accidentalis, nec officiet valori ſacramenti; eò quod ſecundum communem æſtimationem verba cenſeantur inter ſe conjungi, adeoque conſtituere unam ſententiam: ut ſi Paſtor dicat *ego te baptizo*, & per parentheſim dicat Cuſtodi, veni huc, dein ſtatim addat, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Partes ſacramentorũ debent inter ſe eſſe unita moraliter.

Porro horum omnium ratio eſt; quia, cum ſacramenta ſint entia moralia, requiritur ut inter materiam & formam ſit quædam ſimultas moralis, non verò metaphyſica: & eapropter quo ad praxim miniſter in confectione alicujus ſacramenti curare debet hanc ſimultatem inter materiam & formam; item inter, partes formæ inter ſe, & materiæ.

Petes, an æqualis ſimultas temporis inter materiam & for-

mam cujuſque ſacramenti requiratur.

Diverſimode tamen in diverſis Sacramentis.

Reſp. negativè : & eapropter ex cujuſque ſacramenti natura dignoſci debet quæ & qualis ſimultas inter ejus materiam & formam requiratur : unde quod attinet ad ſacramenta quæ conſiſtunt in aliqua actione tranſeunte, & quorum forma ſignificat applicationem materiæ ad ſuſcipientem debent materia & forma reipſa ſimul poni, ita ut ſimul tempore materia applicetur & verba proferantur, aut ſaltem priuſquam materiæ applicatio finiatur, prolatio formæ inchoetur; prout patet in ſacramento Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, Extremæ-unctionis &c.

Porro in Confectione Sacramenti Euchariſtiæ materia debet eſſe præſens eo tempore quo verba formæ proferuntur ab initio, eò quod pronomen *hoc* in forma conſecrationis demonſtret rem præſentem : aliud eſt in ſacramento Pœnitentiæ, cujus forma, cum non ſignificet applicationem materiæ, ſed proferatur per modum judicii, non requirit ad ſui valorem ut proferatur ſimul tempore cum ipſa confeſſione; eò quod natura judicii non exigat ut ſententia Judicis ſit conjuncta cum confeſſione rei. Hoc ipſum quoque dicendum venit de ſacramento matrimonii, ſcilicet quod ejus materia & forma non neceſſario debeant eſſe ſimul tempore, eò quod ſequatur naturam contractus prout patet in matrimonio per nuntium aut per litteras celebrato inter duo in loco diſtanti.

Caſus circa adminiſtrationē Extremæ unctionis.

Petes, quid ſi Paſtor uncturus infirmum duas unctiones cum ſuis reſpectivè formis abſolviſſet, & interea contingeret ægrotum tam graviter infirmari ut nullum appareret ſignum vitæ, adeoque animam exhalaſſe putaretur; an infirmo poſt quadrantem ad ſe reverſo poſſet Paſtor ſupplere tres alias unctiones : an verò deberet duas unctiones præmiſſas cum ſuis formis repetere & adjungere tres ſequentes.

Reſp. debere illas duas repetere & adjungere tres ſequentes: quia ob moram notabilem interjectam non potuerunt hæ facere moraliter unum compoſitum cum ſequentibus unctionibus, adeoque nec unum ſacramentum : neque duæ illæ priores unctiones datæ ſufficient, eò quod demum in ultima unctione conferatur gratia Sacramenti.

5 Mutatio fit in forma per additionem.

Quintò fit mutatio formæ per additionem : & hæc eſt eſſentialis ſi illa omnino immutet ſenſum formæ; ſecus vero ſi remaneat

Digitized by Google

neat idem ſenſus formæ tunc enim tantum eſt accidentalis.

Hinc collige confici validè ſacramentum baptiſmi attamen illicitè ſub hac forma *ego te baptizo in nomine Patris qui te creavit*, *& Filii qui te redemit*, *& Spiritus S.* eò quod ejuſmodi additio non deſtruat legitimum ſenſum formæ; ſecus dic ſi conferatur baptiſmus ſub hac forma *ego te baptizo in nomine Patris majoris & Filii minoris &c.* quia deſtruitur legitimus ſenſus formæ.

Caſus circa adminiſtrationẽ Extremæ unctionis.

Petes, an valebit baptiſmus collatus ſub hac forma, *ego te Baptizo in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus S. & BB. Virginis.*

Reſp. id pendere ab intentione baptizantis: ſi enim intendat ſignificare B. Virginem etiam eſſe cauſam collationis Baptiſmi, Baptiſmus ille erit nullus, quia forma erit falſa: ſi verò tantum intendat ſignificare ſe conferre baptiſmum in honorem B. Virginis, ille erit validus quia forma erit vera.

Hinc collige an validè baptizaverit infantem pia quædam ruſtica fæmina ſub hac forma *Ego te baptizo in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus S. & Beatæ*, *Virginis*, dicendum enim validè baptizaſſe; nam cum eſſet pia & Catholica, non cenſetur voluiſſe facere ſacramentum nullum: adeoque ex errore aut indiſcretâ devotione illam particulam *Beatæ Virginis* addidiſſe.

5 Mutatio fit in forma per additionem.

Sextò fit mutatio formæ per detractionem ſeu ſubtractionem; quæ erit eſſentialis ſi vitiet legitimum ſenſum formæ: ut ſi quis in forma baptiſmi omittat verbum, *Patris*, aut in forma conſecrationis panis omittat verbum *meum*: aut in forma calicis omittat verba *ſanguinis mei*. Quod ſi vero particula ſubtracta non tollat legitimum ſenſum formæ, erit mutatio tantum accidentalis: ut ſi quis in forma conſecrationis panis omittat particulam *enim* aut in forma baptiſmi particulam *ego*. 6. *ſub... ctio...*

Septimò fit mutatio per verborum corruptionem; quæ contingit vel ex impedimento linguæ, ut per balbutiem, vel ex malitia; aut malâ conſuetudine inde ortâ; vel ex ignorantia: porro illa mutatio erit eſſentialis ſi tollat legitimum ſenſum formæ, ſecus verò tantum accidentalis. Validus proinde fuit baptiſmus collatus ſub hac forma, *ego te baptizo in nomine Patria & Filia & Spiritua Sancta* ex ignorantia linguæ latinæ, prout reſcripſit Zacharias Papa ſancto Bonifacio germanorum Apoſtolo: & ratio eſt quia qui ſic ex ignorantia linguæ latinæ baptizaverat, intenderat facere quod facit eccleſia, & verba 7. *verb... corr... ptio... quo... pron... tiat...*

 illa

illa in talibus circumſtantiis prolata ex communi hominum judicio habent eundem ſenſum quem habent verba latina incorrupta. Quod ſi quis tamen ex affectata malitia, tali forma corruptâ uteretur, tunc diſtinguenda veniret ipſius intentio; & quidem ſi id faciat animo aliud ſignificandi quam ordinaria forma ſignificat ut v. g. Deum habere filiam, irritum faciet ſacramentum, quia formam reddet falſam, nec intendet facere quod facit eccleſia.

8. *Si loco verborum formæ, adhibeãtur nutus aut alia ſigna.* Octavò contingit mutatio verborum in ſigna externa aut nutus abſque verbis hæcque in omnibus ſacramentis eſt eſſentialis præterquam in matrimonio, eo quod ad valorem cæterorum ſacramentotum adhiberi debeat ea verborum formula quam Chriſtus inſtituit.

Petes quid ſi quis in forma utatur verbo æquivoco ſumens illud in illa ſignificatione in qua forma conſiſtit, an conficiat ſacramentum.

Reſp. Affirm. nam quamvis vox aliqua habeat duas ſignificationes, tamen ex adjunctis ſufficienter determinatur ut ſumatur in ea ſignificatione quam requirit forma, & ſic prolata eundem ſenſum ingenerat in animis audientium: præterea dum vox aliqua habet duos ſenſus, ex intentione proferentis ſufficienter determinatur ad unum illorum, & per hoc tollitur æquivocatio.

Error in proferente formã non ſemper obeſt ejus validitati. Petes, an conficiat ſacramentum qui omitteret verbum *enim* in conſecratione calicis credens interim eſſe de eſſentia formæ; aut in forma baptiſmi adderet vocem *B. Virginis*, credens illud eſſe de eſſentia formæ.

Reſp. Affirm. dummodo ſaltem generaliter intendat facere quod Chriſtus inſtituit aut quod facit eccleſia: ſiquidem per illam intentionem generalem faciendi quod Chriſtus inſtituit corrigitur privatus error ipſius miniſtri: etenim cum erroneo illo judicio reperitur in ipſo aliud judicium quo judicat formam ſine hac adjectione paſſim haberi legitimam. Ex quo ſubſequitur in ipſo voluntas per ejuſmodi verba à ſe prolata conficiendi ſacramentum, quæ voluntas ſeu intentio eſt efficax, & ſola influit in prolationem formæ externam: error verò ille ſeu illud judicium erroneum concomitanter ſe tantum habet, nec influit in opus externum: unde nec illud vitiat: neque enim requiritur ut miniſter habeat notitiam ſpeculativam de veritate formæ ad eſſentiam ſacramenti, ſed ſufficit quod per formam velit facere quod Chriſtus inſtituit.

Petes

Digitized by Google

Error in proferente formã non ſemper obeſt ejus validitati.

Petes quomodo talis miniſter poteſt dici habere intentionem faciendi quod facit eccleſia, quandoquidem quantum in ſe eſt, illi directè repugnet.

Reſp. illum quidem repugnare explicitè, ſed contrarium velle implicitè, in eo nimirum quod velit facere quod Chriſtus inſtituit.

Hinc collige quod ſi miniſter ponat legitimam materiam & legitimam formam, eſto intendat inducere errorem aut novum ritum in eccleſiam, validè confecturum ſacramentum, ſi interim intendat facere quod Chriſtus inſtituit; adeoque Græcus validè celebrabit in fermentato, credens ſacerdotem latinum invalidè celebrare in azymo, & per hoc intendens inducere errorem: item validè celebrabit ſacerdos hæreticus ponens debitam materiam & debitam formam eſto putet formam ſignificare, panem eſſe tantum figuram corporis Chriſti, dummodo intendat facere quod Chriſtus inſtituit.

Petes, quid ſi forma alicujus ſacramenti proferatur cum errore, an valebit ſacramentum.

Reſp. ſi error iſte exterius proferatur & mutet ſubſtantiam formæ annullabit ſacramentum: ut v.g. ſi quiſpiam Arrianus ſic baptizet, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii creaturæ* &c. Si vero error iſte ſola mente teneatur ut v.g. ſi Arrianus baptizet forma conſuetâ, mente retinens filium eſſe creaturam, aut ſacerdos Calviniſta conſecret per veram formam, mente retinens eſſe corporis figuram, tunc diſtinguendum eſt ſi enim intendat facere quod Chriſtus inſtituit, verum ſacramentum conficiet, eò quod per hanc ſuam intentionem corrigat ſuum privatum errorem: ſi verò velit ſacramentum conficere ſecundum ſuum conceptum errorem, tunc nihil efficiet quia deeſt intentio.

Petes, quid ſi miniſter pronuntians formam ſacramenti verſetur in particulari errore circa ipſius ſacramenti ſubjectum ut v.c. ſi putans ſe baptizare maſculum baptizet puellam, putans ſe abſolvere Petrum abſolvat Paulum an valebit baptiſmus, item abſolutio.

Reſp. Affirm. dummodo habeat intentionem faciendi quod facit eccleſia, ſcilicet ſacramentum impendendi perſonæ præſenti: quod proinde locum habet in omnibus ſacramentis ſolo matrimonio excepto, eò quod illud fondetur in contractu, error verò circa ſubſtantiam contractus illum invalidat.

DUBIUM VII.

An mutare formam Sacramenti ſit peccatum.

Mutatio ſubſtantialis formæ eſt peccatũ ſacrilegii.

DIco 1. Quæcumque mutatio formæ ſubſtantialis, quâ nimirum tollitur legitima formæ ſignificatio, eſt de ſe peccatum mortale ſacrilegii gravíſſimum; quia reddit ſacramentum nullum & invalidum.

Vti materia aut formâ dubiâ in Sacramento per ſe eſt peccatũ.

Dico 2. qui in conficiendo ſacramento utitur materiâ aut formâ dubiâ per ſe loquendo peccat mortaliter; eò quod ſeſe exponat periculo faciendi ſacramentum nullum & invalidum, cum fieri poſſit quod ejuſmodi materia aut forma non ſit ſufficiens: in moralibus vero exponere ſe periculo faciendi ſacramentum nullum, perinde eſt ac facere ſacramentum nullum.

Petes an ſaltem non ſit licitum in confectione alicujus ſacramenti uti materiâ vel formâ probabili relictâ certâ dum haberi poteſt.

Reſp. negativè quia fit gravis irreverentia & injuria ſacramento dum ſine cauſa illud exponitur periculo nulleitatis, quod periculum vitari poteſt adhibendo materiam aut formam certam: eapropter grave committitur ſacrilegium quoties in adminiſtratione ſacramentorum eligitur materia aut forma incerta relictâ certâ: prout contingit dum quis confitetur cum ſola attritione ſervili cognita ut tali, aut ſacerdos pœnitentem ſolummodo taliter attritum ſcienter abſolvit, aut puerum in ſolo digito manus aut pedis baptizat. Vide quæ deſuper fuſius diximus de Actibus Humanis tract. xj. quæſt. ij. dub. vj.

Dices, poteſt quis in operatione ſua ſequi ſententiam probabilem, ergo in confectione ſacramentorum poterit uti materia & forma probabili.

Reſp. quidquid ſit de antecedenti (de quo agitur in materia de Actibus Humanis) negando conſequentiam: & Dico equidem regulam illam in materia aut forma ſacramentorum malè applicari; ſiquidem & illi Doctores qui dicunt ſententiam probabilem poſſe eſſe licitam regulam Actuum humanorum id tantum intelligunt quando probabilitas verſatur circa facti alicujus qualitatem, v. g. an ſit peccatum nec ne; ſecus verò ſi verſetur circa facti naturam aut conditionem; prout contingit in materia aut forma ſacramentorum, eò quod probabilitas in illis nequeat ſupplere defectum qui timetur: hinc nulli Doctores cenſent (ſaltem

Digitized by Google

tem extra caſum neceſſitatis quando ſacramentum aliter nequit conferri) aliquem poſſe abſque peccato conferre vel recipere baptiſmum in materia probabili v. g. abluendo in ſolo digito &c.

In caſu tamē neceſſitatis quandoque eſt licitum.

Dixi, *per ſe loquendo*, quia in magna neceſſitate ubi materia aut forma certa haberi non poteſt, poterit adhiberi dubia aut probabilis: & ita in articulo mortis poteſt quis in materia dubia aut forma probabili baptizare aut abſolvere, eò quod omnis irreverentia quæ timetur, abſtergatur ratione neceſſitatis.

Dum ſacramētū adminiſtratum fuit in materia aut forma dubia, ſub conditione eſt iterandum.

Ex dictis collige quod adultus in cujus baptiſmo aut ordinatione miniſter eſt uſus materia aut forma probabili tantum, teneatur ſacramentum illud denuò ſub conditione recipere, alioqui graviſſimè peccaturus: ratio eſt quia niſi certò conſtet de valore baptiſmi aut ordinis, alia ſucceſſivè ſacramenta quorum valor à ſubſiſtentia iſtorum dependet ſacrilegè & invalidè ſuſcipientur; ob quæ ſacrilegia vitanda obligabitur iteratò ſub conditione ſacramentum illud ſuſcipere ne fortè irritum fuerit dum primo miniſtratum fuit.

DUBIUM VIII.

An forma poſſit iterari ſuper eâdem materiâ.

Forma ſemel prolata non poteſt repeti ſuper eadem materia.

RESP. per ſe loquendo negativè ſine graviſſimo peccato ſacrilegii: ratio eſt quia ut bene ait Cathecіſmus Conc. Trident. iteratio formæ facta ſine ſufficienti cauſa videtur eſſe ipſius ſacramenti irriſio, adeoque gravis irreverentia: hinc ſi quis rite conſecraverit hoſtiam, aut rite baptizaverit infantulum, non poterit ſub reatu peccati mortalis iteratò deſuper proferre formam.

Petes, quid ſi quis cum fundamento dubitet an formam ritè protulerit.

Aliud eſt ſi dubitetur an forma fuerit legitimè prolata.

Reſp. illum teneri formam ſub conditione repetere ſub peccato mortali, ad quod eum obligat reverentia Sacramento debita, ne illud exponat periculo nullitatis; & quandoque charitas proximi, ne eum exponat periculo æternæ damnationis caſu quo ſacramentum ſit nullum.

Quod intelligendum de dubio fundato.

Porro ſi dubium ſit tantum leve, adeoque merus ſcrupulus de forma non bene prolata, illa nullatenus eſt repetenda, nequidem ſub conditione, ob rationem ante datam; quia nimirum repetitio formæ ſine cauſa eſt quædam

ſacra-

ſacramenti irriſio, adeoque ex genere ſuo peccatum mortale. Nihilominus tamen ſcrupuloſus formam totam ſub conditione repetens, aut præ anxietate unum vel alterum ipſius verbum, exiſtimans ſe non diſtinctè illa protuliſſe, per accidens excuſatur à mortali, partim ratione inadvertentiæ, partim ratione ignorantię, quæ ſcrupulum ſolet concomitari: neque enim hujuſmodi anima timorata quæ formam repetit ne Deum offendat, cenſetur Deo aut ſacramento in talibus circumſtantiis gravem irrogare injuriam: attamen quia in hoc imprudenter agit, aliquod veniale committit: eapropter præſtat ejuſmodi ſcrupulos abigere, & tales repetitiones vitare.

Quomodo ſcrupuloſus formã iterans excuſari poſſit à gravi peccato.

Petes, an quando non eſt juſta cauſa dubitandi de valida formæ prolatione, ſit per ſe peccatum mortale illam ſub conditione repetere.

Reſp. Affirm. & ratio eſt quia illa conditio appoſita tunc eſt impertinens, & moraliter debet haberi pro non adjecta; adeoque magna fit injuria ſacramento. Porro ſi ſubſint leves ſcrupuli, illi ſunt contemnendi, nec ullo modo propterea repetenda forma ſub conditione.

Petes an Joannes, qui ſuſcepit ſacramentum Baptiſmi, confirmationis, aut ordinis probabiliter tantum validum, non tantum poſſit, ſed an inſuper non teneatur illud ſuſcipere ſub conditione?

Qui ſuſcepit vel miniſtravit ſacramentum dubium tenetur reiterare ſub conditione.

Reſp. Affirmat. idque vel ex charitate erga ſe ipſum, quæ illum obligat ad evitandum probabile damnationis periculum; vel ex charitate erga proximum, quæ obligat ne illum periculo æternæ damnationis exponat.

Idem dic de Titio Paſtore qui alicui proli contulit ſacramentum baptiſmi probabiliter tantum validum, v. g. baptizando in manu vel pede; quem obligat charitas ad procurandum illi proli certum baptiſmum, adeoque ad baptiſmum ſub conditione reiterandum; & hoc propter illius ſacramenti neceſſitatem ſine cujus valore, nec cætera ſacramenta valent.

Petes, an ſi puer latinus ſit baptizatus vel ordinatus formâ v. g. Græcorum, valebit baptiſmus aut Ordo.

Reſp. Affirm. quia ubique terrarum eſt illa forma ſufficiens quam Chriſtus inſtituit, & eapropter mutatio quæ contingit tantum eſt accidentalis.

Petes, quid ſi Titius presbyter metu

by Google

Peccat Sacerdos etiā metu mortis coactus ab aliquo ſacramentum conficere in materia dubia.

metu mortis cogatur conſecrare in materia dubia, an excuſabitur à culpa mortali ſi faciat.

Reſp. negativè, quia ejuſmodi cogens cenſetur id facere in comtemptum religionis, dum non vult adhibitam legitimam materiam aut formam; & idcirco illi non erit obediendum, ſed mors potius obeunda; quippe cum contemptus ille cedat in præjudicium divini honoris, qui omnibus rebus, adeoque & vitæ propriæ eſt anteponendus.

Et quare?

Petes, an peccet mortaliter qui utitur materiâ aut formâ accidentaliter tantum mutata ſive per additionem ſive per detractionem.

Reſp. per ſe loquendo affirm. quia licet integritas accidentalis non ſit de neceſſitate ſacramenti, eſt tamen de neceſſitate præcepti contra quod peccat illam omittens, quia facit contra conſuetudinem & ritum univerſalis Eccleſiæ.

Dixi, *per ſe loquendo*, quia hujus omiſſio quandoque poteſt tantum eſſe peccatum veniale, ut puta ſi mutatio ſit levis, aut abſit plena advertentia, aut accidat ex levi negligentia.

QUÆSTIO II.

De principali effectu Sacramentorum, qui eſt gratia.

DUBIUM PRIMUM.

An Sacramenta novæ legis conferant gratiam ex opere operato.

PRÆNOTANDUM, gratiâ dupliciter poſſe obtineri, ſcilicet ex opere operato, & ex opere operantis.

Gratia confertur vel ex opere operantis, vel ex opere operato.

Porro tunc dicitur illa conferri ex opere operantis, quando confertur dependenter à merito & bona diſpoſitione ipſius operantis; uti dum quis elicit actum contritionis, aut amoris Dei ſuper omnia, & vi illius obtinet gratiam. Tunc verò dicitur illa conferri ex opere operato, quando confertur vi alicujus actionis à Chriſto inſtitutæ independenter à merito aut demerito ipſius operantis. Itaque opus operantis eſt actio meritoria ſive de condigno ſive de congruo: opus verò operatum, eſt actio quatenus à Chriſto inſtituta, & à miniſtro facta.

Pro cujus majori explicatione notare oportet quod actio aliqua

Adminiſtratio item ſuſceptio ſacramenti poteſt cōferre gratiam ex opere operantis.

ſacramentalis v. g. collatio Baptiſmi, Confirmationis, Extremæ-unctionis aut alterius ſacramenti, dupliciter poſſit ſpectari; primò ut eſt actus religionis procedens à miniſtro ex principio ſupernaturali & amore Dei; quo modo conſiderata prodeſt miniſtro ex opere operantis, ſi ſit in gratia: nam ſicuti juſtus poteſt mereri de condigno per quemlibet actum bonum à gratia proficiſcentem, ita pariter mereri poteſt per collationem alicujus ſacramenti, cum hæc ſit actio maximè religioſa & bona, quin imo quo illam majori cum devotione exercet, eò amplius poterit mereri: idem conformiter dic de ſuſcipiente aliquod ſacramentum.

Secundò poteſt eadem collatio ſeu actio ſacramentalis ſpectari alio modo, nimirum ſecundum ſe, quatenus ſcilicet procedit à miniſtro intendente facere quod Chriſtus inſtituit; ſive in ea peccet ſive non; hoc eſt independenter ab ipſius merito vel demerito: & hoc modo quoque ſpectari poteſt ipſa ſuſceptio ſacramenti independenter ſcilicet à merito vel demerito ipſius ſuſcipientis, quo modo conſiderata prodeſt ex opere operato. His præmiſſis.

Fide certum eſt

Dico 1. omnia ſacramenta novæ legis conferunt gratiam ſanctificantem: quod eſt de fide, quippè expreſsè definitum in Conc. Trident. ſeſſ. 7. can. 6. 7. & 8. his verbis „ ſi quis dixerit „ ſacramenta novæ legis non „ continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non „ ponentibus obicem non conferre; quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem „ gratiæ vel juſtitiæ, & notæ „ quædam Chriſtianæ profeſſionis quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus. anathema ſit. Hoc ipſum quoque definitur in diverſis Conciliis anterioribus, præſertim in Florentino; & ſignanter quo ad baptiſmum in ſymbolo Concilii Conſtantinopolitani in quo dicitur „ confiteor unum „ baptiſma in remiſſionem peccatum.

ſacramēta n. l. conferre gratiam.

Probatur ex Conciliis.

Porro hæc ipſa Eccleſiæ definitio fundatur in Scriptura quæ de Baptiſmo Joan. 3. ait, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non poteſt introire in regnum Dei*: & Act. 2. *baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum.* De Euchariſtia Joann. 6. ſic ait *qui manducat hunc panem vivet in æternum.* De Confirmatione, Act. 2. *per manus impoſitionem dabatur Spiritus S.* De Ordine, 2. ad Tim. 2. *ut reſuſcites gratiam quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* De Pœni-

Probatur ex Scriptura.

Digitized by Google

cramẽ-
i n. I.
nferre
ratiam.

robatur
x Con-
iliis.

Pœnitentiæ, Joann. 20. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur iis.* De Extrema-Unctione Jacob. 5. *Oratio fidei ſalvabit infirmum* &c.

Conferũt gratiam ex opere operato.

Ex quibus patet ſacramenta conferre gratiam vi ſua quam habent ex Chriſti inſtitutione, independenter a merito miniſtri vel ſuſcipientis: ac eapropter ultimata horum omnium ratio eſt Chriſti voluntas in Scripturis nobis manifeſtata, qui hoc fecit ad oſtendendam potentiam ſuam, & efficaciam meritorum ſuorum, maximè paſſionis.

Hæreticorum error qui volunt ſacramenta tantum valere ad excitandam fidem juſtificatricẽ.

Ex quo liquet quantoperè aberrent noſtri temporis hæretici tribuentes efficaciam gratiæ ipſi fidei, non verò ſacramentis, quæ aſſerunt eſſe nuda ſigna fidei noſtræ, adeoque tantummodò, conferre gratiam fidem illam in nobis excitando, quæ ſola ſecundum ipſos juſtificat: & hinc traducunt Theologos Catholicos quaſi doceant ſacramenta eſſe primariam cauſam gratiæ; dumque dicunt ſacramenta gratiam conferre ex opere operato, traducunt illos quaſi dicant non requiri fidem, devotionem, aut pœnitentiam &c. quod falſum eſt, ut patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi tradit omnes diſpoſitiones ad juſtificationem requiſitas. Et Doctores paſſim in explicatione ſingulorum ſacramentorum tractant de diſpoſitionibus requiſitis ad fructum è quolibet ſacramento ſuſcipiendum.

probatur
ex Scri-
ptura.

Catholici dicentes ſacramenta conferre gratiam ex opere operato, non excludunt diſpoſitiones requiſitas.

Refellũtur argumenta hæreticorum pro fide juſtificatrice.

Interea hæretici errorem ſuum de ſola fide juſtificante tueri conantur ex aliquibus ſcripturis malè intellectis ſignanter Marci ultimò, ubi dicitur *qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit.* Et ad Rom. 1. *Juſtus autem ex fide vivit* &c. Ad quæ prout & ad alia ejuſmodi ſcripturæ loca.

Qua ratione in ſcripturis juſtificatio tribuatur fidei.

Reſp. & dico 1. Scripturam nuſquam dicere nos ſolâ fide juſtificari. 2. Quod eadem nuſquam agat de fide ſpeciali hæreticorum qua credunt ſibi peccata remiſſa. 3. Quod quando in ſcriptura noſtra juſtificatio fidei tribuitur, non excluduntur cætera. Attribuit autem ſcriptura juſtificationem noſtram fidei quia fides eſt humanæ ſalutis initium & fundamentum & radix ut ait Concil. Trident. ſeſſ. 6 cap. 6. ac proinde fides non eſt cauſa gratiæ formaliter & proximè, ſed tantum radicaliter, quatenus nimirum remotè diſponit adultos ad juſtificationem. Itaque per ejuſmodi loquendi modum non vult iis locis Scriptura S. adimere ſacramentis illam vim juſtificandi, quam ex aliis locis conſtat illis competere, ſed ſolum

Digitized by Google

intendit docere fidem eſſe ad juſtificationem neceſſariam.

Dices, Pet. 1. cap. 3. dicitur *octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam: quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*; ergo baptiſmus non ſalvat hominem ex opere operato per externam ablutionem. ſed ratione interioris fidei.

Reſp. negando conſequentiam: ſiquidem ſenſus iſtius loci eſt quod baptiſmus nos non ſalvet præciſe per lotionem externam qua abluuntur ſordes corporis, prout faciebat baptiſmus Judæorum ſed mundando interius animam à peccatis per debitam diſpoſitionem interioris conſcientiæ.

Dices S. Auguſtinus tract. 80. in Joann. ait, „ unde tanta virtus „ aquæ ut corpus tangat & cor „ abluat, niſi faciente verbo, non „ quia dicitur, ſed quia creditur, ergo

Reſp. S. Auguſt. per hoc ſolum velle ſignificare verbum ſeu formam non habere hanc virtutem à materiali ſono, ſed per invocationem SS. Trinitatis quæ in forma baptiſmi continetur.

Dices, hâc loquendi formulâ, nimirum quod ſacramenta cauſent gratiam avocantur homines à Chriſto ejuſque paſſione.

Reſp. negando aſſumptum: quin potius docentur totam vim ſacramentorum provenire à Chriſti paſſione ejuſque meritis, qui voluit ea per ſacramenta tamquam per totidem inſtrumenta nobis applicari: eapropter populus per hæc potius excitatur ad Chriſtum amandum pro tantis in ſe collatis beneficiis quia ſcilicet non tantum dignatus eſt pro nobis pati, ſed inſuper reliquit eccleſiæ ſuæ ſacramenta quibus meritum paſſionis ſuæ nobis applicaretur.

Dico 2. certum eſt ſacramenta novæ legis non eſſe cauſas principales gratiæ & remiſſionis peccatorum (quod malè hallucinantur hæretici nos docere) ſed ſolum Deum. Probatur ex illo ad Rom. 6. *unus eſt Deus qui juſtificat circumciſionem ex fide & præputium per fidem*. Probatur hoc ipſum ratione, quia nullus ſubditus poteſt propria auctoritate remittere injurias ſuo Principi illatas; ſed omnis creatura eſt Deo ſubdita; ergo nulla talis poteſt propriâ auctoritate remitter peccata, ſeu injurias contra Deum factas; ergo neque producere gratiam quæ eſt peccatorum expulſiva. *Sacramenta non ſunt cauſa principalis gratiæ.*

Dico 3. omnia ſacramenta novæ legis ſunt cauſæ ſecundariæ ſeu inſtrumentales gratiæ, eamque conferunt ex opere operato *Sunt illius cauſa inſtrumentales.*

Digitized by Google

rato omnibus non ponentibus obicem : quod probatur ex Trid. ſeſſ.6.can.6. ſupra citato : prout & ex Sanctis Patribus, qui unanimiter dicunt ſacramenta eſſe cauſas gratiæ ex ſe, independenter à merito operantis : prout patet in infantibus, amentibus, Surdis & mutis, quibus ſacramenta applicantur, & per illa in ipſis gratia infunditur, ipſis interea nihil operantibus.

Dices, ſi hæc vera ſint, ergo per opus operatum excluduntur fides & pœnitentia.

Sacramenta non ſunt cauſa principalis gratiæ.

Reſp. hæc quidem excludi per opus operatum ab efficientia gratiæ ; nullatenus tamen à diſpoſitione ſubjecti : ſi quidem ut ſupra probavimus ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ejuſmodi actus in adultis ſunt quædam diſpoſitiones neceſſariò prærequiſitæ ex parte ſubjecti, quæ tamen non effectivè concurrunt ad producendum gratiam ſacramentalem; adeoque nullam dant efficaciam ipſi ſacramento, ſed ſolum tollunt obices qui impedirent efficaciam ſacramenti in adultis.

Quid ſit ex opere operato gratiam cōferre.

Eapropter majoris claritatis cauſâ iterum repeto quod ſacramentum conferre gratiam ex opere operato non ſit aliud quam illam conferre ex vi operis quod ex Chriſti inſtitutione exercetur quando ſacramentum alicui applicatur : hinc ipſa actio ſacramentalis, quæ conſiſtit in applicatione formæ ad materiam, & utriuſque ad hominem ſacramentum ſuſcipientem, vocatur opus operatum.

Efficacia ſacramentorū non pendet à merito ſuſcipientis aut miniſtrantis.

Itaque patet ex dictis quod valor actionis ex opere operato diſtinguatur contra valorem actionis ex opere operantis idque ſive miniſtri, ſive ſuſcipientis : colligitur quoque quod efficacia ſacramenti non pendeat à merito ſuſcipientis vel miniſtrantis : quamvis enim in miniſtrante, ut abſque peccato ſacramentum adminiſtret, prærequirantur aliquæ diſpoſitiones ; prout & in ſuſcipiente, ſi is uſu rationis polleat requiritur præparatio per fidem, devotionem, & pœnitentiam ; attamen efficacia ſacramenti neque pendet à diſpoſitione ſuſcipientis tamquam à cauſa meritoria vel efficiente gratiæ ſacramentalis, neque à merito ipſius miniſtri, ſed provenit ex vi actionis ſacramentalis à Chriſto inſtitutæ : ac proinde diſpoſitiones non ſe tenent ex parte cauſæ efficientis, ſed ex parte cauſæ materialis. Simile quid invenitur in iis quos Chriſtus miraculosè ſanavit ; à quibus, licet requireret ut crederent, ſanitas tamen non efficiebatur

batur à fide illorum, ſed à virtute & verbo Chriſti.

Confirmatur hoc ipſum, quia ſacramenta habent ſuam efficaciam, eſto miniſter malus ſit; habent quoque effectum ſuum in ſubjecto in quo nulla ſit diſpoſitio: ut patet in parvulis & amentibus: eapropter ex duobus parvulis æqualiter peccato originali infectis, ille juſtificatur qui baptizatur; alter vero non juſtificatur qui non baptizatur.

Vox illa ex opere operato *non eſt noviter tantum inventa.*

Immeritò proinde hanc locutionem *ex opere operato* calumniatur Calvinus tamquam figmentum ſcholaſticorum, quia S. Aug. lib. 4. contra Creſconium cap. 16. ſic eſt in effectu locutus, dum ait, „ non eorum meritis à „ quibus miniſtratur, nec eorum „ quibus, miniſtratur, conſtare „ baptiſmum, ſed propriâ ſan„ ctitate atque veritate propter eum à quo inſtitutus eſt. Et lib. 4. contra Donatiſtas cap. 24. dicit ipſum per ſeipſum ſacramentum multum valere. Ita quoque Innocentius III. lib. 3. de myſter. Miſſæ capit. 5. docet expreſſis terminis ſacramenta conferre gratiam ex opere operato. Eadem quoque phraſi utitur Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 8 quâ vult excludere errores Donatiſtarum qui effectum ſacramentorum dicebant pendere à bonitate miniſtri: prout & noſtrorum modernorum hæreticorum, qui dicunt ſacramenta noſtra eſſe nuda ſigna, adeoque omnes gratiæ effectus adſcribunt ſpeciali ſuæ fidei.

Obex ponitur effectui ſacramenti nō ſolum per peccatū mortale.

Petes, quomodo in adulto requirantur aliquæ diſpoſitiones ut ſacramenta conferant gratiam, quandoquidem Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 7. aſſerat ſacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem; atqui per peccatum ſolummodo mortale ponitur obex.

Reſp. negando ſubſumptum, pro cujus explicatione.

Notandum quod duobus modis ponatur obex gratiæ in ſacramento ſuſcipiendæ; ſcilicet vel per peccatum mortale quod in ipſa ſuſceptione committitur, vel per defectum legitimæ diſpoſitionis. Unde oritur quod peccator accedens ad ſacramentum baptiſmi inculpatè ſine ſufficienti notitia myſteriorum fidei aut ſine debito dolore non conſequatur gratiam per ſacramenti ſuſceptionem: nec hoc mirum quia ſacramenta producunt ſuos effectus adinſtar cauſarum naturalium quæ effectum ſuum non cauſant ſi vel ſubjectum contrarias habeat diſpoſitiones quæ reſiſtant introductioni formæ, vel careat diſpoſitionibus requiſitis ad formæ introductionem.

Ex

Digitized by Google

Poteſt quis privari effectu ſacramenti ſine propria culpa.

Ex dictis collige poſſe aliquem quandoque ſuſcipere aliquod ſacramentum ſine effectu, qui tamen ſuſcipiendo non peccet, prout eſt is qui bonâ fide accedit ad ſacramentum baptiſmi invincibiliter ignorans neceſſaria neceſſitate medii, aut ſi peccator bonâ fide accedat ad ſacramentum Euchariſtiæ exiſtimans ſeſe ſufficienter diſpoſitum, attamen carens diſpoſitione requiſitâ.

Petes, quotupliciter intelligi poſſit ſacramenta eſſe cauſas inſtrumentales gratiæ, ſeu quod operentur gratiam per modum inſtrumenti.

Sacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales gratiæ immediatè.

Reſp. dupliciter, ſcilicet 1. immediatè, 2. mediatè, nempe ſolum mediante fide quam excitant in ſuſcipientibus: quæ quidem poſterior explicatio eſt hæretica; ſola verò prima, Catholica: porro ſi ſacramenta ſolum conferrent gratiam excitando fidem, ut volunt hæretici, ſequeretur quod hæc nihil conferrent infantibus. Præterea ſacramenta non ſunt minus efficacia ſi dentur linguâ latinâ, græcâ, vel hæbraica, quam non intelligunt illi qui ſacramenta ſuſcipiunt. Lutherani enim & Calviniſtæ admittunt noſtrum baptiſmum tamquam validum, qui ſemper confertur linguâ latinâ ſuſcipientibus incognitâ.

Dices, humanitas Chriſti eſt cauſa inſtrumentalis gratiæ; ergo non ſacramenta.

Humanitas Chriſti eſt cauſa gratiæ tamquã inſtrumentum conjunctum.

Reſp. negando conſequentiam: cujus rationem allegat S. Thomas aſſignando duplex inſtrumentum; unum ſcilicet ſeparatum, quale eſt baculus, aliud verò conjunctum, quale eſt manus, & ita cauſa principalis efficiens gratiæ eſt Deus; inſtrumentum conjunctum eſt humanitas Chriſti; inſtrumenta verò ſeparata ſunt ipſa ſacramenta.

DUBIUM II.

An omnia Sacramenta conferant æqualem gratiam.

PRænotandum quæſtionem dupliciter poſſe intelligi ſiquidem vel de ſacramentis ſolo numero differentibus, vel de ſacramentis ſpecie diſtinctis intelligitur.

Sacramenta diſtincta per ſe cõferunt inæqualem gratiam.

Dico 1. Sacramenta ſpecie diſtincta per ſe loquendo conferunt inæquales gratias: quod inde probatur 1. quia dantur quædam ſacramenta imprimentia characterem, quæ repeti non poſſunt: in quibus proinde unâ vice quâ ſuſcipiuntur, major videtur conferri gratia, quam in ſuſceptione aliorum quæ repeti poſſunt.

2. Ba-

Digitized by Google

2. Baptiſmus per modum generationis ſpiritualis confert ſuum effectum: unde ſicuti in generatione corporali, quæ eſt prima ſubſtantiæ productio, major acquiritur ſubſtantia quam poſtea per accretiones particulares, ita quoque in hoc ſacramento baptiſmi major videtur conferri gratia quam in ſuſceptione aliorum.

3. Per quædam ſacramenta, ut puta Ordinis & Confirmationis peculiariter dicitur conferri Spiritus S. quâ loquendi formula indicatur abundantia quædam gratiarum; ergo. Unde deducitur quod Euchariſtia, licet ſit ſacramentum omnium digniſſimum, per ſe loquendo non conferat unâ vice tantam gratiam quantam confert baptiſmus, eo quod conferat ſuum effectum per modum nutrimenti: porro ſicuti ſingulæ comeſtiones corporales non tantum ſubſtantiæ conferunt ipſi alito, quantum confert generatio corporea, ita nec Euchariſtia tantam gratiam, quantam confert baptiſmus.

Dico 2. idem ſpecie ſacramentum per ſe loquendo æqualem ſemper habet effectum in ſubjectis æqualiter diſpoſitis: ratio eſt quia ſacramenta operantur adinſtar cauſarum naturalium, quæ in æquali ſubjecto ſemper cauſant æqualem effectum.

Dices effectus in uno ſuſcipiente poterit eſſe major quam in altero ratione ſanctioris miniſtri v. g. dum duo æqualiter diſpoſiti ſuſcipiunt Euchariſtiam, unus à Sacerdote Sancto alius à Sacerdote peccatore. *Quaratione ſacramentum miniſtratũ à meliori miniſtro conferat majorem gratiam.*

Reſp. negando aſſumptum quantum eſt ex parte effectus ex opere operato: etenim poteſt quis ratione ſanctioris miniſtri accipere majores gratias excitantes, aut actuales prævenientes, quas unus alteri poteſt de congruo mereri, pro ut diximus in Tract. de Gratia. Et eatenus S. Thom. quæſt. 82. art 6 ait miſſam melioris ſacerdotis eſſe magis fructuoſam, quamvis in ratione ſacramenti aut ſacrificii non minus valeat miſſa ſacerdotis mali quam boni. De condigno verò Miniſter quantumvis ſanctus non poteſt mereri gratiam ſanctificantem; quippe cum hoc competat ſoli Chriſto. Eapropter S. Greg. Nazianz. orat. 40. in S. Baptiſma. Miniſtrum bonum & malum comparat ſigillo aureo & ferreo; quæ duo, ſicuti eandem imprimunt imaginem, ita quoque hi duo miniſtri eundem cauſant effectum in ſubjecto æqualiter diſpoſito.

Dico

Idem ſacramentum in ſuſcipientibus inæqualiter diſpoſitis confert inæqualem gratiam.

Dico 3. Idem ſpecie ſacramentum in ſubjectis inæqualiter diſpoſitis inæquales confert effectus. Probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. ubi agens de juſtificatione per baptiſmum, docet unumquemque recipere gratiam ſecundum menſuram quam Spiritus S. partitur prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem: porro non reciperet unuſquiſque ſecundum propriam ſuam diſpoſitionem, niſi melius diſpoſitus reciperet majorem, & minus diſpoſitus reciperet minorem & æqualiter diſpoſiti reciperent æquales. Et certè ſpectat ad ſuavem Dei providentiam ut melius diſpoſito plus detur gratiæ: inſuper quia hoc ipſum videmus in cauſis naturalibus. Addo hoc ipſum conducere ad excutiendum torporem in animabus fidelibus, & ad illas excitandum ad devotionem.

Hinc collige eum qui recipit aliquod ſacramentum conſtitutus in gratia plerumque majorem recipere gratiam quam illum qui per aliquod ſacramentum primò juſtificatur recipiendo primam gratiam, & hoc ideo quia melius eſt diſpoſitus ac magis Deo gratus, tum etiam quia v. g. quis habens actualem devotionem recipit gratiam illi devotioni correſpondentem ut præmium merito, & ulterius gratiam ut effectum ex opere operato ipſius ſacramenti, cum tamen alter hanc ſolam ex opere operato recipiat.

Dixi, *plerumque*, quia poteſt quandoque contingere quod peccator cum tam intenſo dolore aliquod ſacramentum mortuorum, ſuſcipiat ut majorem accipiat gratiam quam homo juſtus qui ad illud cum remiſſo dolore & devotione accedit.

Petes, an ergo Deus exiſtente æquali diſpoſitione in duobus idem ſpecie ſacramentum ſuſcipientibus non poſſet pro ſuo arbitrio augere gratiam in uno & non in altero.

Reſp. Affirmat. quantum eſt ex parte ipſius omnipotentiæ: quantum verò ſpectat ad ſuavem ejus gubernationem, congruum eſt ut æquales cauſæ æquales ſortiantur effectus. Inſuper poſito quod in uno augeretur ille exceſſus & non in altero, non poſſet ille dici effectus ſacramenti, ſed eſſet donum quoddam merè gratuitum à Deo collatum concomitanter cum effectu ſacramenti.

Petes, an major gratia quæ datur magis diſpoſito, detur ex opere operato.

Reſp. Affirm. ſicuti enim Deus adulto non vult dare gratiam niſi ad illam ſeſe diſponat,

ita veroſimile eſt eum velle dare majorem vel minorem prout plus vel minus ſeſe diſpoſuerint.

Dices diſpoſitio illa ſe tenet ex parte operantis, ergo ſi datur gratia ob majorem diſpoſitionem, dabitur illa ex opere operantis.

Reſp. diſpoſitionem illam quidem ſe tenere ex parte operantis, ſed non ſub ratione operantis, verum ſub ratione, ſubjecti: proinde ſicuti agentia naturalia melius operantur circa ſubjectum melius diſpoſitum, & ſicuti non operantur in ſubjecto in quo nulla eſt diſpoſitio, ita quoque dicendum eſt, de ſacramentis qui operantur adinſtar cauſarum naturalium.

Dices; ſola illa gratia eſt effectus ſacramenti quæ procedit à ſignificatione ſacramentali ſive quæ datur ratione illius operis ſacri quod Chriſtus inſtituit ad ſignificandam & cauſandam gratiam; ſed talis non eſt gratia quæ datur ratione majoris diſpoſitionis: quod ulterius probatur quia ſicuti ſacramentum ſemper habet unam & æqualem ſignificationem, ita ſemper habet unum & æqualem effectum.

Reſp. ſignificationem ſacramenti non ſemper eſſe unam & æqualem ſaltem ex parte rei ſignificatæ: eſto enim hoc ſit verum quando in ſubjecto eſt æqualis dſpoſitio, falſum tamen eſt quando illa eſt inæqualis: voluit enim Chriſtus ſacramentum eſſe ſignum majoris gratiæ quo ſubjectum fuerit magis diſpoſitum ac proinde ratione majoris diſpoſitionis ſubjecti determinatur ſacramentum ad efficacius operandum per ſuam ſignificationem: & quia ſæpe contingit quod diſpoſitio ex parte ſubjecti operantis, ſit quoque meritoria de condigno ex parte operantis ideo præter hanc majorem gratiam quæ de condigno datur ex opere operantis independenter à ſacramento, datur quoque tunc major gratia per ſacramentum quàm ſine tali diſpoſitione daretur; adeoque verum eſt quod, etſi ipſi diſpoſitioni in homine juſto correſpondeat aliquis gradus gratiæ quatenus eſt actus meritorius de condigno, inſuper etiam detur ipſi major gratia ex opere operato ratione majoris diſpoſitionis.

DUBIUM III.

An omnia Sacramenta interdum conferant primam gratiam.

PRænotandum: ſacramenta alia vocari mortuorum; alia verò vivorum: ſacramenta mortuorum

tuorum vocantur quæ ex ſua inſtitutione ordinantur ad remiſſionem peccati originalis vel actualis mortalis, ſic dicta quia in ſubjecto ſuo non neceſſariò præſupponunt vitam, ad quæ proinde quis poteſt accedere eſto ſe putet ſpiritualiter mortuum dummodo ad illa ſit legitimè diſpoſitus.

Sacramenta vivorum appellantur illa quæ in ſuſcipiente præſupponunt vitam animæ ſeu gratiam ſanctificantem: ac proinde ad illa accedens per ſe loquendo debet eſſe in ſtatu gratiæ. His præſuppoſitis.

Dico 1. non omnia ſacramenta per ſe id eſt ex ſua inſtitutione conferunt primam gratiam. Probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 1. dum ait quod per omnia ſacramenta omnis vera juſtitia vel incipit eſſe vel cæpta augetur, vel amiſſa reparatur: probatur hoc ipſum ex Can. 6. dictæ ſeſſionis in quo dicitur ,, licet omnia ſacramenta conferant gratiam quam ſignificant: ſed non omnia ſignificant primam gratiam quam proinde nec conferunt, 4. quia ſunt aliqua ſacramenta vivorum, quæ proinde ex ſua inſtitutione præſupponunt vitam.

Dico 2. Sacramenta mortuorum ſunt baptiſmus & pœnitentia per ſe inſtituta ad conferendam primam gratiam: probatur quia hæc duo ſunt inſtituta reſpective ad remiſſionem originalis vel actualis mortalis peccati poſt baptiſmum commiſſi.

Dices, baptiſmus & pœnitentia numquam poſſunt adultis conferre primam gratiam; ergo non ſunt ſacramenta mortuorum: probatur antecedens quia adulti non ſunt capaces ad ejuſmodi ſacramenta niſi ſint contriti, & Deum ſuper omnia diligant: porro ſi ſint contriti vi contritionis ſemper accipiunt primam gratiam, adeoque vi ſacramenti ſemper ſecundam ſeu augmentum gratiæ.

Reſp. negando ſubſumptum, neque enim omnis contritio confert, primam gratiam neque ſemper; ſed tunc ſolum, ut loquitur Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. quando contingit eam charitate eſſe perfectam: & hinc eſt quod ſeſſ. 13. cap. 7. teſtatur hoc habere eccleſiaſticam conſuetudinem ut nemo conſcius peccati mortalis quantumvis ſibi videatur contritus abſque prævia ſacramentali confeſſione ad Euchariſtiam accedat, idque ne tantum ſacramentum indignè ſuſcipiat: ſentit ergo pœnitentem ordinariè non reconciliari ante ſacramentalem abſolutio-

nem: nam ſi ordinariè juſtificaretur per contritionem, non periculosè faceret, nec peccaret mortaliter qui ſentiens magnum contritionis dolorem cum propoſito confitendi, abſque prævia confeſſione ad S. Euchariſtiam accederet.

Per accidens ſacramẽta vivorum cõferunt quandoque primã gratiam.

Dico 3. per accidens fieri poteſt quod interdum ſacramenta vivorum conferant primam gratiam, quia fieri poteſt quod quis in mortali exiſtens accedat ad Euchariſtiam invincibiliter ignorans ſe eſſe in hujuſmodi ſtatu; & de cætero concipiat dolorem qui cum ſacramento ſufficit ad remiſſionem peccati, qualis non eſt iſte qui oritur ex puro metu gehennæ: ratio eſt ante data quia cum Sacramenta conferant gratiam non ponentibus obicem, etiam conferent huic, utpote nullum talem obicem ponenti nec poſitivum nec privativum.

Dices ſacramenta non habent aliam vim cauſandi quàm illam quam acceperunt ex Chriſti inſtitutione, ſed ſacramenta vivorum ſunt inſtituta ad cauſandam ſecundam gratiam ſeu augmentum gratię, prout & illa que ſunt mortuorum ad cauſandam primam gratiam; ergo non habent vim ad cauſandam aliam.

Reſp. neg. conſequentiam: & dico ſacramenta ſpectari poſſe duobus modis. Primò ſecundum eſſe genericum 2. ſecundum eſſe ſpecificum: hoc poſteriori modo verum eſt ſacramenta vivorum eſſe inſtituta ad augmentum gratiæ ſive ad ſecundam gratiam; ſacramenta vero mortuorum ad conferendam primam gratiam; quæ tamen conſiderata ſecundum eſſe ſuum genericum poſſunt cauſare aliam gratiam: quia, ut patet ex Concil. Trid. ſic Chriſtus ſacramenta inſtituit ut ſingulis dederit vim ad cauſandam gratiam non ponentibus obicem & ſic probabilius tenent theologi, quamvis tamen oppoſita ſententia non careat ſua probabilitate.

DUBIUM IV.

An Sacramenta ultra gratiam habitualem inſuper cauſent aliquam gratiam actualem?

Sacramenta præter gratiam habitualem, cauſant inſuper gratias actuales.

Reſp. Affirmat. & hoc ideo quia illa ordinantur ad diverſos fines; ergo per illa conferri debent effectus diverſi, quibus, tamquam mediis, diverſi illi fines obtineantur.

2. Si omnia ſacramenta haberent eundem effectum nempe tantum gratiam ſanctificantem, non differrent in ratione ſacramenti, id eſt in ſignificatione & cauſalitate gratiæ, ſed tantùm differrent materialiter in exter-

nis cæremoniis: unde ſequeretur unum non eſſe magis neceſſarium quam aliud, quod falſum eſt.

Petes, quinam ſunt illi diverſi fines ad quos ſacramenta à Chriſto ſunt ordinata.

Quinã ſint fines ſingulorum ſacramentorum.

Reſp. Baptiſmus eſt à Chriſto inſtitutus ad ſpiritualem regenerationem. 2. Confirmatio eſt ab eodem inſtituta ad fortiter reſiſtendum tentationibus, præſertim illis, quæ pelliciunt ad fidem in perſecutione negandam. 3. Euchariſtia ad animæ nutrimentum. 4. Pœnitentia ad reſurgendum a peccato poſt baptiſmum commiſſo. 5. Ordo ad eccleſiaſtica miniſteria rite decenterque obeunda. 6. Extrema unctio ad tollendas peccatorum reliquias & conferendum robur contra tentationes in extrema illa lucta ingruentes. 7. Matrimonium ad mutuum amorem ac fidem comparti ſervandam, ad prolis honeſtam educationem, & ad onera conjugii patienter toleranda eſt inſtitutum.

Porro cum gratia habitualis, quæ eſt effectus omnibus ſacramentis communis non ſufficiat ad proprios hoſce fines ſingulorum ſacramentorum in homine fragili poſt lapſum, ſuperaddendæ fuerunt diverſæ gratiæ actuales, ſive diverſa auxilia ad ejuſmodi fines obtinendos. Et quidem baptiſmus ſuperaddit auxilium ad alia ſacramenta dignè & validè ſuſcipienda; prout & ad ſervanda Chriſti præcepta & Chriſtiane vivendum. 2. Confirmatio dat auxilium roborans ad fidem profitendam. 3. Pœnitentia dat ſpeciale auxilium ad peccata deteſtanda. 4. Euchariſtia dat auxilium ad præcavendas & ſuperandas tentationes huc illucque in vita occurrentes, & ad crebros virtutum actus eliciendos. 5. Extrema unctio dat auxilium ad reſiſtendum tentationibus in mortis periculo occurrentibus. 6. Ordo dat auxilium ad Eccleſiaſtica munia ritè obeunda. 7. Matrimonium dat gratias actuales ad fovendum mutuum amorem & fidem inter conjuges ſervandam.

Quales gratiæ actuales ſingulis ſacramẽtis correſpondeant.

Petes an hæc auxilia actualia ſtatim tribuantur completo & abſoluto ſacramento, ſicuti tunc tribuitur gratia ſanctificans.

Illæ gratiæ actuales non ſemper dantur eo tempore quo Sacramentum ſuſcipitur.

Reſp. neg. ſed tantum tempore congruo ſecundum diverſas rerum exigentias: & ratio diverſitatis, eſt quod gratia ſanctificans ſit quid permanens, quod datur totum ſimul quando ſacramentum completur: gratiæ verò actuales non ſunt quid unum, ſed aliquid tranſiens quod conſi-

conſiſtit in multitudine auxiliorum quæ dantur ad functiones ſacramenti debitè exercendas pro tempore quo eſt occaſio illis utendi.

Petes an ejuſmodi auxilia actualia etiam debeantur ſuſcipientibus ſacramentum aliquod in peccato mortali.

Reſp. neg. quia eſto ejuſmodi auxilia ex conditione ſuæ naturæ non requirant ſtatum gratiæ in ſubjecto, non tamen debentur ratione ſacramenti niſi mediante gratiâ habituali: cum enim, ut dictum eſt, Chriſtus ſacramenta ad varios fines inſtituerit, ad quos opus eſt non tantum gratiâ ſanctificante ſed inſuper & actuali, non confert poſteriorem ſine priori ſaltem vi ſacramenti, quamquam ſi quæ quandoque ejuſmodi auxilia actualia concedantur, hæc tunc non tribuentur vi ſacramenti, ſed ex pura Dei miſericordia.

Ex his animadvertet ſuſcipiens aliquod ſacramentum præſertim ordinis ſacri ad illud in ſtatu gratiæ ſuſcipiendum & ad hujuſmodi gratiam ſanctificantem conſervandum, ut non deſtituatur quamplurimis gratiis actualibus ad obtinendum ſacramenti finem neceſſariis.

Dices, ſacramenta conferunt ſuos effectus dum applicantur ſeu adminiſtrantur, ſed illa auxilia actualia tunc non dantur, ut dictum eſt; ergo illa non ſunt effectus ſacramentorum.

Reſp. & dico ſacramenta quidem conferre omnes ſuos effectus primarios, qui ſunt gratia ſanctificans, dum applicantur: ſecus verò ſecundarios quales ſunt hæ gratiæ actuales.

Ex dictis liquet ejuſmodi gratias actuales non cauſari phyſicè ab ipſis ſacramentis, ſed tantum moraliter, quatenus nimirum Deus intuitu ſacramenti ſuſcepti impertitur tempore & loco ejuſmodi auxilia actualia ad ſingulares actus exercendos.

Petes, an ſacramenta ſint neceſſaria ad ejuſmodi auxilia actualia obtinenda.

Reſp. neg. ſiquidem hæc ipſa poſſunt impetrari extra ſacramenta per opera meritoria; ut puta orationes, actus fidei, ſpei, charitatis & contritionis; adeoque ægrotus aliquis deſtitutus eccleſiæ ſacramentis poteſt adeo Deum orare ut obtineat auxilia neceſſaria ad reſiſtendum tentationibus in extremo vitæ occurrentibus: etenim ſi per opera meritoria & orationes poſſit impetrare augmentum gratiæ ſanctificantis, quod majus eſt, poterit quoque per hæc impetrare auxilium gratiæ actualis, quod

minus

minus eſt. Notandum tamen ordinarium modum quo Deus diſtribuit ejuſmodi auxilia, eſſe per ſacramenta adeoque non carere præſumptione negligere ſacramenta, & aliâ viâ extraordinaria hujuſmodi auxilia velle impetrare.

DUBIUM V.

Quandonam Sacramenta conferant ſuos effectus.

Sacramenta cauſant gratiam ſanctificantem ipſo inſtanti quo perficiuntur.

DIco 1. Sacramenta conferunt gratiam ſanctificantem eo inſtanti quo intrinſecè complentur; ſive illud inſtans ſit ultimum materiæ ſive formæ, ſive utriuſq; ſimul; quæ intellige ſepoſito obice. Ratio eſt quia gratia ſanctificans eſt quid permanens, quæ proinde totum ſuum eſſe poteſt ſimul accipere adeoque conformiter ſuæ naturæ poſtulat produci in inſtanti: cujus ulterior ratio eſt quia illo ipſo inſtanti quo Sacramẽtum completur habet perfectam ſuam ſignificationem per quam cauſat gratiam: & ita baptiſmus cauſat effectum ſuum illo ipſo inſtanti quo eſt completa ſignificatio ſacramenti: idem dic de aliis ſacramentis conſiſtentibus in fieri excepto ſacramento Euchariſtiæ quod conſiſtit in facto eſſe.

Excepto Sacramento Euchariſtia.

Dices, ſi hoc ſit verum quod ſacramenta cauſent gratiam illo inſtanti quo perficiuntur, ergo ipſa non cauſabunt gratiam ſed minima ſolum ſacramenti particula, ut puta ultima formæ ſyllaba.

Reſp. neg. conſequentiam: quia id quod fit per aliud quatenus eſt complementum alicujus totius, dicitur ſimpliciter fieri ab ipſo toto: ſic enim unus annulus dicitur contingere alterum eſto illum ſolum contingat per minimam ſui particulam: ſic & globus dicitur contingere terram, eſto illam ſolum contingat per minimam ſui partem.

Sacramenta non cauſant gratiam antequam exiſtant.

Dico 2. ſacramenta numquam conferunt gratiam ex opere operato antequam exiſtant: ratio eſt quia agere præſupponit eſſe: & inſuper quia promiſſio effectus ſacramenti non eſt à Chriſto facta niſi reali ipſius ſuſceptioni: & hinc Joan. 5. dicitur *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* &c. & Joan. 6. *niſi quis manducaverit carnem filii hominis*: præterea character per ſacramenta illum conferentia non confertur, niſi illa realiter ſuſcipienti; ergo nec gratia, quæ non confertur per illa ſine charactere.

Dices S. Thom. & alii Doctores expreſſe docent effectum ſacramenti quandoque percipi per Sacramenti votum; idem videtur

videtur inſinuare Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. ergo cauſabit effectum antequam exiſtat.

Reſp. neg. conſequentiam: & dico per ejuſmodi locutionem Concil. Trident. & S. Thomam aliud non velle innuere, quam per ſacramenti votum conferri ſimilem gratiam illi quæ confertur per ſacramentum: ac eapropter ejuſmodi gratia dicitur effectus ſacramentalis ſecundum ſimilitudinem naturæ, quia nimirum eſt ejuſdem rationis & efficaciæ; prout quandoque ſic loqui ſolemus, ut dicamus effectum ignis produci à ſole.

Dices Trident. ſeſſ. 13. cap. 8. docet eos ſentire fructum Euchariſtiæ qui habent propoſitum cæleſtem illum panem comedendi.

Reſp. Conformiter ad antedicta Concil. hoc dicere eo ſenſu, quia recipit ſimilem gratiam ei quæ per ſacram communionem datur, non verò quaſi recipiat eandem; cujus ſignum eſt quod is qui deſiderat hoc ſacramentum ſuſcipere & ſpiritualiter communicare, non recipiat majorem gratiam quam pro ratione majoris ſuæ devotionis.

DUBIUM VI.

An Sacramenta cauſent gratiam phyſicè, an moraliter.

NOta pro intelligentia quæſtionis cauſam efficientem inſtrumentalem eſſe duplicem, unam phyſicam, alteram moralem. Phyſica eſt quæ eſt immediatum principium eliciens actionem qua res producitur. Moralis latè dicta vocatur illa ad cujus præſentiam ſolet poni effectus ab alia cauſa: moralis verò ſtrictè dicta eſt agens liberum cui imputatur effectus: & ea conſulens, mandans &c. vocantur cauſæ morales: Porro quemadmodum in phyſicis dantur inſtrumenta ſubſervientia cauſæ principali, ita quoque in moralibus: & ita famulus deferens mandatum Domini ſui eſt cauſa inſtrumentalis ejus quod fit ex mandato Domini. ***Quid cauſa moralis, quid phyſica.***

Notandum 2. hanc quæſtionem nullo Eccleſiæ decreto eſſe definitam: proinde licitum eſſe utramque partem contradictionis, ſalva fide, problematicè defendere.

Nos dignitati ſacramentorum conſulere volentes utramque illis cauſalitatem attribuimus: & quidem quod attinet ad cauſam mora-

Digitized by Google

moralem patet ex definitione ante data quod aptè hæc illis conveniat, adeoque quòd eo modo cauſet gratiam quo chyrographum exhibitum cauſat ſolutionem, prout & plumbetum exhibitum à Canonico: ſicuti enim illa objectivè movent receptorem ad ſolvendam ſummam illis inſcriptam: eodem modo ſacramenta velut chyrographa repreſentantia Chriſti ſanguinem movent Deum ad dandam gratiam ſacramentum ſuſcipientibus. Prę-terea ſacramenta conferunt interdum gratiam poſtquam diu tranſiverunt, ita enim baptiſmus fictè ſuſceptus confert gratiam recedente fictione, illam vero non poteſt dici cauſare phyſicè, utpotè cum non amplius exiſtat ſacramentum, ergo moraliter.

Sacramenta ſunt cauſæ morales gratiæ.

Sacramenta novæ legis cauſant etiã phyſicè gratiam.

Porro quod ſacramenta etiam ſint cauſæ phyſicæ probatur quia imprimis dignitas ſacramenti poſtulat ut quid excellentius illis tribuamus quam illis ſignis quorum intuitu cauſa phyſica operatur, in quorum genere ſunt quoque ſigna magica. 2. Scriptura S. tribuit ſacramentis vim mundandi, abluendi, ſanctificandi, &c. quę cum propriè intelligi poſſint de virtute phyſicâ, non eſt quod torqueantur ad ſenſum minus proprium 3. Chriſtus per ſuam humanitatem tamquam inſtrumentum phyſicum gratiam contulit & miracula patravit atteſtante Scriptura Lucæ 6. *virtus de illo exibat & ſanabat omnes*: denique probatur, quia ſacramenta novæ legis aliter cauſant gratiam quam ſacramenta veteris legis; hæc autem poterant dici cauſare moraliter gratiam. Ergo ſacramenta n. l. illam cauſant phyſicè.

Dices nulla creatura poteſt eſſe inſtrumentum creationis, eò quod hæc ſit ex nihilo, inſtrumentum verò nequeat applicari ad nihilum: ſed ſi inſtrumenta eſſent cauſa phyſica gratiæ, eſſent inſtrumenta creationis ipſius.

Reſp. negando ſubſumptum, quia gratia non creatur: eſto enim non educatur è ſubjecto ſicut accidentia, eò quod non habeat in ſubjecto cauſam efficientem, per quam poſſit educi in actum, educitur tamen è potentia obedientiali ipſius animæ, in quantum fit in anima dependenter ab illa: ac eapropter non fit ex nihilo, ſed in aliquo tamquam materiâ in qua ſeu ſubjecto à quo dependet ut exiſtere poſſit.

Dices ſacramenta eodem modo cauſant gratiam, ſicut paſſio Chriſti, ſed hæc non eſt cauſa phyſica gratiæ utpote jam diu

Digitized by Google

præterita:quod confirmatur quia ſi cauſa principalis phyſicè non attingat effectum ; ergo nec inſtrumentum.

Reſp. negando conſequentiam, prout patet in hoc exemplo quia Rex per ſententiam ſuam liberando captivum ſolvit illum moraliter à vinculis ; miniſter vero juſtitiæ ut inſtrumentum juſtitiæ ſolvit illum phyſicè.

Dices ſacramenta omnia quæ conſiſtunt in fieri prout ſunt omnia, excepta Euchariſtiâ, conferunt gratiam dum non exiſtunt ; ſed id quod non eſt, non poteſt cauſare id quod eſt ; ergo. Probatur aſſumptum, quia omnia illa ſunt entia ſucceſſiva, quæ non poſſunt operari in inſtanti, cum tamen gratia detur in inſtanti : quod confirmatur ulterius quia illa eſt natura entis ſucceſſivi ut nulla ejus pars ſit ſimul ; quippe quæ conſiſtat in ſucceſſione & motu, & conſequenter numquam erit verum dicere ſacramenta operantur: non quidem quando miniſtrantur, quia tunc necdum ſunt ; neque etiam dum complentur, quia tunc deſinunt : deſinunt autem per primum inſtans ſui non eſſe.

Reſp. Sacramenta cauſare gratiam ultimo inſtanti intrinſeco quo perficiuntur, ſive illud inſtans ſit ultimum formæ ſive materiæ ſive utriuſque ; quia tunc concurrunt omnia neceſſaria ad effectum ponendum, quippe tunc adeſt completa ſignificatio quæ exſurgit ex materia & forma ſimul : iſto verò inſtanti dicimus ſacramentum eſſe, ac proinde conferre gratiam quando eſt ; niſi enim admittatur ſacramentum tunc eſſe non poteſt aſſignari inſtans vel tempus quo dici poterit de ſex ſacramentis quæ conſiſtunt in fieri, ſacramentum eſt : eò quod ſacramentum dicat eſſentialiter totum aggregatum ex omnibus partibus copulatim ſumptis & ſucceſſivè exiſtentibus, neque hoc mirum videri debet quod ſacramentum exiſtat ratione ultimi ſui termini indiviſibilis, quia ſic tempus & motus & omne ens ſucceſſivum dicuntur exiſtere.

Dices ; ergo ſaltem totum ſacramentum non cauſat phyſicè ſed tantum ultima ejus pars indiviſibilis.

Reſp.neg. conſequentiam:nam ſicuti ad hoc ut duæ chordæ inter ſe dicanturuniri, aut duæ catenæ ſeſe realiter contingere ſufficit ut uniantur aut tangant ſe mutuo terminis finientibus, ita quoque ſufficit ut ſacramentum agat ratione illius partis indiviſibilis, ſive

ſive

ſive ut aliqua ejus pars attingat phyſicè productionem gratiæ, quippe cum illa agat in virtute omnium.

Porro quæ dicta ſunt de ſacramentis reſpectu gratiæ etiam intelligenda ſunt reſpectu characteris, prout & de verbis conſecrationis reſpectu corporis & ſanguinis Chriſti cum enim ut ait Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. hæc ſint præſentia ſub ſpeciebus panis & vini vi verborum, ſequitur quod verba illa majori efficientiâ operentur quam morali.

DUBIUM VII.

An Sacramenta novæ legis habeant virtutem ex paſſione Chriſti.

CHriſtum per paſſionem ſuam & mortem redemiſſe mundum à ſervitute Diaboli, & meruiſſe hominibus peccatorum remiſſionem teſtantur paſſim Scripturæ Sacræ: ad Rom. cap. 5. *commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum: ſi enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus, multò magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.* Et 1. Petri cap. 1. *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis: ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati.*

Unde Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 2. & 3. ex ſcripturis docet „quod cæleſtis Pater, Chriſtum „Jeſum filium ſuum & ante le„gem, & legis tempore, mul„tis Sanctis Patribus declaratum „ac promiſſum, cum venit beata „illa plenitudo temporis, ad ho„mines miſerit; ut & Judæos, „qui ſub lege erant, redimeret; „& gentes, quæ non ſectaban„tur juſtitiam, juſtitiam appre„henderent, atque omnes ado„ptionem filiorum reciperent, „Hunc propoſuit Deus propitia„torem per fidem in ſanguine „ipſius pro peccatis noſtris; non „ſolum autem pro noſtris, ſed „etiam pro totius mundi. Ve„rum etſi ille pro omnibus mor„tuus eſt, non omnes tamen „mortis ejus beneficium reci„piunt, ſed ii dumtaxat quibus „meritum paſſionis ejus com„municatur.„ Quamvis ergo potentiſſimum ſit in Chriſti morte remedium adverſus peccatum, niſi tamen illud ſumptum fuerit, & peccatoribus applicatum, nihil prodeſt. Nam ut ait S. Proſper in reſponſione ad primam

Digitized by Google

objectionem Vincentianam, poculum immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit; ſed ſi non bibitur, non medetur.

Porro illa applicatio non in una ſolum re conſiſtit. Primo enim à Deo miſericorditer fides inſpiratur homini, quâ credat vera eſſe quæ à Deo revelata ſunt, & promiſſa; atque illud in primis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, ut declarat Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. Deinde verò per fidem acceptam incipit homo etiam ipſe ſibi admovere medicinam in Chriſti morte propoſitam; videlicet dolendo de peccatis, ſperando veniam, invocando Deum per Chriſtum, & præſcripta remedia à Deo, ſuſcipiendo.

Hæc autem præſcripta à Deo remedia, quibus nobis virtus & efficacia paſſionis Chriſti ad remiſſionem peccatorum applicatur, ſunt Sacramenta novæ legis. Illa enim quæ Deo inſpirante & excitante præcedunt in homine ante ſuſceptionem ſacramenti ut fides, ſpes, timor, invocatio, pœnitentia, & vitæ mutatio, diſpoſitiones tantummodo ſunt, ſaltem ordinariè, quibus peccator diſponitur ad juſtitiæ effectum ex Chriſti morte conſequendum, qui effectus nondum habetur ex illis diſpoſitionibus, ſed per ſacramentum ceu poculum quoddam ſalutare & efficax, medicina hauritur, imbibitur, & applicatur, morbus, imo mors ſpiritualis pellitur, & ſanitas reſtituitur.

Hinc docent Sancti Patres, quemadmodum ex Adæ latere formata eſt mulier Eva, ita ex aperto Chriſti latere in paſſione ejus formata ſit ſponſa ejus Eccleſia. Et ex eo quod ex aperto ejus latere fluxit aqua & ſanguis docent ſimiliter omnia ſacramenta de Chriſti latere fluxiſſe, quæ ex paſſione Chriſti habent efficaciam, ſuntque veluti vaſa quædam ſacra & canales per quos virtus & efficacia mortis & meritorum Chriſti ad homines ritè accedentes diffluit; aqua enim ſignificat baptiſmum, qui eſt janua; & ſanguis ſignificat Euchariſtiam quæ eſt finis & conſummatio ſacramentorum, adeoque ſub his duobus reliqua comprehenduntur.

Itaque per ſacramenta novæ legis non intelliguntur nuda elementa in quibus perficiuntur; ſed quatenus veluti includunt Chriſti ſanguinem qui per illa nobis appli-

Digitized by Google

applicatur ad remiſſionem & medelam peccatorum. Quod inſinuat Joan. 1. epiſt. cap. 5. *hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Jeſus Chriſtus, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine.* Ut intelligeremus ipſum non veniſſe ſicut venerat Joannes baptizans tantum in aqua, ſed in aqua baptiſmatis ſuo nos ſaguine efficaciter mundari à peccatis. Cum ergo ſacramentum novæ legis dicitur, non intelligitur ſine ſanguine quo novum teſtamentum firmatum eſt: ſicuti nova lex non intelligitur ſine gratia quæ in ipſa præcipua eſt.

Monere itaque Paſtores debeat fideles, ut quando ad ſacramenta accedunt ad illa veniant tanquam ad vaſa ſanctiſſima ex quibus hauriant aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Sicque ad ſacramenta accedant quaſi bibituri ex ipſo Chriſti latere unde illa formata ſunt & exiverunt.

Dices, omnia Chriſti opera fuerunt infiniti valoris ergo virtus ſacramentorum non debet ſpecialiter attribui ejus paſſioni.

Reſp. neg. conſequentiam: quia pater cæleſtis voluit hanc quaſi ex pacto ſibi à Chriſto particulariter exhiberi in ſatisfactionem pro peccatis humani generis prout patet Iſaiæ 53. ubi dicitur *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longævum*; & Joan. 18. *calicem quem dedit mihi pater non vis ut bibam illum?*

QUÆSTIO III.

De effectu Sacramentorum, qui eſt character.

DUBIUM PRIMUM.

An aliqua Sacramenta imprimant characterem.

RESP. Affirmat. quod eſt de fide definitum in Conc. Lateranenſi ſub Innoc. III. Cap. majores de baptiſmo: item in Florent. in inſtructionibus Armenorum, & dein in Conc. Trid. ſeſſ. 7. Can. 9. ubi dicitur „ſi „quis dixerit in tribus ſacra-„mentis ſcilicet Baptiſmo Con-„firmatione & Ordine non im-„primi characterem in anima id „eſt ſignum ſpirituale & indele-„bile unde ea reiterari non poſ-„ſint: anathema ſit. *Quanā ſacramenta imponāt characterem.*

Probatur ad Epheſ. 1. ubi dicitur in quo & credentes ſignati eſtis loquitur autem Apoſtolus de ſignaculo ſpeciali quod imprimitur per baptiſmum. Item 2. ad Cor. 1. ubi loquens Apoſtolus de ſacramento confirmationis, ait unxit nos Deus & ſignavit nos

nos & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.

Probatur. ex S. Auguſtino qui clarius cæteris hanc veritatem docet lib. 6. de baptiſmo contra donatiſtas „ ovem quæ foris „ errabat & foris recipiebat do- „ minicum characterem, redeun- „ tem corrigimus, ſed chara- „ cterem non improbamus in ea „ dominicum, quem characte- „ rem multi lupi multis lupis in- „ figunt. Quo loco character clarè diſtinguitur à gratia quæ non infigitur lupis. Hinc Hæretici noſtri temporis, prout Calvinus & ejus ſectatores male characterem per ſacramenta imprimi negant, cujus primum inventorem mendaciter fingunt Innocentium III. cum tamen aſſerant aliqua ſacramenta non poſſe iterari: cujus non eſt alia ratio quam quod imprimant characterem.

Quid ſit character ſacramentalis.

Porro hic notandum quod character ex græca verſione ſignificet notam ſeu ſignum quo res aliqua tali ſigno notata diſtinguitur ab aliis & ita ſignum candenti ferro ovibus vel equis impreſſum dicitur character quo beſtiæ unius pagi diſtinguuntur à beſtiis alterius pagi.

Solet autem ejuſmodi ſignum ob tres cauſas imprimi. 1. Ad diſtinctionem unius rei ab alia. 2. Ut res habeatur in majori pretio, quo modo ſignatur pecunia. 3. Ut quis ad aliquod officium deputetur, & ita miles ſignatur balteo tamquam ſigno & Canonicus almutio.

Porro poteſt res aliqua duplici ſigno ſignari, nempe charactere vel ſpirituali vel corporali. Quia vero ſacramenta noſtra ordinantur ad duo nempe in remedium peccati & ad perficiendam animam in his quæ pertinent ad Dei cultum: eapropter ſicuti homines qui ad aliquod officium deputantur, ſigno aliquo externo conſignantur, ita quoque qui per ſacramenta ad officium aliquod ſpirituale deputantur, ſpirituali quoque charactere conſignantur.

Dices ſignum diſtinctivum quo filii Dei diſtinguuntur à filiis mundi fit per æternam prædeſtinationem juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 2. *firmum fundamentum ſtat habens ſignaculum horum novit Dominus qui ſunt ejus*; ergo character ſacramentalis eſt ſuperfluus.

Reſp. negando conſequentiam: & addo fideles dupliciter deputari, ſemel ad cæleſtem gloriam quod fit per æternam prædeſtinationem. 2. Semel ad actus convenientes præſenti eccleſiæ quod fit per characterem ſacramentalem.

Dices

Dices character eſt in genere ſigni, ſed ſignum humanum debet eſſe ſenſibile; ergo.

Reſp. characterem quoque habere rationem ſigni ſenſibilis, quatenus nimirum per ſenſibile ſacramentum imprimitur.

DUBIUM II.

Quid rei ſit character.

Quid character. NOtandum aliquos conſtituere characterem in genere cujuſdam moralis potentiæ reſultantis in anima ex divina deputatione qua redditur apta ad aliquid agendum vel ſuſcipiendum, eo modo quo quis ex ordinatione regiâ deputatur Marchio, Comes, aut Baro abſque ulla reali qualitate ſibi inhærente: ita quoque inquiunt Deum per quædam ſacramenta homines deputare ad cultum divinum, ad quam deputationem ſtatim in homine conſequitur quædam moralis poteſtas ad aliquid agendum vel ſuſcipiendum: & ita videtur ſenſiſſe Durandus dum dicit characterem eſſe ens rationis: quæ ſententia non venit omnimodè improbanda quaſi contraria conciliorum definitionibus quæ utuntur verbo, *imprimi*, eò quod verbum iſtud ſalvâ fide poſſit latius accipi pro impreſſione morali, ſive conceſſione moralis poteſtatis: quibus nec obſtat verbum, *indelebile*, quo utuntur Concilia, nam licet tantum eſſet ens morale, poſſet tamen character dici indelebilis poteſtate humanâ: & in hoc differt ab officio Marchionis, Comitis aut Baronis, quæ poteſtate humanâ poſſunt deleri.

Communior tamen ſententia & conformior Sacris Conciliis cui adhæremus, eſt, characterem eſſe qualitatem aliquam realem eò quod impreſſio, quâ voce utuntur Concilia, deſignet veram & realem actionem, cujus proinde terminus debet eſſe realis: ita quoque verbum *indelebile* propriè loquendo denotat aliquid reale. *Eſt qualitas realis.*

Petes, quid ergo ſit character.

Reſp. eſt qualitas quædam ſpiritualis animæ divinitus infuſa in ſuſceptione alicujus ſacramenti quod iterari non poteſt reddens ſuſcipientem idoneum ad alia ſacramenta ſuſcipienda vel adminiſtranda vel ad alia divini cultus opera.

Petes quænam ſit diſtinctio inter characterem & gratiam ſanctificantem.

Reſp. eſſe multiplicem: & quidem prima eſt quod licet gratia ſanctificans ex ſe ſit incorruptibilis nullum habens contrarium *Multipliciter differt à gratia ſacramentali.*

rium à quo phyſicè deſtruatur utpote qualitas ſpiritualis exiſtens in ſubjecto incorruptibili, tamen demeritoriè per quodlibet peccatum mortale deperditur, non ſic character qui eſt ſignum indelebile.

2. Gratia per ſacramentum non ſemper confertur, character verò ſemper; eo quod hic ad ſui infuſionem non aliam requirat diſpoſitionem in ſubjecto quam requirat ipſa ſacramenti ſubſtantia ſecus verò gratia ſacramentalis.

3. Homo per gratiam in ſacramento ſuſceptam non deputatur ſpecialiter ad Dei cultum, prout per characterem, per quem homo peculiariter Deo conſecratur & fit veluti quoddam Dei templum.

Petes an character ſit in omnibus hominibus æqualis.

Eſt in omnibus æqualis. Reſp. Affirm. & ita in omnibus baptizatis eſt æqualis, ſimiliter in omnibus confirmatis, in omnibus ordinatis, in omnibus presbyteris, in omnibus diaconis: ratio eſt, quia nihil eſt quod cogat aſſerere aliquam inæqualitatem, eò quod character non detur cum proportione ad majorem diſpoſitionem, prout datur gratia ſanctificans.

Petes quare character ſit ſignum indelebile.

Cur ſit indelebile. Reſp. quia in fieri & conſervari pendet à ſolo Deo, neque ullam phyſicam aut moralem diſpoſitionem quæ corrumpi poſſit requirit ad ſui conſervationem, neque habet ullum contrarium à quo poſſit formaliter expelli: ex quo ſequitur quod quamvis aliquis ſacerdos ab Epiſcopo prohibeatur celebrare aut baptizare: quin imo eſto ab eodem degradetur aut ſuſpendatur, validè tamen celebrabit & baptizabit.

Petes, an character maneat poſt hanc vitam.

Manet poſt hanc vitam. Reſp. quamvis id non ſit de fide, nam ſine ullo erroris periculo dicetur ille indelebilis in hac vita: verius tamen dicimus illum remanere poſt hanc vitam: quod à poſteriori probatur, quia ſi baptizatus moriatur & dein ad vitam revocetur, denuo non baptizatur: ſimiliter ſacerdos mortuus & revocatus ad vitam ſine novâ ordinatione pergit in celebrando; ergo ſignum eſt characterem in illis permanere. Nota tamen quod anima ejuſmodi ſacerdotis etſi habeat characterem, tamen ſe ſolâ non poſſet conſecrare, quia non eſt viator, neque poſſet vitales voces efformare quæ requiruntur ad conſecrationem: Titius tamen junctus matrimonio ſi ad vitam revocaretur poſſet

Digitized by Google

poſſet ducere aliam uxorem vivente prima, quia matrimonium morte diſſolvitur ut ait Apoſtolus ad Rom. 7. *Si dormierit vir ejus* &c.

Et quare. Petes ob quem finem character maneat poſt hanc vitam.

Reſp. ut appareat quinam peculiariter Chriſti ſigno fuerint inſigniti: particulariter autem remanebit in damnatis ad majorem ipſorum confuſionem, idque ut illo ſigno dignoſcantur aliquando Chriſti eccleſiam intraſſe aut tamquam duces & Paſtores in ea præfuiſſe, qui modo Dæmonibus tamquam Chriſti hoſtibus ſunt ſubjecti.

In ſagis non deletur character. Petes an character baptiſmalis, item confirmationis non deleatur particulariter in ſagis & magis dum abjurant fidem, baptiſma, confirmationem, imo & Chriſtum ipſum, à quibus proinde Dæmon in ſignum fidelitatis characterem baptiſmi & confirmationis in frontibus illorum dicitur expungere & quaſi extrahere; idque ut ſeſe nullatenus amplius Chriſto obſtrictos agnoſcant.

Reſp. nequaquam & hinc quæ de expunctione characteris & chriſmatis in ſagis & magis dicuntur, falſa ſunt & fabuloſa: & dum Dæmon id facit, ſolùm ſimulatoriè hoc facit, & ſeductoriè in ordine ad ejuſmodi expunctionem & extractionem, adhibitis quamplurimis nefandis ceremoniis quibus id ejuſmodi fœcis hominibus perſuadere conatur.

Petes, quomodò dictum eſt characterem manſurum in damnatis, quandoquidem ille ſit qualitas ſupernaturalis, quæ proinde viribus naturæ ab ipſis damnatis cognoſci non poteſt, nec ſit veroſimile Deum ſpecialiter elevaturum potentias damnatorum ad eliciendam ejuſmodi notitiam ſupernaturalem characteris.

Reſp. id eſſe maximè veroſimile, adeoque Deum hoc facturum ad majorem ignominiam & confuſionem damnatorum.

QUÆSTIO IV.

De neceſſitate Sacramentorum.

DUBIUM UNICUM.

An in omni ſtatu fuerint neceſſaria Sacramenta.

DICO 1. valde eſſe veroſimile in ſtatu innocentiæ nulla fuiſſe Sacramenta, nec illa fuiſſe inſtituenda, eſto ſtatus ille perduraſſet; quamquam tamen illa iſti ſtatui non repugnarent *An durante ſtatu integra natura fuerint ſacramenta.*

G utpote

utpote quæ ſervire poterant tamquam ſigna ad fidei profeſſionem, item ad coadunandos homines in eodem cultu externo; quod & inde colligitur quia in illo ſtatu fuiſſet ſacrificium tamquam jure naturæ Deo debitum.

Poſt peccatū Adæ inſtituta fuerunt ſacramēta quædam.

Dico 2. poſt peccatum Adæ ante Chriſti adventum debuerunt inſtitui aliqua ſacramenta; eò quod poſt illud peccatum nemo potuerit ſalvari niſi per fidem in Chriſtum; ac proinde debebant inſtitui quædam ſenſibilia ſigna quibus fidem in Meſſiam venturum homines proteſtarentur, cujuſmodi ſunt ſacramenta: adeoque tempore legis naturæ, nimirum ab Adamo peccante uſque ad Moyſen fuit aliquod ſacramentum tamquam remedium pro parvulis inſtitutum in aliquo ſigno externo proteſtativo fidei in Meſſiam venturum quod ipſis applicabatur: prout hoc ipſum aſſerit S. Aug. lib. 5. contra Julian. cap. 11. dum ait „ non eſt credendum & ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem illis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo ſacramento ejus opitulatos eſſe parvulis ſuis; quamvis quod illud eſſet, aliquâ neceſſariâ causâ S. Scriptura latere voluerit. „ Hoc ipſum quoque indicat Innocent. III. cap. majores. Ratio convenientiæ eſt quia cum peccatum originale derivetur actione corporeâ & ſenſibili, congruum quoque fuit ut remedium illius auferendi eſſet ſenſibile.

Porro quod in ſtatu legis Moyſaïcæ ſive ſcriptæ aliqua fuerint ſacramenta ut circumciſio, ſacrificium, agnus paſchalis &c. manifeſtum eſt de quibus paulo poſt latius agemus.

Petes, an in novâ lege ſacramenta fuerint abſolutè & ex natura rei neceſſaria ad ſalutem.

Reſp. neg. ſiquidem infinita Dei virtus non eſt alligata ſacramentis: unde potuiſſet alio medio nos ſalvare ſine ullis ſacramentis. Suppoſitâ tamen Chriſti inſtitutione aliqua ſacramenta ſunt in lege nova neceſſaria neceſſitate medii in re vel in voto ut baptiſmus & pœnitentia; aliqua neceſſitate præcepti ut Euchariſtia: aliqua verò ſunt neceſſaria non quidem ſingulis ſed toti Eccleſiæ, ut Ordo & matrimonium.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

De Sacramentis veteris Legis.

DUBIUM I.

An Sacramenta veteris legis contulerint gratiam ex opere operato.

Sacramenta veteris legis non cauſarũt gratiam ex opere operato.

CONCLUSIO certa eſt negativa ex Conc. Florent. decreto de Sacramentis, ubi tradit expreſſum diſcrimen inter ſacramenta legis veteris & novæ, quod illa gratiam non cauſaverint, ſed tantum ſignificaverint; noſtra vero illam cauſent & ſignificent.

Id ipſum probatur ex diverſis Scripturæ S. teſtimoniis in quibus ſacramenta veteris legis vocantur infirma & egena elementa, quo modo ea appellat Apoſtolus ad Gal. 4. dum ait *quo modo iterum convertimini ad infirma & egena elementa?* Et cap. 6. *neque circumciſio aliquid valet neque præputium*: Et ad Hebr. 7. *reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem.*

Dices ſacrificia veteris legis erant ſacramenta quæ habebant annexam promiſſionem remiſſionis peccatorum ut patet Levit. 4. & 5. ergo conferebant gratiam.

Sacrificia in veteri lege non valebant ad juſtificationẽ animæ ex opere operato.

Reſp. neg. conſequentiam: ſiquidem dicta Scripturæ loca intelligenda tantum ſunt de remiſſione peccati quo ad pœnas aut quo ad ſublationem immunditiarum legalium: ab immunditia verò mentis non habebant vim expiandi: quod inde patet quia non expiabant omnia peccata ſimul, ſed tantum aliqua, cum tamen unum peccatum mortale nequeat remitti ſine alio: & hinc quædam ſacrificia erant inſtituta ſingulariter ad expianda peccata ignorantiæ ceremoniarum legis aliqua pro perjurio, aliqua pro blaſphemia.

Confirmantur hæc ex Apoſtolo ad Hebr. 9. dum ait *ſanguis hircorum & taurorum inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis*: ac eapropter S. Auguſt. enarrat: in Pſal. 73. ,,alia, inquit, ſunt ,,ſacramenta dantia ſalutem, alia ,,promittentia Salvatorem; nova Sacramenta dant ſalutem, ,,vetera promittebant Salvatorem.,,

Petes an ſaltem juſti utentes ſacramentis veteris legis non conſequebantur gratiam ex opere operantis.

Juſtificabant autem ex opere operantis.

Reſp. Affirm. dummodo concurrerent omnia requiſita ad opus meritorium: & hinc Iſaiæ cap.

Digitized by Google

cap. 54. dicitur *illis qui cuſtodiunt præcepta mea, dabo locum nominatum in domo mea, nomen æternum dabo eis*: Prærerea cap. 64. ſic ait, *oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te*: proinde ſi illa opera erant meritoria vitæ æternæ conſequenter & erant meritoria gratiæ ſanctificaris.

Dices, ad Rom. 3. ait Apoſtolus *ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.* Ergo

Quatenus fiebant ex fide in mediatorem.

Reſp. locum Apoſtoli intelligendum eſſe de operibus legis præcisè prout procedebant à libero arbitrio ſine fide in Chriſtum: nam de eiſdem, quatenus procedebant ex fide & charitate dicitur cap. 2. factores legis juſtificabuntur; & qui fecerit ea vivet in illis: quo ſenſu quandoque dicunt SS. Patres eos qui in lege veteri erant juſti, pertinuiſſe ad novum teſtamentum, quatenus nimirum, vim merendi accipiebant à charitate quâ Chriſto conjungebantur.

DUBIUM II.

An circumciſio contulerit gratiam ex opere operato.

Circumciſio non fuit primario inſtituta ad remiſſionẽ peccati originalis.

DIco 1. Circumciſio non fuit primariò inſtituta ad tollendum peccatum originale, ſed tamquam nota quædam & ceremonia religioſa quâ Dei populus à cæteris gentibus diſtingueretur: ut patet ex cap. 17. ubi dum circumciſio inſtituitur, ſic dicitur *hoc eſt pactum meum quod obſervabitis inter me & vos, circumcidetur ex vobis omne maſculinum & circumcidetis carnem præputii veſtri ut ſit ſignum fœderis inter me & vos*: quibus verbis nulla fit mentio remiſſionis peccati.

Probatur 2. ex cap. 3. Epiſt. ad Rom. in quo quærit Apoſtolus *quid amplius Judæo ſit aut quæ utilitas circumciſionis*: & reſpondet, *multum quidem, per omnem modum quia credita ſunt illis eloquia Dei*: abſque eo quod ullam mentionem faciat peccati originalis; quod tamen debuiſſet dixiſſe ſi hæc fuiſſet primariò inſtituta ad remiſſionem peccati Originalis.

Confirmatur hoc ipſum ex toto contextu iſtius capitis in quo probat Apoſtolus Judæos non præſtare gentilibus quo ad internam juſtitiam, ſed ſolum quo ad externam legem: ſic enim habet *quid ergo præcellimus eos? nequaquam; cauſati enim ſumus Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe.*

Probatur ratione quia debebat circumciſio differri uſque ad octavum diem, ſi vero hæc fuiſſet inſtituta in remedium peccati originalis, non debuiſſet tamdiu differri: quia alioquin omnes

Digitized by Google

nes infantes mortui ante octavum diem caruiſſent remedio peccati originalis.

2. Quia hæc tantum fuit inſtituta pro poſteris Abrahæ & iis qui illis volebant aggregari.

3. Judæi in deſerto non fuerunt circumciſi per quadraginta annos ut habetur Joſue 5. illis autem quis credat remedium peccati originalis tamdiu fuiſſe denegatum: ideo autem tunc fuit neglecta, quia ceſſabat finis ipſius: cum enim eſſet nota diſtinctionis filiorum Iſraël ab aliis gentibus, eſſentque ibidem ſufficienter ab aliis ſeparati, non erat opus illâ notâ, ſed poſt elapſos illos quadraginta annos cum jam iterum deberent miſceri gentilibus, præcepit Deus ut rurſum circumciderentur ut patet Ioſue. 5.

4. Circumciſio eſt inſtituta pro ſolis viris: unde ſi eſſet inſtituta pro delendo peccato originali, debuiſſet quoque eſſe inſtituta pro fœminis, quippe quæ non debebant carere remedio peccati originalis.

In lege natura fuit aliquod remedium pro peccato originali.

Interim ſuppono tamquam ab omnibus communiter receptum tempore legis naturæ quę duravit ab Adami peccato uſque ad legem Moyſaïcam fuiſſe aliquod remedium pro liberandis parvulis à peccato originali, quod præſumendum eſt de miſericordia Dei: quod teſtatur S. Auguſt. lib. 5. contra Julian. cap 11. dum ait „nec ideo credendum eſt ante „datam circumciſionem famu„los Dei quandoquidem in eis „erat mediatoris fides in carne „venturi, nullo ſacramento ejus „opitulatos fuiſſe parvulis ſuis: „quamvis quid illud eſſet ali„quâ neceſſariâ causâ ſcriptura „latere voluerit:„ Ex quo loco patet in lege naturæ quoque fuiſſe aliqua ſacramenta, ut ſacerdotium Melchiſedech, & ejus ſacrificium quod ſignificabat & promittebat Chriſtum venturum.

Porro, an circumciſionem poſſimus numerare inter ſacramenta legis naturæ: nam Abraham, Iſaac, & Jacob adhuc fuerunt ſub lege naturæ, adeoque an circumciſio ab Abrahamo incipiens pro illo tempore fuerit ſignum ex Dei inſtitutione præſcriptum ad delendum peccatum originale in parvulis jam ſupra ſufficienter refutavimus.

Dices Gen. 17. dicitur *maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit delebitur anima ejus de populo ſuo quia pactum meum irritum fecit*; quibus verbis inſinuatur quod infans non circumciſus æternaliter damnabitur eò quod caruerit circumciſione qua deletur pecca-

tum

tum originale : quod inde adhuc magis patet quia Exod. 4. colligitur filium Moyſis damnandum fuiſſe niſi fuiſſet circumciſus: nam ibidem dicitur; *cumque eſſet in diverſorio, occurrit ei Dominus, & & volebat occidere eum: tulit illico itaque zephora acutiſſimam petram & circumcidit præputium filii ſui, & tetigit pedes ejus, & ait, ſponſus ſanguinum tu mihi es.*

Reſp. ad primum locum Scripturæ, & dico illum dirigi ad ſolos maſculos adultos, qui ob neglectam circumciſionem plectendi erant morte temporali: quod inde patet quia cum ſupra dixiſſet *infans octo dierum circumcidetur in vobis*, nullam ibidem pœnam appoſuit: quod attinet ad ſecundum locum Scripturæ, dico hoc inde minimè colligi, ſed ſolum Moyſen ipſum occidendum fuiſſe ſi filium ſuum neglexiſſet circumcidere.

Circumciſio non contulit gratiam ex opere operato.

Dico 2. Circumciſio non contulit gratiam ex opere operato, adeoque & ex illo capite patet illam non ſuſtuliſſe peccatum originale.

Probatur ex Concil. Florent. ſupra citato, diſtinguente ſacramenta novæ legis à ſacramentis veteris legis quod illa cauſarent gratiam, hæc verò ſolum gratiam per Chriſti paſſionem dandam ſignificarent.

Dices hanc diſtinctionem hic non eſſe ad rem, eo quod circumciſio non fuerit ſacramentum veteris legis, ſed ante illam inſtituta, ut patet Joann. 7. ubi dicitur, *Moyſes dedit vobis circumciſionem, non quia ex Moyſe ſed ex patribus.*

Reſp. quod & patet ex antedictis illam datam eſſe ante legem Moyſaïcam; attamen poſtmodum aſſumptam tamquam fundamentum legis Moyſaïcæ; quin imo ut januam ad omnia ſacramenta legis Moyſaïcæ: hinc Apoſtolus ad Gal. ait *teſtificor omni homini circumcidenti ſe quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.*

Petes an ſaltem circumciſio non fuerit neceſſaria in antiqua lege.

Circumciſio erat præcepta adultis.

Reſp. Affirm. & quidem neceſſitate præcepti reſpectu adultorum: ut patet Gen. 17. parvulis verò neque fuit neceſſaria neceſſitate præcepti, quippe illius incapacibus, neque neceſſitate medii; eò quod illâ prætermiſsâ adhuc poterant ſalvari ante octavum diem cum ſolo remedio legis naturæ; quo & poterant ſalvari fœminæ.

Petes, an ſaltem parvulis in circumciſione non fuerit remiſſum peccatum originale.

Reſp. Affirm. attamen non vi cir-

Parvulis in circũciſione delebatur peccatũ originale, & qua ratione.

circumciſionis ſeu externæ illius ceremoniæ abſciſſionis præputii, quaſi illa ex ſua inſtitutione vim illam haberet, ſed ſolum quatenus erat ſignum proteſtativum fidei in Chriſtum venturum.

Petes, an adulti applicantes parvulo circumciſionem tamquam ſignum fidei proteſtativum, fuerint illis promeriti gratiam & remiſſionem peccati originalis.

Reſp. negativè: ſiquidem, ut dictum eſt de Merito, nulla pura creatura poteſt illam alteri mereri de condigno; ſed circumciſio illa tamquam ſignum proteſtativum fidei habebat ſe per modum conditionis, qua poſitâ, ex divina ordinatione applicabatur infantulo paſſio Chriſti.

Petes, an quando adulti circumcidebantur fuerit eis collata gratia.

Reſp. Affirm. ſaltem ex opere operantis ſi erant in ſtatu gratiæ & habebant omnia requiſita ad merendum.

Petes per quid adulti conſequebantur remiſſionem peccati originalis.

Adulti in veteri lege ex opere operantis juſtificabantur.

Reſp. per actus contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia: ſiquidem illi poterant juſtificari per proprios actus, quo modo non poterant parvuli qui juſtificabantur per ſignum aliquod externum ipſis applicatum proteſtativum fidei in Meſſiam venturum; quamquam non ex opere operato.

Dices, non datur medium inter modum juſtificationis ex opere operato, & ex opere operantis; ſed parvuli non juſtificabantur ex opere operantis, ergo ex opere operato.

Parvuli ex privilegio.

Reſp. hæc duo opus operantis & opus operatum non eſſe immediatè oppoſita, adeoque inter illa dari medium, ſcilicet modus conferendi gratiam ex privilegio ſpeciali, prout quoque confert martyrium: præterea juſtificari ex opere operato plus importat quam non juſtificari ex opere operantis: ſiquidem includit virtualem influxum & efficaciam operis externi in ipſam juſtificationem, qualem non habebat circumciſio aut quodlibet aliud ſignum externum proteſtativum fidei in Meſſiam ventorum, nequidem in ratione cauſæ moralis: quandoquidem circumciſio ad hoc non fuerit inſtituta aut aliquod ſignum externum ad hoc peculiariter determinatum.

Petes quare circumciſio facta ſit in parte corporis verecunda.

R. ad oſtendendum Chriſtum naſciturum ex ſemine Abrahæ per

Digitized by Google

per quem carnalis concupiſcentia diminueretur.

Petes quo inſtrumento facta fuerit circumciſio.

Reſp. regulariter cultro ferreo; extraordinariè verò alio inſtrumento ut cultro lapideo prout patet Exod. 4. Porro quo loco hæc deberet fieri nuſquam de eo exſtat præceptum: & ideo circumciſio Joannis Baptiſtæ facta fuit domi, Chriſti vero in Bethlehem.

Petes quodnam fuerit remedium contra peccatum originale pro fœminis.

Reſp. remedium legis naturæ videlicet ſignum aliquod externum proteſtativum fidei ſaltem implicitę in Meſſiam venturum exterius ipſis applicatum.

QUÆSTIO VI.

De cauſa & numero Sacramentorum novæ legis.

DUBIUM I.

Quæ ſit cauſa efficiens Sacramentorum novæ legis.

ANTE egimus de cauſa materiali & formali, item finali Sacramentorum; adeoque hic potiſſimum tractabimus de cauſa ipſorum efficiente, quæ eſt triplex, una ſcilicet principalis authoritativa. 2. Principalis per poteſtatem excellentiæ. 3. Miniſterialis.

Principalis authoritativa eſt ſolus Deus, quia nimirum ille ſolus ſua auctoritate poteſt ſacramentis dare vim & efficaciam conferendi gratiam, eo quod per gratiam auferatur injuria Deo facta, quæ non poteſt proinde principaliter remitti niſi à Deo ſolo: nam cum creaturæ ſint Deo ſubditæ, non poſſunt illæ propria virtute remittere injuriam Deo illatam, eo quod inferior nequeat virtute propria remittere injuriam ſuperiori illatam. 2. Quia effectus gratiæ eſt ſubjectum ſuum efficere filium Dei adoptivum & hæredem regni cæleſtis, quod nulla creatura poteſt facere independenter à Dei voluntate: ac conſequenter ſi quid gratiæ hæc conferat, hanc confert ex Dei conceſſione.

Petes, an Deus poteſtatem inſtituendi ſacramenta poſſet conferre alicui Angelo vel homini.

An Angelus poſſit inſtituere ſacramēta.

Reſp. loquendo de primaria authoritativa, negativè: quia illa à parte rei non eſt aliud quam ipſamet divina eſſentia quę perſonæ creatæ communicari non poteſt: ſecus dicendum de poteſtate delegata.

Dico

Digitized by Google

Dico 2. Chriſtus ſecundum humanitatem ſuam eſt cauſa efficiens ſacramentorum novæ legis per poteſtatem excellentiæ, ſic dictæ quia illi competit ob excellentiam quam habet per unionem hypoſtaticam, juxta illud Matth. 28. data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: Præterea ſicut Chriſtus eâdem poteſtate potuit remittere peccata & conferre gratiam ſine ſacramentis, ita quoque potuit ſacramenta inſtituere.

Solus Chriſtus eſt inſtitutor ſacramentorũ novæ legis.

Petes quid à parte rei fuerit illa poteſtas in Chriſto inſtituendi ſacramentum.

Reſp. fuit poteſtas determinandi certas aliquas ceremonias quæ haberent vim ſanctificandi ex opere operato per merita Chriſti.

Petes, an Chriſtus hanc poteſtatem inſtituendi ſacramenta potuerit Eccleſiæ & Apoſtolis communicare,

Reſp. Affirm. nam hoc nullam involuit implicantiam: hanc tamen nunquam reipsâ communicavit ut patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. ubi tamquam de fide definitur omnia ſacramenta fuiſſe à Chriſto Domino inſtituta.

Porro quod de ſacramentorum inſtitutione dictum eſt, etiam intelligi debet de partibus eorum eſſentialibus ſcilicet materia & forma, ac illorum miniſtro: horum enim Eccleſia nihil poteſt inſtituere vel mutare.

Petes quare ſingulorum ſacramentorum materiam & formam non habemus expreſſam in S. Scriptura.

Reſp. ne ſanctum daretur canibus, id eſt ne ſecreta religionis noſtræ litteris mandata venirent in manus & notitiam infidelium à quibus haberentur contemptui prout docet S. Dionyſius cap. 1. Eccleſ. Hierarchiæ.

DUBIUM II.

Quænam ſit cauſa miniſterialis efficiens Sacramentorum.

Reſp. & dico 1. de potentia Dei ordinaria miniſter ſacramentorum eſt ſolus homo: quod patet ex inſtitutione ſingulorum ſacramentorum: nam Matth. 28. ubi tractatur de ſacramento baptiſmi, ſolis hominibus dicitur, *euntes docete omnes gentes baptizantes eos* &c. item Lucæ 22. ubi agitur de inſtitutione SS. Euchariſtiæ ſacramenti ſolis hominibus dicitur *hoc facite in meam commemorationem*: rurſus Joann. 20. ubi agitur de Sacramento pœnitentiæ ſolis hominibus dicitur *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*: & ita de cæteris.

Solus homo eſt miniſter Sacramentorũ.

Digitized by Google

Ex quibus liquet non Angelis ſed hominibus commiſſum eſſe illud miniſterium ſacramentorum juxta illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

Poteſt Angelus bonus ex Dei diſpenſatione cõferre ſacramentum.

Dices, non implicat Angelum poſſe baptizare, quia poteſt aſſumere corpus & eo mediante præſtare omnia quæ ad baptiſmum requiruntur, videlicet abluere infantem, proferre verba cum debitâ intentione: & huc ſpectat illud Nicephori lib. 2. cap. 20. de S. Amphilochio qui ab Angelo fuit conſecratus Epiſcopus, & eam conſecrationem ratam habuerunt alii Epiſcopi: præterea in vitis Sanctorum frequenter legitur Euchariſtiam ab Angelis illis fuiſſe miniſtratam ſignanter in vita S. Bonaventuræ.

Reſp. ſolum hominem ſecundum legem Dei ordinariam eſſe miniſtrum ſacramentorum: angelos tamen ſecundum legem Dei extraordinariam ex ſpeciali aliquo privilegio poſſe eſſe miniſtros ſacramentorum non abnuimus, quia Deus potentiam ſuam preciſè non alligavit homini: tum quia ſicut Deus effectum ſacramentorum poteſt producere ſine ſacramentis, ita & poteſt conſtituere Angelos ſacramentorum miniſtros.

Petes, an ergo illud ſacramentum ſemper cenſendum eſſet validè collatum quod conſtaret ab aliquo beato vel Angelo bono eſſe collatum.

Reſp. Affirm. præſumendum enim eſſet hanc poteſtatem eis à Deo eſſe collatam cum peccare non poſſint neque obſtat quod Angelus propriè non poſſit loqui, eò quod locutio ſit actio vitalis, nam ſufficit in tali caſu ut Angelus proferat formas ſimiles humanis.

Petes ſi ſacramentum aliquod adminiſtraretur à Diabolo an illud eſſet habendum validum.

Reſp, neg. quia non eſt credibile Deum unquam daturum poteſtatem Dæmoni conferendi vera ſacramenta cum ille non intendat niſi hominis perditionem.

An anima ſeparata Sacerdotis pòſſit cõferre Sacramentum.

Dico 2. anima ſacerdotis ſeparata à corpore non poteſt conficere Sacramenta quia non eſt homo, nec ſenſibilis: quod ſi tamen illa revertatur ad corpus, illudque informet tum vel redit ad corpus mortale & eſt in ſtatu viatoris, & tunc poterit conficere ſacramenta: quod ſi verò revertatur ad corpus glorioſum, tunc eſt in ſtatu gloriæ, & tunc ſecundum legem Dei ordinariam non poteſt conficere

ficere ſacramenta, quia Chriſtus non inſtituit niſi homines hic nobiſcum viventes miniſtros ſacramentorum: cum enim illa ſint ſigna quædam ſenſibilia relicta à Chriſto eccleſiæ ſenſibili quibus homines ad ſalutem poſſent pro moveri, conveniebat ordinarium eorum miniſtrum eſſe ſenſibilem.

DUBIUM III.

Quot ſint Sacramenta.

De fide eſt eſſe ſeptem eccleſiæ ſacramenta prout definivit Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. de ſacram. his verbis „ ſi quis dixerit non omnia novæ legis ſacramenta eſſe à Domino noſtro „ Jeſu Chriſto inſtituta, aut eſſe „ plura aut pauciora quam ſeptem „ videlicet baptiſmum, confirmationem, Euchariſtiam, pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium anathema ſit. Ratio hujus ſeptenarii numeri eſt voluntas Chriſti, quæ partim ex ſcriptura, partim ex eccleſiaſtica traditione, partim ex perpetuo fidelium uſu nobis innoteſcit.

Sunt 7. nova legis ſacramenta.

Dices SS Patres agentes de ſacramentis duorum aut trium tantum ſacramentorum meminerunt.

Reſp. hanc eſſe antiquam cantilenam noſtrorum hæreticorum qui ſomniant duo tantum eſſe ſacramenta, nempe baptiſmum & cœnam ut Lutherani volunt, quibus Calvinus tertium adjungit ſcilicet ordinationem miniſtrorum: probant autem hunc binarium numerum ex Epiſt. 118. S. Auguſtini; ſed falsò, ut patet textum legenti, cujus verba ſunt hæc „ primùm te tenere „ volo quod eſt hujus diſputationis caput, Dominum noſtrum „ Jeſum Chriſtum ſicut ipſe in Euangelio dicit levi jugo ſuo nos „ ſubdidiſſe & ſarcinæ levi: unde „ ſacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, „ ſignificatione præſtantiſſimis, „ ſocietatem novi populi colligavit ſicut eſt baptiſmus in „ nomine trinitatis conſecratus, „ & communicatio corporis & „ ſanguinis ipſius, & ſi quid „ aliud in Canonicis ſcripturis „ commendatur. Quam poſtremam particulam hæretici omittunt quotieſcumque hunc S. Auguſtini locum citant: Ex qua apertè colligitur eſſe plura ſacramenta quam duo: quod autem ibidem citet baptiſmum & Euchariſtiam, hoc facit Exempli cauſa. Idem colligere licet ex libro ejus de Doctr. Chriſt.

Petes, an hæc omnia ſacramenta ſint ad ſalutem omninò neceſſaria ex Chriſti inſtitutione.

Digitized by Google

Nō omnia ſunt abſolute neceſſaria ad ſalutem.

Reſp. neg. quia non omnia ordinantur à Chriſto ad affectus immediatè neceſſarios: interim duo ſunt neceſſaria reſpectu ſingulorum, ſcilicet baptiſmus in re vel in voto reſpectu omnium, pœnitentia vero reſpectu relapſorum: & rurſum duo ſunt neceſſaria reſpectu totius corporis Eccleſiæ, ſcilicet Ordo & matrimonium.

QUÆSTIO VII.

De ſuſcipientibus Sacramenta.

DUBIUM I.

Quiſnam ſit capax Sacramentorum ſuſcipiendorum?

Solus homo eſt capax ſuſcipiēdi ſacramentum.

DICO 1. ſolus homo eſt capax ſuſcipiendi alicujus Sacramenti: ratio eſt quia Sacramenta ſunt à Chriſto inſtituta ad ſalutem ſolius hominis, & in remedium vel præſervativum, vel ſanativum peccatorum: & ideo hæc ſunt inſtituta in ſignis ſenſibilibus, utpote homini ſenſibili adaptata: & quia homo ſolùm in hac vita eget remedio contra peccata, idcirco ſolum in hac vita eſt capax ſacramentorum.

Dices animal irrationale ut mus, felis, aut canis, poſſunt comedere Euchariſtiam; ergo ſunt illius capaces.

Reſp. negando conſequentiam, neque enim hujuſmodi beſtiæ accipiunt tunc ſacramentum ſacramentaliter, hoc eſt cum intentione ſuſcipiendi ſacramentum; neque ſpiritualiter, hoc eſt cum fide, & amore, ſed purè tantum materialiter ſecundum ſpecies ſacramentales ſub quibus Chriſtus latet.

Petes, an poſito quod beſtia Euchariſtiam comederet, an ibi ſtatim deſineret eſſe corpus Chriſti.

Reſp. neg. ſed traduceretur in corpus beſtiæ qui non horruit Virginis uterum, maneretque ibidem uſque ad corruptionem ſpecierum abſque ullo tamen dignitatis ſuæ diſpendio.

Petes an omnes homines ſint omnium ſacramentorum capaces.

Reſp. negativè: nam fœminæ non ſint capaces Ordinis, nec infantes Extremæ unctionis aut pœnitentiæ, nec impotentes aut amentes matrimonii.

Petes, quænam diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente ut valide ſacramentum aliquod ſuſcipiat.

Reſp. & dico 1. in homine adulto rationis capace ante omnia requiri

quiri intentionem ſuſcipiendi ſacramentum ut validè illud ſuſcipiat: cujus ratio potiſſimum petitur à Chriſti inſtitutione quę per traditionem Eccleſiæ & communem Theologorum conſenſum nobis innoteſcit: ſicut enim in miniſtro requiritur intentio ſacramenta conficiendi, ita in ſuſcipiente, intentio ſacramenta ſuſcipiendi: quæ, ſi ſit actualis, erit optima, attamen non neceſſaria; ſufficit enim virtualis; quin imo & interpretativa, quâ cenſemur quippiam velle per modum objecti; & ita ſi quis quandoque baptiſmum aut aliud ſacramentum petierit explicitè vel implicitè, poſtmodum ſenſibus etiam deſtitutus, illud validè ſuſcipiet; ut patet ex Conc. Carthag. III. cap. 13. & Arauſic. Cap. XI.

Ad validè ſuſcipiendũ Sacramentum non requiritur intentio actualis.

Imo ſufficit quãdoque intentio interpretativa.

Hinc infer validè adminiſtrari ſacramentum Extremæ unctionis alicui ægroto ſenſibus deſtituto ſi catholicè vixerit; ſiquidem catholicè vivendo cenſetur implicitè petere ſacramenta, quæ conferri conſueverunt exiſtentibus in articulo mortis: idem dicendum de illis qui actum contritionis elicuerunt de peccatis ſuis, cum enim ejuſmodi actus in ſe contineat implicitè propoſitum ſervandi omnia divina mandata, cenſetur is eo ipſo implicitè petere ea ſacramenta quorum ſuſceptio præcipitur in articulo mortis.

Petes, quænam vocetur habitualis intentio.

Quid intentio habitualis.

Reſp. illa quæ cum ſemel fuerit habita, numquam fuit retractata: v. g. ſi quis intenderit baptizari, dein labatur in phreneſim, validè in ea baptizatur quia nimirum adeſt voluntas illa habitualis: Implicita verò voluntas vocatur illa quæ involvitur in alia.

Petes an habitualis intentio ſufficiat ad ſuſceptionem cujuſcumque ſacramenti.

An ſufficiat illa intentio habitualis ad quodcũque ſacramentum?

Reſp. neg. non enim ſufficit pro ſacramento pœnitentiæ. Et hinc collige differentiam cur deliro infirmo adminiſtrari poſſit ſacramentum extremæ unctionis, itém Euchariſtiæ ſi ſine irreverentia illud poſſit ſuſcipere, non vero pœnitentiæ ſi videlicet adeo evidens & diuturnum ſit delirium ut certum ſit eum ne quidem virtualem contritionem habere neque etiam vel virtualem intentionem confitendi.

Petes an hujuſmodi habitualis intentio ad minus ſit neceſſaria in adulto ad ſuſceptionem validam ſacramentorum.

Reſp. Affirm. quod patet ex antedictis: hinc collige invalidè ſuſcipi quodcumque ſacramen-

Digitized by Google

tum ab aliquo adulto, qui illud nunquam petiit; & multò magis ab illo qui illud recipit modo plane violento, reluctanti & invito; ſecus ſi ex metu gravi, quia quod ex metu fit adhuc voluntariè fit.

Dices poteſt quis omnimodè invitus & reluctans ordinari in presbiterum, prout Paulinus frater S. Hieronymi à S. Epiphanio ordinatus eſt, item Macedonianus anachoreta teſte Theodoreto, ergo

An poſſit aliquis invitus validè ſuſcipere aliquod ſacramentum.

Reſp. diſtinguendo antecedens, & dico poſſe aliquem eſſe dupliciter invitum. Primò quidem prout eſt is qui ex metu gravi vel reverentiali ad aliquid cogitur. Secundò poteſt quis eſſe invitus omnimode; prout eſt is qui violentè cogitur thurificare idolo: invitus priori modo validè ordinatur: ſecus verò invitus poſteriori modo: ratio prioris eſt quia, ut adhuc diximus quod ex metu fit adhuc voluntariè fit: ratio vero poſterioris eſt quia violentum excludit omne voluntarium tam abſolutum quam ſecundum quid; ſuſceptio autem ſacramenti in adulto debet aliquo uſque eſſe actio humana adeoque voluntaria: hinc Innoc. III. cap. *majores* de baptiſmo poſtquam recenſuiſſet opinionem aliquorum qui dicunt quod ſacramenta quæ per ſe ſortiuntur effectum, ut ſunt baptiſmus &. Ordo, non ſolum dormientibus & amentibus, ſed & invitis & contradicentibus validè poſſint conferri: reſpondet utrobique eodem modo, & ait quod inter invitum & invitum, coactum & coactum oporteat diſtinguere, adeoque qui terroribus & ſuppliciis attrahitur ad Sacramentum Baptiſmi aut Ordinis validè baptizatur aut ordinatur: ille verò qui numquam conſenſit ſed ſemper contradixit, nec rem nec characterem ſuſcipit ſacramenti. Eapropter ad exempla a Theodoreto allata. Reſpondeo ejuſmodi fuiſſe invitos ſolummodo primo modo; qualiter omnes ſancti fuerunt inviti in ordine ad ſuſceptionem presbyteratus aut Epiſcopatus: & inter cæteros S Auguſtinus: nam ut ait S. Gregor. lib. 7. Epiſtolarum, Epiſt. 110. „ ſicut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris altaribus „ eſt admovendus, ſic qui ultrò „ ambit vel importunè ſe ingerit, „ eſt repellendus: „ unde dicimus ejuſmodi ſanctos ſecundo modo invitos non fuiſſe ordinatos, aut ſi ſic, certè invalidè juxta illud Innocentii III. quod „ ille qui „ nunquam conſenſit ſed ſemper „ contradixit, nec rem nec chara„ cterem ſuſcipit ſacramenti. „

Petes,

Qui ſumeret hoſtiam neſciens illam eſſe conſecratam, an ſuſciperet ſacramentum.

Petes, quid ſi quis comederet ſacram hoſtiam ignorans illam eſſe conſecratam, an ſuſciperet ſacramentum.

Reſp. juxta ſupra dicta quod reciperet illam quidem materialiter ſicut beſtiæ irrationales; nullatenus tamen ſacramentaliter & cum fructu.

Parvuli ſumentes Euchariſtiam, ſacramentaliter accipiunt.

Dices in primitiva Eccleſia dabatur Euchariſtia parvulis pueris ergo & illi ſuſcipiebant illam tantùm materialiter adinſtar mutis aut felis aut adulti ignorantis.

Reſp. negando conſequentiam; quia parvuli ſunt ſubjecta capacia Euchariſtiæ, nec in illis prærequiritur ulla intentio ut valida ſit illius ſacramenti ſuſceptio; prout requiritur in adultis, quippe cum illi intentionem nequeant elicere: eapropter ſumunt illam ſacramentaliter & ſpiritualiter.

Parvuli quot ſacramentorum ſint capaces.

Petes quot ſacramentorum infantes ſint capaces, item & amentes qui numquam uſi ſunt ratione, ut nempe valide illa ſuſcipiant.

Reſp. Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, & Euchariſtiæ: incapaces verò ſunt pœnitentiæ, Extremæ unctionis, & matrimonii. Eò quod hæc tria ultima prærequirant voluntatem ſuſcipientium: ſic enim pœnitentia requirit actum pœnitentis; matrimonium vero conſenſum contrahentium.

Petes qualis ſit diſtinctio inter intentionem requiſitam ad ſacramenta ſuſcipienda, & intentionem requiſitam ad illa conficienda.

An intentio quæ ſufficit ad ſuſceptionem ſacramenti etiam ſufficiat ad ejuſdem confectionẽ.

Reſp. quod intentio requiſita ad illa conficienda neceſſariò debeat eſſe actualis vel virtualis: intentio vero ad illa ſuſcipienda ſæpe ſufficiat habitualis. Quorum ulterior ratio eſt, quod miniſter conficiens ſacramentum per intentionem ſuam quaſi effectivè concurrat ad confectionem ſacramenti; adeoque debet hæc actualiter vel virtualiter exiſtere ut per ſe vel per aliquid ſui influat in effectum: ſuſcipiens verò ſacramentum ſeſe habet merè paſſivè: unde in ipſo ea ſolùm requiritur intentio quâ ſacramenti ſuſceptio cenſetur volita; ad quod ſufficit intentio actualis præterita non retractata ſed habitualiter permanens.

Petes an in adultis præter antedictam intentionem nulla alia prærequiratur diſpoſitio ad validam ſacramenti ſuſceptionem.

Reſp. negativè, excepta tamen pœnitentiâ ut ante diximus quæ ad ſui eſſentiam inſuper requirit contritionem: & certè ſi alia ad valorem ſacramenti require-

quireretur, eſſet fides, quæ tamen non requiritur ad valorem baptiſmi in adulto: & hinc hæreticus rite baptizatus, non eſt denuò rebaptizandus.

Graviùs peccat ſuſcipiens quã adminiſtrãs ſacramẽtum in peccato mortali.

Petes, quis graviùs peccet an adminiſtrans an ſuſcipiens aliquod Sacramentum in peccato mortali.

Reſp. quod ſuſcipiens, eò quod ipſe quantum in ſe eſt, reddat inanem ſignificationem ſacramenti, & tollat ipſius efficaciam, quod non facit miniſter conficiens ſacramentum: dummodò enim ſuſcipiens ſit debitè diſpoſitus ſacramentum illi confert gratiam ex opere operato, eſto miniſter, ſit malus & perverſus: uterque tamen in eo convenit quod indignè tractet rem ſacram, adeoque committat ſacrilegium.

An præter intentionem, ſint neceſſaria alia diſpoſitiones in ſuſcipiente ſacramentum.

Petes, quid præter intentionem requiratur ut quis ſuſcipiat ſacramentum cum effectu ſuo principali qui eſt gratia ſanctificans.

Reſp. 1. ut non ponat obicem poſitivum accedendo ad ſacramentum in peccato mortali 2. ut non ponat obicem, negativum hoc eſt ut non careat diſpoſitione requiſitâ ad conſequendum fructum ipſius ſacramenti: quæ autem & qualis ad ſingula ſacramenta requiratur, commodiùs dicemus ubi tractabimus de ſingulis ſacramentis in particulari: loquendo tamen in communi, fides in quolibet adulto eſt neceſſaria ad conſequendum fructum ſacramenti ſiquidem ſine illa impoſſibile eſt placere Deo.

Petes, an ultra fidem requiratur ſtatus gratiæ pro conſequendo fructu ſacramentorum.

Reſp. cum diſtinctione; ut enim quis ſuſcipiat ſacramenta mortuorum, qualia ſunt baptiſmus & pœnitentia, non prærequiritur ſtatus gratiæ, eo quod illa per ſe ſint inſtituta ad conferendam primam gratiam; attamen in ejuſmodi ſuſcipiente duplex alia prærequiritur diſpoſitio, una ſcilicet ex parte intellectus, quæ eſt fides, ut ante diximus; altera ex parte voluntatis, ſcilicet contritio, quæ requiritur in adulto baptizando.

Porro ut quis ſuſcipiat ſacramenta vivorum prærequiritur ſtatus gratiæ; alioquin enim ponet obicem primario effectui ipſius ſacramenti.

Digitized by Google

DUBIUM II.

An peccatum veniale impediat effectum Sacramenti ſuſcipiendi.

An peccatum veniale impediat effectum ſacramenti.

DIco peccata venialia dupliciter poſſunt accipi : uno modo quatenus ſunt præterita ; ſecundo modo quatenus actualiter exercentur in ſuſceptione alicujus ſacramenti : priori modo nullo modo impediunt effectum ullius ſacramenti : & eapropter poteſt contingere quod quis poſt multa venialia admiſſa deſuper concepto dolore ferventer & devotè accedat ad aliquod ſacramentum.

Dico 2. duobus modis poteſt contingere quod quis venialiter peccet in ſuſceptione alicujus ſacramenti : & primò quidem ſic ut peccatum veniale ſit finis ultimus ipſius ſuſceptionis, ut dum quis communicat purè ut appareat aliis devotus : ſecundo modo ſic ut peccatum veniale tantum concomitanter ſe habeat ad ipſam ſuſceptionem ſacramenti ; ut dum quis ſuſcipit ſacramentum ex pio & bono fine, concomitetur tamen illam ſuſceptionem aliqua levis diſtractio aut vana gloria. Priori modo quiſpiam aliquod ſacramentum ſuſcipiens peccat mortaliter quia gravis eſt inordinatio aſſumere medium tam ſanctum ad finem malum dum ille eſt finis principalis imò totalis.

Veniale peccatū diminuendo fervorē diſpoſitionis, minuit effectum Sacramenti.

Dico 3. dum peccatum veniale actualiter committitur in ſuſceptione alicujus ſacramenti, ſed tantùm concomitanter ſe habet, attamen adhuc placens ; tunc non ſolum impedit remiſſionem ipſius peccati venialis, ſed & tollit aliquem ſecundarium fructum ſacramenti, ſcilicet uberius auxilium actuale, ut puta ferventiorem devotionem tibi forſitan concedendam ſi immunis à peccato veniali ſacramentum ſuſcepiſſes ; addo quoque aliquouſque diminui fructum ſacramenti primarium juxta ipſius diſpoſitionis imminutionem : nam ſicuti peccatum veniale fervorem charitatis imminuit, ſic & imminuit fervorem diſpoſitionis ad ſacramentum ſuſcipiendum.

Quin imo quod ad ſacramentum Euchariſtiæ attinet, ait Cajetanus 3. parte quæſt. 79. art. 1. & cum eo antiquiores Theologi, nominatim Silveſter verbo *Euchariſtia* unam voluntariam diſtractionem in ſumptione SS. Euchariſtiæ admiſſam, eo ipſo quo tollit actualem devotionem, tollere quoque actuale augmentum gratiæ habitualis : eò quod actualis devotio ad effectum

fectum illius ſacramenti ſit neceſſaria quod eſt ſpeciale in hoc ſacramento eò quod illud ſumatur per modum cibi & potus: ſicuti enim ut cibus corporalis nutriat aut alat corpus prærequiritur actio aliqua vitalis ipſius hominis nutriti quâ cibus ille maſticetur & deglutiatur, ita quoque ut proſit hic cibus ſpiritualis prærequiritur vitalis actio ſpiritualis ipſius ſuſcipientis quæ eſt actualis devotio.

Hoc ipſum à poſteriori quo ad hoc ſacramentum probatur experientiâ, qua plurimi ſacerdotes quotidie celebrant & communicant, & quidem, ut præſumitur in ſtatu gratiæ, in quibus tamen non percipiuntur ulli actus præcellentis & fervidæ charitatis; qui tamen perciperentur ſi habitus charitatis in illis quotidiè augeretur per ſumptionem Euchariſtiæ, nam charitas magna operatur ubi eſt, inquit S. Gregor. aut charitas non eſt, ergo ſignum eſt ejuſmodi ſacerdotes charitatis augmentum per continuam celebrationem non recipere propter peccata venialia, quibus diſtrahuntur in actuali ſuſceptione ſacramenti: & hinc in omnibus operibus pietatis manent ſemper æquè languidi frigidi ac tepidi.

Probatur hoc ipſum ex cap. 1. quotidie de conſecrat. diſt. 2. ubi ex authore libri de Eccl. dogmatibus apud Aug. cap. 53. dicitur, „quotidie Euchariſtiæ perceptionem accipere, nec laudo „nec vitupero; omnibus tamen „Dominicis diebus communicandum hortor, ſi tamen mens „cum affectu peccati non ſit: „nam ſi adhuc habet voluntatem peccandi, gravari magis „dico Euchariſtiæ perceptione „quam pacificari ...... hoc de „illo dico quem mortalia peccata „non gravant.

An qui cum diſtractione voluntaria percipit Euchariſtiam, accipiat ejus effectum.

Dices, ex dictis ſequitur quod quicumque cum voluntaria diſtractione actuali percipit Euchariſtiam peccet mortaliter. Probatur conſequentia, quia quicumque ponit obicem primario effectui ſacramenti peccat mortaliter; ſed qui accedit ad ſacramentum cum actuali diſtractione ponit obicem primario effectui ipſius ſacramenti. Ergo

Reſp. negando ſubſumptum, eſto enim talis actualiter non percipiat gratiæ ſanctificantis augmentum, percipit tamen illud, ait Cajetanus, habitualiter, quatenus per hanc ſumptionem accipit jus ad percipiendum augmentum charitatis pro eo tempore quo ad hoc erit diſpoſitus: hinc S. Thom. 3. parte quæſt. 79. art. 9. ait quod ille qui cum actu

Digitized by Google

actu venialis peccati ad Euchariſtiæ ſacramentum accedit, habitualiter quidem illud manducat, ſed non actualiter: quia ſcilicet inde actualiter non nutritur; eò quod augmentum gratiæ non percipiat actu, ſed tantum jus aliquod ad percipiendum dum melius erit diſpoſitus.

DUBIUM III.

An fictio impediat effectum Sacramentorum.

Quid fictio.

PRænotandum, aliquem dici fictum qui exteriùs alium ſe ſimulat quam ſit interiùs, adeoque oſtendit ſeſe exteriùs aliquid velle quod tamen non vult interiùs: Eapropter dupliciter in materia ſacramentorum contingit fictio, una nempe circa ſubſtantiam ipſius ſacramenti, prout contingit dum quis exteriùs ſuſcipit ſacramentum ſine intentione ſuſcipendi: altera vero dum quis exteriùs apparet diſpoſitus ad ſuſcipiendum ſacramenti effectum cum tamen ſit indiſpoſitus.

Dupliciter poteſt quis fictè accedere ad ſacramentum.

Quid obex -

Hinc ſacramentum aliquod fictè ſuſcipere non, eſt aliud quam illud ſuſcipere cum obice: obex autem ille vel eſt circa ſacramenti ſubſtantiam, prout diximus eſſe defectum intentionis vel alterius eſſentialiter requiſiti: vel eſt circa ſacramenti effectum; qui ſubdividitur in poſitivum & negativum, prior conſiſtit in peccato mortali aut in actuali diſpoſitione repugnante infuſioni gratiæ ſanctificantis; prout contingit dum quis in ſuſceptione alicujus ſacramenti peccat mortaliter. Porro obex negativus conſiſtit in carentia debitæ diſpoſitionis requiſitæ ad effectum ſacramenti: prout contingit dum quis accedit ad ſacramentum Euchariſtiæ invincibiliter ignorans ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis. His præmiſſis.

Eſt duplex.

1. Ad dubium in titulo propoſitum Reſpondeo affirm. quia ut ſacramenta in adultis cauſent gratiam, prærequiruntur in illis certæ quædam diſpoſitiones, ut patet ex Conc. Trid. quibus ſi careant, accedunt indiſpoſiti; adeoque fictè ſacramenta ſuſcipiunt ponentes obicem ipſorum effectui, & graviſſimum peccatum ſacrilegii per dictam fictionem committentes.

Qui accedunt fictè ad Sacramenta graviter peccant.

2. Sacramenta cauſant effectus ſuos adinſtar cauſarum naturalium, quæ ſicuti in paſſo requirunt aliquas diſpoſitiones ad hoc ut in illud agant, & illæ non ſolùm impediuntur ab actione ſua per contrarias diſpoſitiones in ſubjecto, verum etiam per carentiam debitæ diſpoſitionis, ita

 quoque

quoque contingit in ſacramentis.

Petes an fictè ſive cum obice ſacramenta ſuſcipiens ſemper peccet mortaliter.

An talis ſemper peccet mortaliter.

Reſp. Affirm. niſi per ignorantiam invincibilem excuſetur: ratio eſt quia talis quantum in ſe eſt reddit falſam & inanem ſignificationem ipſius ſacramenti, & conſequenter ipſius cauſalitatem; adeoque grave ſacrilegium committit.

Petes, an ſuſcipiens ſacramentum in ſtatu peccati mortalis ſemper illud fictè ſuſcipiat.

Reſp. Affirm. ſi ſit ſacramentum vivorum; ſecus verò ſi ſit ſacramentum mortuorum, eò quod hoc ſit inſtitutum ad conferendam primam gratiam, dummodo tamen ad illud accedat cum requiſita contritione.

Petes, an peccet mortaliter qui ponit obicem ſecundario effectui ſacramentorum.

Nõ ſemper peccat mortaliter qui ponit obicem effectui ſecundario tantum.

Reſp. neg. ſecluſo contemptu, eò quod per ejuſmodi obicem non reddatur falſa ſacramenti ſignificatio, quippe cum non obſtante peccato veniali ſacramentum adhuc cauſet primarium ſuum effectum, qui eſt gratia ſanctificans.

Petes, per quid tollatur obex ſive fictio.

Per quid tollatur obex?

Reſp. ſi ſit tantum negativus conſiſtens nimirum in carentia debitæ diſpoſitionis tollitur per poſitionem debitæ diſpoſitionis: & ita ſi quis peccator accedat ad baptiſmum bonâ fide putans ſe habere contritionem quam non habet, tollitur hic obex per ſubſequentem contritionem: quod ſi verò fictio ſit poſitiva conſiſtens in peccato mortali admiſſo, hæc non tollitur niſi per pœnitentiam in re vel in voto.

Petes, an ſacramenta fictè aut cum obice ſuſcepta poſtmodum reviviſcant ſublato obice.

An Sacramenta cum obice ſuſcepta reviviſcãt illo ſublato?

Reſp. & dico 1. ſacramenta ſuſcepta cum obice ſubſtantiali numquam reviviſcunt: ratio eſt, quia quod numquam fuit nequit reviviſcere, ſed ſacramentum iſtud numquam fuit, ergo &c. juxta illud *quod ab initio non ſubſiſtit, tractu temporis non convaleſcit.* Quod ſi verò ſacramentum ſit ſuſceptum cum obice accidentali, illo ſublato quandoque reviviſcit quandoque non, ut patebit ex dicendis.

Porro quod ſacramentum baptiſmi reviviſcat probatur ex S. Aug. lib. 1. de baptiſmo. cap. 12. his verbis ,, fateantur verò baptiſmo Chriſti baptizari poſſe ,, hominem, & tamen cor ejus ,, in malitia vel ſacrilegio perſeverans, peccatorum abolitionem non ſinere fieri; atque ita ,, intelligant in cõmunionibus ab

Eccle-

An Sacramenta cum obice ſuſcepta reviviſcant illo ſublato?

„ Eccleſia ſeparatis poſſe homines baptizari, ubi Chriſti baptiſmus eâdem ſacramenti celebratione datur & ſumitur: qui tamen tunc proſit ad remiſſionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati, ſacrilegio diſſenſionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, & dimitti non ſinebantur. Sicut enim in illo qui fictus acceſſerat, fit ut non denuo baptizetur, ſed ipſa pia correctione & veraci confeſſione purgetur. Quod non poſſet ſine baptiſmo, ut quod ante datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, ſic etiam qui baptiſma Chriſti in hæreſi aut ſchiſmate accepit, cum ſe correxerit jam prodeſſe incipiet ſacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat. „

Baptiſmus recedente fictione operatur ſuum effectum.

Eapropter poſt auctoritatem tam præclari Eccleſiæ Doctoris docent communiter Theologi quod recedente fictione baptiſmus fictè ſuſceptus conferat gratiam ſanctificantem proút & remiſſionem peccati originalis, aliaque dona ſupernaturalia quæ ſolent illam comitari. Et innixi eidem auctoritati idem docent de Confirmatione & ordine, eò quod hæc ſacramenta non ſint iterabilia, & imprimant characterem, adeoque deceat Dei bonitatem & miſericordiam qui ſacramenta inſtituit ad ſublevandas hominum neceſſitates ut hæc ſacramenta fictè ſuſcepta recedente fictione ſuum producant effectum, ne alioqui illa ſic fictè ſuſcipientes perpetuâ gratiâ carere deberent: ob quam rationem idem cenſent dicendum de Extrema unctione & Matrimonio, eò quod illa in eadem infirmitate iterari non poſſit, prout nec hoc ſuperſtite conjuge iterari poteſt, & licet quidem hæc doctrina ſit ſatis probabilis non tamen eſt certa ex quo patet quanta ſollicitudine ſe debeat quis præparare ad dignè ſuſcipiendum ſacramentum ordinis, confirmationis, Matrimonii &c. ne fortè in perpetuum privetur gratiâ ſacramentali ſibi tam neceſſaria pro functionibus ſacramento correſpondentibus rite exercendis. Quod verò attinet ad Sacramentum Pœnitentiæ, cum non detur tale informe, conſequenter illud numquam reviviſcit: denique quod attinet ad Sacramentum Euchariſtiæ ſi illud ſuſcipiatur cum obice poſitivo, eo ſublato numquam reviviſcit, alioqui enim ſequeretur quod ſi quis toto vitæ ſuæ tempore ſingulis diebus indignè communicaſſet, ſi tandem in ultima communione

quam accipit pro viatico ritè contritus & confeſſus fuiſſet, ſequeretur inquam quod talis peccator ingentes gratiæ theſauros hâc unicâ communione conſequeretur : quod eſt abſurdum. Quod ſi verò quis illud ſuſcipiat cum obice negativo, ut puta bona fide exiſtimet ſe eſſe in ſtatu gratiæ cum ſit in peccato mortali, reviviſcet iſtud ſacramentum obice ſublato.

Petes an ſublato obice ſeu recedente fictione ſacramentum conferat totum ſuum effectum quem contuliſſet ſi fictio non interveniſſet.

An ſublato obice conferatur totus effectus, qui datus eſſet ſi obex non fuiſſet poſitus.

Reſp. Affirm. ſaltem quo ad effectum extenſivum: ſic enim baptiſmus reviviſcens confert gratiam ſanctificantem, remiſſionem peccati originalis, item peccatorum actualium tam mortalium quam venialium ante baptiſmum commiſſorum, omnemque pœnam illis correſpondentem.

Dixi quo ad effectum extenſivum, quia non confertur tota perfectio intenſiva gratiæ quæ ante collata fuiſſet cum debitâ diſpoſitione, ſed ſolum minima, qualis datur infantibus qui nullam diſpoſitionem adferunt, ſed ſolum carent obice. quò fit ut omnes adulti qui modicam tantum diſpoſitionem adferunt v. g. ad baptiſmum plus gratiæ conſequantur quam infantes prout colligitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap 7. Porro quod ejuſmodi ſacramentum reviviſcens minimam ſolùm conferat gratiam, qualis datur infantibus, inde probatur, quia contritio quâ tollitur obex aut fictio non habet ſe tamquam diſpoſitio ad ſacramentum reviviſcens, ſed tamquam removens prohibens, ideoque ſicut in infantibus.

QUÆSTIO VIII.

De Miniſtro Sacramentorum.

DUBIUM I.

An Sacramenta per malos miniſtros validè poſſint conferri.

Diverſi errores circa qualitatem miniſtri ſacramentorum.

CIRCA hanc materiam diverſi fuerunt errores, quorum primus fuit quod Sacramenta quæ conferuntur ab hæreticis & ſchiſmaticis non ſint valida, quem S. Auguſt. lib. 2. de Bapt. cap. 7. adſcribit Agrippino Epiſcopo Carthaginenſi prædeceſſori mediato Cypriani qui & illum in eodem errore eſt ſecutus quippe qui in Concilio Africano habito tempore S. Stephani Papæ ſancivit

civit baptiſmum ab hæreticis aut ſchiſmaticis collatum eſſe nullum & invalidum ut narrat Euſeb. lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 2. & 3. qui tamen propterea non fuit hæreticus, quia res hæc tunc necdum fuerat ſufficienter tamquam de fide propoſita, aut definitum ejuſmodi ſententiam eſſe erroneam in fide.

Hunc eundem errorem poſtea docuerunt Donatiſtæ idque valde pertinaciter ut patet ex S. Auguſt. libris de Bapt. contra illos qui eapropter fuerunt hæretici quia illum errorem tenuerunt contra definitionem univerſalis Eccleſiæ.

Secundus error in hac materia fuit Albigenſium teſte S. Antonino, qui & dixerunt non eſſe valida illa ſacramenta quæ conferuntur à miniſtris exiſtentibus in peccato mortali, ſive illi ſint Catholici ſive hæretici: eodem errore fuit infectus Joannes Wicleffus ut patet ex Conc. Conſtant. ſeſſ. 8. in quo ejus error refertur, & eſt hic „ ſi Epiſcopus vel ſacerdos eſt in peccato mortali non ordinat, non confert ſacramenta, non conſecrat, non baptizat.

Miniſtri indignitas non obeſt ſacramento.

Contra hos omnes errores Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 12. ſic definivit & ſtatuit, „ ſi quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem (modo omnia eſſentialia quæ ad ſacramentum conficiendum pertinent, ſervaverit) non conficere aut non conferre ſacramentum, anathema ſit.

Probatur hoc ipſum ratione quia miniſter in ſacramento eſt tantum inſtrumentum applicans illud quod ſanctificat; ergo non requiritur ut in ſe ſanctitatem habeat: eo modo quo medicus ægrotus & infirmus, adeoque carens ſanitate applicando medicamentum efficax, ęgrotum ſanat: ac eapropter ſicuti parum refert ad conſequendum fructum ſeminis in terram jacti, ſive illud lotis ſive ſordidis manibus in terram ſit projectum, dummodo ſit efficaciter fertile: eodem modo ut ſacramentum conferat fructum ex opere operato non refert ſive à bono ſive à malo miniſtro applicetur.

Poteſtas cōficiendi ſacramenta eſt gratia gratis data.

2. Poteſtas conficiendi ſacramenta non eſt gratia gratum faciens, ſed gratis data; quæ proinde, ſicut & cæteræ gratiæ gratis datæ, inter quas eſt donum linguarum, item prophetia, conſiſtere poteſt cum peccato mortali.

3. Pertinet ad ſuavem Dei providentiam ſic inſtituere ſacramenta ut quoad valorem non pendêrent à probitate miniſtri ne alioqui fideles eſſent in continuo

tinuo angore & dubio ſuper validitate ſuſcepti ſacramenti, ſi fortaſſe miniſter fuiſſet improbus. Ac eapropter ſicuti Deus non aufert poteſtatem juriſdictionis propter ſuperioris malitiam (vult enim nos quoque ſubditos eſſe Dominis non tantùm malis ſed & diſcolis) ita nec propter improbitatem illius aufert ab eo poteſtatem ordinis.

Petes, an hæc tantùm ſint vera de ſacramenti valore, quod ſcilicet non pendeat à bonitate miniſtri an verò quoque de ſacramenti effectu.

Reſp. de utroque quia ut habet Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 6. ſacramenta ſemper conferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem: ſed uti probavimus ſacramenta à malo miniſtro collata ſunt valida, ergo & illa conferent gratiam non ponentibus obicem.

Dices nemo poteſt dare quod non habet, ſed malus miniſter non habet gratiam, ergo illam non poteſt dare.

Quo ſenſu miniſter malus det gratiam quam non habet?

Reſp. diſtinguendo minorem: & dico quod eſto miniſter malus non habeat gratiam formaliter, habet tamen illam miniſterialiter & cauſaliter, quod ſufficit: eſto enim non habeat Spiritum S. ſibi inhabitantem, habet tamen illum in miniſterio ſuó ſibi aſſiſtentem.

Dices, arbor mala non poteſt bonos fructus facere, ergo nec malus miniſter bonos fructus ſacramenti proferre.

Efficacia Sacramenti eſt à Chriſto.

Reſp. neg. conſequentiam: neque enim ſicut fructus arboris procedit ab arbore, ſic fructus ſacramenti procedit à miniſtro, ſed ſic procedit à Chriſto: miniſter verò ut ſupra diximus eſt tantùm inſtrumentum applicans ſacramentum.

Hoc modo quoque explicari poterit Scriptura Eccli. 24. dum ait *ab immundo quis mundabitur*; ſiquidem miniſter ſacramenti immundus & malus non mundat propriâ virtute ſed in virtute Chriſti applicat ſacramentum quod cauſat munditiem.

Dices oratio peccatoris non placet Deo; ergo nec ſacramentum peccatoris.

Reſp. neg. conſequentiam, quia oratio ſolùm habet vim ex opere operantis quæ nulla eſt in peccatore; ſacramentum verò habet vim ex opere operato, nec tam eſt opus miniſtri quàm ipſius Chriſti.

Dices ſacerdos in adminiſtratione alicujus ſacramenti fungitur perſona ipſius Eccleſiæ: ac eapropter in ſacrificio miſſæ dicit in plurali *offerimus tibi Domine.*

quia

quia nimirum nomine totius eccleſiæ offert ſacrificium; ergo ſaltem per ejuſmodi malum ſacerdotem non poterunt conferri ſacramenta, dum eſt hæreticus; cum enim ipſe non ſit in Eccleſia, non poterit gerere perſonam ipſius Eccleſiæ.

Reſp. ejuſmodi miniſtrum non poſſe quidem licitè, poſſe tamen validè adminiſtrare ſacramenta: & hoc ideo quia Chriſtus tam bene operatur per membra abſciſſa, quam per membra conjuncta: & inſuper quia in miniſtro ad valorem ſacramentorum ſufficit generalis intentio faciendi quod Chriſtus inſtituit, qualem poteſt habere miniſter hæreticus.

Quo ſenſu aliqui Patres dicant Sacramenta ab hæreticis data non prodeſſe.

Dices, multi Patres & Pontifices docent non eſſe validum ſacramentum collatum à malo miniſtro vel hæretico etiam poſt tempora S. Cypriani: ſic enim S. Ambroſius lib. de iis qui myſteriis initiantur cap. 4. ait „ non „ ſanat baptiſmus perfidorum: „ ſimiliter Pelagius Papa ait non „ eſſe corpus Domini quod „ Schiſmaticus conficit: prout habetur cauſa 24. quæſt. 1. cap. *Schiſma.*

Reſp. ſi qui Patres aut Pontifices adhuc poſtmodum viſi fuerint docere malos miniſtros non conficere ſacramenta, intelligendi ſunt de iis qui non utebantur legitimâ materiâ aut formâ: quo modo loquitur S. Hieron. lib. contra Luciferianos in fine, ubi ait, „ Synodus Nicena omnes „ hæreticos ſuſcepit exceptis „ Pauli Samoſateni diſcipulis „, inſinuans Synodum approbaſſe baptiſmum omnium hæreticorum, præterquam Paulianiſtarum, eò quod non uterentur legitimâ formâ.

DUBIUM II.

An peccet malus miniſter adminiſtrando Sacramentum.

Duplex miniſter Sacramentorum.

ADverte duplicem eſſe ſacramentorum miniſtrum; unum nempe ex officio ad id ſpecialiter conſecratum; alium verò ad hoc minimè conſecratum aut deputatum. prioris generis miniſter eſt ſacerdos reſpectu baptiſmi a ſe ſolemniter collati: poſterioris generis miniſter eſt laicus reſpectu baptiſmi in neceſſitate collati. His ſuppoſitis.

Miniſter ex officio peccat mortaliter miniſtrando ſacram. in peccato mortali.

Dico 1. miniſter ex officio & ſpecialiter ad hoc conſecratus per ſe loquendo peccat mortaliter, idque toties quoties adminiſtrat aliquod ſacramentum in ſtatu peccati mortalis.

Probatur 1. argumento à minori ad majus, quia in veteri lege ad adminiſtranda inania illa ſacra-

Digitized by Google

menta requirebatur ſanctitas quædam legalis : hinc Lev. 22. ſtrictiſſimè inhibetur illa adminiſtrari cum aliqua immunditia legali hiſce verbis *omnis qui acceſſerit ad ea quæ conſecrata ſunt in quo eſt immunditia peribit coram Domino* : & Exod. 19. dicitur *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum ſanctificentur* ; ergo multò magis in nova lege ad conficienda ſacramenta vera & ſpiritualia requiritur ſanctitas vera atque perfecta hinc S. Aug. pſal. 103. ait „ videant quam rationem ſunt reddituri coram „ Deo qui ſanctis non ſanctè „ utuntur : & rurſum lib. 1. contra Epiſt. Parmeniani cap. 1. ſic „ ait omnia ſacramenta cum obſint indignè tractantibus, pro„ ſunt tamen per eos dignè ſu„ mentibus.

Petes undenam in miniſtro ex officio & ſpecialiter ad hoc conſecrato reſultet obligatio conficiendi ſacramentum in ſtatu gratiæ, an ex præcepto poſitivo humano, an ex divinò an ex naturali.

Quia peccat contra jus humanum, divinũ, & naturale.

Reſp. ex omnibus ; & quidem quod ex poſitivo humano, patet quia Greg. IX. in cap. ultimum de temp. Ordinat. dicit „ monendos eſſe ſacerdotes ini„ quos, & ſub interminatione „ divini judicii obteſtandos, ſi „ non pœnituerint ut in ſuſce„ ptis ordinibus non miniſtrent. Quod ex jure poſitivo divino obligentur, patet ex Scripturis ſupra relatis : Quod autem ex lege naturali, probatur, quia ſuppoſitâ ſacramentorum inſtitutione dictat ratio illuſtrata lumine fidei ſancta ſanctè eſſe tractanda.

Petes in quo hæc obligatio juris naturæ præciſè fundetur an in ſola ſanctitate ſacramenti tamquam cauſa totali.

Reſp. neg. quia alioqui ſequeretur miniſtrum non conſecratum in confectione alicujus ſacramenti quoque peccare mortaliter, quod tamen non eſt verum, ut infra videbimus.

Dices ſanctitas ipſius ſacramenti eſt cauſa totalis quod ſuſcipiens ſacramentum peccet mortaliter ; ergo & hæc erit cauſa totalis cur adminiſtrans ſacramentum peccet mortaliter.

Reſp. neg. antecedens, idcirco enim ille peccat mortaliter quia ponit obicem effectui principali ipſius ſacramenti, quod cedit in graviſſimam pſius ſacramenti injuriam : quod non facit miniſter ut talis, ſed tantùm concurrit ut inſtrumentum nihil in ſe recipiendo.

Petes an conſecratio miniſtri ſit fundamentum totale iſtiùs obligationis naturalis ſancta ſanctè tractandi.

Reſp.

Digitized by Google

In quo fundetur obligatio illius juris?

Reſp. neg. nam inde ſequeretur quod is qui per ſacramentum confirmationis eſt conſecratus ad fidem coram Tyranno profitendam peccaret mortaliter profeſſionem illam exercendo in peccato mortali: inſuper ſequeretur quod conjuges exercentes actum conjugalem in ſtatu peccati mortalis peccarent mortaliter, eò quod per ſacramentum acceperint gratiam ad hunc actum ſanctè exercendem.

Eapropter dico hanc obligationem non adminiſtrandi ſacramentum in ſtatu peccati mortalis ſed in ſtatu gratiæ non oriri ex aliquo capite ſeparatim ſumpto, ſed ex omnibus ſimul: ita ut conſecratio & gratia ſuſcepta ſit cauſa ex parte ſubjecti, ſanctitas verò ſacramenti ſit cauſa ex parte objecti: eapropter ex ipſa ſacramenti ſanctitate ſimul ſumpta cum miniſtri conſecratione, & gratia accepta, ſequitur ex natura rei obligatio hæc ſacramenta ſanctè tractandi: hinc qui in peccato mortali aliquod ſacramentum adminiſtrat committit graviſſimum peccatum ſacrilegii contra religionem.

An qui in peccato mortali miniſtrat Sacramentū, duo peccata diſtincta committat.

Petes an miniſter conficiens ſacramentum in peccato mortali non committat duplex peccatum unum ſcilicet comiſſionis contra præceptum negativum quod eſt peccatum ſacrilegii alterum verò omiſſionis contra præceptum affirmativum quatenus non conteritur de peccato ſuo mortali in quo eſt, ad quod videtur obligari ex præcepto affirmativo.

Reſp. negativè, ſed tantum committit unum peccatum commiſſionis quod eſt ſacrilegium, idque contra præceptum negativum: quia præceptum affirmativum ex quo tenetur conteri, tunc non obligat per ſe, ſed tantùm per accidens, neque enim illa obligatio conterendi tunc oritur ex virtute pœnitentiæ, ſed religionis quæ obligat ad ſancta debitè adminiſtranda.

Sacerdos celebrans in peccato mortali duplex peccatum committit.

Petes, an ergo Sacerdos celebrans miſſam in peccato mortali unum tantum admittat peccatum.

Reſp. neg. ſed duplex, quippe qui non tantum in ſtatu mortalis peccati ſacramentum conficit, ſed & in eodem ſtatu ſacramentum ſuſcipit: eapropter talis ſacerdos non rectè confitebitur ſe communicaſſe in peccato mortali, ſed & addere debebit ſe conſecraſſe in mortali.

Petes quomodo peccet qui in ſtatu peccati mortalis adminiſtrat ſacramentum baptiſmi.

Reſp. conformiter antedictis. Si ſit miniſter ad hoc conſecratus, qualis eſt ſacerdos, peccat mor-

taliter, ſive privatim, ſive ſolemniter baptizet; quia ad ejuſmodi munus accepit conſecrationem & gratiam, quâ obligatur tale miniſterium in ſtatu gratię perficere: ſi verò ſit laïcus ſive vir ſive fœmina baptizans in neceſſitate & exiſtens in peccato mortali, non peccabit mortaliter, quia ad id non accepit conſecrationem aut gratiam quâ obligetur ejuſmodi ſacramentum in ſtatu gratiæ conficere: pari modo contrahentes matrimonium in ſtatu peccati mortalis non peccant mortaliter quatenus ſunt miniſtri, quia ad hoc non ſunt conſecrati: qui tamen peccant mortaliter quatenus in eo ſtatu ſuſcipiunt ſacramẽtum matrimonii, eo quòd illi ponant obicem, cum ſit ſacramentum vivorum: porro ſacerdos aſſiſtens matrimonio in peccato mortali eatenus non peccat mortaliter eò quod non ſit miniſter ipſius matrimonii ſed ſolùm adhibeat benedictionem tamquam ceremoniam accidentalem.

Laicus in neceſſitate baptiſans in peccato mortali exiſtens non peccat mortaliter.

Sacerdos in peccato mortali aſſiſtẽs matrimonio non peccat mortaliter.

Petes an ſacerdos in peccato mortali diſtribuens communionem peccet mortaliter, & quidem toties quot ſunt perſonæ quibus illud diſtribuit.

Reſp. ad utrumque Affirm. quia ſacerdos hoc facit ſolemniter & ex officio eſtque materia gravis, utpote proximè ordinata ad gratiam recipientis: & certè ſi ſacerdos adminiſtrando alia ſacramenta in peccato mortali peccet mortaliter multò magis peccabit ſic adminiſtrando Euchariſtiam utpote ſacramentum perfectiſſimum: idem dic de confeſſario audiente ſucceſſivè in peccato mortali plurium confeſſiones: idem inſuper dic de Epiſcopo in peccato mortali plures ordinante aut confirmante ſcilicet quod toties peccet mortaliter, quot ordinat aut confirmat perſonas: ratio eſt quia hic interveniunt plures actus inter ſe moraliter diſtincti & interrupti, & conſequenter totidem peccata: quod inde patet, quia quilibet actus verſatur circa definitum terminum in quo completur actio; quod, dum fit, tunc multiplicatâ actione multiplicantur quoque peccata: ut patet in eo qui ſucceſſivè committit plures fornicationes inceſtus aut adulteria; ſecus de percuſſione alicujus hominis ſucceſſivè facta ſine interruptione, eò quod plures illi actus tunc computentur quaſi unus moraliter: prout & idem dicendum de illo qui in mortali conſecrat plures hoſtias aut uni & eidem ſimul uno & eodem actu tradit duas hoſtias conſecratas.

Peccat tamen ſic, diſtribuens Euchariſtiam.

Item audiens confeſſiones in ſtatu peccati mortalis.

Et quidem toties peccat quot ſunt perſonæ quibus Samentum miniſtrat.

Petes an Diaconus in mortali cantans Evang. peccet mortaliter.

Reſp.

Digitized by Google

An diaconus in ſtatu peccati mortalis cantans Evangeliũ peccet mortaliter.

Reſp. ex dictis per ſe loquendo affirm. quia ad hoc eſt conſecratus, & ad illud annuntiandum peculiarem accepit gratiam & inſuper materia eſt gravis quod ultimum patet quia miniſterium illud proximè accedit ad miniſterium Euchariſtiæ & idcirco Apoſtolus 1. ad Tim. 3. agens de Diaconis ait, *miniſtrent nullum crimen habentes* & iterum eodem capite ait *habentes miniſterium fidei in conſcientia pura*. Ex quo patet miniſterium Diaconorum eſſe grave & magni momenti unde nec mirandum ſi illi ſit annexa gravis obligatio illud obeundi in ſtatu gratiæ: & eapropter in ſacris hiſtoriis ſignanter in prato ſpirituali cap. 150. Item in vita S. Epiphanii apud Surium. xij. Maii item in vita S. Chryſoſtomi apud Surium 27. Januarii habemus quomodo Diaconus quidam fuerit lepra percuſſus, eò quod in peccato mortali miniſtraverit; & alibi quod impeditus fuerit viſibilis deſcenſus Spiritus ſancti ſuper tremendo miſſæ ſacrificio, eò quod illi adſtaret Diaconus in peccato mortali.

Et an idem de Subdiacono.

Conformiter dictis dic de Subdiacono canente Epiſtolam in peccato mortali quòd peccet mortaliter, eò quod actio illa ſit gravis ad quam rite exercendam accepit peculiarem gratiam & eſt inſuper ad eandem conſecratus.

Petes an exercens actus minorum ordinum in mortali peccet mortaliter.

Reſp. neg. partim quia non conſtat certò illa eſſe ſacramenta partim quia communi judicio non cenſetur materia gravis utpote valde remotè attingens ſacrificium miſſæ.

Sacerdos in peccato mortali faciens ſacramentalia, an peccet mortaliter.

Petes an ſacerdos in ſtatu peccati mortalis benedicens aquam luſtralem, item in tali ſtatu benedicens populum, item in Eccleſia ſupplens ſolemnitates baptiſmi in domo privata privatim collati, item an Epiſcopus conferens primam tonſuram, item benedicens veſtes ſacras, vaſa ſacra aut alia ejuſmodi ſacramenta peccent mortaliter exercendo hæc in ſtatu peccati mortalis.

An ſacerdos exiſtens in peccato mortali teneatur præmittere confeſſionẽ, ut Sacramentum conferat licitè.

Reſp. neg. eò quod ejuſmodi actiones ex ſe non ſint ita ſacræ aut operativæ ſanctitatis ut cenſeatur illis fieri gravis injuria ſi exerceantur in ſtatu peccati mortalis.

Petes an miniſter exiſtens in mortali teneatur præmittere confeſſionem ſacramentalem ut licitè poſſet aliquod ſacramentum adminiſtrare.

Reſp. id quidem eſſe optimum & tutiſſimum, adeoque maximè conſultum; non tamen mini-

 ſtrum

Digitized by Google

ſtrum ad hoc obligari quia nullum deſuper exſtat præceptum ſive divinum ſive eccleſiaſticum ſive naturale.

Dices ex natura rei obligatur miniſter ſancta ſanctè tractare, ergo ad hoc obligabitur ex præcepto naturali.

Reſp. hinc bene ſequi miniſtrum obligari adhibere moralem diligentiam ad ſe collocandum in ſtatu gratiæ dum vult aliquod ſacramentum adminiſtrare, non tamen talem quæ per ſe fieri debeat per confeſſionem, cùm reſurgere poſſit à mortali ſeque collocare in ſtatu gratiæ per contritionem. Quod confirmatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 17. cap. 7. ubi dum ad Euchariſtiæ perceptionem prærequirit neceſſitate præcepti confeſſionem tacitè inſinuat eam non requiri ad alia ſacramenta adminiſtranda vel ſuſcipienda, ad quæ tamen nullatenus ſufficit attritio. Notandum tamen quod licet per ſe loquendo hęc ſic ſe habeant, tamen quia difficulter quis poteſt ſatis ſecurus eſſe de ſua contritione maximè quod pervenerit ad gradum qui Juſtificat ſine ſacramento hinc in praxi dum quis habet copiam confeſſoris dictæ doctrinæ ſe conformare non oportet.

Petes, an quandoque per accidens nequeat miniſter conſecratus excuſari à mortali adminiſtrans ſacramentum in peccato mortali.

Reſp. Affirm. & 1. quidem ſi bonâ fide exiſtimet ſe elicuiſſe contritionem, cum tamen tantum elicuerit attritionem 2. ſi inculpatè ignoret ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, quia utroque caſu excuſatur per ignorantiam invincibilem.

DUBIUM III.

An quandoque ſit licitum petere Sacramenta à miniſtro ea adminiſtraturo in ſtatu peccati mortali?

PRænotandum quod ex duplici capite miniſter poſſit eſſe malus & indignus 1. quia eſt excommunicatus aut aliâ cenſura innodatus 2. quia etſi liber à cenſura, eſt tamen in ſtatu peccati mortalis His præmiſſis. *Non eſt licitum ſine juſta cauſa accipere ſacramentum à malo miniſtro.*

Dico 1. Secluſa neceſſitate aut juſta & rationabili cauſa non eſt licitum petere ſacramentum ab aliquo iſtorum eſto quoque eſſent parati ad miniſtrandum; quin imo licet quoque eſſent ipſi Parochi: ratio eſt, quia lege Charitatis tenetur quilibet vitare peccatum proximi quantum commodè poteſt, & illum non ſcandalizare, & multò magis obligatur illi non cooperari in actione peca-

peccaminoſa quod faceret petendo ſacramentum ab ejuſmodi malo miniſtro.

Liceret tamen ex juſta cauſa. Dico 2. exiſtente neceſſitate, aut juſta & rationabili cauſa, qualis eſt ad impletio præcepti Eccleſiaſtici aut divini, licitum eſt petere & recipere ſacramenta ab ejuſmodi miniſtris: ratio eſt quia ſicuti in notabili neceſſitate corporali licitum eſt nobis petere mutuum ab uſurario, quem ſcimus non mutuaturum niſi ſub uſura, ita quoque in neceſſitate ſpirituali licitum erit nobis petere ſacramentum ab ejuſmodi miniſtris: quorum ulterior ratio eſt quia neceſſitas & rationabilis cauſa faciunt quod prudenti judicio cenſeamur nos ad ejuſmodi peccatum miniſtrorum ſolum habere permiſſivè quodque non teneamur participare in ejuſmodi actione quatenus mala, ſed ſolùm quatenus nobis commoda & bona: ex quo ſequitur quod in neceſſitate aut rationabili exiſtente causâ licitum ſit Parochiano petere ſacramentum Euchariſtiæ aut abſolutionem à proprio ſuo Parocho quem ſcit in peccato mortali illud adminiſtraturum.

Dices quandocumque concurunt duo præcepta quæ ſimul ſervari non poſſunt, dictat naturalis ratio ut ſervetur id quod magis obligat, ſed præceptum naturale de vitando ſcandalo magis obligat quam præceptum poſitivum v. g. de communione paſchali vel annuâ confeſſione; ergo.

Reſp. ſubſumptum eſſe veriſſimum quando naturale præceptum manet cum omnibus circumſtantiis quibus obligat: porro ſæpe contingit quod accedente præcepto poſitivo tollantur aliquæ circumſtantiæ quibus ſublatis deſinit obligatio legis naturæ: ſic v.g. obligatio legis naturæ de non ſcandalizando proximum in eo conſiſtit quod non poſſimus cooperari ruinæ aut peccato proximi: quando verò adeſt juſta neceſſitas aut rationabilis cauſa petendi ſacramentum, tunc prudenti judicio non cenſemur cooperari peccato proximi: & inſuper adeſt juſta cauſa adimplendi præceptum eccleſiaſticum.

Petes quid ſi aliquem ſacerdotem poſſes habere qui ſacramentũ tibi adminiſtret in bono ſtatu, an eo non obſtante poſſis illud petere à proprio Parocho adminiſtraturo in peccato mortali. *Qualis non erit ſi haberi poſſit dignus miniſter.*

Reſp. neg. ſiquidem tunc ceſſat neceſſitas & juſta cauſa petendi: quilibet autem obligatur lege Charitatis vitare peccatum proximi quoties non adeſt neceſſitas aut juſta cauſa.

Petes,

Quid ſi in periculo mortis adſit parochus malus, & probus alius ſed non approbatus.

Petes, quid ſi quis ergo ſit conſtitutus in mortis articulo & adſit ejus Paſtor qui ſacramenta eſt adminiſtraturus in peccato mortali, & inſuper adſit alius ſacerdos pius & probus ſed non approbatus, an non poterit ſacramenta petere à ſuo Paſtore.

Reſp. Affirm. quia eſto ſententia ſit probabilis quod in eo caſu quilibet poſſit abſolvere, non eſt tamen certa, nam multi Doctores contrarium probabiliter ſuſtinent, ſcilicet eo caſu ordinem eſſe ſervandum, ita ut præſente Parocho habente juriſdictionem ordinariam ſimplex ſacerdos non cenſeatur habere juriſdictionem: ac eapropter ejuſmodi pœnitens juſtam habet cauſam confitendi ſuo Paſtori quantumvis malo, ne alioqui utendo ſententiâ probabili, & medio incerto animam ſuam exponat periculo æternæ damnationis.

Petes an qui vult ſuſcipere aliquod ſacramentum ab aliquo ſacerdote v. g. Euchariſtiæ, vel abſolutionem, teneatur inquirere an ſit probus vel improbus.

Reſp. neg. niſi ſubſit grave fundamentum dubitandi, quia quilibet præſumitur bonus donec probetur malus, adeoque ejuſmodi pœnitens præſumere debet talem ſacerdotem adminiſtraturum ſacramentum in bono ſtatu, eò quod non ſit de aliquo temere judicandum malum.

Petes quid ſi aliquis Parochianus certus ſit Paſtorem ſuum vivere in concubinatu aut alio flagitioſo ſtatu, an præcisâ neceſſitate aut juſta causâ poterit ab eo petere ſacramenta.

Reſp. neg. quia tunc moraliter certus eſt ſuum Paſtorem eſſe in malo ſtâtu ac proinde illicitum ipſi eſt ipſius peccato cooperari.

Petes an quis licitè poſſit inſervire ſacrificio miſſæ alicujus ſacerdotis concubinarii aut exiſtentis in proxima occaſione peccati.

Reſp. præcisâ neceſſitate negativè, quia non eſt licitum alicujus peccato cooperari, ejuſmodi autem ſacerdos ſic celebrando committit ſacrilegium, quod inſerviens ex Charitate tenetur impedire.

Petes, an ſit licitum petere ſacramentum à miniſtro excommunicato vel ſuſpenſo.

An ab excommunicato quandoque ſit licitũ accipere Sacramentum.

Reſp. quamvis ſolutionem hujus quæſtionis ſupra tetigerimus pro majori tamen illius enodatione præmittere oportet miniſtrum aliquem poſſe eſſe dupliciter excommunicatum aut ſuſpenſum, ſcilicet vel nominatim excommunicatum, qualis eſt qui per publicam Judicis ſententiam

Excommunicati alii ſunt vitandi, alii non.

tiam talis eſt denuntiatus, vel eſt publicus Clerici percuſſor, ita ut crimen ejus nulla poſſit tergiverſatione celari: vel eſſe excommunicatum toleratum, quales poſt Concil. Conſtantienſe per Martinum V. in Extravaganti *ad evitanda* cenſentur omnes excommunicati dummodo non ſint nominatim & publicè denuntiati vel manifeſti clericorum percuſſores, hac diſtinctione præſuppoſitâ.

Dico non eſſe licitum præcisâ neceſſitate aut juſtâ causâ à quocumque excommunicato ſive is toleratus ſit ſive non petere aliquod ſacramentum: ratio eſt quia adminiſtratio ſacramentorum eſt ipſis per Eccleſiam inhibita in qua proinde non eſt licitum illis cooperari.

Suppoſitâ verò neceſſitate aut gravi causâ licitum eſt petere omnia ſacramenta à miniſtro excommunicato tolerato: quinimo ſi talis eſſet Parochus, poſſet cogi ſuppoſitâ juſtâ causâ ad ſacramenta adminiſtranda, ſiquidem ex juſtitia tenetur ipſe ſubditis ſuis illa adminiſtrare, poſſetque illa ſine peccato dare, nimirum eliciendo contritionem caſu quo non poſſet obtinere prævie abſolutionem: dictus tamen Parochus ſine peccato mortali non poſſet ſe ſuâ ſponte ingerere ad ejuſmodi ſacramenta adminiſtranda.

Porro ab excommunicato nominatim denuntiato tantùm licitum eſt in caſu extremæ neceſſitatis v. g. in articulo mortis petere ſacramentum pœnitentiæ aut baptiſmi: ſiquidem in articulo mortis omnibus omnino ſacerdotibus conceditur poteſtas abſolvendi ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. nec refert quod adultus ſalvari poſſit per baptiſmum aut pœnitentiam in voto id eſt per contritionem, tamen quia non tam facilè actus veræ contritionis elicitur, permittit eccleſia pro majori ſecuritate ut baptiſmus, item pœnitentia etiam ab excommunicatis non toleratis adminiſtrentur: quod verò attinet ad alia ſacramenta ſine gravi peccato illa peti non poſſunt à miniſtro nominatim excommunicato, eò quod omnis conventio cum ejuſmodi nominatim excommunicatis ab eccleſia fidelibus interdicatur, præterquam in caſu extremæ neceſſitatis in qua duo antedicta ſacramenta tantùm ſunt neceſſaria, præterquàm quod & per accidens contingere poſſet in extrema unctione quando nimirum infirmus eſſet capax illius ſolius & non alterius.

L DU-

DUBIUM IV.

Quandonam Parochus obligetur ex juſtitia, & quando ex Charitate miniſtrare Sacramenta ſubditis ſuis.

Paſtor tenetur adminiſtrare ſacramenta quoties ſubditi rationabilis er petunt.

DIco 1. Paſtor nullatenus ſatis facit officio ſuo ſi ſubditis ſuis ſolum adminiſtret ſacramenta e o tempore quo illi obligantur iſta recipere vel in mortis articulo quo urget præceptum pœnitentiæ, item communionis de jure divino, vel dum in paſchate obligantur confiteri aut communicare ex præcepto eccleſiaſtico: ſed inſuper obligatur is ſacramenta illis adminiſtrare toties quoties illa rationabiliter petunt, & ſunt diſpoſiti, attentis circumſtantiis perſonæ, loci, temporis & indigentiæ: ratio eſt, quia Paſtor obligatur ſubditis ſuis adminiſtrare ſacramenta ſecundum illam rationem quâ Chriſtus illa inſtituit, & vult illa à nobis ſuſcipi: ſed Chriſtus inſtituit ſacramenta præſertim confeſſionis & communionis ut illis uteremur non ſolum tempore præcepti, ſed toties quoties illorum uſus judicatur prudenter ad ſalutem notabiliter conducens.

Quandonam illi cenſentur rationabiliter illa petere.

Petes quandonam ſubditus rationabiliter petat ſacramentum à ſuo Paſtore.

Reſp. 1. quoties urget præceptum illa ſuſcipiendi, vel adeſt feſtivitas aut indulgentia lucranda aut ordinarium tempus quo ſolet ejuſmodi ſacramentum ſuſcipere v. g. ſingulis menſibus vel juxta diſpoſitionem perſonæ octavo quoque die, vel quando gravis ipſum urget tentatio quam ſine ſuſceptione ſacramenti ſuperare non poteſt: horum omnium ratio eſt quia Paſtor non ſolum obligatur ex officio ſuccurrere ſubditorum neceſſitati, ſed & inſuper obligatur utilitatem ſpiritualem & profectum ſubditorum ſuorum ex officio procurare, eſſet autem contra manifeſtam ſubditorum utilitatem ac ſpirituale bonum illos ſpirituali hoc fructu quem ex legitimo ſacramentorum uſu percipiunt fraudare: ac eapropter non poteſt hæc ſubdito ſuo petenti & legitimè diſpoſito denegare quin muneri ſuo deſit dummodo tamen is petat rationabiliter ſecundum regulas prudentiæ; Quod addo, quia ſi ille hæc importuno tempore petat ſine neceſſitate v. g. de nocte vel loco indebito, pro tunc non obligabitur Paſtor, prout neque dum prudenter judicat eum non eſſe debitè diſpoſitum aut ſpirituali ſubditi utilitati hunc frequentem ſacramentorum uſum non expedire.

Porro

Digitized by Google

Paſtor denegans ſubdito rationabiliter petenti peccat contra juſtitiam & charitatem.

Porro hic bene notandum quod non ſolum peccet Paſtor contra juſtitiam & contra charitatem palam ſacramenta negando ſubdito legitimè diſpoſito & rationabiliter petenti, ſed etiam dum ſe in hac petitione reddit adeo moroſum, ut ſubditus non audeat illa deinceps ab ipſo petere; ſiquidem hoc eſt implicitè denegare.

Petes, an Paſtor obligetur adminiſtrare per ſe ipſum ſacramenta ſubditis.

Reſp. quando ſubditus vult à ſuo Paſtore ſacramentum aliquod ſuſcipere & non ab alio, obligabitur Paſtor illud per ſe ipſum conferre: ratio eſt, quia ſubditus habet jus ad obligandum taliter ſuum Paſtorem, eò quod ipſe alatur ſubditorum decimis & donationibus: ſolet autem ejuſmodi caſus nonnumquam contingere in ſacramento pœnitentiæ quod ſubditus velit ſuo Paſtori confiteri: adeoque per ſe loquendo non tenetur ſemper Paſtor per ſe ipſum ſacramenta miniſtrare modo habeat alium cui illud miniſterium committat, nec enim Paſtor tenetur per ſe omnium confeſſiones audire dum habet coadjutorem eò quod ſacramentum ſit æqualis virtutis ex opere operato à quocumque ſacerdote idoneo miniſtretur.

Petes an non ſatis faciat officio ſuo Paſtor ſi ſemper per alium ſacramenta adminiſtret, ipſe autem numquam.

Tenetur Paſtor per ſeipſum populum ſuum paſcere.

Reſp. ſepoſito caſu impotentiæ aut alterius neceſſitatis, negativè quia Paſtor jure divino naturali obligatur reſidere, non dicitur vero reſidere niſi per ſe ipſum officium ſuum quandoque adimpleat; ac eapropter ſi Paſtor per ſe ipſum numquam adminiſtret ſacramenta non facit fructus ſuos, quippe cum beneficium detur propter officium.

Petes, an Paſtor ruralis non habens vice-paſtorem non obligetur aliquoties in anno v. g. in Paſchate & aliis majoribus ſolemnitatibus adhibere aliquem confeſſarium extraordinarium coadiutorem.

Tenetur quandoque uti miniſterio alterius.

Reſp. Aff. idque primo ſi ipſe ſe ſolo ob multitudinem communitatis non ſit ſufficiens omnibus ſacramenta petentibus adminiſtrare 2. ſi prudenter timeat aliquos ſubditos ob defectum libertatis confitendi inſtituturos confeſſionem non integram adeoque ſacrilegam, ſi illi teneantur confiteri proprio Parocho: quod punctum proinde bene notare oportet Paſtores qui ratione officii ſui obligantur tam ſubditorum ſaluti quam ſpirituali utilitati conſulere.

Digitized by Google

An Paſtor teneatur cum periculo vitæ adminiſtrare Sacramenta ſubditis ſuis.

Petes an Paſtor obligetur ſacramenta adminiſtrare cum periculo vitæ.

Reſp. ſi ſubditus hæc petat ex ſola devotione non obligabitur hæc illi cum periculo vitæ miniſtrare v. g. tempore peſtis vel tempore belli quo exponetur periculo captivitatis ſi verò ſubditus hæc petat ratione neceſſitatis v. g. ob inſtantem mortem obligatur Paſtor ipſi adminiſtrare ſaltem ſacramentum baptiſmi pœnitentiæ aut euchariſtiæ etiam cum periculo vitæ, quia ille ex juſtitia & ex Charitate obligatur ſaluti ſubditorum ſuorum proſpicere, adeoque illa ſacramenta illis conferre quibus graviter indigent, & ſine quorum adminiculo timentur exponi periculo æternæ damnationis: ac eapropter ait Chriſtus, bonus Paſtor ponit animam ſuam pro ovibus ſuis.

Hinc collige Paſtorem cum periculo vitæ obligari ſubdito ægroto ſacramentum pœnitentiæ prout & ſacramentum baptiſmi tam parvulis quam adultis conferre, eò quod ejuſmodi ſacramenta ſint reſpectivè neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem in re vel in voto, nec tam facilè elici poſſit actus contritionis ſe ſolo ſufficiens ad remiſſionem peccatorum: eodem quoque præcepto obligabitur cum periculo vitæ tunc adminiſtrare viaticum, quippe quod & tunc poſſit eſſe ſacramentum neceſſitatis, eò quod forſitan ſine illo infirmus deficiet in via: hoc addito quod infirmus in articulo mortis ex præcepto divino obligetur illud ſuſcipere ergo & Paſtor obligabitur illi miniſtrare. Quid dicendum ſit de extrema unctione congruentiùs ſuo loco agemus.

DUBIUM V.

An Paſtor aut alius miniſter poſſit alicui in ſtatu peccati mortalis exiſtenti aut indiſpoſito adminiſtrare Sacramenta.

Non poteſt ſacramentum miniſtrari indigno per ſe loquendo.

Reſp. neg. per ſe loquendo: ratio eſt quia miniſter ſacramenti obligatur ex rei natura ſacramenta reverenter & fideliter adminiſtrare, quod ſanè non faceret ſi daret ſanctum canibus hoc eſt ſacramentum indiſpoſitis qui conſequenter committeret duo peccata ſpecie diſtincta, unum nimirum ſacrilegii indignè tractando ſacramentum, alterum vero ſcandali cooperando peccato indignè ſuſcipientium: hinc infer confeſſarium graviſſimè peccare qui impendit abſolutionem illi qui non eſt legitimè diſpoſitus, qualis eſt is qui non

vult

vult reſtituere honorem aut res alienas injuſtè ablatas aut non vult fugere occaſiones proximas peccatorum &c.

Qualiter miniſtro debeat conſtare de diſpoſitione ſuſcipientis.

Petes quam notitiam debeat habere miniſter de diſpoſitione ſuſcipientis ſecramentum ad hoc ut non peccet illud illi adminiſtrando.

Reſp. non ſufficere quòd neſciat ipſum eſſe indignum, ſed ut moraliter certus ſit quod ſit poſitivè dignus, attamen hæc notitia non debet eſſe æquè exacta quo ad omnia ſacramenta, nam omnium judicio pro danda abſolutione exactior requiritur notitia quam pro danda Euchariſtia prout communis praxis manifeſtat, quæ præſumit accedentem ad Euchariſtiam per ſe loquendo habere debitam diſpoſitionem cum nemo præſumatur indiſpoſitus quo ad hoc ſacramentum niſi conſtet eſſe talem: rurſum exactior notitia & major moralis certitudo requiritur in miniſtro ſuper diſpoſitione volentis promoveri ad Ordines ſacros vel ad matrimonium: quod inde patet quia hîc præmitti conſueverunt proclamationes.

Peccatori occulto publicè petenti dari poteſt Sacramentũ, quandoque etiam negari.

Petes, quid ſi peccator ſit occultus & publicè petat ſacramentum, an miniſter poterit illi denegare.

Reſp. ſi petens abſque ſcandalo aut infamia poſſit repelli non poterit illi miniſter dare ſacramentum, eò quod tunc ceſſet juſta cauſa adminiſtrandi peccatori occulto: quod ſi verò ſine ſcandalo aut infamia nequeat repelli, obligabitur Paſtor aut quivis alius miniſter illi adminiſtrare: quod probatur ex facto Chriſti qui non denegavit ſacramentum corporis ſui judæ peccatori occulto, idque ne ille infamaretur: & ſane ſi miniſter poſſet occulto peccatori publicè petenti ſacramentum denegare frequentatio illius ſacramenti redderetur planè odioſa, ſiquidem quilibet accedens poſſet timere ne forſitan ſacerdos judicare poſſet ſubeſſe occultum crimen ob quod repelleretur. 2. Si miniſter ejuſmodi occultum peccatorem teneretur repellere, incumberet illi maximum onus probandi ſcilicet in foro externo illum eſſe indignum: denique ultimata ratio eſt Chriſti voluntas præcavere volentis quidquid frequentationem illius ſacramenti redderet odioſam.

Dices ſacerdos obligatur habere majorem curam reverentiæ Sacramenti quam famæ proximi, ergo poterit illud denegare cum infamia petentis: quod confirmatur, quia ſi ſacerdos ſciat aliquem abutentem ſacramento

Digitized by Google

Euchariſtiæ ad veneficia, incantationes, aut artes magicas, non tantùm poteſt, ſed, & obligatur illum manifeſtare: ſimiliter ſi quempiam ſciat ſacramentum Euchariſtiæ objicere canibus obligabitur illum deferre quorum omnium ratio eſt quia ejuſmodi non habent jus ad famam ſuam cum tanta injuria ſacramenti; ergo nec ejuſmodi occulti peccatores.

Reſp. antecedens eatenus eſſe verum quod nemo poſſit permittere ut quis irreverenter & irreligiosè ſe gerat erga SS. Sacramentum ut famam proximi ſui ſervet, quod probat confirmatio, non verò quod non poſſit permittere irreverentiam quæ committitur per ſumptionem ſacramenti in peccato mortali ſi illam nequeat impedire ſine læſione famæ ipſius.

Dices, ego non obligor ſervare famam Petri cum damno & injuria Joannis; ergo nec famam occulti peccatoris cum injuria Chriſti.

Reſp. neg. conſequentiam, quia injuria Chriſti in hoc conſiſtit quod occultus peccator ejus ſacramentum indignè ſuſcipiat, ob quam ſervandam ipſe non vult tolli famam ejus, ne acceſſus ad hoc ſacramentum redderetur odioſus.

Petes, an ſacerdos peccatori occulto publicè petenti non poſſet dare hoſtiam non conſecratam ad evitandam injuriam ſacramenti.

Reſp. negativè, eò quod hoc modo daretur occaſio majoris p c cati ſcilicet idololatriæ eò quod hoſtia antequam ſic tradatur ſoleat tam à ſumente quam à circumſtantibus adorari.

Peccatori occulto occulte petenti ſacramentum eſt denegandum.

Petes, quid facto opus dum occultus peccator occulte petit.

Reſp. Sacramentum abſolute illi eſſe denegandum: ratio eſt quia miniſter ex officio tenetur ſacramentum fideliter & ſancte adminiſtrare quod non faceret ſi traderet cani qui poteſt repelli ſine læſione ſuæ famæ.

Quid ſi ſciatur eſſe peccator tãtùm ex confeſſione.

Petes quid ſi peccator ille occultus cognoſcatur talis ex ſola confeſſione, an miniſter illi occultè petenti poterit denegare.

Reſp. miniſtrum tunc hac praxi uti debere ut primò petat licentiam ab eo loquenti de rebus in confeſſione auditis: quâ obtentâ, adhortetur illum ut abſtineat à tam horrendo ſacrilegio; qui, ſi admonitionem rejiciat & inſtet, obligabitur ipſi dare, ne frangat ſigillum confeſſionis.

Petes, quid ſi cogaris metu mortis vel alterius gravis nocumenti dare ſacramentum publico peccatori, an poteris.

Reſp.

Digitized by Google

Publico peccatori ne quidem metu mortis licet ſacerdoti dare Euchariſtiam.

Reſp. neg. quia illud eſt tam intrinſecè malum quam fornicari : quod proinde nullo modo umquam licet, quia præſuppoſita ſacramentorum inſtitutione datur præceptum divinum naturale jubens Sancta ſanctè tractari : & inſuper ne cooperemur peccatis alienis : eapropter ſicuti graviſſimè peccaret ſacerdos qui Euchariſtiam collocaret in loco aliquo fætido & ſordido, à fortiori, magis peccabit ſi eam collocet in corpore publici peccatoris.

Vt dare liceat conſtare priùs debet publicè de ejus pœnitentia.

Hinc infer publicos concubinarios, uſurarios, magos, ſortilegos, blaſphemos, perjuros, duellantes, hiſtriones inhoneſtas comœdias repræſentantes, item clericos publicos aleatores, aut ſimilis formæ homines non eſſe admittendos ad Euchariſtiam antequam publicè conſtet de eorum pœnitentia idque propter maximum periculum ſcandali : quod etiam verum puta quando graviter de ejuſmodi criminibus ſunt ſuſpecti, ita ſcilicet ut ſit ſuſpicio violenta : nam ejuſmodi ſuſpicio, eſto non faciat evidentiam rei, efficit tamen certitudinem moralem.

QUÆSTIO IX.

De intentione Miniſtri.

DUBIUM I.

Quæ intentio Miniſtri requiratur ex parte objecti ad confectionem Sacramenti.

Ad validitatẽ Sacram. neceſſaria eſt intentio Miniſtri.

DICO 1. ad valorem Sacramenti neceſſaria eſt miniſtri intentio ratio eſt quia actio conficiendi ſacramenta eſt actio humana quæ proinde procedere debet à voluntate deliberata adeoque ab intentione.

Qualis debet eſſe illa intentio.

Dico 2. ad valorem ſacramentorum neceſſaria eſt in miniſtro intentio faciendi quod facit eccleſia ſive quod Chriſtus inſtituit quod eſt de fide ut patet ex Conc. Flor. in inſtruct. Armenor. & ex Trid. ſeſſ. 7. can. xj. ubi ait „ ſi quis in miniſtris „ dum ſacramenta conficiunt dicat non requiri intentionem faciendi quod facit eccleſia: anathema ſit.

Probatur ratione quia ſenſus verborum formæ, prout & ipſa actio ſacramentalis ex ſe ſunt indeterminata & indifferẽtia, quippe quæ ad multa adhiberi poſſunt ut v. g. ablutio in baptiſmo

eſt

Digitized by Google

eſt indifferens ad abluendas ſordes vel ad refrigerandum: quæ proinde per intentionem miniſtri debet determinari ad abluendas peccatorum ſordes, & ita de cæteris.

Petes, an neceſſariò requiratur in miniſtro intentio faciendi quod facit eccleſia Romana vel quæpiam alia particularis.

Reſp. neg. ſed ad valorem ſacramenti ſufficit ut intendat facere quod facit vera eccleſia quæcumque illa ſit: quod inde patet quia hæreticus validè baptizat & tamen non credit Romanæ Eccleſiæ.

Petes an ergo validè baptizet hæreticus intendens facere quod facit eccleſia reformata ut vocant Genevenſes excluſâ eccleſia Romana.

Reſp. Affirm. ſi interim intendat facere quod facit vera eccleſia ex errore exiſtimans ſuam eccleſiam eſſe veram: quia equidem habet intentionem generalem faciendi quod vera facit eccleſia, quæ proinde conſiſtere poteſt cum errore ejus particulari.

Porro ultimata ratio cur ad confectionem Sacramentorum requiratur intentio ipſius miniſtri eſt voluntas Chriſti qui miniſtros ſuos poſuit *diſpenſatores miniſteriorum Dei* ut loquitur Apoſtolus, non verò tamquam puros famulos deferentes voluntatem ſui Domini, in quibus proinde ejuſmodi intentio non reperitur.

Ex ante dictis collige quare ſacerdos legens in refectorio 1. ad Cor. cap. xj. in quo habetur expreſſa forma corporis & ſanguinis eò ipſo non conſecret panem & vinum quę ſunt in menſa, nimirum quia deeſt intentio faciendi quod Chriſtus inſtituit.

Quid de illis qui Sacramenta miniſtrant per jocum.

Dices S. Athanaſius exiſtens puer. 12. annorum baptizavit per jocum aliquos alios pueros: & tamen baptiſmus ab eo collatus, eſt ab Epiſcopo judicatus validus: præterea in vita S. Geneſii martyris legitur quod in theatro à mimo quodam fuerit baptizatus per jocum.

Reſp. dupliciter aliquid fieri poſſe per jocum: 1. quidem animo verè baptizandi, ita tamen ut actio illa ſacramentalis referatur ad jocum: & hoc modo baptiſmus collatus eſt validus, quamvis finis ejus ſit malus, utpote jocoſa delectatio, & hoc primo modo Athanaſius puer validè baptizavit alios pueros quia habebat intentionem faciendi quod viderat Epiſcopum Alexandrinū facientem. Similiter mimus illę qui in theatro coram Diocletiano baptizavit Geneſium, ut refert Baronius circa annum Chriſti 303.

Dupliciter aliquid fieri poteſt per jocum.

Digitized by Google

303. intendebat quidem circa illum exercere cæremonias Chriſtianorum quamvis actionem baptiſmalem referret ad jocum & ad ludibrium.

2. Poteſt actio ſacramentalis fieri per jocum alio ſenſu ita nimirum ut ſit tantum actio ficta irriſoria & ad ridendum excogitata; quo modo ſumpta obeſt valori ipſius ſacramenti.

Petes, an in miniſtro requiratur formalis intentio faciendi quod facit eccleſia ad valorem ſacramenti.

Qualis debeat eſſe illa intentio faciendi quod Chriſtus inſtituit. expreſſa aut tacita.

Reſp. neg. ſed ſufficit intentio aliqua in confuſo & in communi qualem cenſetur habere is qui per actionem externam intendit facere quod Chriſtus inſtituit, quod faciunt Epiſcopi, quod facit Paſtor, quod talis eccleſia particularis: nam eò ipſo confuſo ſaltem conceptu concipit aliquid ſacri in hoc actu latere, eſto non intendat formaliter ſub ratione ſacramenti.

Qua ratione homines certi eſſe poſſunt de valore ſacramenti ſuſcepti.

Dices ſi requiratur ad valorem ſacramenti intentio miniſtri nemo umquam erit certus de ſua ſalute, quia ſemper poterit eſſe anxius an miniſter habuerit intentionem ipſum abluendi, an verò baptizandi: nam ideo noluit Chriſtus ad valorem alicujus ſacramenti requiri ſanctitatem ipſius miniſtri ne hominis ſalus impediretur per malitiam ipſius miniſtri,

Reſp. etſi intentio miniſtri non ſit nobis evidens nulla tamen ſubeſſe poterit rationabilis cauſa dubitandi de valore ſacramenti defectu intentionis, eò quod homines in ſuis actionibus quas exercent humano modo adferre ſoleant intentionem juxta exigentiam actionis quam exercent: & hinc prudenter poſſunt judicare miniſtrum adhibuiſſe legitimam intentionem quam diu non conſtat de contrario.

DUBIUM II.

Qualis debeat eſſe intentio miniſtri ut validè conficiat Sacramentum.

HActenus indagavimus quæ intentio miniſtri ſit requiſita ad valorem ſacramenti, ſive circa quod objectum illa debeat verſari ad hoc ut ſit valida: nunc hic indagare oportet qualis debeat eſſe intentio.

Intentio agentis alia eſt actualis, alia virtualis. habitualis, aut interpretativa.

Pro quo notandum intentionem dividi in actualem virtualem & habitualem, item interpretativam; de, qua diviſione, ſicut & de ſingulis ejus ſpeciebus fusè egimus in Theol. morali de Actib. hum. Tract. ix: quæ proinde hic reputamus ſuperva-

Ad valorem ſacramenti non eſt neceſſaria actualis intentio.

canea repetere : hoc tantùm hic addimus quod pro confectione alicujus ſacramenti requiratur talis intentio qua miniſter humano & rationali modo cenſetur actionem ſacramentalem ponere, quippe quæ debeat eſſe actio humana : & quamvis omnium præſtantiſſima ſit intentio actualis quam proinde ſacramenti miniſter ſtudioſè debet procurare , eò quod notabiliter conferat ad devotionem in ipſa ſacramenti confectione vel adminiſtratione excitandam, virtualis tamen ſufficit, utpote ſufficiens ad ponendum actum humanum , Deus autem in conficiendis ſacramentis non aliam requirit intentionem ad valorem quam talem quæ ſufficit ut miniſter humano modo operetur & influat in actionem quatenus ſacramentalem ; ad quod non requiritur intentio actualis , utpote frequenter homini ex humana fragilitate impoſſibilis , cum ſæpe plurimis diſtractionibus ſit obnoxius : unde quilibet noſtrûm experitur ſeſe frequenter alia cogitare , etiam dum vult attendere ita ut non ſit in noſtra poteſtate ſemper actualem intentionem habere.

Sufficit virtualis.

Hic tamen nota , quamvis ut diximus ſacramenti miniſter ſtudioſè curare debeat ut actualem attentionem & intentionem habeat in confectione alicujus ſacramenti , id tamen non ita ſcrupuloſè venire intelligendum ut quaſi in mente ſua continuò dicat volo conferre ſacramentum , aut volo facere quod Chriſtus inſtituit, aut quod Eccleſia intendit ; quia hæc eſt reflexio ſuper intentionem, ſed tantùm curare debet ut verba rectè proferat, devotè attendat ad ſenſum verborum & ad ipſam actionem externam.

Non ſufficit intentio habitualis.

Petes, an intentio habitualis non ſufficiat ad confectionem alicujus ſacramenti.

Reſp. neg. eò quod actus ex illa promanans non cenſeatur humanus nec deliberatus , ſoleatque etiam ejuſmodi intentio remanere in dormientibus.

Dices ſufficit intentio habitualis ad ſuſcipienda ſacramenta , ergo etiam ad conficienda.

Cur minùs ſufficit ad cōficiendum quā ad ſuſcipiendum validè Sacramentū.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diverſitatis eſt quod intentio requiſita ad confectionem ſacramenti debeat ſe habere per modum principii activi adeóque influere in opus externum, quod non poteſt facere intentio habitualis : in ſuſcipiente verò aliquod ſacramentum intentio ſe habet merè materialiter & paſſivè, quatenus per illam fit ut ſuſcipiens non obſtet nec reluctetur ſuſceptioni ipſius ſacramenti.

Dices

Digitized by Google

Dices valet applicatio ſacrificii miſſæ hodie celebrati quam Sacerdos fecit heſternâ die, eſto hodie {dum celebrat, deſuper non cogitaverit, ſed intentio ex qua facta eſt illa applicatio eſt tantùm habitualis utpote heſterna die facta, ac per ſomnum aliaſque actiones interrupta; ſi ergo ſufficiat habitualis intentio ad applicationem ſacrificii, ſufficiet hæc quoqne ad confectionem ſacramenti.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio diverſitatis eſt quod voluntas applicandi ſacrificium non concurrat effectivè ad ſacrificium: quandoquidem fieri poſſit ſacrificium ſine applicatione: intentio verò conficiendi ſacramentum concurrere debet tamquam principium effectivum: quod fieri nequit niſi actualiter vel virtualiter exiſtat, eò quod agere præſupponat eſſe.

Petes, an intentio merè interpretativa ſufficiat ad valorem ſacramenti.

Non ſufficit etiã intentio interpretativa tantùm.

Reſp. neg. nam & illam cenſetur habere qui tantùm in cauſa vult conficere aliquod ſacramentum, ut ſi ſacerdos ſciens in ebrietate ſe panem præſentem conſecrare ſeſe inebriet eâ intentione ut in ebrietate verba conſecrationis ſuper pane proferat, qui tamen nihil efficiet quia confectio ſacramenti debet eſſe actio humana in ſe, adeoque fieri debet rationali & humano modo.

Cur minùs ſufficit illa intentio ad conficiendum Sacramentum quàm ad peccandum.

Dices, homicidium in ebrietate commiſſum imputari poteſt ad culpam, adeoque eſſe voluntarium; ergo & conſecratio in ebrietate prolata poterit eſſe voluntaria adeoque ſufficiens ad valorem ſacramenti.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod, ut diximus, confectio ſacramenti debeat eſſe humana & libera in ſe, actio vero quâ incurritur culpa aut peccatum ſufficit quod ſit voluntaria in cauſa: & hinc commune dictum, malum ex ſingulis defectibus, bonum ex integra cauſa.

Petes, an validè conſecret ſacerdos qui antequam ſe induat in Sacriſtia repoſuit hoſtiam ſuper patina ex intentione illam conſecrandi, dein ſeſe induit, vadit ad altare & dicit conſequenter omnia quæ ſunt in miſſa dicenda, ſed tempore conſecrationis ob ſupervenientem diſtractionem nec recordatur nec advertit ad hoſtiam præſentem.

Reſp. Affirm. quia adeſt intentio virtualis promanans ex intentione actuali priùs habitâ, quæ manet virtute in actionibus ab actuali intentione promanantibus & ordinatis ad finem conſecrandi,

Digitized by Google

ſecrandi, nec eſt interrupta per contrariam intentionem aut temporis moram. Secus dicendum de ſacerdote qui mane horà quintà formans intentionem celebrandi egreditur ad occupationes & negotia ſęcularia & hora 11. veniens ad eccleſiam abſque alia intentione conſecrat, eò quod intentio actualis mane habita ſit moraliter interrupta.

DUBIUM IV.

An ad validè conficiendum Sacramentum requiratur intentio abſoluta, an verò ſufficiat conditionata.

Ad validè conficiendũ ſacram. requiritur intentio abſoluta.

RESp. ad validè conficiendum aliquod ſacramentum, excepto matrimonio, neceſſaria eſt intentio abſoluta vel certè talis conditionata quæ tranſit in abſolutam: ratio eſt quia ad confectionem ſacramenti requiritur intentio efficax: ſola autem abſoluta eſt efficax.

Petes quænam intentio conditionata tranſeat in abſolutam.

Quanã intentio conditionata trãſeat in abſolutã.

Reſp. illa quæ adjunctam habet conditionem de præſenti vel de præterito: nam ſi conditio ſubſiſtat, hoc eſt, ſi res ita ſe habeat prout in conditione exprimitur, jam intentio illa ſit abſoluta: ſicuti enim ejuſmodi conditio non ſuſpendit actum, ita neque ſuſpendit valorem ſacramenti, ſed ſacramentum reipsâ exiſtit exiſtente conditione, eo modo acſi nulla conditio interveniſſet: quòd ſi verò conditio non ſubſiſtat, non erit ſacramentum, quia miniſter illud non intendit conficere niſi verificatâ conditione.

Intentiõ dependẽs à conditione de futuro nõ ſufficit ad valorem ſacramẽti.

Petes an validum ſit ſacramentum collatum ſub conditione de futuro.

Reſp. neg. quia vel eſſet validum ſtatim quod non eſt verum quia deeſt intentio miniſtri dependens à conditione de futuro, vel eſſet validum tempore adimpletæ conditionis: quod non poteſt eſſe verum, quia tunc neque exſtant materia, neque forma ipſius ſacramenti.

Petes, quare excipiatur ſolum matrimonium validè initum ſub conditione de futuro.

Excepto ſacram. matrimonii, & cur potius in hoc quã in aliis.

Reſp. quia ratio ſacramenti matrimonii fundatur in contractu civili, ejuſque naturam ſequitur; ea verò eſt natura contractus, ut ſi ſit initus ſub conditione & conſenſus non ſit revocatus cenſeatur ille toto tempore intermedio perdurare & per adventum conditionis tranſire in abſolutum: & eapropter illi qui contrahunt matrimo-

trimonium ſub conditione de futuro, cenſentur toto tempore intermedio uſque ad eventum ipſius conditionis in ſuo conſenſu permanere, & conſequenter eorum conſenſus cenſetur perfici conditione adimpletâ: ac eapropter quando ponitur conditio ponitur tunc quoque materia & forma ſcilicet mutua acceptatio ac traditio corporum quæ voluerunt pendére à poſitione conditionis: ac proinde poſitâ conditione ponitur ipſum ſacramentum matrimonii: quæ locum non habent in aliis ſacramentis, ac propterea ſub conditione de futuro confici non poſſunt.

Ex dictis collige quod quotieſcumque quis conficit ſacramentum ſub conditione de futuro, excepto matrimonio, peccet mortaliter, & committat ſacrilegium per invalidationem ipſius ſacramenti.

Quandonam liceat miniſtrare ſacramenta ſub conditione.

Petes an ſimiliter ſacerdos peccet mortaliter qui in confectione alicujus ſacramenti apponit conditionem de præterito vel præſenti.

Reſp. Affirm. per ſe loquendo; quia exponit ſe periculo invalidè ſacramentum conficiendi adeoque committendi ſacrilegii: nam cum ſacramentum non ſit validum niſi dependenter à conditione miniſtri ille verò non intendat conficere ſacramentum niſi dependenter ab illa conditione, fieri poteſt quod talis conditio non ſubſit, adeoque ſacramentum nullum ſit.

Dixi, per ſe loquendo, quia per accidens ſubſiſtente nimirum gravi & juſtâ causâ poterit ſacramentum quandoque conferri ſub conditione de præſenti vel de præterito ita enim confeſſarius ſi cum fundamento dubitet an pœnitentem abſolverit, poterit illum præſentem ſub hac conditione abſolvere, ſi te non abſolverim: ita quoque baptizatus ab hæreticis rebaptizari poteſt ſub hac conditione, ſi tu non es baptizatus, ego te baptizo.

An pueri de quibus dubitatur an utantur ratione poſſint abſolvi, & quomodo.

Petes, an ſimiliter poterit ſub conditione abſolvere pueros de quibus dubitat an polleant ſufficienti uſu rationis, qui tamen adferunt ſufficientem materiam ad confeſſionem, & noverunt elicere actum contritionis.

Reſp. ſi confeſſarius advertat pueros illos quaſi à parentibus vel magiſtris edoctos hæc perfunctoriè dicere memoriter, quod inde colliget ſi interea inter confitendum rideant aut ſocios ſuos aſpiciant, aut digitis ſuis circa libellum aut roſarium ludant, præſtabit illos tunc ſine abſolutione, ſed cum aliqua bene-

ſecrandi, nec eſt interrupta per contrariam intentionem aut temporis moram. Secus dicendum de ſacerdote qui mane horâ quintâ formans intentionem celebrandi egreditur ad occupationes & negotia ſęcularia & hora 11. veniens ad eccleſiam abſque alia intentione conſecrat, eò quod intentio actualis mane habita ſit moraliter interrupta.

DUBIUM IV.

An ad validè conficiendum Sacramentum requiratur intentio abſoluta, an verò ſufficiat conditionata.

Ad validè conficiendũ ſacram. requiritur intentio abſoluta.

RESP. ad validè conficiendum aliquod ſacramentum, excepto matrimonio, neceſſaria eſt intentio abſoluta vel certè talis conditionata quæ tranſit in abſolutam: ratio eſt quia ad confectionem ſacramenti requiritur intentio efficax: ſola autem abſoluta eſt efficax.

Petes quænam intentio conditionata tranſeat in abſolutam.

Quanã intentio conditionata trãſeat in abſolutã.

Reſp. illa quæ adjunctam habet conditionem de præſenti vel de præterito: nam ſi conditio ſubſiſtat, hoc eſt, ſi res ita ſe habeat prout in conditione exprimitur, jam intentio illa ſit abſoluta: ſicuti enim ejuſmodi conditio non ſuſpendit actum, ita neque ſuſpendit valorem ſacramenti, ſed ſacramentum reipsâ exiſtit exiſtente conditione, eo modo acſi nulla conditio interveniſſet: quòd ſi verò conditio non ſubſiſtat, non erit ſacramentum, quia miniſter illud non intendit conficere niſi verificatâ conditione.

Intentiõ dependẽs à conditione de futuro nõ ſufficit ad valorem ſacramẽti.

Petes an validum ſit ſacramentum collatum ſub conditione de futuro.

Reſp. neg. quia vel eſſet validum ſtatim quod non eſt verum quia deeſt intentio miniſtri dependens à conditione de futuro, vel eſſet validum tempore adimpletæ conditionis: quod non poteſt eſſe verum, quia tunc neque exſtant materia, neque forma ipſius ſacramenti.

Petes, quare excipiatur ſolum matrimonium validè initum ſub conditione de futuro.

Excepto ſacram. matrimonii, & cur potius in hoc quã in aliis.

Reſp. quia ratio ſacramenti matrimonii fundatur in contractu civili, ejuſque naturam ſequitur; ea verò eſt natura contractus, ut ſi ſit initus ſub conditione & conſenſus non ſit revocatus cenſeatur ille toto tempore intermedio perdurare & per adventum conditionis tranſire in abſolutum: & eapropter illi qui contrahunt matrimo-

trimonium ſub conditione de futuro, cenſentur toto tempore intermedio uſque ad eventum ipſius conditionis in ſuo conſenſu permanere, & conſequenter eorum conſenſus cenſetur perfici conditione adimpletâ: ac eapropter quando ponitur conditio ponitur tunc quoque materia & forma ſcilicet mutua acceptatio ac traditio corporum quæ voluerunt pendére à poſitione conditionis: ac proinde poſitâ conditione ponitur ipſum ſacramentum matrimonii: quæ locum non habent in aliis ſacramentis, ac propterea ſub conditione de futuro confici non poſſunt.

Ex dictis collige quod quotieſcumque quis conficit ſacramentum ſub conditione de futuro, excepto matrimonio, peccet mortaliter, & committat ſacrilegium per invalidationem ipſius ſacramenti.

Quandonam liceat miniſtrare ſacramenta ſub conditione.

Petes an ſimiliter ſacerdos peccet mortaliter qui in confectione alicujus ſacramenti apponit conditionem de præterito vel præſenti.

Reſp. Affirm. per ſe loquendo; quia exponit ſe periculo invalidè ſacramentum conficiendi adeoque committendi ſacrilegii: nam cum ſacramentum non ſit validum niſi dependenter à conditione miniſtri ille verò non intendat conficere ſacramentum niſi dependenter ab illa conditione, fieri poteſt quod talis conditio non ſubſit, adeoque ſacramentum nullum ſit.

Dixi, per ſe loquendo, quia per accidens ſubſiſtente nimirum gravi & juſtâ causâ poterit ſacramentum quandoque conferri ſub conditione de præſenti vel de præterito ita enim confeſſarius ſi cum fundamento dubitet an pœnitentem abſolverit, poterit illum præſentem ſub hac conditione abſolvere, ſi te non abſolverim: ita quoque baptizatus ab hæreticis rebaptizari poteſt ſub hac conditione, ſi tu non es baptizatus, ego te baptizo.

An pueri de quibus dubitatur an utantur ratione poſſint abſolvi, & quomodo.

Petes, an ſimiliter poterit ſub conditione abſolvere pueros de quibus dubitat an polleant ſufficienti uſu rationis, qui tamen adferunt ſufficientem materiam ad confeſſionem, & noverunt elicere actum contritionis.

Reſp. ſi confeſſarius advertat pueros illos quaſi à parentibus vel magiſtris edoctos hæc perfunctoriè dicere memoriter, quod inde colliget ſi interea inter confitendum rideant aut ſocios ſuos aſpiciant, aut digitis ſuis circa libellum aut roſarium ludant, præſtabit illos tunc ſine abſolutione, ſed cum aliqua bene-

nedictione aut inſtructione dimittere, quia nimirum tunc dant ſufficientia ſigna quod ſacramentum pœnitentiæ necdum intelligant aut apprehendant, quod ſi verò confeſſarius probabile poſſit formare judicium de bonâ ipſorum diſpoſitione requiſitâ ad ſacramentum pœnitentiæ, adferantque materiam ſufficientem, poterit illos tunc abſolvere ſub hac conditione, ſi tu es capax ego te abſolvo, quia ſcilicet tunc habet juſtam cauſam apponendi conditionem: alioqui conditio de præſenti aut de præterito appoſita ſine juſta cauſa haberi debet pro non adjecta, & quaſi ipſius ſacramenti irriſoria; adeoque ſine mortali peccato adhiberi non poteſt.

DUBIUM V.

An ad valorem Sacramenti neceſſe ſit ut intentio miniſtri dirigatur in determinatam perſonam abſque aliquo errore.

Reſp. per ſe loquendo negativè, quia intentio miniſtri communiter fertur in perſonam præſentem eſto forſitan erret in qualitate perſonæ, qui error ſeſe merè concomitanter habet, neque officit valori ſacramenti: prout contingit ſi miniſter putans ſe baptizare infantem maſculum baptizet puellam vel è contra, vel confeſſarius putans ſe abſolvere ſacerdotem, abſolvat laicum.

Petes, quid ſi miniſter actu reſtringat intentionem ſuam ad aliquam perſonam individuam, ita ut nolit conferre ſacramentum niſi huic individuæ perſonæ, an ſubſiſtente errore conficeret ſacramentum.

Reſp. neg. eò quod deſit intentio. Porro hæc reſtrictio vix umquam in ſacramentis apponi poteſt ſine gravi ſacrilegio, excepto matrimonio, de quo ſuo loco dicemus: cur autem error perſonæ in aliis ſacramentis non obſit ipſorum valori, obſit vero valori matrimonii; hæc eſt, quia error perſonæ in aliis ſacramentis communiter tantùm eſt concomitans & accidentalis; in matrimonio verò ſubſtantialis, ſiquidem error perſonæ hic cauſat involuntarium quo ad ſubſtantiam, adeoque contractum nullum, nam ſic errans cenſetur nolle contrahere niſi cum illa individua perſona quam elegit.

DU-

DUBIUM VI.

An miniſter teneatur obſervare cæremonias in adminiſtratione Sacramentorum præſcriptas.

Quid cæremoniæ ſacramentales. PRænotandum 1. quod cæremonia non ſit aliud quam actio quædam religioſa quà decorè & ornatè juxta præſcriptum eccleſiæ ſacramenta adminiſtrantur.

Et cur inſtitutæ. Petes ob quam cauſam ejuſmodi ceremoniæ ſint ab eccleſia inſtitutæ.

Reſp. & Dico 1. adornatum & decorem ipſorum ſacramentorum prout & in hunc finem ordinantur, veſtes ſacerdotales ornamenta altarium &c. 2. ad excitandam devotionem fidelium erga ſacra myſteria 3. ad inſtructionem rudioris populi: Solent ſiquidem indocti & rudiores per ſigna ſenſibilia edoceri & mens illorum elevari ad ſpiritualia capienda. 4. ut exterioribus hujuſmodi ritibus quaſi quibuſdam vinculis fideles colligentur & conveniant in eodem modo Deum colendi, & in iis quæ ſpectant ad divinum cultum: abſit proinde quod in cæremoniis eccleſiæ ſit aliqua ſuperſtitio prout inſani garriunt hæretici quin potius myſtica ſignificatio in illis involvitur omnibus veneranda tam doctis quam indoctis.

Porro exemplum Chriſti Domini cæremoniis & ritibus utentis ſufficit ad obſtruendum os hæreticorum impiæ ſuperſtitionis eccleſiam incuſantium ob haſce cæremonias; etenim dum Chriſtus lutum impoſuit oculis cæci, dum digitum auribus ſurdi admovit, & ſalivam linguæ hominis muti dum lavit pedes Apoſtolorum, dum inſufflavit in Apoſtolos, dum panes benedicens manum impoſuit, dum Lazarum ſuſcitaturus oculos levavit in cælum, denique dum inſtituturus SS. Euchariſtiæ ſacramentum grande cœnaculum elegit benedictionem &c., gratiarum actionem adhibuit, quid aliud fecit, quàm ritus & cæremonias multas adhibuit, quibus in diſcipulorum animis magnam reverentiam & devotionem erga ejuſmodi actiones religioſas excitaret.

Itaque ſacerdotes dum ſacramenta adminiſtrant vel divina officia celebrant, debent decentem cultum & religioſam cæremoniarum obſervantiam adhibere ut ſeſe & alios excitent ad pietatem & tantorum miniſteriorum condignam venerationem: quæ proh dolor in multis ſacerdotibus *Gravis querela de irreligioſitate & incuria miniſtrorũ circa ſacramenta.*

dotibus in tantum defecit ut munia ſua ſacerdotalia obeant ſine ulla pænè reverentia, aut religione: quin imo ipſa ſanctiſſima myſteria tantâ feſtinatione, tantâ levitate. & geſticulationibus potiùs quam gravitate obeunt, ut hiſtrionibus potiùs quam Chriſti miniſtris ſimiles appareant: Ex quo fit ut ſacerdotium non plus quam ars mechanica ab hominibus ſæcularibus æſtimetur,&, quod cum gemitu ſcribo, ex inordinata & indiſciplinata multorum ſacerdotum vita hodie contemptui datur ipſum venerabile ſacramentum.

Peccatū eſt omittere cæremonias in miniſtratione Sacramentorum.

Petes an miniſter poſſit ſine peccato cæremonias ab eccleſia præſcriptas in adminiſtratione alicujus ſacramenti omittere.

Reſp. neg. niſi juſta cauſa excuſet, quod probatur ex can. ultim. ſeſſ. 6. Conc. Trident. ubi dicitur „ ſi quis dixerit re„ceptos & approbatos eccle„ſiæ catholicæ ritus in ſolemni „ſacramentorum adminiſtra„tione adhiberi conſuetos aut „contemni aut ſine peccato à „miniſtris pro libitu omitti aut „in novos alios per quem„cumque eccleſiæ paſtorem „mutari poſſe: anathema ſit.

Petes ex quo ſigno poſſit dignoſci quod cæremonia aliqua ſit gravis aut levis, adeoque ab eccleſia præcepta ſub peccato mortali aut veniali.

Vnde poterit colligi an ſit mortale aut tantùm veniale.

Reſp. id dignoſci ex conditione materiæ & ſimul à communi judicio piorum & doctorum: unde ſi vel ex conditione materiæ vel communi judicio Doctorum cæremonia cenſeatur levis, illius omiſſio erit peccatum veniale: quod ſi verò gravis, illius omiſſio cenſebitur mortale: hoc addito quod dentur aliquæ cæremoniæ quæ tantùm ſunt conſilii, quarum proinde omiſſio nullum continet peccatum ſepoſito contemptu prout patet in precibus abſolutioni ſacramentali præmitti ſolitis.

Miniſter debet ſequi ritū ſua Eccleſia.

Petes quo rituali oportet miniſtrum uti in adminiſtratione ſacramentorum.

Reſp. Diœceſano: & ita Paſtor Diœceſis Mechlinienſis in adminiſtratione ſacramentorum uti debet rituali Mechlinienſi, Antuerpienſis, Antuerpienſi: & ita de cæteris.

Petes quid faciendum in caſu quo Paſtorale propriæ diœceſis deficit in aliquo ritu alicujus ſacramenti.

Reſp. tunc illum eſſe ſupplendum ex rituali Romano.

Digitized by Google

RECOLLECTIO.

HIc Lector parumper ſiſte, & antedicta hucuſque breviter recolligendo converte te intra te, & agnoſce quam multis titulis ad ſanctitatem, hoc eſt ad puritatem & integritatem vitæ ſis obſtrictus: primò quidem quia totius ſanctitatis vaſa, ipſa, inquam, SS. Sacramenta diſpenſationi tuæ ſunt commiſſa, è quibus tamquam fontibus omnes veræ ſanctitatis rivuli dimanant, ad quæ ſanctè & in ſtatu gratiæ adminiſtranda jure divino naturali, eoque graviſſimo quovis momento ſi Paſtor es aut curam animarum geris, debes eſſe paratus, perpetraturus alioqui horrendum ſacrilegium ſi vel unum ex illis præſumpſeris in ſtatu peccati mortalis conferre. O utinam hoc ſeriò & maturè expendas, & quantum tibi ejuſmodi cogitatio addat calcar actibus & moribus tuis jugiter invigilandi & animam tuam immaculatam cuſtodiendi ab hoc ſæculo: expoſcit itaque vocatio tua ut omni momento veſtimenta tua candida ſint quippe qui in omni S. miniſterio ſubis officium Angelorum: & ideo ſicut Angeli puri ab omni labe cum promptitudine fervoris & divinæ gloriæ zelo miniſteria ſua peragunt eâdem tu quoque animi puritate & ſpiritus ardore ad ſacramenta adminiſtranda te debes accingere: ad hoc enim Characterem ſanctum in ſacerdotio accepiſti, non ſolùm tamquam ſignum poteſtatis tibi traditæ,

Digitized by Google

ſed & tamquam ſignaculum ſanctitatis & gratiæ tibi datæ ad functiones eccleſiaſticas rite decenterque obeundas reſuſcita proinde ô ſacerdos ô miniſter Chriſti ſæpius in te gratiam quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbyterii nec pulvere terreno aut vitæ deſidiâ ſinas obrui efficaciam gratiæ ſacerdotalis. Inſuper cum tibi tuique ſimilibus altè inculcetur nolite dare ſanctum canibus, attende quæſo quanta tibi incumbat obligatio fideliter & competenter ſacramentorum ſanctitati illa adminiſtrandi ſolis illis ad illa ritè dipoſitis, adeoque de ſtatuè & diſpoſitione ſuſcipientium juxta ſacramenti exigentiam cognoſcendi idque ne illud adminiſtretur indignè, quod tibi inhibetur ſub reatu duorum graviſſimorum peccatorum, ſcandali ſcilicet cooperando proximi peccato, & ſacrilegii. Illud indignè collocando in anima peccatoris multò fædius multoque deteriùs quam in ſterquilinio hæc ſeriò expende.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS II.

De Baptiſmo.

DUBIUM I.

Quid Baptiſmus, & quotuplex?

Quid ſignificet vox baptiſmus.

BAPTISMUS eſt vox Græca Latinè idem ſignificans quod vox ablutio, ſeu potiùs immerſio; ita enim ſolebat baptiſmus olim conferri per immerſionem in aquam ad repræſentandam Chriſti ſepulturam juxta illud Apoſt. ad Coloſſ. 2. *Conſepulti ei in baptiſmo.*

Baptiſmus variis nominibus appellatur à SS. P. P.

Appellatur autem baptiſmus à SS. Patribus variis nominibus; Etenim â materia dicitur lavacrum regenerationis Appellatur ſacramentum fidei tum à forma tum inſuper quia in baptiſmo fit profeſſio fidei, & per illum baptizatus incorporatur communitati fidelium. Ab effectu verò appellatur ſignaculum Chriſtianum, teſſera militis Chriſtiani &c.

Baptiſmus propriè dictus eſt unicus.

Baptiſmus in rigore & propriè loquendo eſt unicus juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. unus Dominus, una fides unum baptiſma: in ſenſu tamen metaphorico eſt triplex ſcilicet, fluminis, flaminis & ſanguinis. Primus antonomaſticè & propriè vocatur baptiſmus. Secundus ſcilicet flaminis eſt baptiſmus pœnitentiæ ſeu contritionis, quæ quia fit inſtinctu & interno quaſi ſufflatu Spiritus ſancti, qui dicitur flamen, ideo & ipſa quoque appellatur flamen hæc contritio itaque in adultis, cum voto baptiſmi, quando illum ſuſcipere non poſſunt, habet vim baptiſmi; delet peccatum originale; inſuper & actualia commiſſa; prout & omnem pœnam tollere poteſt ſi valde fervens ſit, quamvis communiter tantùm deleat partem pœnæ. De hoc baptiſmo flaminis intelligunt aliqui illud Luc. 3. dum dicitur *prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* De hoc particulariter infra agemus Tract. de Sacram. Pœnitentiæ: Hîc tantùm reſtat indagandum quomodo ille differat à baptiſmo aquæ. Ad quod

Impropriè tamē ſumptus eſt triplex.

 Dico

Digitized by Google

In quo differt baptiſmus flaminis à baptiſmo fluminis.

Dico 1. in eo differre quod non conferat gratiam ex opere operato, prout confert baptiſmus aquæ. 2. Quod baptiſmus aquæ deleat totam culpam & totam pœnam; contritio verò, ſeu baptiſmus flaminis, quamvis remittat totam culpam, non tamen ſemper totam pœnam, ſed tantùm ſecundum proportionem contritionis. 3. Quia baptiſmus flaminis non imprimit characterem, prout facit baptiſmus aquæ.

Petes quomodo definiatur baptiſmus aquæ.

Reſp. optimè definitur in Catechiſmo Romano Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ: a S. Thoma verò ſic, eſt ablutio corporis exterior facta ſub præſcripta verborum formula.

In omni Sacramento tria reperiuntur.

Porro nota tam in baptiſmo quam in aliis omnibus ſacramentis tria ſemper reperiri, nempe id quod eſt ſacramentum tantùm, id quod eſt res tantùm, denique id quod eſt res & ſacramentum ſimul. Sacramentum tantùm vocatur id quod ſignificat & non ſignificatur, quale eſt materia & forma: res tantùm eſt id quod tantùm ſignificatur & non ſignificat qualis eſt gratia baptiſmalis. Porro res & ſacramentum ſimul eſt id quod ſignificat & ſignificatur, qualis eſt character baptiſmalis, qui ſignificatur per materiam & formam, & ſignificat gratiam ſanctificantem.

DUBIUM II.

Quandonam Baptiſmus ſit inſtitutus.

Baptiſmus inſtitutus eſt à Chriſto ante paſſionem ſuam.

Certâ fide tenendum eſt baptiſmum eſſe unum è ſeptem ſacramentis novæ legis à Chriſto D. inſtitutum: prout definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. variant tamen Doctores circa tempus quo ille inſtitutus fuit. Verior tamen & communior eſt ſententia S. Thomæ qui aſſerit illum fuiſſe à Chriſto inſtitutum ante ſuam paſſionem.

Probatur 1. ex cap. 3. S. Joan. dum ait, *poſt hæc venit JESUS & diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & Baptizabat.* Non utique baptiſmo Joannis.

Probatur 2. quia Chriſtus pridiè quam pateretur, Apoſtolos ſuos ordinavit Sacerdotes, ipſiſque tribuit ſacramentum corporis & ſanguinis ſui; ergo ante erant baptizati baptiſmo Chriſti, quia ille eſt, janua omnium ſacramentorum adeoque nemo capax eſt alicujus ſacramenti niſi fuerit baptizatus.

Porro,

Digitized by Google

Veriſimiliter eſt inſtitutus quando Chriſtus eſt à Ioanne Baptizatus.

Porro, ſi petatur, quandonam preciſè fuerit à Chriſto inſtitutus, rectè reſpondetur eo ipſo tempore quo ipſe à Joanne in Jordane eſt baptizatus Matth. 3. nam ibi aſſignata fuit materia & forma baptiſmi in actu exercito, ſcilicet aqua, & expreſſio trium perſonarum divinarum: tunc quippè Chriſtus aquas ſanctificavit, eiſque tribuit vim regenerativam. Tunc quoque Spiritus S. in ſpecie columbæ viſus eſt, & vox Patris audita eſt *Hic eſt filius meus dilectus in quo* &c. & ita cenſent plures Patres ſignanter Beda Hom. 8. de Epiphania. S. Ambroſ. lib. 2. in Lucam cap. ultimo &c.

Baptiſmus inſtitutus eſt à Chriſto ante paſſionem ſuam.

Dices baptiſmus habet vim ex Chriſti paſſione ſicut & alia ſacramenta, ergo non extitit ante Chriſti paſſionem.

Reſp. neg. conſequentiam: quia ſicuti paſſio Chriſti prævisa ſuffecit ad juſtificationem SS. Patrum in veteri teſtamento, ita quoque ſufficiebat ad dandam juſtitiam per baptiſmum ante Chriſti mortem; ſicut & per Euchariſtiam & Sacramentum Ordinis quæ ſunt inſtituta ante Chriſti paſſionem.

Dices baptiſmus tantùm eſt inſtitutus quando Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem dixit diſcipulis ſuis *Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Reſp. negando antecedens: nam Chriſtus hiſce verbis tantùm præcepit illius prædicationem, ut ſcilicet Apoſtoli in omnibus gentibus prædicarent & annunciarent illud ſacramentum tamquam ad ſalutem neceſſarium, poſt factam promulgationem Euangelii. Ante mortem Chriſti erat quidem inſtitutum, ſed nondum erat neceſſarium ad ſalutem; nam circumciſio & lex vetus tunc adhuc obligabant.

Dices Chriſtus, præceptum de baptiſmo dedit Joann. 3. his verbis, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt* &c. ſed hæc protulit ante paſſionem, ergo.

Reſp. Chriſtum dictis verbis Nicodemo revelaſſe magnum illud myſterium, ſcilicet quod baptiſmus futurus eſſet neceſſarius ad ſalutem, adeoque aliquando obligaturus, non verò pro tunc quando illa verba proferebat præceptum de baptiſmo ſuſcipiendo tuliſſe: quia loquebatur ibidem Nicodemo ut homini particulari, & in privato colloquio: præceptum autem adeo ſolemne debuiſſet publicè promulgari ſi tale ſubfuiſſet: unde nec illud ſtatim obligavit poſt

ipſius reſurrectionem, ſed tunc demum quando debitè fuit promulgatum.

Baptiſmus Chriſti & Joannis in quo differant.

Petes quænam fuerit differentia inter baptiſmum Chriſti & baptiſmum Joannis.

Reſp. quod baptiſmus Chriſti fuerit ſacramentum, Joannis non. 2. Quod baptiſmus Chriſti contulerit gratiam ex opere operato Joannis autem tantùm ex opere operantis. 3. Quod baptiſmus Chriſti impreſſerit Characterem, Joannis verò non, qui poſterior proinde potuerit reïterari.

DUBIUM III.

An Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem?

Quæ dicantur neceſſaria neceſſitate medii.

PRo majori claritate eorum quæ hic dicentur.

Præſupponendum 1. ex communi ſententia Theologorum dupliciter aliquid in moralibus poſſe dici neceſſarium, ſcilicet neceſſitate medii, & neceſſitate præcepti. Illud vocatur neceſſarium neceſſitate medii ſine quo, etiam invincibiliter & inculpatè prætermiſſo, ſalus obtineri non poteſt. Illud verò appellatur, neceſſarium neceſſitate præcepti, quo quidem culpabiliter prætermiſſo ſalus obtineri non poteſt: ſecus verò ſi inculpabiliter omittatur. Exemplum prioris eſt fides articulorum neceſſariorum neceſſitate medii, exemplum poſterioris eſt obſervatio præceptorum eccleſiæ.

Et quæ præcepti.

Hac diſtinctione præmiſſa inquirimus hic quâ neceſſitate baptiſmus ſit neceſſarius.

Baptiſmus neceſſarius eſt neceſſitate medii ad ſalutem.

Dico 1. baptiſmus omnibus & ſingulis adultis eſt neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii in re vel in voto: in re quidem quando is ſuſcipi poteſt, in voto verò quando non eſt facultas illum recipiendi. Porro votum illud poteſt eſſe duplex nempe implicitum & explicitum, hoc cenſetur habere quando quis actu habet intentionem, propoſitum, vel deſiderium ſuſcipiendi baptiſmum: implicitum vocatur quod continetur in alio actu includente propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum; & talis eſt actus contritionis vel amoris Dei ſuper omnia: ſiquidem in illis continetur voluntas vitandi omnia peccata: prout & propoſitum ſervandi omnia præcepta inter quæ eſt illud de ſuſcipiendo baptiſmo.

Probatur 1. ex Chriſti verbis ante citatis Joann. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei*: ubi nota particulam, *niſi*, denotare neceſſitatem medii in re vel in voto:

Digitized by Google

to: prout hæc communiter explicant Concilia, Patres & Doctores.

Probatur 2. ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 5. his verbis „ ſi „ quis dixerit baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem anathema „ ſit.

Eſt etiã neceſſarius neceſſitate præcepti.

Dico 2. Baptiſmus non ſolum adultis neceſſarius eſt neceſſitate medii, ſed etiam præcepti divini. Probatur, quia quidquid adulto eſt neceſſarium neceſſitate medii dummodò ſit in ejus poteſtate eſt illi quoque neceſſarium neceſſitate præcepti ſiquidem adultus qui non adhibet medium ad ſalutem neceſſarium graviſſimè delinquit contra charitatem ſui: quippe qui jure divino naturali obligatur ſaluti ſuæ conſulere.

Probatur 2. ex Matth. 28. his verbis *euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. quo loco Chriſtus præcipit Apoſtolis omnes gentes baptizare, ergo & omnibus gentibus impoſitum eſt præceptum ſuſcipiendi baptiſmum, alioquin enim præceptum impoſitum Apoſtolis eſſet ſuperfluum ſi homines ſimili præcepto non obligarentur.

Probatur 3. quia media ordinaria & neceſſaria ad ſalutem corporis ſunt in præcepto, ergo multò magis illa quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem animæ prout eſt baptiſmus.

Petes quandonam hoc præceptum obliget adultos.

Quandonam obliget præceptũ baptiſmi adultũ.

Reſp. quamprimùm moraliter loquendo baptiſmum commodè ſuſcipere poſſunt, ne alioquin illum differendo ſeſe exponant periculo æternæ damnationis.

Petes quid ſi quis ſit in gratia conſtitutus per baptiſmum in voto, ut puta per actum contritionis, an obligabitur ſtatim ſuſcipere baptiſmum.

Reſp. Affirm. quia obligatur adimplere præceptum baptiſmi cujus omiſſione amittit gratiam ſanctificantem.

Parvulis baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem.

Dico 2. baptiſmus reipsâ ſuſceptus per ſe loquendo eſt parvulis neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii, ita ut nec votum parentum, nec ullum aliud remedium illis prodeſſe poſſit præterquam martyrium: de quo ſuo loco. Et hæc eſt communis omnium Theologornm ſententia, quam & ſenſus Eccleſiæ, ſcripturæ teſtimonia & Conciliorum decreta evidenter declarant & inter cæteros Patres pluribus locis id diſertè aſſerit S. Aug. inominatim Epiſt. 28. ad Hieron. his verbis „ quiſquis di-„ xerit

„ xerit quod in Chriſtum vivifi„ cabuntur etiam parvuli qui ſi„ ne ſacramenti ejus perceptio„ ne de vita exeunt, hic profe„ ctò & contra Apoſtolicam „ prædicationem venit, & to„ tam condemnat Eccleſiam : „ ubi propterea cum baptizan„ dis parvulis feſtinatur & cur„ ritur, quia ſine dubio creditur „ aliter eos in Chriſto omnino „ vivificari non poſſe.

Objecto 1. Dices, ſicuti dicitur Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit* &c. ita dicitur Joan. 6. *niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis*; ſed ex hoc poſteriori loco non colligitur Euchariſtia eſſe omnibus neceſſaria ad ſalutem, ergo neque ex priori colligitur id de baptiſmo.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt quod baptiſmus ſit quædam ſpiritualis generatio quæ omnibus tam infantibus quam adultis eſt ad ſalutem neceſſaria, quippe ſine qua nemo poſſit eſſe filius Dei: Euchariſtia verò ſit quædam ſpiritualis nutritio quæ ſolis adultis eſt neceſſaria non verò infantibus, nam ſicuti corporalis nutritio tantùm eſt neceſſaria ad reſtaurandum humidum radicale quod per calorem paulatim abſumitur, ita quoque nutritio ſpiritualis tantùm eſt neceſſaria quando per quotidiana peccata aliquid deperditur quod eſt reſtaurandum : quod locum non habet in parvulis ; propterea ſupra citata Scriptura Joann. 6. *niſi manducaveritis* &c. manifeſtè dirigitur ad adultos tantùm præcepti capaces : ſecus verò illa de Baptiſmo Joan. 3.

Dices, parvuli oriundi ex parentibus Chriſtianis ſancti ſunt, ut patet ex Apoſtolo, ad Cor. 7. ubi dicitur, *alioqui filii veſtri immundi eſſent, nunc verò ſancti ſunt* ergo non indigent baptiſmo. *Objecto 2.*

Reſp. ſanctitatem illam de qua Apoſtolus hìc loquitur non eſſe juſtitiam inhærentem, ſed ſanctitatem quamdam inchoatam & impropriè dictam : nam eodem loco Apoſtolus dicit filios à parentibus ſuis ſanctificari ſicut ſanctificatur vir infidelis per uxorem fidelem : ſed is ex eo quod habeat uxorem fidelem non fit eo ipſo intrinſecè ſanctus (alioquin nulla bona uxor haberet malum maritum quod eſt contra experientiam) ergo nec filii ex eo quod preciſè naſcantur à parentibus fidelibus accipiunt veram ſanctitatem, ſiquidem conſtat plures filios fidelium parentum eſſe improbos : proinde dicto loco venit Apoſtolus intelligendus, ut diximus, de

Digitized by Google

de quadam ſanctitate inchoata, quatenus nimirum bono exemplo inſtructione & diligentiâ parentum fidelium pueri ipſorum paulatim diſponuntur ad bonam vitam & veram juſtitiam.

Objectio 3. Dices parentes fideles non habent peccatum originale, ergo illud non poſſunt transfundere in proles, quæ conſequenter non egent baptiſmo.

Reſp. neg. conſequentiam: nam licet illi non effectivè producant aut communicent filiis peccatum originale tamen per carnalem generationem illos producendo ex ſemine Adæ ſubminiſtrant materiam in quam peccatum originale transfunditur.

Objectio 4. Dices ſi baptiſmus ſit adeo neceſſarius ad ſalutem ſequitur omnes pene infantes carere præſidio ſalutis quod eſt contra infinita Chriſti merita quæ omnibus debent eſſe communia.

Reſp. neg. ſubſumptum: quia licet Chriſti merita ſint infiniti valoris, non proſunt tamen niſi applicentur, applicantur verò juxta divinam ordinationem in qua partim bonitas ejus elucet partim juſtitia.

Porro quærenti cur applicet potius Chriſtus uni ſua merita quam alteri Reſpondet Apoſtolus ad Rom. 9. *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo*, & cap. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus.*

Objectio 5. Dices in veteri teſtamento non fuit fides majoris efficaciæ quam ſit in novo, ſed illa in veteri teſtamento ſigno aliquo externo applicata parvulis tollebat peccatum originale, ergo facit etiam hoc adhuc hoc tempore, & conſequenter baptiſmus non eſt ipſis neceſſarius ad ſalutem.

Reſp. Cajetanum concedere totum qui ait hoc modo ſuccurri poſſe infantibus in utero materno exiſtentibus: ſed hæc ſententia tanquam temeraria juſſu Pii V. Pontificis Maximi è commentariis ejus in S. Thomam eſt expuncta: ac proinde ad argumentum.

An fides in veteri lege fuerit efficacior quã in nova.

Reſpondetur negando conſequentiam: cujus ratio eſt quia quod in veteri teſtamento fides parentum parvulis externo ſigno applicata deleverit peccatum originale, id habuit non ratione fidei, ſed in ratione ſacramenti quod quidem tunc non erat determinatum ad aliquod ſignum externum particulare: nunc verò iſtud eſt determinatum ad ablutionem aquæ.

Objectio 6. Dices ſaltem via ſalutis modo non eſt anguſtior quàm in veteri teſtamento, ſed pro tunc ſufficiebat fides in Meſſiam venturum

rum externo ſigno applicata, ergo & nunc.

Reſp. neg. conſequentiam: & dico per Chriſtum viam ſalutis non eſſe reſtrictam ſed potius ampliatam: ſiquidem pueri in nova lege per baptiſmum non tantum conſequuntur remiſſionem peccati originalis, ſed & ſtatim admittuntur ad regnum cœlorum quod pueris in veteri lege erat clauſum. Addo non eſſe inconveniens ſi pro majori beneficio aliquid ampliùs requiratur.

Objectio 7.

Dices parvulis in utero materno exiſtentibus poteſt communicari peccatum originale; ergo ſimiliter poteſt & illis applicari ibidem ſemper remedium quo ſalventur per Chriſti meritum.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt quia peccatum originale transfunditur per generationem carnalem quę fit in utero: meritum vero Chriſti applicatur per generationem ſpiritualem quæ ordinariè fit extra uterum: dico, *ordinariè*, quia ſi infantulus in utero matris exiſtens poſſit quandoque per accidens ablui poterit & in eodem ſpiritualiter regenerari.

Baptiſmus aliter neceſſarius parvulis quam adultis.

Ex dictis patet baptiſmum eſſe ad ſalutem neceſſarium tam adultis quam parvulis quamvis non eodem modo, ſiquidem parvulis ita eſt neceſſarius ut ſepoſito baptiſmo aliter ſalvari non poſſint: adultis verò eſt neceſſarius in re vel in voto: ſiquidem illi inſuper ſalvari poſſunt per actum contritionis aut amoris Dei ſuper omnia, quatenus in ſe continet votum baptiſmi: & hæ exceptiones fundantur in Scriptura S., Eccleſiæ traditione & Patrum doctrina: non poſſumus autem à generali Scripturæ S. ſententia, qualis eſt hæc *niſi quis renatus fuerit* &c. facere alias exceptiones quàm faciat Scriptura S. Eccleſia aut Patres, qui cùm pro parvulis non excipiant niſi caſum martyrii, & pro adultis ultra martyrium non excipiant niſi baptiſmum in voto, conſequens eſt ab hac univerſali Scriptura non dari alias exceptiones.

Ex dictis refutantur errores hæreticorum, ſignanter Pelágianorum qui cenſuerunt baptiſmum parvulis non eſſe neceſſarium: item Joannis Wicleffi, Calvini, & aliorum noſtri temporis hæreticorum aſſerentium ex Apoſtolo male intellecto, baptiſmum prolibus fidelium non eſſe neceſſarium.

Petes, qnamdiu baptiſmus poſſit differri.

Reſp. quod attinet ad adultos,

Digitized by Google

tos, obligantur illum ſuſcipere quamprimùm fuerint ad illum ſuſcipiendum ſufficienter diſpoſiti & inſtructi: quod probatur quia quando eſt præceptum aliquod affirmativum quale eſt de ſuſcipiendo baptiſmo, tempus quo illud obligat venit colligendum ex natura & conditione operis præcepti, ſed baptiſmus qui præcipitur naturâ ſuâ eſt exordium religionis; ergo poſtulat ut ille quamprimum ſuſcipiatur, eò quod homo manere non poſſit ſine religione.

Eapropter prava fuit olim conſuetudo eorum qui baptiſmum differebant uſque ad mortem, ut interea liberiùs viverent: quod ſi quidam viri ſancti olim baptiſmum diſtulerint, id vel ſine gravi cauſa non fecerunt, vel differendo peccârunt, vel certè per ignorantiam tantæ obligationis potuerunt aliquouſque excuſari.

Parvuli ſtatim Baptizandi. Quod attinet ad parvulos, illi ſtatim ſunt baptizandi, & quamvis illi non ſint capaces præcepti, eorum tamen parentes aut curatores obligantur illis quamprimùm ſacramentum tantæ neceſſitatis, tam ex Charitate, quam ex officio procurare, non quidem ita ſtatim ſi divinum præceptum ſe ſolo ſpectetur, quia illud nullum tempus determinavit: quod ſi tamen cum divino jure conſiderentur pericula quæ ſunt frequentia & ſubitanea in teneriori illa ætate, obligantur quamprimùm; & ita jure eccleſiaſtico in Synodis Diœceſanis ſæpius repetito debent infantes recenter nati ſtatim ad baptiſmum præſentari, ita ut longa dilatio ſine gravi cauſa non careat gravi peccato quæ omnia prudenti judicio & ciriumſtantiis ſunt perpendenda, Dilatio tamen aliquot dierum, puta duorum aut trium, modò non ſubſit morale periculum mortis non eſt peccatum mortale: nihilominus tamen Parochi obligantur ſuos parochianos, ſeriò monere ne differant proles ſuas ad baptiſmum deferre, nequidem ob ſuſceptorum abſentiam ut ſaltem intra diem tertium baptizentur: neque licet Paſtori differre baptiſmum alicujus prolis, eò quod ſit illegitima aut parentes ejus ignorentur, aut quod ſit expoſititia, vel non habeat fidejuſſorem pro alimentis: attamen inquirere tenetur de veris parentibus ut poſſint illorum nomina ſcribi in regiſtro, ut impedimenta matrimonii ſi quæ ſubſint poſſint etiam exinde poſtea cognoſci.

DUBIUM IV.

Quænam ſit Materia Baptiſmi.

Materia baptiſmi eſt aqua naturalis.

DUplex ſolet aſſignari à Doctoribus materia baptiſmi, una remota altera proxima: materia remota baptiſmi eſt aqua naturalis ſeu elementaris quod eſt certum ſecundum fidem.

Probatur 1. ex verbis Chriſti Matth. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* &c. quibus verbis ſignificatur veram aquam eſſe materiam hujus ſacramenti ſiquidem verba Scripturæ S. ſemper propriè ſunt intelligenda, niſi in proprio ſenſu contineant aliquid abſurdi.

2. Definitur hæc veritas in Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 2. prout hoc ante fuerat definitum in Conc. Florent. & in Lateran. 1. ſub Innocent. III. cap. *firmiter* de Sancta Trinitate.

Ex his collige quod ad valorem baptiſmi ſufficiat aqua maris, fluminis, fontis, ſtagni, putei, ciſternæ, pluvialis, &c. item aqua reſoluta ex nive, glacie, grandine, item aquæ diffluentes ex balneis, quantumvis ſint odoris ſulfurei: ratio horum eſt quia omnes illæ aquæ ſunt naturales.

Aqua diſtillata ex herbis non ſunt materia baptiſmi.

Econtra aquæ quæ vi ignis per diſtillationem extrahuntur ex herbis, floribus, vel radicibus, qualis eſt, aqua roſacea, aqua vitæ, &c. aqua ſtillans ex inciſione vitis, item aquæ omnes quæ ex ſuccis herbarum exprimuntur, non ſunt valida materia baptiſmi, quippe cum non ſint aquæ naturales, ſed rerum è quibus exprimuntur ſubſtantia, quin imo quaſi quinta illarum eſſentia. Similter nec ſunt valida materia baptiſmi aquæ ità alteratæ vel alteri corpori ita immixtæ, ut aquæ naturam & denominationem amiſerint; prout ſunt cereviſia, mulſum, juſcula vervecina, bovina &c. Inſuper nix, glacies, grando, eſto ſint ſubſtantialiter aqua tamen non ſunt materia valida hujus ſacramenti quia non ſunt in tali ſtatu in quo ſunt apta ad abluendum.

Uti nec cereviſia, nix, glacies &c.

Non licet in quavis aqua naturali baptizare extra caſum neceſſitatis.

Petes, an quævis aqua naturalis ſufficiat ut quis licitè in ea baptizet.

Reſp. per ſe loquendo negativè, ſed hac in parte ſervandam eſſe conſuetudinem Eccleſiæ, adeoque ſecluſâ neceſſitate ſemper adhibendam eſſe aquam ſacri fontis ritè benedicti, idque ſub peccato mortali.

Dixi, *per ſe loquendo*, nam ſi propter neceſſitatem baptiſmus domi

Digitized by Google

domi privatim debeat conferri, & aqua benedicta fontis facile non poſſit haberi, licitum erit baptizare in aqua non benedicta.

In neceſſitate licitum eſt uti aqua dubiâ, ubi non poteſt haberi certa.

Petes an quandoque non ſit licitum baptizare in materia dubia, hoc eſt in aliquo liquore de quo verè dubitatur an ſit aqua.

Et quomodo baptizandum in tali caſu.

Reſp. Affirm. nimirum dum baptizandus eſt in periculo mortis, & materia certa haberi non poteſt: quo caſu baptiſmus ille conferri debebit ſub hac conditione, ſcilicet *ſi hac materia ſit valida ad baptizandum: ego te baptizo* &c. qui proinde quam primum vera aqua naturalis haberi poteſt debet iterum baptizari ſub alia conditione, ſcilicet hac, *ſi non es baptizatus ego te baptizo* &c. Quorum ratio eſt quia Charitas in tali circumſtantia obligat, nos ut adhibeamus quodcumque medium quo forte poterimus proximo periclitanti ad ſalutem ſuccurrere quando certum haberi non poteſt quo caſu neceſſitas abſtergit omnem irreverentiam quæ timetur.

Materia proxima baptiſmi eſt ablutio.

Dico 2. materia proxima baptiſmi eſt ablutio: quod patet, quia ex illa & præſcripta verborum formula componitur ſacramentum baptiſmi. Porro nomine ablutionis intelligitur ipſa applicatio quà aqua in ſufficienti quantitate per actionem miniſtri applicatur corpori baptizati: ſive eſt ipſemet contactus ſucceſſivus quo aqua per actionem miniſtri tangit corpus baptizati; idque ſive hoc fiat per immerſionem, ſive per effuſionem, ſive per aſperſionem.

In abluendo debet miniſter ſequi ritum ſuæ Eccleſiæ.

Petes qualis ablutio requiratur ad baptiſmum.

Reſp. quod attinet ad valorem, perinde eſt, ut diximus, ſive fiat per immerſionem, ſive per effuſionem ſive per aſperſionem: quod verò attinet ad eſſe licitum, debet miniſter baptizans eccleſiæ ſuæ Cathedralis ritum ſervare aliter graviter peccaturus, niſi tamen in caſu aliquo particulari neceſſitas aut honeſtas aliud ſuaderet.

In qua quantitate debeat fieri ablutio.

Petes quanta ablutio ſit neceſſaria ad baptiſmi valorem.

Reſp. tanta, quanta requiritur ad hoc ut homo ſecundum commune & prudens judicium denominetur ablutus ſeu lotus: & quia hoc ſacramentum eſt ſummæ neceſſitatis ſentio eam ſemper aquæ copiam eſſe adhibendam, quę ad baptiſmi valorem ſecluſo omni dubio ſufficere poſſit: unde præſtat pro majori ſecuritate in quantitate aquæ potius parumper excedere quam deficere.

Petes, quænam corporis pars ablui debet ut baptiſmus ſit certò validus.

Digitized by Google

Debet caput ablui ſecluſa neceſſitate.

Reſp. caput: nam eſto in quacumque corporis parte homo lavetur ſufficienter dicatur ablutus ſicuti denominatur vulneratus in quacumque corporis parte vulneretur, tamen ad tollendos ſcrupulos & pro majori quoque ſecuritate, quia de aliis corporis partibus à capite diſtinctis non infimæ notæ Doctores dubitant, ſentio ablutionem illam ſecluſâ neceſſitate ſemper fieri debere in capite: adeoque ſi quis in alia corporis parte à capite diſtincta v. g. in pectore, ſcapulis, pede vel manu in neceſſitate fuerit baptizatus illum pro majori ſecuritate eſſe rebaptizandum ſub conditione.

Quid ſi in aliis partibus fuerit facta ablutio.

Notandum tamen quod quando dicimus baptiſmum eſſe conferendum in capite, id ita debere intelligi non quaſi totum caput ſit abluendum, ſed ſolùm notabilis ejus pars & ita habet communis uſus & praxis eccleſiæ.

Petes an eſſet validus baptiſmus ſi Petro exiſtente in aqua Paulus aquam non applicando diceret ego te baptizo &c.

Reſp. nequaquam quia nimirum contactus illius aquæ non fit à baptizante & conſequenter non eſt ablutio ad ſacramentum requiſita quippe cum forma ſit falſa.

Petes an valeret baptiſmus ſi quis unam aquæ guttulam projiceret in alterum dicendo ego te baptizo &c.

Reſp. neg. quia ſcilicet ab una guttula nemo denominatur ablutus: præterea ſicuti aqua in vaſe exiſtens non dicitur abluere vas quod contingit, ita nec una guttula dicitur abluere corpus quod ſolùm contingit, quia ad ablutionem requiritur contactus ſucceſſivus, quamvis nec ille quoque ſemper ſufficiat, nimirum quando non eſt tam notabilis ut ab ea homo denominetur ablutus.

Petes an ille cujus capillos aqua ſolùm attingit ſit validè baptzatus.

Reſp. negativè quia capilli non ſunt pars hominis ſed ſolum quædam ſuperfluitas & excrementum non informatum animâ, ſicut ungues, adeoque talis erit ſub conditione rebaptizandus idque quidquid ſit de probabilitate valoris quia probabitas hic nequit ſupplere defectum qui timetur, adeoque in materia baptiſmali propter ſummam hujus ſacramenti neceſſitatem & damnum irreparabile quod ex ejus invaliditate timetur debemus quoties fieri poterit certam viam amplecti. Idem dicendum ſi aqua veſtes tantùm, chirotecam, aut pileum bapti-

baptizandi attingat; quia homo non cenſetur verè ablui qui non ſecundùm aliquam corporis partem attingitur aquâ.

An infans in utero matris exiſtens poſſit baptizari.

Petes, an infans in utero matris exiſtens poſſit baptizari.

Reſp. per ſe loquendo negativè quia per ablutionem uteri matris non cenſetur ipſe infantulus ablui: quod ſi tamen obſtetrix manu poſſet infantem in utero aquâ contingere deſuper prolatâ formâ, ipſum validè baptizaret; eò quod omnia ad ſacramenti valorem adſint, ſcilicet materia, forma, & intentio miniſtri: nec refert quod infantulus ille needum ſit natus corporaliter quia ſpiritualis regeneratio non requirit corporalem nativitatem ex utero. Unde patet ejuſmodi infantem dummodo certum foret eum in utero baptizatum eſſe in capite, non eſſe rebaptizandum poſtquam è ventre matris egreſſus fuerit.

Hoc tamen hîc bene notandum quod quando obſtetrix baptizat infantem in utero matris, debeat rumpere ſecundinam pellem quâ infans eſt involutus, idque ut aqua corpus ejus attingat, alioquin enim baptiſmus non eſſet validus non plus quam ſi infantulus eſſet involutus in corio aliquo abluto tantum corio.

Quid faciendū Paſtori dum fœmina gravida moritur.

Petes, an obligetur Paſtor curare ſecari matrem gravidam mortuam ut fœtus baptizetur.

Reſp. Affirm, ſi nimirum propinqui id negligant & certò conſtet illam eſſe mortuam: ratio eſt quia cum ejuſmodi proles ſit in extrema neceſſitate ſpirituali, Paſtor tam ex officio quam ex charitate obligabitur illi ſuccurere, quinimo quoque cum periculo vitæ propriæ ſi affulgeat ſpes prolem baptizandi: & ita accidere poteſt tempore peſtis ut nemo ſit ad manum præter Paſtorem qui uterum matris ſecet quo caſu ille ad hoc cum periculo vitæ propriæ obligabitur quo caſu hoc obſervabit Paſtor ut ſtatim a morte matris ponat cochlear aut baculum inter dentes matris, ut infans interea poſſit reſpirare. Porro colliget matrem eſſe mortuam quando illi defuerit reſpiratio ac pulſus, colliget autem deeſſe reſpirationem ſi flammam candelæ aut lampadis ori matris admoveat & flammula illa ab ore non moveatur.

Non licèt occidere matrem ægrotantem ut fœtus baptizari poſſit.

Petes, an ſit licitum occidere matrem prægnantem ut fœtus vivus extrahatur & baptizetur.

Reſp. nequaquam quamvis etiam mater parturiens ſtatim eſſet obitura cum evidenti periculo

culo damnationis prolis: ratio eſt quia non ſunt facienda mala ut eveniant bona: quinimo ſi mater per Judicem ſit damnata ad mortem differendum erit ſupplicium uſque ad partum, idque ob bonum prolis ut habetur lege *pragnantem* de pœnis.

Niſi illa juſtè dãnata eſſet ad mortem.

Petes quid ſi interea quo ſupplicium differtur, mater ægrotet, & credatur fœtus antequam naſcatur moriturus ex morbo matris, an licebit tunc matrem occidere ut fœtus ſecetur ex utero matris.

Reſp. Affirm. quia anticipando ſupplicium ſervato juris ordine nulli irrogatur injuria & cedit mors matris in bonum prolis, cujus ſolius intuitu jura dilationem concedunt.

Qui intincto in aquam digito baptizat an validè baptizet.

Petes an validè baptizaverit mulier quæ moribundum infantem baptizavit ſolo ſigno crucis in fronte impreſſo digito aquâ madefacto.

Reſp. neg. quia ſi aqua quâ digitus eſt tinctus non fluat non eſt apta ad ablutionem: quidquid interim aliqui Authores quoad ſpeculationem dicant ejuſmodi baptiſmum valere; tamen quò ad praxim, caſu quo infantulus ſupervivat, debet rebaptizari ſub conditione, quia materia baptiſmi fuit dubia.

Validè baptizat qui prolem in puteum dejicit proferendo formam.

Quidam detulit infantem baptizandum ad remotam eccleſiam quem in via contigit periclitari de vitâ. cumque careret aquâ, ut ſalvaret animam ejus projecit infantem in obvium puteum interim proferens debitam formam, petes an baptiſmus ille fuerit validus.

Reſp. Affirm. ſi nimirum verba fuerint prolata antequam infans ſubmergeretur: quia omnia ad ſacramentum requiſita adſunt ſcilicet ablutio, forma, & intentio miniſtri: neque enim ad immerſionem requiritur emerſio; eſto enim baptiſmus ſignificet reſurrectionem Chriſti, illam ſufficienter ſignificat per reſurrectionem ſpiritualem, quam ille baptiſmus confert tali infanti: verumtamen ille baptizans graviſſimè peccaret, peccato homicidii, cum non ſint facienda mala ut eveniant bona.

Talis tamen homicida eſt ſi proles occidatur.

Petes quid ſi quis videat puerum labentem in flumen & ipſe in lapſu proferat formam baptiſmi, an baptiſmus ille erit validus.

Reſp. ex dictis negativè quippe cum eo caſu verba formæ ſint falſa quippe quæ ſignificent ablutionem fieri debere per actionem miniſtri.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM V.

Quænam ſit forma Baptiſmi.

Qua ſit forma baptiſmi.

FOrma ſacramenti baptiſmi ſunt hæc verba *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.* quod patet Matth. 28. ubi dicitur *euntes docete omne. gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.* hanc eſſe ſufficientiſſimam comprobatur ex communi uſu eccleſiæ, & definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 3. de bapt.

Pro majori hujus formæ explanatione quædam ſunt advertenda.

1. Quidam noſtri temporis hæretici quamvis formam relatam arbitrentur bonam, judicant tamen illam ad valorem baptiſmi non neceſſariam, idque conformiter falſis ſuis principiis quia ad ſacramentum non requirunt verbum rituale ſed concionatorium; quandoquidem enim ſecundum ipſos ſacramenta ſolùm in nobis excitent fidem de peccatorum remiſſione: nihil refert quibus verbis utatur miniſter, dummodo illa fidem in ſuſcipiente poſſint excitare: ac idcirco propter implacabile odium quo perſequuntur eccleſiam Romanam cum poſſint formam hujus ſacramenti ſubſtantialiter immutare aut applicare materiam inſufficientem, aut dubiam, vel etiam carere legitima intentione, hinc ſalubriter in Paſtorali Mechlinienſi impreſſo anno 1610. præſcribitur ut baptiſmus ab eis collatus tamquam ſuſpectus de valore, ſub conditione reiteretur & omiſſæ cæremoniæ ſuppleantur.

Quare baptiſmus ab hæreticis datus ſub conditione reiterandus.

Petes an ad valorem baptiſmi ſit neceſſe ut exprimatur in forma perſona baptizans.

Reſp. neg. ſaltem directè quod patet ex forma Græcorum quam Conc. Florent. judicat validam, in qua tamen directè non exprimitur perſona miniſtri. Quod ſi tamen quæſtio intelligatur de expreſſione indirecta & implicita Reſpondetur Affirmativè, quia forma debet explicare actionem ut procedentem ab eo qui profert formam: Ex quo ſequitur non validè confici baptiſmum ab uno abluente, & alio proferente verba: cujus non eſt alia ratio quam quia ad valorem ſacramenti non exprimitur in forma actio ut procedens à miniſtro. Porro quod ejuſmodi actio in forma debeat exprimi per verbum baptizo aut aliud æquivalens patet ex perpetuo uſu & ſenſu eccleſiæ, quæ judicat ad valorem baptiſmi non ſolùm requiri expreſſam invocationem

Digitized by Google

SS. Trinitatis ſed & expreſſam actionem ipſius miniſtri, quod colligit ex illa voce Matth. 28. *Baptizantes eos.*

Probatur hoc ipſum ratione quia actio baptizandi quam exercet miniſter eſt naturâ ſuâ indifferens ad diverſos effectus, ergo neceſſe eſt ut per formam determinetur ad hunc effectum qui eſt animam abluere: hinc cap. *ſi quis puerum* de baptiſmo dicitur. „ Si quis puerum in „ aquas immerſerit in nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus „ S. Amen, & non dixerit, „ ego baptizo te &c. non eſt „ puer baptizatus. „ Scilicet ob defectum expreſſionis actionis miniſtri. Ex quo patet quomodo græcus proferens formam baptiſmi debeat hanc vocem *Baptizetur ſervus Chriſti* intelligere, ſcilicet imperativè ſignificando ſe applicare materiam: ac proinde, ſi verbum illud baptizetur intelligat deprecativè nihil efficiet, eò quod tunc non explicetur actio ipſius miniſtri.

Petes an ad valorem baptiſmi requiratur ut in forma exprimatur perſona quæ baptizatur.

Reſp. Affirm. quod patet ex communi eccleſiæ ſenſu & uſu: unde patet hanc expreſſionem pertinere ad ſubſtantiam ſacramenti: quod colligit ex particula, *eos*. Matth. 28. dum dicitur *Baptizantes eos*: probatur hoc ipſum ex cap. *puerum* de baptiſmo, ubi decernitur baptiſmus invalidus ſi in forma non exprimatur *ego Baptizo te*: & quamvis ad valorem ſacramenti præcisè non ſit neceſſe perſonam baptizandam exprimi per particulam *te* ſed ſufficiat quodcumque aliud verbum æquivalens, tamen forma conſueta ſine peccato nequit negligi.

Petes an quis poſſit baptizare ſe ipſum.

Reſp. neg. quia illud *te* ex perpetuo eccleſiæ uſu ſignificat perſonam realiter diſtinctam à baptizante, ut patet ex cap. *debitum* de baptiſmo, ubi baptiſmus decernitur irritus quem Judæus exercuerat erga ſe ipſum, etiam in neceſſitate.

Ratio congruentiæ eſt quia baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio, inter generantem autem & generatum debet eſſe diſtinctio.

An baptizans Petrum putans ſe baptizare Paulum, valide baptizet.

Petes quid ſi quis baptizet Petrum putans eſſe Joannem an valebit baptiſmus.

Reſp. ſi habeat intentionem piam & religioſam (qualem baptizans ordinariè cenſetur habere) ſcilicet baptizandi perſonam præſentem qualiſcumque illa ſit, valebit baptiſmus; quia nimi-

nimirum non eſt error circa ſubſtantiam, ſed ſolum circa accidens, eo modo quo valida eſt abſolutio quam quis impendit fœminæ putans eſſe virum. Quod ſi tamen Miniſter haberet intentionem ſacrilegam & reſtrictam ad Joannem, ita ſcilicet ut ſi ille non ſit nolit baptizare, invalidus erit baptiſmus quem confert Petro; quia defuit intentio.

Item ſi baptizat virum putans ſe baptizare fœminam.

Petes an ſi Paſtor baptizaverit puellam, putans maſculum debeat reiterare baptiſmum.

Reſp. neg. dummodo habuerit piam intentionem baptizandi perſonam præſentem: ſed ſolùm nomen virile commutabit in fœmininum: quod nomen quidem poſſet quilibet commutare auctoritate propriâ, præſtat tamen fieri per Paſtorem propter periculum fraudis & doli quod quandoque poſſet ſubeſſe.

Invalida eſt hæc forma, baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Sp. S.

Petes an quis validè baptizaret ſi ter in forma exprimeret *in nomine* dicendo, *baptizo te in nomine Patris & in nomine Filii & in nomine Spiritus S.*

Reſp. neg. quia ad valorem formæ requiritur ut exprimatur unitas divinæ eſſentiæ: quod aperte deducitur ex verbis Chriſti Matth. 28. *baptizantes eos nomine Patris* &c. porro unitas divinæ eſſentiæ exprimitur per verbum *nomine*, & idcirco non dicitur *in nominibus*, quia ſcilicet in divinis non eſt multiplicitas eſſentiæ.

Expreſſio triũ perſonarum eſt de neceſſitate baptiſmi.

Petes an expreſſio trium perſonarum SS. Trinitatis ſit de neceſſitate baptiſmi.

Reſp. Affirm. quod patet ex verbis Chriſti Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* ratio congruentiæ eſt, quia baptiſmus eſt ſacramentum fidei, & janua eccleſiæ; adeoque in eo oportuit facere mentionem unitatis eſſentiæ, & trinitatis perſonarum: quia harum fides explicita eſt. ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii.

Non ſufficit ad formam, qualiſcumque ſignificatio trium perſonarum.

Petes, an ergo non erit validus baptiſmus collatus *in nomine SS. Trinitatis*, item collatus hoc modo, *ego te baptizo in nomine primæ, & ſecundæ, & tertiæ perſonæ*: aut *ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque.*

Reſp. neg. & ratio eſt, quia ut conſtat ex perpetuo Eccleſiæ uſu, debent perſonæ SS. Trinitatis in forma exprimi per nomina ſignificantia proprietates relativas: porro nomen *Trinitas*, non ſatis expreſsè ſignificat tres perſonas ſecundum ſuas proprietates relativas ſeu perſonales: nam eſto Chriſtiani audito hoc nomine, *Trinitas*, ſoleant concipere Patrem, Filium & Spiritum

tum S. id tamen non provenit ex vi ſignificationis nominis, ſed ex eo quod ipſi imbuti fide hujus myſterii, audito illo nomine facile moveantur ad concipiendum diſtinctè tres illas perſonas. Cæterùm illud nomen *Trinitas* ſolum ingenerat conceptum quod in Deo ſint tres perſonæ quæcumque demum illæ ſint: idem ſit judicium de duabus aliis formis recenſitis ſiquidem illa nomina *genitor*, *genitus*, *& procedens ab utroque*, item, *prima*, *ſecunda*, *& tertia perſona* non repræſentant divinas perſonas ſecundùm ſuas proprietates perſonales.

Petes an particula, *&*, requiratur ad valorem baptiſmi ita ut illâ omiſsâ baptiſmus ſit invalidus.

Reſp. neg. dummodo tamen retineatur ſenſus Catholicus nec denotetur unitas perſonæ, juxta errorem Sabellii: eſſet tamen peccatum illam deliberatè omittere.

Petes, an ſit validus & licitus baptiſmus collatus à Paſtore linguâ vulgari.

Reſp. Affirm. ſepoſito ſcandalo: quin imo qui linguam latinam non bene novit, meliùs faceret illum conferendo linguâ vulgari, quia habet juſtam cauſam.

Petes an valeret baptiſmus collatus in nomine Chriſti dicendo, *ego te baptizo in nomine Chriſti*.

Non eſt validus baptiſmus collatus in ſolo nomine Chriſti.

Reſp. neg. quod probatur ex verbis Chriſti Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* eſtque hoc definitum per Zachariam Papam. Hinc merito Pius V. doctrinam Cajetani aſſerentis baptiſmum in nomine Chriſti eſſe validum, ex commentariis juſſit expungi, & tamquam improbabilem haberi.

Quo ſenſu Apoſtoli dicantur baptizaſſe in nomine Chriſti.

Dices Scriptura S. ait Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti.

Reſp. id quidem verum eſſe: quod tamen non ita accipiendum eſt quaſi ſub hiſce verbis baptizaverint, ſed quod vi & poteſtate à Chriſto acceptâ baptizaverint: vel certe ſi illi ſub hiſce verbis baptizaverint, hoc feciſſe ex Chriſti diſpenſatione, qui non eſt alligatus formis ſacramentorum: idque ut hoc modo nomen Chriſti Judæis magis amabile redderetur, cùm per baptiſmum tunc & impoſitionem manuum viſibiliter daretur Spiritus Sanctus.

Poſſunt ſimul plures validè baptiſari per hanc formam, ego vos baptizo &c.

Petes an quando plures ſimul baptizantur, id fiat validè ſub una forma dicendo *ego vos baptizo in nomine* &c.

Reſp. Affirm. quod patet à ſimili

ſimili in abſolutione ſacramentali: nam Confeſſarius in neceſſitate unâ abſolutione poteſt plures abſolvere dicendo, *ego vos abſolvo.* Sicuti quoque ſacerdos unâ conſecratione poteſt plures hoſtias conſecrare: eſſet tamen grave peccatum extra neceſſitatem plures ſimul baptizare quia in re gravi proceditur contra communem eccleſiæ uſum.

Non tamen eſt licitum ſine gravi cauſa ſic facere.

Quin imo ubi poſtulat neceſſitas plures ſimul baptizari, tunc ſervanda ſunt ea quæ circa hæc præſcribit Paſtorale Mechlinienſe, ſcilicet ut maſculi baptizandi ponantur ad dextram, fœminæ verò ad ſiniſtram, & omnes cæremoniæ dicantur in numero plurali, præter hæc quæ ſequuntur, ſcilicet nominis interrogatio, 2. exſufflatio, 3. crucis impreſſio vel ſignatio 4. tactus aurium & narium cum ſaliva 5. abrenuntiationis interrogatio 6. unctio olei cathecumenorum 7. interrogatio de fide. 8. Unctio Chriſmatis. 9. Candidæ veſtis impoſitio, ac candelæ accenſæ traditio; & hæc quidem ſingulariter ſingulis, primò tamen maſculis fieri debent.

Petes an quando ſic plures ſub una forma in graviſſima neceſſitate baptizantur ſint plura baptiſmata.

Et tunc ſunt equidem plures baptiſmi.

Reſp. Affirm. quia ſunt plures ablutiones, & eſto tantùm formaliter ſit una forma, illa tamen virtualiter & æquipollenter eſt multiplex.

DUBIUM VI.

An Baptiſmus poſſit iterari.

Baptiſmus naturâ ſuâ iterari non poteſt, quippe imprimens Characterem indelebilem, prout definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. idcirco qui ſemel rite baptizatum rebaptizare præſumit, graviſſimum ſacrilegium committit, nec quidquam efficit: neque enim homo ſemel ritè baptizatus magis capax eſt ſecundi baptiſmi, quam lapis: ac eapropter quilibet rebaptizans graviſſimâ injuriâ afficit hoc ſacramentum, materiam ejus & formam applicando ſubjecto incapaci, eſto hoc faceret ſub conditione, ſi tamen ſine fundamento.

Baptiſmus ſemel rite collatus, iterari non poteſt ſine ſacrilegio.

Quando tamen cum fundamento dubitatur de aliquo an ſit legitimè baptizatus, tunc eſt rebaptizandus ſub hac conditione *ſi non es baptizatus ego te baptizo* &c. prout habetur cap. ſecundo de baptiſmo. Non eſt tamen opus conditionem illam verbis exterioribus ſemper exprimere, ſed ſufficit illam mente retinere, niſi fortè eſſet periculum ſcandali;

Si tamē dubitetur rationabiliter, an fuerit validus, poteſt ſub conditione iterari.

ut quando dubium de baptiſmo eſt publicum & baptiſmus publicè confertur, tunc enim ejuſmodi conditio eſt publicè exprimenda.

Quod ſi verò ſoli baptizanti primus baptiſmus ſit dubius poterit conditionem mente tenere, & exteriùs uti formâ abſolutâ.

Petes quomodo ante dictum ſit eſſe peccatum ritè baptizatum ſine cauſa rebaptizare ſub conditione, quandoquidem forma non cadat ſuper materiam indebitam aut incapacem quippe cum miniſter non intendat baptizare ſi revera ſit baptizatus.

Reſp. falſum eſſe formam non cadere ſuper ſubjecto incapaci, ſiquidem ejuſmodi miniſter eodem modo facit ac ſi quis denuò conſecraret ſciens hoſtiam ante conſecratam; & conditio appoſita æquè ſe habet ac ſi non apponeretur, eſtque omnino otioſa: ac eapropter perinde eſt ac ſi baptiſmus ſine ulla prorſus conditione reiteraretur; ac conſequenter eſt peccatum mortale.

Quale dubium ſufficiat ad baptizandum ſub conditione.

Petes quale dubium requiratur & ſufficiat ad reiterandum baptiſmum ſub conditione.

Reſp. & Dico 1. ſufficere dubium poſitivum; quando nimirum pro utraque parte contradictionis ſunt opiniones probabiles quod baptiſmus taliter collatus ſit validus vel invalidus: cum enim baptiſmus ſit ſacramentum maximæ neceſſitatis, æquum eſt ut de ejus valore certò moraliter conſtet; ac proinde ubi eſt tantùm probabiliter validus, merito venit reiterandus ſub conditione: quod multò magis locum habet in dubio negativo; quando videlicet aliquis neſcit ſe eſſe baptizatum, neque idoneis teſtibus aut indiciis probare poteſt ſe eſſe baptizatum: & ideo S. Leo Epiſt. 92. cap. 15. ſic ait „ ſi nulla exſtent „ indicia inter propinquos & „ familiares, nulla inter Clericos „ aut vicinos quibus hi de quibus „ quęritur baptiſatos fuiſſe doceantur, agendum eſt ut renaſcantur ne manifeſtè pereant in „ quibus quod non oſtenditur „ geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum. „ Hoc ipſum venit dicendum ſi parentes pueri vel illi qui ſcire potuerunt, dubitent num baptiſmus fuerit collatus; quo caſu non tantùm poteſt ſed & debet repeti ſub conditione ob rationes ante datas, nec probabilitas Doctorum in hac materia poteſt ſupplere defectum, quippe quæ verſetur circa rei naturam & conditionem.

Petes quid ſi unus teſtis fide dignus aſſerat ſe vidiſſe, aut ſcire

Digitized by Google

re aliquem eſſe baptizatum, an adſit ſufficiens certitudo ut baptiſmus illi denuo non poſſit applicari ſub conditione.

Reſp. Affirm. quia adeſt certitudo moralis.

An expoſititii ſint ſub conditione baptizandi.

Petes an pueri expoſititii quos ſcripto aut ſchedulâ ad collum appensâ conſtat baptiſmum ſuſcepiſſe ſint ſub conditione rebaptizandi.

Reſp. Affirm. ratio eſt quia rarò contingit baptiſmum à laicis conferri quin ſubſit probabile dubium, & quidem ſufficiens, ut infans ſub conditione rebaptizetur: unde iſti ſchedulæ non oportet adhibere omnem fidem; quis enim ſcit an infantulus ille forſitan non ſit baptizatus ab homine rudi & idiota ignorante formam baptiſmi, aut perplexo: qui eſto ſciat formam baptiſmi, tamen ex animi perturbatione aliquid omiſerit ad valorem requiſitum.

Item an proles in periculo ab obſtetrice baptizata.

Petes an infantulus ob periculum mortis domi ab obſtetrice baptizatus debeat denuo in Eccleſia à Paſtore ſub conditione rebaptizari.

Reſp. Affirm. juxta decretum Synodi Mechl. ſupra citatum & hoc ideo, ut conſulatur ſaluti ipſius parvuli, quia ſæpe deprehenſum eſt obſtetrices vel non ſatis certò callêre formam baptiſmi. aut eſto calleant, tamen cùm urget neceſſitas, & prolis periculum, facile perturbantur; & quidem quandoque in tantùm ut vix ſciant an legitimè baptizaverint: ita ut ordinariè ſubſit fundamentum ſufficiens ejuſmodi infantes ſub conditione rebaptizandi: quod ſi tamen à perita & jurata obſtetrice affirmante ſe validè baptizaſſe eſſet baptizatus parente pueri aut alio laico præſente id atteſtante, tunc erit ſufficiens certitudo illius baptiſmi nec debebit ſub conditione rebaptizari in eccleſia, ſed tantùm ſuppleri cæremoniæ conſuetæ.

Officium Parochi circa electionẽ & inſtructionem obſtetricũ.

Porro quia magna quandoque reperitur ignorantia in obſtetricibus maximè in pagis, idcirco Paſtores qui curam animarum habent multùm debent eſſe ſolliciti ut eligantur magis idoneæ nec ſuſpectæ alicujus criminis: in quem finem poſſet convocare fœminas magis honeſtas & magis pias ſuæ parochiæ, ut illæ magis idoneam ipſi indicent, quam ipſe demum inſtruet in hiſcè quatuor punctis 1. quo ad formam 2. quo ad materiam, quam & quantum aquæ debeant infundere, quam partem corporis debeant ablvere 3. quo ad ſimultatem moralem inter materiam & formam 4. quam intentionem

Digitized by Google

tentionem habere debeant: quæ ſi obſtetrices ignorent peccant mortaliter, præſertim cum ſcire debeant ea quæ ſunt muneris & officii ſui in tanta neceſſitate in qua agitur de ſalute pueri: monebit quoque ſeriò Paſtor eandem obſtetricem quod non debeat baptizare niſi in neceſſitate in qua quoque debet adhibere ſi poteſt duos teſtes & maximè patrem pueri, idque ut habeatur certitudo moralis de valore baptiſmi. Curabit quoque Paſtor ut dicta obſtetrix ſic electa præſtet juramentum coram ſe & chirurgo parochiæ de munere ſuo ritè adimplendo: quod juramentum factum Paſtor annotabit in Regiſtro baptizatorum. Hic obiter petendum an ſit licitum Paſtori extra neceſſitatem puerum domi baptizare ſine cæremoniis, & poſtea opportuno tempore adventantibus patrinis adhibere ceremonias in templo.

Non licet parocho baptizare prolem domi, extra casũ neceſſitatis.

Reſp. negativè, idque ſub graviſſimo peccato, obſtante & graviter id prohibente Clementina *de baptiſmo*, niſi magni Principis filium: nota autem nomine Principis plus ſignificari quam nomine Ducis, Marchionis aut Comitis; ad quæ bene advertant Paſtores, & ſi ejuſmodi caſus obtingat, eum deferant primò ad ſuum Ordinarium.

DUBIUM VII.

Quis ſit miniſter Baptiſmi.

Miniſter baptiſmi ex officio & ordinarius eſt ſolus ſacerdos.

Duplex communiter aſſignatur à Doctoribus miniſter baptiſmi: unus ſcilicet ex officio qui alio nomine vocatur miniſter ſolemnitatis, & alius neceſſitatis. Miniſter ex officio eſt ſolus ſacerdos, prout patet ex communi eccleſiæ uſu & ex Conc. Florent; cujus ſunt hæc, verba „ miniſter ſacramenti baptiſmi eſt Sacerdos cui ex officio competit baptizare „ Ratio congruentiæ eſt quia ſolus ſacerdos habet poteſtatem in corpus Chriſti verum ergo ſolus quoque habet poteſtatem in corpus Chriſti myſticum: hinc collige hanc poteſtatem non competere Diacono ex officio.

Nec omnis, ſed qui juriſdictionem habet.

Dico 1. non omnis tamen ſacerdos eſt miniſter ex officio, ſed ſolus qui habet juriſdictionem vel ordinariam vel delegatam: ratio eſt quia adminiſtratio ſacramentorum eſt actus juriſdictionis, ac proinde actus paſcendi, adeoque ſpectat ad officium Paſtoris aut ab eo delegati, non quidem ut validè, ſed ut licite adminiſtretur.

Dices, nemo ante baptiſmum

reipſa

Digitized by Google

reipſa ſuſceptum ſubjicitur juriſdictioni eccleſiæ, ergo ad baptiſmum extra neceſſitatem conferendum nulla requiritur juriſdictio.

Reſp. neg. conſequentiam, nam eſto antecedens ſit verum de juriſdictione directa, falſum, tamen eſt de indirecta: qualis ad minus requiritur ut quis licitè baptizet, nempe ut habeat juriſdictionem in locum in quo quis naſcitur; aut in quo ejus parentes habitant.

Paſtor nondum Sacerdos extra neceſſitatē non poteſt baptizare.

Petes an Paſtor tantùm Diaconus poſſit extrà neceſſitatem puerum licitè baptizare.

Reſp. neg. eò quod necdum in illo ſtatu ſit conſtitutus ut competat illi ex officio baptizare: ac proinde Paſtor Diaconus tenebitur alteri Sacerdoti dare poteſtatem delegatam ejuſmodi puerum baptizandi.

Dices in ordinatione Diaconi dicuntur hæc verba *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare & prædicare.*

Reſp. inde tantùm haberi quod ex rationabili cauſa à miniſtro ordinario poſſit concedi ejuſmodi facultas, quamvis tamen hoc tempore non ſit in uſu ut Diaconus ſolemniter baptizet, eò quod adſit ſufficiens copia Sacerdotum.

Ex dictis patet quod ſimplex Sacerdos baptizans infantem ſine juriſdictione ordinaria vel delegata peccet peccato injuſtitiæ, quod eſt ex genere ſuo mortale, quia invadit jus alterius niſi excuſetur ratione licentiæ præſumptæ; quo modo excuſatur ſimplex Sacerdos diſtribuens ſacram communionem: proinde ſi quis præſente & contradicente Parocho hoc faciat, committit graviſſimum peccatum injuſtitiæ.

Extra neceſſitatem baptizans ſine cæremoniis conſuetis peccat mortaliter.

Petes quomodo peccet Sacerdos qui extra caſum neceſſitatis baptizat ſine ſolemnitate.

Reſp. indubiè mortaliter quia ſacras cæremonias in eccleſia uſitatas & graviter obligantes omittit ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. ult. inſuper maximâ injuriâ afficit hoc ſacramentum dum illud ſine ſolemnitate adminiſtrat, non ſecus ac Presbyter qui ſacrum miſſæ ſacrificium ſine conſuetis veſtibus celebraret: quinimo ejuſmodi Presbyter ſic baptizans eſt ſuſpectus de hæreſi: Peccat quoque mortaliter laicus ſi extra neceſſitatem baptizet ſive cum ſolemnitate ſive ſine, quia invadit jus alienum in materia gravi; Eapropter in Clementina 1. de baptiſmo expreſsè inhibetur ne quis extra caſum neceſſitatis in domo privata aliquem baptizet.

Digitized by Google

Petes an Sacerdos in adminiſtratione hujus ſacramenti omittens notabilem cæremoniam v. g. unctionem chriſmatis, aut nominationem patrini, peccet mortaliter.

Reſp. Affirm. quia facit contra præceptum Eccleſiæ in materia gravi: omittens verò levem cæremoniam citra contemptum, peccat venialiter.

Non tamen incurrit irregularitatem ſi ſit Sacerdos.

Petes an Sacerdos ſine ſolemnitate adminiſtrans baptiſmum in domo prevata incurrat irregularitatem.

Reſp. neg. quia talis non incurritur niſi ſit in jure expreſſa, ejuſmodi autem pœna nullibi in jure infligitur Sacerdoti.

Illam tamen incurrit laicus, Diaconus & alii minores clerici ſi cũ ſolemnitate baptizant.

Petes an idem ſit dicendum de Diacono aut laico ſine licentia ſolemniter baptizantibus.

Reſp. neg. quia ab illis ipſo facto incurritur irregularitas, prout patet ex cap. *prima* de Clerico non ordinato: ubi expreſſè decernitur „ ut ſi quis „ non ordinatus baptizaverit aut „ aliquem actum ſacrum exercuerit, non ordinetur: „ ſed ſolus Sacerdos eſt ordinatus ad baptizandum & ad hoc habet poteſtatem completam; ergo quicumque alius ſolemniter baptizans eſt irregularis.

Petes an ſimiliter Diaconus, Clericus, aut Laicus, baptizantes ſine ſolemnitate extra caſum neceſſitatis incurrant irregularitatem.

Reſp. probabilius negativè, quia ejuſmodi pœna reſpectu illorum non habetur in jure expreſſa.

Pater aut mater baptizans prolem ſuam in neceſſitate, non privãtur jure petendi debitum.

Petes, an Pater aut Mater baptizantes filium ſuum legitimum in neceſſitate priventur jure petendi debitum.

Reſp. neg. quia ejuſmodi privatio eſt pœna, pœna verò præſupponit culpam, quam illi non commiſerunt, quin potiûs opus maximæ charitatis exercuerunt baptizando prolem ſuam in neceſſitate: & ſic manifeſtè diſponitur cap. *ad limina* quæſt. 30.

Qui infantem in neceſſitate baptizat contrahit cognationem ſpiritualem cum illa & parentibus.

Petes an miniſter in neceſſitate baptiſans infantem non contrahat cognationem ſpiritualem cum infante ejuſque parentibus.

Non tamen pater baptizans in tali caſu legitimam prolem ſuam.

Reſp. Affirm. exceptis tamen Patre & Matre baptizantibus filium ſuum legitimum in neceſſitate, addo, legitimum, quia ſi pater baptizet in neceſſitate Filium natum ex ſua concubina, contrahit cognationem ſpiritualem cum illa concubina, ut non poſſit, illam ducere in uxorem: ratio eſt quia in prædicto jure cauſ. 30. quæſt. 1. cap. *ad limina* excipitur ſolum baptizans in neceſſitate

Digitized by Google

ceſſitate filium ſuſceptum ex ſua conjuge, illa verò concubina non eſt ipſius conjux, ergo.

Si unus abluat, & alter proferat formam invalidè baptizant.

Petes quid ſi duo miniſtri ſimul concurrant ad baptizandum unum parvulum unus mutus & alter carens manibus ita ſcilicet ut unus abluat & alter proferat formam an conficient ſacramentum.

Reſp. neg. quia in tali caſu forma erit falſa: nam hæc verba, *ego te baptizo*; æquipollent his, *ego exerceo hunc actum baptiſmi*, quod de eo qui ſolùm abluit, aut de illo qui ſolùm profert formam verificari non poteſt.

Quid ſi duo ſimul eundem baptizent uter ſacramentum cõficit.

Petes, an validus ſit baptiſmus quando duo ſimul abluunt & ſimul verba proferunt.

Reſp. vel quilibet illorum intendit baptizare dependenter ab intentione alterius, vel independenter ab ea; ſi poſterius, uterque validè baptizabit; quippe cùm uterque ponat veram materiam, veram formam, habeatque veram intentionem; (ſuppono quod ambo ſimul verba proferant & ſimul abluant.) Quod patet à ſimili in Epiſcopo conſecrante, & noviter ordinatis ſacerdotibus, qui ambo conſecrant eandem materiam, quippe qui in eodem altari ſeſe mutuò expectantes ſimul proferunt verba conſecrationis. Dixi, ſuppoſito quod ambo ſimul verba proferant, & ſimul abluant; quia ſi hæc non perficiantur ſimul, ille ſolus baprizabit qui priùs abſolverit formam, quippe cum tunc adſint omnia ad ſacramenium requiſita.

Quod ſi prius, hoc eſt uterque intendat baptizare dependenter ab intentione alterius, tunc neuter baptizabit, quia forma ut ſic erit falſa; illâ ſiquidem inſinuabitur multis miniſtris tamquam cauſis partialibus opus eſſe ad baptizandum, quod falſum eſt, ut patet ex Concil. Trid. ubi ad valorem ſacramenti aſſignatur perſona miniſtri tamquam cauſa totalis ipſius ſacramenti.

In caſu neceſſitatis quivis homo utens ratione poteſt conferre baptiſmũ.

Nota tamen in caſu poſito quo duo ſimul baptizant eundem infantem independenter ab intentione alterius quamvis validè, eos tamen graviter peccare, quia non ſervant modum ab Eccleſia conſtitutum, ſeque exponunt periculo invalidè baptizandi: quod patet ex eo quia ſæpe moraliter contingere poteſt quod non ſimul perficiant.

Dico 2. miniſter baptiſmi in neceſſitate, hoc eſt dum ſubeſt periculum ne quis ſine baptiſmo moriatur (porrò quando ſit exiſtimanda ſubeſſe hic & nunc

 ejuſ-

Digitized by Google

ejuſmodi neceſſitas pendet à judicio medici, obſtetricis, & aliorum in hac arte intelligentium) eſt omnis homo habens uſum rationis & ſciens formam baptiſmi, nemine excluſo, nequidem hæretico, infideli, aut pagano: ratio eſt quia cum hoc ſacramentum ſit ſummæ neceſſitatis, Chriſtus jure optimo voluit ut miniſtrum valde communem & vulgarem haberet in extrema neceſſitate: quod patet ex traditione Eccleſiæ quâ Chriſti voluntas nobis innoteſcit, & definitur in Conc. Florent. in inſtructione Armenorum.

Eſt tamē ſervādus ordo ut licitè fiat.

Petes an tempore neceſſitatis non ſit ſervandus aliquis ordo in adminiſtrando baptiſmo: ut v.g. ſi contingat infantem periclitari de vita præſente fœminâ, Laico, Clerico, & proprio Paſtore.

Præſente Sacerdote ſi alius inferior baptizet, ordinariè peccat mortaliter.

Reſp. Affirm. & quidem hic ordo hoc modo eſt ſervandus ut fœmina non baptizet præſente viro, nec Laicus præſente Clerico, nec Clericus licet Diaconus præſente Sacerdote.

Nota tamen inverſionem hujus ordinis non eſſe mortaliter malam niſi adſit Sacerdos; quo præſente nemo inferior poteſt baptizare, quia illi competit ex officio; cujus proinde jus nemo poteſt invadere ſine gravi injuria. Et hæc quidem vera ſunt per ſe loquendo: nam per accidens ratione ignorantiæ in presbytero, vel ratione malitiæ, quia non vult, poterit Laicus infantem baptizare præſente presbytero: quin imo ad hoc obligabitur ex charitate ad ſuccurrendum animæ infantis in neceſſitate ſpirituali conſtituti.

Petes an requiratur extrema neceſſitas ut Laicus licitè baptizet.

Reſp. neg. ſed ſufficit, quodlibet probabile dubium aut prudens conjectura extremæ aut gravis neceſſitatis, idque quia baptiſmus eſt ſacramentum ſummæ neceſſitatis & in dubio ſalus animæ ſemper debet præferri.

Pater aut mater baptizans ſuā prolem ſine neceſſitate, privatur jure petendi debitum.

Petes an pater aut mater qui adſtantibus aliis qui poterant id munus obire filium ſuum domi in neceſſitate baptizant ſint privati jure petendi debitum.

Reſp. Affirm. idem dic de conjuge, quæ ex malitia in fraudem matrimonii, communem filium baptizavit. Quia quando adſunt alii qui baptizare poſſunt, non cenſetur neceſſitas ut parentes prolem debeant baptizare. Si autem nulli adſint & proles ſit in periculo, tunc pater aut mater baptizans legitimam ſuam prolem non privatur jure petendi debitum, quia non contra-

Digitized by Google

contrahit cognationem ſpiritualem. Ut habetur cauſa 30. quæſt. 1. cap. *ad limina* idem habet Rituale Roman. Pauli V. ubi dicitur, „ Pater aut Mater non „ debet baptizare propriam prolem præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur qui baptizet: neque „ tunc ullam contrahunt cognationem quæ matrimonii uſum „ impediat. „ Idem dicendum de eo qui proprium filium de ſacro fonte ſuſceperit, vel baptizaverit ex ignorantia ſive facti ſive juris, ut docent communiter authores ex capitulo *ſi vir* titulo de cognatione ſpirituali. Talis enim non privatur per hoc jure petendi debitum.

Petes quænam adæquatè requirantur in miniſtro ut validè & licitè baptizet.

Reſp. actualis vel virtualis intentio baptizandi. 2. Status gratiæ, ſi ſit miniſter ex officio. 3. Ut adhibeat legitimam materiam, & formam.

DUBIUM VIII.

Qui, & quot adhibendi patrini in Baptiſmo.

Quæ ſint officia ſuſceptorum in baptiſmo.

PRæmittendum 1. officium patrini vel matrinæ eſſe levare infantem de ſacro fonte, & ſolemniter pro eo ſpondere, cum obligatione illum inſtruendi in rebus fidei & bonorum morum tempore neceſſitatis: prout contingit quando puer non habet parentes, Parochum, aut magiſtros qui ipſum inſtruant; aut ſi habeat, illum inſtruere negligant: contrahitur autem hæc obligatio eo ipſo quo infantem quis eo animo ut ſit patrinus ſuſcipit, eſto ipſe nihil in baptiſmo reſpondeat.

Baptizans ſolemniter non adhibito ſuſceptore, peccat mortaliter.

Petes, quale peccatum ſit baptizare ſolemniter ſine patrino.

Reſp. mortale, eò quod in re gravi contraveniatur præcepto eccleſiæ: Dixi in baptiſmo ſolemni, quia in privato, eſto poſſit non eſt tamen neceſſarium adhibere patrinum.

Qui poſſint eſſe ſuſceptores in baptiſmo.

Petes quinam excludantur ab officio patrini, vel matrinæ.

Reſp. imprimis omnes infideles; eapropter nulli gentiles aut cathecumeni poſſunt admitti ad officium patrini: qui quidem ſi levarent infantem de Sacro fonte non tamen contraherent cognationem ſpiritualem; quia hęc procedit ſolùm ex lege eccleſiaſtica quę obligat ſolos fideles. 2. Excluduntur omnes hæretici; quippe qui non ſunt apti puerum inſtruere in vera fide: quod ſi tamen infantem levarent de ſacro fonte, contraherent cognatio-

Digitized by Google

nem ſpiritualem, eò quod ſint ſubjecti legibus eccleſiæ.

Petes quid ex duobus expediret an baptiſmum ſolemnem adminiſtrare ſine patrino, an verò adhibito patrino hæretico quando nempe alius haberi non poſſet.

Reſp. ſine patrino potius; eò quod ex duobus malis minus ſit eligendum.

Petes quare infideles poſſint potiùs baptizare infantem quam agere patrinum infantis.

Reſp. quia ob baptiſmi neceſſitatem ex Chriſti inſtitutione omnis homo rationis capax eſt miniſter baptiſmi, ſuſceptor autem ſeu patrinus tantùm eſt ex jure eccleſiaſtico, quod excludit infideles.

Petes quid ſi parens pueri baptizandi velit aſſumptum patrinum hæreticum, quid facturus ſit paſtor.

Reſp. debet illum rejicere tamquam ad ejuſmodi munus indignum & inidoneum & alium deſignare.

Quid agere debeat. Catholicus ſi in patrinũ aſſumatur apud hæretico.

Petes quid faciet Catholicus qui aſſumitur in patrinum à parente hæretico pueri baptizandi à miniſtro hæretico.

Reſp. debere ejuſmodi munus abſolutè recuſare, qui ſi ulteriùs cogatur nec poſſit evadere, debebit coram miniſtro addere proteſtationem quâ ſignificet ſe ejuſmodi infantem ſuſcipere cum obligatione illum inſtruendi juxta ritum Eccleſiæ Catholicæ: quod ni faceret, videretur ſe obligare ad inſtruendum infantem in fide hæretici baptizantis, quod eſſet graviſſimum delictum & graviſſimum ſcandalum; ſicque practicatur in locis hæreticis ut in germania, & aliis.

Parentes baptizandi non poſſunt eſſe patrini.

Tertio excluduntur pater & mater infantis, niſi in neceſſitate, hinc parentes extra neceſſitatem prolem ſuam levantes de ſacro fonte certò peccant mortaliter, quia in re gravi contraveniunt precepto eccleſiæ; & contrahunt cognationem ſpiritualem privanturque jure petendi debitum, niſi excuſenter per invincibilem ignorantiam; quia enim dicta privatio eſt pœna parentibus ob peccatum inflicta, ſi à peccato excuſentur propter ignorantiam excuſantur etiam à pœna.

Vti nec perſonæ Religioſæ.

4. Excluduntur religioſi & religioſæ juxta cap. *non licet* de conſecrat diſt. 24. qui tamen ſi infantem de ſacro fonte ſuſcipiant, contrahent cognationem ſpiritùalem; quia per nudam prohibitionem illam non fiunt inhabiles ad ſuſcipiendum infantem.

Suſceptor debet eſſe unicus, vel aut ſummum unus & una.

Petes quot poſſint eſſe patrini in baptiſmo.

Reſp. ex Conc. Trid. ſeſſ.

24.

24. cap. 2. de reform. Unus tantùm, ſive vir ſive mulier; vel ad ſummum unus & una. Proinde erit peccatum mortale admittere plures, eò quod ſit contra Concilii inhibitionem in materia gravi; neque poteſt Epiſcopus in hoc diſpenſare ut admittantur duo patrini, vel duæ matrinæ.

Vt ſuſceptor contrahat cognationem; debet eſſe deſignatus.

Petes quænam requirantur ad contrahendam cognationem ſpiritualem ortam in baptiſmo ex parte ſuſcipientis.

Reſp. 1. Ut patrinus ſit deſignatus: hæc autem deſignatio ſpectat ad parentes, ſeu ad illos quibus incumbit curare ut infans baptizetur; in horum autem defectu ſpectat ad Paſtorem, hæc autem deſignatio ad hanc adeò eſt neceſſaria, ut patet ex Conc. Trid. ut eâ omiſsâ non contrahatur cognatio ſpiritualis.

Ad quē pertineat deſignare patrinum.

Quid ſi plures ſint deſignati quam duo, & omnes à parocho admiſſi.

Petes quid ſi plures à parentibus deſignentur quam unus & una, & Paſtor illos admittat.

Reſp. Paſtorem peccaturum mortaliter: omnes tamen contrahunt cognationem ſpiritualem; eò quod actus contra legem geſtus ſit validus quando lex illum non irritat: Conc. Trid. autem loco citato non irritat actum quando plures admittuntur ſed tantùm imponit pœnam arbitrio Ordinarii Parocho infligendam ſi plures admiſerit.

Si parentes unū deſignaverint & parochus alium ipſe deſignet.

Petes quid ſi parentes duos Patrinos deſignaverint, ſed Paſtor tertium, an hic tertius contrahat cognationem ſpiritualem.

Reſp. neg. quia non ſpectat ad Paſtorem deſignare quando parentes deſignarunt: prout patet ex Conc. Trid. loco citato.

In defectu parentum poteſt parochus deſignare.

Petes quid ſi parentes nullos patrinos deſignaverint, an deſignati à Parocho contrahent cognationem ſpiritualem.

Reſp. Affirm. quia ſcilicet in defectu parentum ſpectat ad Paſtorem eos deſignare, ut patet ex Conc. Trid. loco citato.

Ad contrahendam cognationē ſpirit. requiritur contractus phyſicus.

2. Ultra hanc deſignationem ad contrahendam cognationem ſpiritualem requiritur contactus phyſicus ipſius infantis, ſive ut patrinus phyſicè prolem ſuſcipiat de manibus baptizantis ſtatim ac eſt baptizata: ratio eſt quia jura dum de hîs loquuntur, utuntur verbis ſignificantibus phyſicum contactum, v. g. *ſuſcipit accipit levat* &c à cum ergo introductio impedimentorum ſit odioſa, reſtringenda venit quantum verborum proprietas patitur.

Vnde qui per procuratorē eſt patrinus illā non contrahit.

Hinc collige hanc cognationem non contrahi ab eo qui eſt patrinus per procuratorem.

Vti nec ille qui

Petes an ſaltem ipſe procurator non contrahat.

Reſp.

nomine alterius eſt patrinus, alicujus.

Reſp. neg. quia tertia conditio requiſita ad hanc cognationem ſpiritualem contrahendam eſt ut quis habeat intentionem expreſſam vel tacitam præſtandi munus patrini, qualem non habet procurator: unde nec ipſe contrahit obligationem baptizatum inſtruendi in fide & moribus Chriſtianis ſed hæc incumbit mandanti.

Petes quid ſi quis intenderet fungi officio patrini, ſed nollet contrahere cognationem ſpiritualem, an hanc equidem ille contraheret.

Reſp. Affirm. eò quod illa cognatio non dependeat ab ipſius voluntate, ſed ſit inſeparabiliter annexa ipſi officio patrini ac eapropter illam cenſetur velle qui vult ſuſcipere officium patrini quia qui vult antecedens vult, conſequens,

Quæ ætas requiritur ut quis poſſit eſſe patrinus.

Petes cujus ætatis debeat eſſe patrinus.

Reſp. nullam à jure determinari ſufficit quòd in illo adſit uſus rationis quo poſſit formare intentionem ſubeundi munus patrini.

Quid ſi quis adhibeatur patrinus in baptiſmo non ſolemni.

Petes quid ſi quis ſit patrinus in baptiſmo privato, an contrahat cognationem ſpiritualem.

Reſp. neg. eò quod cæremonia illa prolem ſuſcipiendi ab eccleſia tantùm ſit inſtituta pro baptiſmo ſolemni: & hinc nec ſuſceptores in baptiſmo privato ſolent appellari patrini.

Petes an quando adultus rebaptizatur ſub conditione debeat adhiberi patrinus.

Reſp. neg. quia ceſſat finis: & eſto ille adhiberetur, attamen non contraheret cognationem ſpiritualem: ratio eſt eò quod cæremonia adhibendi patrinum tantùm ſit inſtituta pro baptiſmo ſolemni cujus ratio eſt ante data, quia introductio impedimentorum, cum ſit odioſa debet reſtringi quantum verborum proprietas patitur.

An error perſonæ in patrino impediat cognationem ſpiritualē.

Petes, quid ſi quis per errorem ſuſcipiat infantem Petri putans eſſe infantem Joannis an contrahat cognationem cum infante Petri ejuſque parentibus.

Reſp. Affirm. ſi ille ita ſit conſtitutus ut velit ſuſcipere præſentem infantem cujuſcumque ille ſit; idque eo modo quo contrahit baptizans puellam putans baptizare maſculum; contrahit inquam cognationem cum puella illa.

Quia tamen in officio patrini communiter aliter fit ſcilicet quod patrinus ſe reſtringat ad determinatam perſonam: hinc ſicuti in matrimonio error perſonæ invalidat matrimonium, ita

Digitized by Google

ita communiter in officio pa trini error perſonæ nvalidat actum, quia nimirum eficit intentio: neque enim ille qui vult eſſe patrinus pueri nobilis, vult eſſe patrinus pueri vilis, mechanici, aut ſpurii.

Inter quos oriatur cognatio ex ſuſceptione in Baptiſmo.

Petes inter quos conſtat cognatio ſpiritualis orta ex ſuſceptione infantis.

Reſp. inter patrinum aut matrinam ab una parte & inter infantem baptizatum illiuſque parentes ab alia; nullatenus tamen inter ipſum patrinum & matrinam.

DUBIUM IX.

Quodnam ſit ſubjectum Baptiſmi.

Baptiſmus omnibus plane neceſſarius.

DIco 1. ſubjectum baptiſmi ſeu is qui poteſt & debet ſuſcipere baptiſmum, eſt quilibet homo, ſive infans ſive adultus: quia verba Chriſti, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* Joann. 3. neminem excludunt ſed veniunt extendenda ad omnem hominem; adeoque baptiſmus eſt omnibus hominibus neceſſarius ad ſalutem.

Parvuli ſunt baptizandi.

Ex quo deducitur infantes uſu rationis carentes eſſe capaces baptiſmi; prout definit Conc. Trident. ſeſſ. 7. can. 13. contra Anabaptiſtas hiſce verbis „ ſi „ quis dixerit parvulos eò quod „ actum credendi non habent, „ ſuſcepto baptiſmo inter fideles „ computandos non eſſe; ac propterea dum ad annos diſcretio- „ nis pervenerint, eſſe rebapti- „ zandos; aut præſtare omitti „ eorum baptiſma, quàm eos „ non actu proprio credentes „ baptizari in ſola fide eccleſiæ, „ anathema ſit. „

Quod confirmatur ex perpetuo eccleſiæ uſu de quo S. Aug. lib. 10. de Geneſi ad litteram & Sanctus Cyprianus epiſt. 59. ubi hanc quæſtionem tractat, & certè non eſt pejor conditio puerorum in nova lege, quàm in veteri aut in lege naturæ, in quibus illis applicabatur aliquod ſacramentum ad remiſſionem peccati originalis: quid ni ergo in nova lege pro ipſis erit baptiſmus ad remiſſionem peccati originalis? alioqui deſtituti eſſent omni remedio pro illius peccati remiſſione: unde quod objiciunt Anabaptiſtæ baptizandos priùs debere in fide eſſe inſtructos prout habetur Matth. 28. id intelligendum venit, prout patet ex textu, de ſolis adultis qui ſunt inſtructionis capaces.

Petes, an baptiſmus infantum ſit validus independenter à conſenſu parentum.

Reſp. Affirm. quod patet à

R poſte-

Digitized by Google

poſteriori ex uſu eccleſiæ quæ non ſolet rebaptizare infantes qui invitis parentibus fuerunt baptizati.

An proles infideliũ poſſint baptizari invitis parentibus.

Petes, an infantes infidelium licitè poſſint baptizari invitis parentibus. Pro ſolutione hujus quæſtionis.

Reſp. & dico tria genera infidelium debere præmitti. Primum genus infidelium eſt eorum in quos eccleſia habet juriſdictionem ſpiritualem: quales ſunt ii qui fidem ante receperunt & baptizati ſunt, ſed ab ea ad Judaiſmum, hæreſim, vel paganiſmum receſſerunt,

Secundum genus infidelium eſt eorum qui ſunt ſubditi Eccleſiæ ſeu Principibus Chriſtianis quo ad juriſdictionem temporalem.

Tertium genus infidelium eſt eorum qui nullo modo ſunt ſubditi Eccleſiæ aut principibus Chriſtianis.

His præmiſſis.

Dico 1. ſi filius ille infidelis ſit adultus & pollens ratione & petat baptiſmum, qualiſcumque demum ſit infidelis, debet baptizari etiam invitis parentibus, & tunc illis ſubtrahi ob periculum perverſionis: ratio eſt quia ille habet jus eligendi ſtatum & petendi neceſſaria ad ſalutem, nec tenetur obedire patri in illis quæ ſaluti & Deo ſunt contraria: quod ſi dubitetur an polleat uſu rationis, & impleverit ſeptennium, præſumitur in dubio illum habere, adeoque baptizari poteſt etiam invitis parentibus.

Proles infideliũ ſubditorum Eccleſiæ poteſt baptizari invitis parentibus.

Dico 2. infans alicujus infidelis primi generis poteſt invitis parentibus baptizari: ratio eſt quod Eccleſia habeat jus cogendi parentes ad ſervandam fidem quam ſuſceperunt quæ proinde poterit illos privare poteſtate in filios in quos ipſa directè habet jus ad illos in fide inſtruendum.

Item ſi ſint ſervi mancipia viri Chriſtiani, illo conſentiente.

Dico 3. Infans infidelium ſecundo modo ſi parentes ejus ſint mancipia Domini fidelis, poterit invitis parentibus de conſenſu hujuſmodi Domini baptizari: nam cum ejuſmodi Dominus poſſit filium à parentibus ſeparare & vendere alteri Domino, poterit eum quoque invitis parentibus curare baptizari, præſertim quando ſeparatione factà non imminet periculum perverſionis.

Non verò ſi parentes infideles ſunt ſui juris.

Porro ſi tales parentes infideles politicè tantùm ſubditi ſint Principi Chriſtiano tamquam ejus tributarii vel vaſalli quales ſunt Judæi Romæ, in Germania, & alibi; non poterit ipſorum proles invitis parentibus baptizari:

Digitized by Google

ptizari : ratio eſt quia infans ille baptizatus vel ſubtrahetur ex poteſtate & regimine, & ita fiet illis injuria ; quia pater jure naturæ habet jus in filios ut eos regat & gubernet ; vel infans relinquetur ſub cura & gubernatione parentum : & tunc fiet injuria ſacramento ob periculum evidens perverſionis & educationis in infidelitate cùm ad adultum ætatem perveniet.

Infantes infidelium tertio modo nullatenus invitis parentibus ſunt baptizandi : quod patet ex præcedenti concluſione.

Dices, eſt præceptum divinum ut omnes baptizentur, ſed illud eſt ſervandum etiam renitentibus parentibus, ergo.

Niſi dũ infans verſetur in proximo periculo vitæ.

Reſp. neg. ſubſumptum quia Deus non vult hoc aliter ſervari quàm ſervato ordine juſtitiæ ; qui ordo violatur, dum infans invitis parentibus baptizatur. Hoc tamen non ita generaliter intelligendum quin in aliquo caſu particulari liceat baptizare hujuſmodi infantem invitis parentibus : ut puta ſi infans verſetur in extremo vitæ periculo.

Petes an monſtrum natum ex fœmina & bruto ſit capax baptiſmi.

Reſp. neg. quia non eſt homo, adeoque nec capax peccati originalis, eò quod non deſcendat ab Adamo per ſeminalem rationem.

Quomodo baptizãdum mõſtrum conſtans duplici capite.

Petes quomodo debeat baptizari monſtrum natum ex viro & fœmina habens duo capita & duo pectora.

Reſp. tali caſu debere conferri duo baptiſmata : quia ubi partes principales componentes hominem ſunt ita diſtinctæ & ſeparatæ, ſignum eſt, eſſe in tali monſtro duas animas, adeoque duos homines ; debent proinde ſinguli in capite baptizari. Quod ſi tamen ſubeſſet periculum mortis poſſet utrumque uno actu baptizare ſub hac forma *ego vos baptizo* &c.

Quando baptizãdũ monſtrum de quo dubitatur an ſit homo.

Petes quid ſi monſtrum illud conſtet quidem duplici capite ſed uno tantùm pectore ; ita ut ſit dubium an conſtet duplici animâ rationali.

Reſp. duplex tunc quoque erit conferendus baptiſmus, unus ſcilicet abſolutè, alter verò ſub conditione.

Petes quid ſi dubitetur de aliquo monſtro an habeat animam rationalem ut v. g. ſi habeat caput equinum vel bovinum & cætera membra humana.

Reſp. illud ſub conditione debere baptizari.

Petes quid faciendum cum monſtro quod nullam præ ſe

 fert

Digitized by Google

fert formam humanam: ut ſi fœmina aliqua pariat ſimiam, canem, aut felem.

Reſp. illud nullatenus debere baptizari.

Petes, quid ſi fœmina pariat unam ſolam maſſam carneam quæ nullam habet organorum diſpoſitionem.

Reſp. pariformiter ut ante, illam non poſſe baptizari nequidem ſub conditione, eò quod ex ſenſu Eccleſiæ anima rationalis non introducatur in materiam niſi ante bene organiſatam.

Amentes & furioſi an ſint baptizandi.

Petes an amentes & furioſi ſint baptizandi.

Reſp. ſi fuerint tales à nativitate ſunt baptizandi: quod ſi verò quandoque habuerint uſum rationis & tunc baptizari noluerint quando erant ſui compotes etiam baptizari non poſſunt in amentia: quia voluntas præterita reputatur præſens: unde baptiſmus illis non proderit: quia habent obicem contrariæ voluntatis, ſi verò dum pollebant uſu rationis petierint baptiſmum, baptizari poterunt etiam in amentia.

Petes, quid faciendum ſi adultus pollens uſu rationis petierit baptiſmum, ſed paulò poſt incidit in notorium peccatum mortale & cum illo in amentiam: an poterit baptizari.

Reſp. nequaquam ſine graviſſimo ſacrilegio propter obicem ab eo poſitum.

Infantiis baptiſmus non eſt diu differendus.

Petes quo tempore infantes ſint baptizandi.

Reſp. quamvis non exſtet divinum aut naturale præceptum baptizandi infantes extra neceſſitatem: attamen ipſa eccleſiæ conſuetudo vim legis obtinet ut quamprimum commodè fieri poteſt baptizentur: & hinc malè audiunt qui nimis diu differunt baptiſmum ſuarum prolium, qui per Paſtores deſuper debent urgeri & moneri. Porro in neceſſitate quando ſubeſt periculum vitæ tunc obligat præceptum divinum naturale ad baptiſmum illis parvulis procurandum, eò quod quilibet ex præcepto charitatis teneatur ſuccurrere proximo in extrema vel gravi neceſſitate, præſertim ſpirituali, conſtituto. Et hæc obligatio primò adſtringit parentes, & in illorum defectu concernit omnes quorum operâ puer in tali neceſſitate eget: ita ut quilibet illorum etiam cum aperto vitæ periculo teneatur hunc illi procurare, quia æterna ſalus proximi præferenda eſt vitæ corporali.

Adultus in periculo vitæ conſtitutus obligatur præcepto baptiſmi.

Petes quo tempore adultus debeat ſuſcipere baptiſmum.

Reſp. & dico 1. ſi adultus ſit in

in periculo mortis tenebitur ſtatim procurare ſibi baptiſmum conferri: ratio eſt quia non poteſt aſſignari tempus quo præceptum de ſuſcipiendo baptiſmo magis obligat: ex quo enim ille eſt neceſſarius tam neceſſitate medii quam præcepti ad ſalutem, tenebitur ſaltem in illo articulo illum ſuſcipere: quippe cum peccator in illo articulo obligetur ſeſe Deo reconciliare: quod tunc facere non poteſt ſine ſuſceptione baptiſmi, eò quod illa reconciliatio involvat animum paratum ad ſervanda omnia Dei mandata quæ potiſſimùm urgent in iſta neceſſitate, inter quæ præcipuum eſt de ſuſcipiendo baptiſmo.

Quandonam extra neceſſitatis caſū adultus obligetur illo præcepto.

Petes quo tempore extra neceſſitatem obligetur adultus baptiſmum ſuſcipere.

Reſp. quamvis antiquitus non liceret adultis quovis tempore baptiſmum ſuſcipere, ſed tantùm tempore Paſchæ & Pentecoſtes prout patet ex Epiſt. 4. S. Leonis Papæ cap. 6. can. *non ratione* de conſecrat diſt. 4. tamen hoc tempore quo antiqui canones contrariâ eccleſiæ conſuetudine ſunt abrogati, homo adultus & in fide bene inſtructus, & per omnia bene diſpoſitus non poteſt baptiſmum diu differre: cum enim conſtet eſſe divinum præceptum de ſuſcipiendo baptiſmo per quem intramus in eccleſiam & Dei familiam, illud non ſolùm urget in fine vitæ, ſed & in ipſa vita: nullum porro commodius tempus aſſignari poteſt quo obliget quam quando homo eſt in fide ſufficienter inſtructus & per omnia ad illum diſpoſitus: etenim ſi illum tunc negligat, cenſebitur eo ipſo Deum & Chriſtianam religionem contemnere, cujus janua eſt baptiſmus niſi forte in caſu particulari graviſſima cauſa ſubeſſet illum differendi: qualis poſſet eſſe in aliquo Principe, ut puta ſi dilatio hæc eſſet neceſſaria ad ſedandam magnam perturbationem ſui regni, aut alia ſimilis: quâ ratione excuſari poſſunt varii ſancti qui antiquitus baptiſmum diu diſtulerunt, prout quoque per invincibilem ignorantiam aut bonam fidem.

DUBIUM X.

Quæ diſpoſitiones requirantur in adulto Baptizando.

Vt baptiſmus ſit validus requiritur conſenſus in adulto.

RESp. & dico 1. ad valorem baptiſmi adultorum requiri conſenſum ſuſcipientis baptiſmum: ratio eſt quia baptizatus eo ipſo ſuſcipit in ſe multas obligationes quales ſunt ſervandi

præcepta eccleſiæ cujus per baptiſmum fit membrum; ad quæ requiritur ejus conſenſus, quippe ad quæ propria voluntate ſe debet obligare Præterea Deus de lege ordinaria non juſtificat adultum impium ſine proprio ejus conſenſu: & ideo dicit S. Aug. „ qui fecit te ſine te, non „ ſalvabit te ſine te: „ hoc eſt ſine tuo conſenſu: Porro hic conſenſus non neceſſariò debet eſſe formalis, actualis, aut virtualis; ſed ſufficit interpretativus, quod patet ex cap. *Majores* de baptiſmo; ex quo conſtat etiam dormientes poſſe validè baptizari, qui tamen tunc nequeunt habere intentionem ſeu conſenſum actualem vel virtualem ſed ſolum interpretativum, qui ad hoc ſufficit: quia, ea ſola voluntas requiritur in ſuſcipiente ex qua baptiſmum dicatur voluntariè ſuſcipere.

Sufficit tamen conſenſus interpretativus.

Petes an ſufficiat conſenſus metu extortus.

Item cōſenſus metu extortus.

Reſp. Affirm. quia cum tali metu conſiſtit abſoluta voluntas baptiſmi ſuſcipiendi: & de hoc involuntario ſecundum quid intelligi poteſt S. Auguſt. dum Tract. 26. In Joann. Affirmat poſſe aliquem nolentem ſuſcipere baptiſmum.

Petes an requiratur fides in hujuſmodi adulto.

Non eſt neceſſaria fides in baptizando ut validè baptizatur.

Reſp. neg. quod patet ex praxi eccleſiæ quæ non curat rebaptizari eos qui baptiſmum in hæreſi ſuſceperunt: nihilominus tamen illa requiritur ad effectum gratiæ per baptiſmum obtinendum ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. Item ex Apoſtolo ad hebr. 11. ubi ait, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Item Marci. 11. *qui crediderit & baptizatus fuerit, hic ſalvus erit.*

Eſt tamen neceſſaria ad effectum baptiſmi.

Petes an in adulto baptizando prærequiratur contritio ad obtinendam remiſſionem peccatorum per baptiſmum.

Reſp. ſi adultus ille habeat actuale mortale conjunctum cum originali, præter legitimam intentionem, & fidem, debet elicere actum contritionis, quod patet Act. 2. *pœnitemini & baptizetur unuſquiſque veſtrum*: cui ſe conformans Conc. Trid. ſeſſ. 6. dicit, ad primam juſtificationem in adulto, quæ fit per baptiſmum in re vel in voto ſuſceptum requiri deteſtationem peccatorum & converſionem ad Deum.

Requiritur præterea ad juſtificationem in adulto peccatore, contritio.

Petes, cum nemo poſſit credere quod ignorat, quorum fidei articulorum notitiam debet habere ejuſmodi adultus.

Quorū articulorum fides neceſſaria ſit in adultis ut baptizari poſſint.

Reſp. 1. eorum qui ſunt creditu neceſſarii neceſſitate medii ad ſalutem. 2. Debet habere notitiam præceptorum ab ipſo, poſtmodum obſervandorum, eò quod

quod quilibet obligetur ſcire obligationem ſtatus ſui. Unde ſequitur eum debere ſcire præcepta Decalogi & eccleſiæ, ſaltem quo ad ſubſtantiam: Item Symbolum Apoſtolorum, orationem dominicam, & ſalutationem angelicam quæ de præcepto ſciri debent ab omnibus fidelibus. Quod tamen non ita generaliter intelligendum eſt, quaſi nullus adultus juſtificari poſſit per baptiſmum, niſi qui omnia illa expreſsè crediderit, quia contingere ſæpe poteſt præſertim in illis regionibus ubi primo annuntiatur fides & eſt paucitas miniſtrorum, quod juſta de cauſa baptizentur adulti quamvis nondum, plenè catechizati; intelligitur itaque concluſio de illis adultis qui copiam habent inſtructorum, à quibus erudiri poſſunt, & debent.

Petes quænam ſint particulariter obſervanda quando baptizatur aliquis adultus ſub conditione.

Reſp. 1. ut habeat fidem, ſitque inſtructus in rebus fidei ante dictis. 2. Monendus eſt ut ſi ſit ſibi conſcius peccati mortalis, ſeſe diſponat ad baptiſmum per contritionem ſive per dolorem ortum ex amore Dei ſuper omnia; idque ut ſic obicem gratiæ ſacramentalis amoveat. 3. Ut ſuſcepto baptiſmate eadem peccata mortalia commiſſa ſubjiciat clavibus eccleſiæ ſub conditione, ſub qua etiam à confeſſario abſolvatur: ratio eſt, quia ſi fortè primus baptiſmus fuerit validus, omnia peccata mortalia poſt illum admiſſa, ſubjicienda ſunt clavibus eccleſiæ.

Quid aget Paſtor dum hæreticus aut Iudæus ſe præſentat ad baptiſmum.

Petes, quid faciendum quando ſeſe offert aliquis extraneus hæreticus vel Judæus ut baptizetur.

Reſp. cum res hæc ſit plena dolis & fallaciis Paſtor non facilè illis adhibeat fidem, ſed ubi id commodè fieri poteſt mittatur hujuſmodi ad Ordinarium loci aut ejus Vicarium, qui deſuper (prout & facere debet in matrimonio vagorum) ſumet informationem: dein Paſtor habitâ Ordinatione non procedat equidem ſtatim ad baptiſmum, ſed ante priùs præmittat inſtructionem in myſteriis fidei, aliiſque vitæ Chriſtianæ principiis; idque ut baptizandus apprehendat obligationes quas per baptiſmum contracturus eſt. 2. Examinetur exactè motivum ejus ob quod petit baptizari 3. Inducatur frequenter ad eliciendos actus fidei, ſpei, & contritionis. 4. habeat notitiam præceptorum Decalogi & eccleſiæ, ſymboli Apoſtolorum, orationis

nis Dominicæ, & ſalutationis angelicæ: eò quod quilibet ſcire debeat illa quæ obligatur ſervare: inſuper, quia niſi hæc ante exactè diſcantur, poſt ſuſceptum baptiſma hæc facilè ab ejuſmodi hominibus ſolent negligi: quæ intellige, dum baptizatur adultus extra neceſſitatem: ſiquidem in neceſſitate ſine illorum ſcientia, ſolâ præſuppoſitâ fide credendorum neceſſitate medii ad ſalutem neceſſariorum & contritione de peccatis actualibus, adultus poterit baptizari ut ſupra dictum eſt.

DUBIUM XI.

Quot ſint effectus Baptiſmi.

Quinq; effectus baptiſmi.

RESp. Ordinariè recenſeri quinque, quorum primus eſt remiſſio peccati originalis & omnium actualium peccatorum ante baptiſma commiſſorum: hæc propoſitio eſt de fide definita, in Conc. Flor. decreto de ſacram. quod ſic habet „ hujus ſacramenti effectus eſt remiſſio peccati originalis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipſa culpa debetur: „ hoc ipſum quoque definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 5. His verbis „ ſi quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam quæ in baptiſmate „ confertur, reatum originalis „ peccati remitti negat, aut etiam „ aſſerit non tolli totum id quod „ veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit „ tantùm radi aut non imputari; „ anathema ſit.

1. Remiſſio omnis culpæ.

Probatur 2. ex Symbolo Conſtantinopolitano in miſſa cani conſueto, „ confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. „

3. Ex Script. S. Act. 22. *exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.*

Dices ex dictis bene concludi per baptiſmum tolli peccatum originale, ſed non actualia ante Baptiſmum commiſſa.

Reſp. 1. neg. conſequentiam: & addo, quod cum unum peccatum mortale tolli nequeat ſine alio, (nam gratia ſanctificans quæ peccatum delet omnibus eodem modo opponitur & contrariatur:) & baptiſmus ſit inſtitutus ad delendum peccatum originale, ſequitur illum quoque conſequenter debere delere omnia peccata actualia ante baptiſmum commiſſa. Deinde ex duobus illis locis citatis ex ſcriptura, ſatis habetur baptiſmum valere etiam ad remiſſionem actualium peccatorum.

Dices Scriptura S. Pſalm. 31. ait

Digitized by Google

ait *Beati ...... quorum tecta ſunt peccata* ; ergo illa per baptiſmum non tolluntur, ſed tantùm teguntur.

Peccata in baptiſmo, non tantùm teguntur ſed propriè delentur.

Reſp. ex hoc ſcrpturæ loco malè intellecto Lutherum, Calvinum, alioſque hæreticos intuliſſe nec peccatum originale nec actuale per baptiſmum tolli, ſed tegi tantùm, & non imputari : ſed perperam ; ſiquidem ſcriptura multis aliis locis aſſerit peccata tolli ut Joann. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* : quapropter utrumque verum eſt & peccata tegi, & tolli; prout eleganter id explicat S. Aug. in comment. ſuper Pſal. 31 „ ſicut enim medicus per em„ plaſtrum tollit ac tegit vulne„ ra, ſic Deus per gratiam tol„ lit ac tegit peccata.

Petes an per baptiſmum tollantur quoque omnia peccata venialia ante illum commiſſa.

Reſp. Affirm. niſi ſubſit impedimentum ex parte ſuſcipientis: & quamvis hujus ratio preciſè deſumi nequeat ex infuſione gratiæ ſanctificantis, eò quod illa ſimul cum hac poſſint conſiſtere, probatur, tamen ex eo, quod quis per baptiſmum ſpiritualiter regeneretur & fiat novus homo : ita ut ſecundum Apoſtolum ad Roman. cap. 8. *Nihil ſit jam damnationis iis qui ſunt in Chriſto Jeſu* ; per Baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes ut loquitur Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 2. vid. ſeſſ. 5. can. 5.

2. Effectus baptiſmi eſt remiſſio omnis pœnæ.

Dico 2. ſecundus baptiſmi effectus eſt remiſſio omnis pœnæ peccatis remiſſis debitæ : quod eſt de fide definitum in Conc. Flor. in decr. Armen. in quo dicitur, „ non eſſe im„ ponenda opera ſatisfactoria „ pro peccatis ante baptiſmum „ commiſſis: „ probatur idem ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. ubi ponit differentiam inter baptiſmum & pœnitentiam, ſcilicet quod ille ſemper remittat peccatum, tam quo ad culpam, quam quoad pœnam : hæc verò non ita : quod & patet ex praxi eccleſiæ quæ baptizatis numquam imponit opera ſatisfactoria.

Pœnalitates ortæ ex peccato Adami in natura humana nõ tolli per baptiſmũ in hac vita. Et cur.

Petes, an per baptiſmum remittantur quoque pœnalitates, Pro intelligentia hujus quæſtionis.

Nota poſt Adæ peccatum remanſiſſe in homine defectus quoſdam, qui pœnalitates vocantur, qui defectus ex illo magno primorum parentum peccato per quod vulnerata eſt & in deterius mutata natura humana, originem habent ; quales ſunt

concupiſcentia, mors morbi, dolor, paſſibilitas corporis &c. Quo prænotato.

Reſp. & Dico per baptiſmum has pœnalitates in hac vitâ non auferri, cujus alia probatio non eſt neceſſaria quam ipſa experientia.

Petes cur Deus noluerit ejuſmodi pœnalitates auferre in hac vita.

Reſp. ut ſervirent ad luctam, & homo rite contra illas pugnando mereretur immarceſcibilem gloriæ coronam. 2. Ut homo continuò ſecum deferret aliquod teſtimonium lapſus ſui in primo parente, & deinde cognoſceret quantopere ſe debeat coram Deo humiliare qui adeo punivit unum peccatum per ſuperbiam commiſſum.

3. Effectus baptiſmi eſt infuſio gratiæ habitualis & virtutũ.

Dico 3. baptiſmus parvulis & adultis non ponentibus obicem confert gratiam ſanctificantem & ſimul cum ea dona & tres habitus ſupernaturales fidei, ſpei & charitatis quæ illam comitantur.

Probatur 1. ex Conc. Vienn. in quo Clemens V. ſic loquitur „opinionem ſecundam, quæ dicit tam parvulis quam adultis „conferri in baptiſmate gratiam „& virtutes, tamquam probabiliorem & dictis ſanctorum „ac modernorum Doctorum „Theologiæ magis conſonam „ſacro approbante Concilio duximus eligendam: „quod, licet quidam intelligant ita ut non proponatur tamquam certum fidei dogma, ſed tamquam verior opinio; verius tamen arbitramur Pontificem ibidem ſtatuere opinionem illam quæ ſuo tempore habebatur probabilior, eſſe ut certam & definitam intelligendam.

Probatur 2. ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. & can. 11. *ſupra cit.* Ubi poſtquam egiſſet de diſpoſitionibus baptiſmi, ſtatim addit, „hanc diſpoſitionem ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam „ſuſceptionem gratiæ & donorum.„

Probatur 3. ratione, quia homo per baptiſmum ſpiritualiter renaſcitur; ergo accipit novam vitam ſpiritualem quam ante non habebat, quæ eſt gratia ſanctificans: fit quoque per baptiſmum filius Dei cum ante eſſet filius iræ, ſed non fit talis per generationem corpoream, ergo per ſpiritualem in baptiſmo.

Dices, infantes in illa ætate non poſſunt uti illis habitibus, & adulti baptizati experiuntur eandem

Digitized by Google

eandem difficultatem operandi quam ante baptiſmum habebant, ergo non accipiunt tales habitus.

Cur poſt baptiſmum remaneat difficultas bene operandi, ſi in illo infundantur virtutes.

Reſp. neg. conſequentiam, neque enim infantes in tali ætate poſſunt quoque uti intellectu aut voluntate, ex quo tamen non ſequitur quod illas potentias non habeant: præterea adulti experiuntur difficultatem operandi, non ob defectum habituum, ſed ob inordinatos motus concupiſcentiæ, qui per baptiſmum non tolluntur quoad actum, licet tollantur quoad reatum.

Petes an baptiſmus æqualem gratiam ſanctificantem conferat in omnibus.

Reſp. Affir. ſi quæſtio intelligatur de parvulis quia cum illi rationis uſu carentes æqualiter ſint diſpoſiti negativè, æqualiter quoque ejus effectum participant: quod ſi verò quæſtio intelligatur de adultis.

Reſp. neg. quia ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 6 cap. 7. „ unuſquiſ„que per baptiſmum ſuſcipit in „ſe gratiam juſtificantem ſecun„dum menſuram quam Spiritus „S. partitur ſingulis prout vult „& ſecundum propriam cujuſ„que diſpoſitionem & coope„rationem: „ proinde quando diſpoſitiones in adultis ſunt inæquales, erunt quoque inæquales gratiæ ſanctificantes quæ infunduntur.

4. Effectus eſt gratia actualis.

Dico 4. effectus quartus baptiſmi eſt ſpeciale auxilium actuale conſiſtens partim in actuali illuminatione intellectus, partim in actuali motione voluntatis, qua homo movetur & juvatur ad ſuperandum concupiſcentiæ fomitem.

5. Effectus eſt character indelibilis.

Dico 5. Effectus quintus baptiſmi eſt character qui per hoc ſacramentum indelebiliter imprimitur animæ: ut definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 9. ex quo ſequitur hoc ſacramentum iterari non poſſe eſto quoque foret collatum à pagano, vel hæretico, dummodo cum debita materia, forma, & intentione miniſtri.

Ex his, aliiſque accidentalibus baptiſmi effectibus quos SS. Patres paſſim recenſent, colligere licet quanta ſit hujus ſacramenti neceſſitas, excellentia, dignitas, & utilitas; ac proinde quanto cum fundamento præcipiat tam Rituale Romanum quam Diœceſanum ut parvuli recenter nati quamprimùm baptizentur adeoque quam graviter peccent parentes qui ob frivolas & politicas rationes baptiſmum ſuorum infantium quandoque differunt cum graviſſimo æternæ ſalutis periculo.

DUBIUM XII.

An fictio impediat effectum Baptiſmi.

Fictio impedit effectum baptiſmi.

NOtandum quod fictus quis dicatur ad Baptiſmum non ille qui ſimulat ſe velle ſuſcipere id quod in Eccleſia datur, cum tamen revera id ſuſcipere non intendat, talis enim nihil ſuſcipit, cum careat diſpoſitione requiſita ad validitatem ſacramenti: ſed intelligitur is qui exteriùs ſe gerit tamquam rite diſpoſitum per veram fidem & ſinceram mentis converſionem, cum tamen eo modo non ſit interiùs diſpoſitus, ſed hæret adhuc in infidelitate, aut affectu erga peccatum. Et talis cum voluntariè ponat obicem primario effectui baptiſmi, gratiam juſtificantem non accipit, ſed grave ſacrilegium committit.

Quis dicatur fictus.

Recedente fictione baptiſmus remittit peccata.

Petes an recedente fictione baptiſmus conſequatur ſuum effectum.

Reſp. Affirm. quia peccata vel propriâ vel alienâ voluntate ante baptiſmum commiſſa non ſunt materia ſacramenti pœnitentiæ, ac proinde per illud tolli non poſſunt; ergo debent tolli per baptiſmum: probatur conſequentia, quia omnia peccata tolluntur vel per baptiſmum vel per pœnitentiam ſacramentum in re vel in voto ſuſceptum: porro quod hæc remitti nequeant per pœnitentiam, patet, quia pœnitentia eſt ſacramentum relapſorum, ac proinde ſuſcipitur pro peccatis poſt baptiſmum commiſſis. Vide plura de hoc in tract. de ſacramentis in communi quæſt. 3. dub. 3.

Per quid tolli debeat illa fictio.

Petes per quid tollatur fictio in baptiſmo.

Reſp ſi quis acceſſerit ad baptiſmum bonâ fide putans ſe habere veram contritionem de peccatis quam tamen revera non habebat, (qui poteſt dici negativè fictus) talis negativa fictio tollitur ſufficienter per veram contritionem, mod poſtò ſuſceptum, baptiſmum non admiſerit novum peccatum mortale. Si verò acceſſerit cum fictione poſitiva & proprie dicta, de qua ſupra, dicendum eſt quod illa fictio non tollatur niſi per ſacramentum pœnitentiæ quando illud haberi poteſt. Ratio eſt, quia illa fictio licet concomitetur ſuſceptionem baptiſmi, eſt tamen naturâ poſterior ipſo baptiſmo, imo & tempore; quia durat adhuc poſt ſuſceptum ſacramentum baptiſmi peccata autem mortalia commiſſa poſt baptiſmum, non remittuntur niſi

per

Digitized by Google

per ſacramentum pœnitentiæ re vel voto ſuſceptum. In tali itaque adulto qui cum peccatis ante commiſſis & cum fictione ad Baptiſmum venerat quando fictionem deponit, & ſincerè ad Deum per pœnitentiæ ſacramentum convertitur, peccata præcedentia baptiſmum remittuntur in vim baptiſmi tunc reviviſcentis amoto obice; ipſa verò fictio & alia mortalia commiſſa poſt baptiſmum remittuntur directè in ſacramento pœnitentiæ quod ſuſcipit, vel deſiderat, ſi non poſſit, ſuſcipere.

DUBIUM XIII.

Quæ cæremoniæ in collatione Baptiſmi ſint obſervandæ.

Cæremoniarum in baptiſmo adhibendarū ordo & ſignificatio.

CAtechiſmus Romanus cæremonias in baptiſmo adhiberi ſolitas revocat ad tria capita: quædam, inquit, baptiſmi collationem præcedunt, quædam comitantur, quædam ſubſequuntur: quæ quia non carent myſtica ſignificatione & inſtructione à quolibet Chriſtiano ſæpius ruminandâ eas hic ſigillatim paucis exponemus.

1. Ergo præſuppoſitâ benedictione fontis baptiſmalis qui conſecratur dumtaxat in Vigiliis Paſchæ & Pentecoſtis, adhibitis variis precibus & exorciſmis ab Eccleſia inſtitutis admixto oleo Cathecumenorum & ſacro Chriſmate, baptizandus deducitur ad Eccleſiæ fores, dein ſacerdos trinam inſufflationem & varios exorciſmos adhibet, quibus ſignificatur Diabolum cum contemptu ejici à baptizando, ſicuti cum aliquem nihili facimus, exſufflamus in illum: Porro hic ritus eſt in eccleſia antiquiſſimus, cujus meminit S. Aug. lib. de Symbolo ad cathecumenos cap. 1. dum ait,, non exorcizatur aut ,, exſufflatur creatura Dei in in-,, fantibus ſed ille ſub quo ſunt ,, omnes qui in peccato naſcun-,, tur:,, Exorciſmi quoque meminit S. Cyrillus in ſua catecheſi, item S. Ambr. lib. 1. de ſacram. cap. 5. Porro exorciſmus non eſt aliud quam adjuratio Dæmonis certis verbis facta ad illum fugandum.

2. Efformatur ſignum crucis in fronte & pectore baptizandi prout obſervat S. Aug. Lib. de Cathechiz. Rudibus cap. 2. quia illud eſt ſignum in quo novus Chriſtianus debet pugnare cum Dæmone, illumque vincere.

3. Imponitur manus à ſacerdote ipſi baptizando, ſuper quo varias profert orationes, cujus cæremoniæ meminit S. Aug. lib. 2. de peccat. meritis & re-

miſſione cap. 26. „ cathecume-„ nos, inquit, ſecundum quem-„ dam modum ſuum per ſignum „ Chriſti & orationem manus „ impoſitionis puro, ſanctificari: „ porro hoc facit ſacerdos ut Dæmonem omni jure, quod per peccatum in anima baptizandi habet exſpoliet.

4. Sacerdos ſalem à ſe benedictum ori baptizandi imponit: ſal ſymbolum eſt ſaporis quo res fidei, ab anima cogitatæ, redduntur ſapidæ: inſuper ſal à putrefactione & corruptione corpus conſervat; proinde hâc cæremoniâ innuitur non eſſe ſatis animam per baptiſmum eſſe renovatam, niſi etiam habeat guſtum in rebus ſpiritualibus, & à putredine peccatorum maximè carnalium poſthac conſervetur: denique per ſalem denotatur prudentia quæ omnes actiones noſtras debet prævenire & concomitari juxta illud Apoſtoli ad Coloſſenſ. 4. *ſermo veſter* ſemper in gratia ſit *ſale conditus*.

5. Sacerdos ſalivam ad aures & nares baptizandi apponit exemplo Chriſti circa ſurdum & mutum: quid verò per ſalivam deſignatur niſi ſapientia filii Dei: ſicut enim ſaliva deſcendit de capite, ita ille procedit à patre & ſolus ille eſt qui poteſt aperire aures baptizandi ad fidem & veram ſapientiam percipiendam; & nares ad bonum odorem in vita & moribus ejus conſervandum, hujus cæremoniæ meminit S. Ambr. lib. 1. de Sacram. cap. 1.

6. Ad interrogationem ſacerdotis baptizandus Diabolo & omnibus operibus ejus abrenuntiat: cujus ceremoniæ meminit S. Ambr. lib. ſupra cit. cap. 2. porro per ejuſmodi abrenuntiationem baptizandus, tamquam futurus Chriſti miles, bellum Dœmoni indicit, & ideo in ſcapulis & pectore inungitur ut fortiter contra Diabolum luctetur, eo modo quo athletæ luctaturi olim ante luctam inungebantur.

7. Fit cathechiſmus, qui non eſt aliud, quam rerum ad fidem pertinentium & ad vitam Chriſtianam rectè efformandam inſtructio: quod verò ille ſit præmittendus baptiſmo, patet ex Chriſti verbis Matth. ult. *euntes docete omnes gentes baptizantes* &c. porro parvulis qui adhuc ſunt incapaces inſtructionis, utpote rationis uſu deſtituti, adhibet mater eccleſia aures Patrinorum, quorum intellectum accomodat ut per illos inſtruantur, ſicuti accomodat eorum pedes ut pueri veniant ad baptiſmum: eapropter ejuſmodi cæremonia

cate-

catechizandi parvulos, & petendi ab illis an credant, antequam baptizantur, à temporibus Apoſtolorum perpetuo in eccleſia fuit obſervata.

8. Interrogatur baptizandus, *vis baptizari* exemplo Chriſti qui cœcum illuminandum, & ſimiliter paraliticum ſanandum prius interrogavit *vis ſanus fieri* qua cæremonia innuit Eccleſia ſe neminem invitum velle baptizare.

9. Poſt baptiſmum jam collatum ungitur baptizatus ſacro Chriſmate in vertice capitis; quâ unctione ſignificatur illum ab illo die tamquam membrum capiti, ita Chriſto debere eſſe conjunctum, & eatenus Chriſtianum à Chriſto, Chriſtum vero à Chriſmate appellari.

10. Veſtis candida, ſeu ut modo, album ſudariolum, imponitur baptizato; cujus cæremoniæ meminit S. Aug. ſerm. 15. de temp. ſignificat autem hæc veſtis alba innocentiam & animi puritatem baptizato per baptiſmum eſſe reſtitutam, quam immaculatam totâ vitâ ſuâ debet conſervare: eapropter antiquitus quando Neophiti candidam veſtem deponebant, loco illius dabatur illis agnus candidus ex cereo paſchali à Pontifice benedictus, quem ex collo ſuſpenſum geſtabant tamquam ſignum perpetuæ puritatis conſcientiæ ſervandæ.

11. Traditur baptizato candela accenſa; quâ ſignificatur quod fidem charitate ardentem quam per baptiſmum accepit uſque ad finem vitæ debeat conſervare, hæcque illi etiam datur in manus in fine vitæ, quâ tunc proteſtatur ſe velle vivere & mori in illa fide quam per baptiſmum accepit: meminit hujus cæremoniæ S. Aug. in enarrat. in pſal. 65.

Ex dictis liquet quod cæremoniæ in baptiſmo adhiberi ſolitæ nihil indecorum aut vanum contineant, prout ineptè blaſphemant noſtri temporis hæretici: ſed ſanctè adhibentur, vel propter inſtructionem, vel ob myſticam ſignificationem, vel ob aliquem ſpiritualem effectum; ſerviunt inſuper ad excitandam devotionem & reverentiam erga ſacramenta ſine quarum adhibitione illa vileſcerent.

DUBIUM XIV.

Quid Baptiſmus ſanguinis ſeu Martyrium.

MArtyrium ſpectando vim nominis idem eſt quod teſtimonium; uſu tamē Eccleſiaſtico illud teſtimonium ſolum appellatur *Quid martyrium.*

datur martyrium, quod datur de Chriſto & ejus doctrina per tolerantiam mortis aut tormentorum: tale autem teſtimonium dari non poteſt niſi tyrannus mortem aut pœnas inferat in odium aut contemptum Chriſti ejuſve doctrinæ: eapropter hæretici etiamſi ſe putent occidi pro doctrina Chriſti dum puniuntur morte à Principibus Catholicis non ſunt martyres, quia mors non infertur illis in odium doctrinæ Chriſti ſed in odium hæreſeos.

Quanã cauſa ſufficiat ut propter illã aliquis paſſus dicatur â martyr.

Petes; quid potiùs facit martyrem an pœna an cauſa.

Reſp. cauſa: nam quo ad pœnam poteſt eſſe æqualis & martyr & malefactor: unde eſt adagium deſumptum ex S. Aug. in Pſal. 34. martyres non facit pœna ſed cauſa.

Petes an illa cauſa ſit ſola defenſio fidei catholicæ, ita ut ille ſolus cenſeatur martyr qui moritur pro defenſione fidei catholicæ.

Reſp. negativè: ſed cauſa generaliter eſt defenſio cujuſque virtutis Chriſtianæ, ita ut quicumque moritur pro virtute Chriſtiana, ſit cenſendus martyr, eò quod talis morte ſua legem & doctrinam Chriſti, quæ talem virtutem probat, cenſeatur probare & amplecti: quod probatur à poſteriori, quia Eccleſia plurimas virgines colit tamquam martyres, quæ pro defenſione caſtitatis mortem oppetierunt: prout & alios qui pro defenſione immunitatis Eccleſiaſticæ, ut S. Thomam Cantuarienſem.

Martyrium eſt actus imperatus à Charitate.

Petes, cujus virtutis actus ſit martyrium.

Reſp. fortitudinis Chriſtianæ ſeu, quod redit in idem, eſt actus elicitus ab illa virtute quæ impugnatur, ſeu pro cujus defenſione martyr moritur quatenus videlicet hæc eſt conſtituta in gradu heroico: nam gradus heroicus alicujus virtutis magnâ ex parte in eo conſiſtit, quod voluntatem tam fortiter tamque conſtanter faciat ſubjecto ſuo inhęrere ut illud etiam vitæ propriæ præponat: idcirco ſi quis amore caſtitatis eligat potiùs mori, quam eam perdere erit actus elicitus à virtute caſtitatis: ratio eſt quia ad eandem virtutem ſpectat amare ſuum objectum, & media ad illud conſervandum neceſſaria procurare: nihilominus illa perpeſſio mortis communiter à SS. Patribus appellatur actus fortitudinis Chriſtianæ, quia procedit ex ſumma animi immobilitate & conſtantia in bono, quæ à SS. Patribus appellari ſolet fortitudo, quæque non deſtinguitur ab ipſa virtute

Et elicitus ab illa virtute pro cujus defenſione ſuſcipitur.

Digitized by Google

tute quæ impugnatur ut conſtituta in gradu heroico.

Petes an mortis perpeſſio elicita ab aliqua virtute Chriſtiana, ut dictum eſt, non debeat imperari ab amore Dei ſuper omnia.

Reſp. Affirm. quod probatur 1. Matth. 10. ubi Chriſtus ait, *qui perdiderit animam ſuam propter me*, id eſt amore mei, *inveniet eam.* Unde & Apoſt. 1. ad Cor. 13. ait, *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*; ergo mors debet acceptari ex affectu charitatis: quod confirmatur quia 1. Joann. 15. dicitur, *majorem hâc* dilectionem nemo habet quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; ac eapropter S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 2. ait,,, martyrium eſt actus ,, charitatis ut imperantis forti-,, tudinis autem ut elicientis; ,, inde etiam eſt quod utramque virtutem manifeſtet; quod autem ſit meritorium, hoc habet ex charitate; ſicut & quilibet virtutis actus; ideo ſine charitate non valet, & in 3. part. q. 62. art. 12. ait, quod effuſio ſanguinis non habet rationem baptiſmi ſi ſit ſine charitate, & quod baptiſmus ſanguinis includit baptiſmum flaminis: ita quoque loquitur S. Auguſt. lib. 3. de Bapt. cap. 16. & lib. 4. cap. 17. ubi expreſsè docet extra Eccleſiam homini non prodeſſe etiamſi corpus ſuum tradat ut ardeat quia charitatem non habet idem docet Cyprian. epiſt. 57. lib. de unitate Eccleſ. tract. de Oratione Dominicâ.

Non ſunt veri martyres qui extra Eccleſiã etiam pro Dei nomine patiuntur.

Eccleſia quomodo certa eſſe poſſit de vero alicujus martyrio

Dices, ſi mors debeat ſuſcipi ex amore Dei ſuper omnia Eccleſia numquam erit ſufficienter inſtructa ad Canonizationem unius martyris, in qua proinde poterit errare.

Reſp. negando conſequentiam: quia imprimis debet examinare quomodo martyr ſeſe habuerit antequam moreretur, quomodo ſe in agone geſſerit, quâ in re peculiariter dirigitur à Deo, aſſiſtitque ei Spiritus S. in re tanti momenti ne erret: inſuper addit Bannes 2. 2. qu. 24. art. 6. quod privilegium collatum martyrio in adultis illud eſt, quod non permittat Deus ut aliquis occidatur pro confeſſione fidei niſi priùs, ſi opus fuerit, charitatis & contritionis actum elicuerit: ac propterea Eccleſia, inquit ille, non opus habet alio teſtimonio ad canonizandum aliquem pro martyre, niſi ut conſtet quod pro confeſſione fidei mortem oppetierit. Si tamen in unitate Eccleſiæ Catholicæ exiſtens talis occiſus

 fuerit.

Digitized by Google

fuerit. Quia Sancti Patres ſupra citati expreſsè docent poſſe hæreticum vel ſchiſmaticum pro confeſſione nominis Chriſti mortem pati, qui tamen non erit propriè martyr, quia extra Eccleſiæ unitatem non eſt charitas, ſine qua nihil eorum quæ homo facit aut patitur, prodeſſe illi poteſt.

Dices poteſt quis pro patria, parentibus aut amaſia mortem oppetere abſque eò quod diligat illos ſuper omnia, ergo poterit quis pro confeſſione fidei mortem oppetere abſque eo quod diligat Deum ſuper omnia: probatur conſequentia quia poteſt quis Catholicus pro Confeſſione fidei mori, qui nolit voluptates ſuas carnales aut occaſiones proximas peccati relinquere.

Reſp. quidquid ſit de antecedente, neg. conſequentiam ejuſque probationem: quia, ut dictum eſt, Deus particulari ſua aſſiſtentiâ adeſt martyri, illique inſpirat ut in opere tam excellenti & heroico eliciat actus ad ſalutem neceſſarios, ad quos eliciendos non eſt opus longo amore.

An ſubiturus martyriū exiſtens in ſtatu peccati mortalis teneatur illud confiteri, aut de eo expreſſe conteri.

Petes, quid faciet adultus ſubiturus martyrium qui ſimul habet peccatum mortale cujus conſcientiam habet.

Reſp. ſi commoditas confitendi adſit, tenetur confeſſionem pręmittere: quia martyrium non tollit obligationem præcepta ſervandi, quando ſervari poſſunt: quod ſi verò commoditas confitendi non adſit, non ſufficit amor Dei ſuper omnia ſi recordetur peccati mortalis; nec ſufficit etiam attritio putata contritio, ſed requiritur vera contritio orta ex amore Dei ſuper omnia, idque duplici ex capite: 1. quia ſi præceptum contritionis umquam obligat, certè obligat in illo puncto ultimo unde dependet æternitas, idque ob periculum æternæ damnationis cui ſe exponet: nam eſto ſpeculativè foret probabile dolorem aliquem inferiorem ſufficere, attamen id non eſt practicè probabile, nam quilibet tenetur tunc tam ex charitate Dei quam ſui ſequi viam ſecuriorem & tutiorem, alioqui expoſiturus ſe periculo damnationis æternæ caſu quo opinio illa probabilis ſit falſa: inſuper in mortis articulo in peccatore requiritur contritio tamquam diſpoſitio ſummè neceſſaria, cum enim ille peccando mortaliter averterit ſeſe à Deo & converterit ad creaturam, illi quaſi fini ultimo inhærendo, in quantum amorem creaturæ amori Dei præpoſuit, non poteſt ejuſmodi conver-

Digitized by Google

converſio ad creaturam tolli niſi per averſionem ab illa & converſionem ad creatorem; & quidem per talem qua creaturæ anteponatur.

Hoc ipſum probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ait „ ad impetrandam peccatorum „ remiſſionem quovis tempore „ fuiſſe neceſſarium contritionis „ motum ei qui peccatum a- „ ctuale commiſit; „ quod proinde nulli remittitur ſine motu retractationis formali ſi illius recordetur, virtuali verò ſi illius non recordetur.

Præterea non eſt certum martyrium in adulto habere privilegium ex opere operato remittendi peccatum: eapropter peccator cum ſola attritione quæ non eſt contritio martyrium ſubiens exponit ſe periculo æternæ damnationis; ac proinde tunc non connitens ad excitandam contritionem graviſſimè peccat contra charitatem ſui, eligens remedium incertum relicto certo: nam licet ſententia illa eſſet ſpeculativè, probabilis quæ aſſerit peccatorem per martyrium cum attritione juſtificari; caſu quo tamen illa ſententia ſit falſa, qui illam ſecutus fuerit in æternum peribit. His adde quod etſi hæc ſententia eſſet probabilis quæ aſſerit attritionem quæ non eſt contritio ſufficere cum martyrio ad juſtificationem, non eſt tamen probabile quod ſit licitum homini peccatori cum ſola attritione accedere ad martyrium; neque unum ſequitur ex altero; ſicuti non ſequitur probabile eſt baptiſmum collatum in digito eſſe validum; ergo probabile eſt licere conferre baptiſmum in digito extra neceſſitatem.

Dices ſi ad martyrium in peccatore prærequiratur contritio tamquam diſpoſitio, martyrium numquam poterit ſupplere baptiſmum aquæ quando is ſuſcipi nequit, quia culpa ſemper erit deleta per contritionem ante ſuſceptum martyrium.

Reſp. negando aſſumptum, neque enim omnis contritio neque etiam ſemper poteſt ſe ſolâ juſtificare peccatorem ante realem ſuſceptionem Sacramenti prout id late deduximus Tract. 19. de juſtificatione dub. 3.

Petes an ad martyrium neceſſe ſit quod mors ſequatur. *Ad martyriũ non requiritur ut mors abſolutè ſequatur.*

Reſp. abſolutè loquendo negativè & hinc in martyrio aſſignantur quatuor gradus quorum 1. utpote perfectus & completus requirit ipſam mortis illationem & paſſionem. 2. Quando martyrium eſt completum ex parte cauſæ extrinſecæ quæ v. g. Inflixit vulnus lethale. 3. Quando *Quatuor diverſi gradus martyrii.*

circumciſos, & ſic juſtificatos, quia etiam veroſimile eſt quamplures non fuiſſe circumciſos utpote infantes gentilium aut hæbræorum nondum habentes ætatem octo dierum, quos tamen omnes ſine diſcrimine eccleſia colit ut martyres.

RECOLLECTIO.

Hic Lector in ſilentio maturè expende an forſitan umquam in vita tua seriò reflexeris ſuper ſummo illo & numquam ſatis memorando beneficio tibi præſtito per lavacrum regenerationis & renovationis in ſanguine unigeniti filii Dei qui dilexit te & lavit te à peccatis tuis per baptiſmatis Sacramentum, per quod te fecit civem ſanctorum & domeſticum Dei cum ante eſſes filius mortis & mancipium Diaboli, adeoque agnoſcens intolerandam ingratitudinem tuam ingemiſce ſuper ea & amodo cum Apoſt. ad Tit. 3. fac confeſſionem bonam & dic, Eramus, & nos aliquando inſipientes & increduli errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis: cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam magnam, ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & lavacrum Spiritus S.: *dein perge recogitare quoties veſtem candidam tunicam inquam innocentiæ per baptiſmum acceptæ, quam te immaculatam uſque ad adventum Domini conſervaturum ſanctè promiſeras, contaminaveris, illamque pluribus criminibus perfidus & ingratus conſpurcaveris: quæ, an per veram pœnitentiam deleveris, noli umquam eſſe ſine metu, „quia ad novitatem baptiſmi ejuſque integritatem per pœni„tentiæ Sacramentum, quod eſt prima poſt relapſum tabula, „ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exi„gente juſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus ait Concil.*

 Trid.

,, *Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. quod addit ,, ut merito pœnitentia la-*
,, *borioſus quidam baptiſmus à SS. Patribus dictus ſit.*

Dein ſeriò expende quam regulam ſis in Baptiſmo profeſſus nimirum Evangelicam & Chriſtianam: quomodo verò & qualiter hactenus ſecundùm illam vitam tuam inſtitueris in amaritudine animæ tuæ recogita & cognoſces quod ſolâ externâ Chriſtianæ fidei profeſſione contentus, parum aut nihil vitam & exempla Chriſti in Spiritu & veritate ſis aſſecutus, aut Evangelicam perfectionem ad te ſpectare ſis arbitratus; quæ tamen à te in tremendo judicii die ſtrictiſſimè exigetur. Amodò proinde expende quanta tibi, vi profeſſionis in baptiſmo emiſſæ, incumbat ſanctè, ſobriè, & juſtè vivendi neceſſitas, ne alioquin paternâ hæreditate tamquam filius degener & indignus excludaris: ac eapropter dum adhuc dies eſt & tempus miſerendi hanc tuam profeſſionem coram Deo & Angelis ejus maturè renovare ſeſtina, & conſepultus cum Chriſto per baptiſmum in mortem, quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & tu in novitate vitæ ſtudeas impoſterum ambulare; hoc probè ſciens quod vetus homo tuus ſimul debeat eſſe Crucifixus cum Chriſto ut deſtruatur corpus peccati ut ultra peccato non ſervias. Amen.

Digitized by Google

TRACTATUS III.

De Sacramento Confirmationis.

DUBIUM I.

An Confirmatio ſit Sacramentum.

Cur hoc Sacramentum vocetur Confirmatio.

NOTANDUM I. hoc Sacramentum variis nominibus appellari, uſitatiori tamen nomine vocatur Confirmatio ab effectu, quia per illud confirmamur & roboramur ad fidem coram tyrannis fortiter profitendam & diabolicas tentationes ſuperandas. Vocatur paſſim à veteribus manus impoſitio, idque à ritu ſeu cæremonia quæ in ejus adminiſtratione adhibetur; tametſi alioqui nomen illud, manus impoſitio, latiſſimè pateat etiam extra hoc ſacramentum, prout ex Scriptura S. & SS. Patribus facile eſt oſtendere. Vocatur interdum ſacramentum Chriſmatis à materia ſua.

Vocatur apud antiquos manus impoſitio.

Notandum 2. Hæreticos Waldenſes ante ann. 400. Confirmationem ex numero ſacramentorum ſuſtuliſſe prout narrat Æneas Silvius de Origine Bohemorum cap. 35. quem errorem poſtea ſecutus eſt Wicleffus, & poſt illum Joannes Calvinus cum omnibus aliis hujus temporis ſectariis: contra quos ſtatuitur veritas Catholica, quæ eſt talis.

Eſt unũ ex 7. novæ legis Sacramentis.

Et quidẽ ordine ſecundum.

Confirmatio eſt ſecundum legis novæ ſacramentum, non ordine dignitatis ſed adminiſtrationis quia ſcilicet poſt baptiſmum tamquam primum ſolet adminiſtrari prout patet Act. 8. & 19. Ubi narratur quomodo Apoſtoli baptizatis ſtatim nullo alio ſacramento intermedio per manus impoſitionem Spiritum S. tribuerint. Porro quod ſit de fide Confirmationem eſſe ſacramentum probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 1. „ Si quis „ dixerit Confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potiùs verum & proprium ſacramentum ...... anathema ſit. „

Confirmatur id ipſum ex epiſtola Melchiadis Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, in qua ſic ait „ in baptiſmo regeneramur ad „ vitam, poſt baptiſmum verò con-

igitized by Google

„ confirmamur ad pugnam, in „ baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur, & quamvis tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris „ tamen ſunt neceſſaria Confirmationis auxilia. „ Et eâdem Epiſtola, interrogatus utrum eſſet majus ſacramentum baptiſmus an Confirmatio: Reſpondit utrumque eſſe magnum ſacramentum.

Probatur hoc ipſum ex Scriptura S. Act. 8. *Cum audiſſent* Apoſtoli qui erant Jeroſolymis quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum S. .... tunc imponebant manus ſuper eos & accipiebant Spiritum S.

Dices, Baptiſmus ſufficit ad ſpiritualem vitam generandam, Euchariſtia verò ad illam nutriendam, conſervandam, & augendam; ergo non eſt neceſſaria Confirmatio.

Ad quid ſit neceſſarium.

Reſp. hinc tantùm ſequi non eſſe neceſſariam neceſſitate medii: quia tamen peculiaris eſt difficultas ad profitendum fidem coram tyranno & in reſiſtendo diabolicis tentationibus, ideo ad hoc convenienter eſt inſtitutum peculiare ſacramentum.

Dices ſacramenti effectus non impetratur oratione Eccleſiæ vel miniſtri, ſed confertur ex opere operato; ſed Spiritus S. qui dabatur per impoſitionem manuum Apoſtolorum Act. 8. impetrabatur oratione, ergo non eſt effectus ſacramenti.

Reſp. neg. ſubſumptum: & Dico orationem Apoſtolorum ad hoc ſolùm fuiſſe directam, ut ſuſcipientes ſacramentum confirmationis, ritè ad illius ſacramenti ſuſceptionem diſponerentur. His Præmiſſis.

Eſt à Christo immediatè inſtitutum.

Dico 1. hoc ſacramentum eſt immediatè à Chriſto inſtitutum: quod eſt de fide: ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 1. Ubi dicitur „ Si quis dixerit ſacramenta novæ legis non fuiſſe „ omnia à Domino noſtro Jeſu „ Chriſto inſtituta. Anathema „ ſit. „

Veriſimiliter in ultima cœna.

Porro quamvis circa tempus inſtitutionis non omnes Doctores conveniant; verior tamen ſententia eſt illud fuiſſe inſtitutum in ultima cœna: quod probatur ex teſtimonio Fabiani Papæ & Martyris Epiſt. ſua. 2. cap. 1. in qua ait „ in illa die (ſcilicet cænæ) Dominus Jeſus poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit pedes eorum, „ ſicut à SS. Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma,

id

„ id eſt Confirmationis ſacra-
„ mentum conficere docuit.

Nō illud tunc cōferendo, ſed ritū docendo.

Nota tamen çum S. Thoma Chriſtum hoc ſacramentum tunc inſtituiſſe, non illud exhibendo, ſed promittendo: & hinc illa conſuetudo emanavit in eccleſia, quæ hactenus perſeverat, ut in feria quinta in cæna Domini, ſingulis annis materia hujus ſacramenti, id eſt chriſma benedicatur.

Illius definitio.

Porro ſacramentum Confirmationis definitur hoc modo: eſt ſignum ſenſibile quo homo baptizatus à legitimo miniſtro inungitur Chriſmate in fronte ad fidei robur conſequendum ſub præſcriptâ verborum formula.

Dices, Apoſtoli Act. 8. & 19. Conferebant Spiritum S. id eſt Confirmationem, per ſolam manuum impoſitionem; ergo non requiritur Chriſma.

Apoſtoli miniſtrantes illud, uſi ſunt Chriſmate.

Reſp. neg. antecedens, cujus contrarium patet ex teſtimonio Fabiani Papæ ante citato, aſſerentis Apoſtolos in ultima cœna fuiſſe à Chriſto edoctos Chriſma conficere: inſuper quando Scriptura S. affirmat aliquid factum eſſe quod ſpectat ad confirmationem debemus intelligere reliqua quæ ſpectant ad illius eſſentiam non fuiſſe omiſſa juxta regulam quam tradit S. Aug. lib. de fide & operibus cap. 9.

DUBIUM II.

An hoc Sacramentum ſit omnibus ad ſalutem neceſſarium.

Non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem.

RESP. ſatis conſtare illud non eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, eò quod plurimi parvuli ſine eo moriantur & ſalventur, de quo proinde illis indubiè curaret proſpici provida mater eccleſia ſi illud eſſet neceſſarium neceſſitate medii.

Eſt tamen in præcepto.

Quod tamen aliquouſque ſit neceſſarium neceſſitate præcepti, patet ex S. Hieronimo in Dial. contra Lucifer: ubi ait „ an
„ neſcitis hunc etiam eſſe morem
„ Eccleſiarum ut baptizatis ma-
„ nus imponatur & ita invocetur
„ Spiritus S. exigis ubi ſcriptum
„ ſit? in actibus Apoſtolorum
„ Et etiamſi ſcripturæ authoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret: nam & multa alia quæ per traditionem in eccleſiis obſervantur, authoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpant.

Rurſum Clemens 1. Papa & martyr Epiſt ad Julium ait „ om-
„ nibus feſtinandum ſine mora
„ Deo renaſci, & demum conſi-
„ gnari ab Epiſcopo, id eſt ſepti-
„ formem Spiritus S. gratiam
„ percipere quia incertus eſt

Digitized by Google

„ uniuſcujuſque vitæ exitus .... „ quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, „ nec ſedem habere inter perfectos. „ Id ipſum probatur ex authoritate Melchiadis, Papæ ſupra relata: addi quoque poteſt Synodus Laodicena, quæ can. 48. ſic ait „ oportet baptizatos „ poſt baptiſmum ſacratiſſimum „ Chriſma percipere. „

Et certè, licet hoc nec eſſet in ſcripturis expreſſum, nec traditione firmatum videtur tamen in ipſa inſtitutione ſufficienter fundatum; quia tantum ſacramentum perfectionis Chriſtianæ conſummativum non videtur relictum ſub conſilio. Unde cathec. Conc. Trid. 2. part. cap. 3. ſic ait, „ Chriſmatis ſacramento „ fideles omnes adverſus omnes „ mundi, carnis, & Diaboli impetus robuſtiores fiunt, & eorum animus omninò confirmatur; „ ergo quilibet tenetur ejuſmodi protectionis media, dum commodè poteſt, ſuſcipere, ne ſalutis ſuæ prodigus & contemptor habeatur.

Qui illud contemnit peccat mortaliter.

Verum tamen eſt Doctores paſſim aſſerere præceptum iſtud haud gravem obligationem inducere, adeoque ſecluſo contemptu illud omittere eſſe ſolùm peccatum veniale.

Porro tunc illius quis cenſetur eſſe contemptor, ait Silveſter quando quis habitâ ſufficienti opportunitate, ſine rationabili tamen cauſa illud omittit ſuſcipere: etenim cum hæc vita ſit plena tentationibus taliter omittendo tam commodum medium exponit ſe periculo illis ſuccumbendi. Præterea ſi quis ſciens & volens omitteret confirmari tempore perſecutionis ubi eſſet periculum abnegationis fidei, ſine dubio peccaret mortaliter; quia nimirum omiſſio illius cenſetur interpretativus illius contemptus: & profectò ſi fideles fuiſſent magis ſolliciti ad hujus ſacramenti condignam & reverentem ſuſceptionem, non tot ſagas & magos fuiſſet ſæculum hoc noſtrum multis in locis expertum: nam qui hujus ſacramenti effectum non perceperunt, faciliùs diabolo conſentiunt: nec tanta paſſim laxatis habenis regnaret in quovis ſexu, potiſſimum tamen in Juvenibus, carnis concupiſcentia, ſi illud ſacramentum non negligeretur, aut ſaltem cum majori reverentia & ſine obice ſuſciperetur.

Cenſetur contemni quando commode poteſt haberi, & non accipitur.

Paſtorũ obligatio ut ſubditos de hoc Sacramento inſtruãt.

Eapropter dum ſcitur Epiſcopum in aliquo diæceſis ſuę diſtrictu confirmare, incumbit Paſtoribus dicti diſtrictus gravis obligatio ut ſubditis ſuis fructus & utilitates & neceſſitatem hujus ſacra-

ſacramenti explicent; prout & diſpoſitiones requiſitas ad illud reverenter & cum fructu percipiendum, cum ſit ſacramentum vivorum: quia enim paſſim abſque aliqua fere diſpoſitione iſtud ſuſcipitur, paſſim quoque ponitur obex illius effectibus; quibus deſtituta juventus paſſim ſuccumbit carnis tentationibus, bibens ſicut aquas omnis generis iniquitates.

Petes an peccet qui accipit tonſuram aut ſacros ordines ante ſacramentum Confirmationis.

Nondum confirmati nec Ordines, nec tonſuram accipere poſſunt.

Reſp. Affir. idque mortaliter, quia Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. de refor. ſic ſtatuit „ primâ „ tonſurâ non initientur qui „ ſacramentum confirmationis „ non ſuſceperunt: „ ex quo concludunt nonnulli, inter quos Henriquez lib. 3. cap. 5. illum fieri irregularem qui non confirmatus ordinatur; non ſecus acſi ordinaretur per ſaltum: & certe ſicuti non expedit ut quis aſſumatur in Ducem qui ante non fuit miles ſic nec expedit aliquem ordinari qui ante non fuit confirmatus.

Nec aliud Sacramentum licitè.

Petes an peccet qui Euchariſtiam vel matrimonium ſuſcipit ante ſacramentum Confirmationis.

Reſp. Affirm ſaltem venialiter, quia hic eſt ordo ſacramentorum, & eccleſiæ praxis ut adulti qui baptizantur dein confirmentur, & inde ad Euchariſtiam admittantur prout ait Sotus in. 4. diſt. 7.

DUBIUM III.

Quæ ſit materia Confirmationis, & qua forma.

Materia illius remota eſt Chriſma.

MAteria hujus ſacramenti alia eſt proxima, alia remota: hæc eſt Chriſma, eſt autem *Chriſma* vox græca, ſignificans unguentum compoſitum ex oleo & Balſamo ab Epiſcopo benedictum, ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can, 2. de Confirm. Quod etiam patet ex uſu & traditione Eccleſiæ. Et probatur ex verbis Fabiani Papæ ſupra citatis. Ratio congruentiæ eſt quia hoc ſacramento confertur plenitudo gratiæ quæ per oleum ſignificatur, cui etiam admiſcetur Balſamum ad deſignandam fragrantiam boni odoris & bonæ vitæ quam ſpirare debent qui hoc ſacramentum ſuſcipiunt.

Quid illud.

Ad illud requiritur neceſſariò Balſamum oleo mixtum.

Petes, an balſamum ſit de eſſentia materiæ ſacramenti confirmationis.

Reſp. Affirm. quod probatur ex Conc. Flor. expreſsè docente materiam Confirmationis eſſe Chriſma ex oleo & balſamo ab Epiſcopo benedictum; ubi Con-

cilium eodem modo loquitur de balſamo ſicuti de oleo; ſed hoc eſt de omnimoda neceſſitate materiæ ergo & balſamum.

Confirmatur ex forma ipſius ſacramenti in qua dicitur, *Confirmo te Chriſmate ſalutis*: Inſuper probatur ex epiſt. Fabiani Papæ in qua acriter redarguit Epiſcopos negligentes ſingulis annis conficere Chriſma, docens id in Romana, Antiochena, Epheſina, & Hieroſolymitana eccleſiis à temporibus Apoſtolorum cuſtodiri: addens quod Chriſtus in ultima cœna Apoſtolos Chriſma conficere docuerit: ac eapropter Eccleſia numquam legitur diſpenſaſſe ut hoc ſacramentum conficeretur in ſimplici oleo.

Dices vinum aquâ mixtum eſt materia Sacramenti Euchariſtiæ ex Chriſti inſtitutione; & tamen aqua non eſt neceſſaria ad ejus ſubſtantiam ergo nec balſamum ad confirmationem.

Reſp. neg. conſequentiam: nam eſto ſit idem loquendi modus, aliter tamen eſt judicandum de aqua & aliter de balſamo: nam conſtat nobis ex Conc Trid. aquam miſceri vino ſolùm ex præcepto Eccleſiaſtico, ſumptá occaſione ex Chriſti facto; de balſamo vero nihil tale nobis declaratur.

Dices ſatisfactio in Sacramento pœnitentiæ eſt ex Chriſti inſtitutione, & tamen tantùm eſt illius pars integralis; ergo & balſamum, eſto ſit ex Chriſti inſtitutione poterit tamen tantùm eſſe pars integralis confirmationis.

Reſp. neg. conſequentiam: quia ſatisfactio non eſt pars quæ ordinariè præſupponitur formæ abſolutionis ſed illam ſubſequitur, balſamum verò præſupponitur formæ; & niſi adſit. illa redditur falſa.

Dices Innocent. III. cap. *Paſtoralis* de Sacramentis non iterandis conſultus an confirmatio in eo deberet reiterari qui per errorem fuerat puro oleo inunctus. Reſpondit nihil in eo caſu eſſe reiterandum, ſed cautè ſupplendum quod incautè fuerat omiſſum ergo balſamum eſt tantùm quid accidentale huic ſacramento: nam, ſi hoc fuiſſet nullum, debuiſſet reſpondere, illud eſſe reiterandum.

Reſp. Pontificem ſuper duabus quæſtionibus ſimul fuiſſe conſultum; ſuper unâ ſcilicet iam dictâ, aliâ verò an Dia[illegible]us ſine manuum impoſitione fuiſſet verè ordinatus, & an utrumque teneret ſacramentum: quibus duabus quæſtionibus unam ſolutionem generalem impendit quam proportionaliter vult ſingulis

gulis applicatam, hoc ſenſu ſcilicet, in ſacramentis Confirmationis & ordinis nihil eſſe reiterandum, ſed cautè ſupplendum quod defuit, ſcilicet in primo quæſito ſubſtantiam, ob defectum materiæ; in alio verò cæremonias: alioquin enim, niſi ſic intelligatur, fatendum erit eo caſu ſolum balſamum eſſe adhibendum; quod eſt inauditum cum illud, nec ſeorſim ſoleat benedici, nec liquor ejus ſeorſim adhiberi.

Petes, an ad ſacramenti valorem ſufficiat balſamum cujuſcumque ſpeciei ſive ſit indicum ſive Judaicum.

Reſp. Affirm. dummodo ſit verum balſamum, ſicuti ad eſſentiam Euchariſtiæ ſufficit vinum cujuſcumque ſpeciei, dummodo ſit verum vinum.

Dices oppoſita ſententia, quæ dicit mixtionem balſami eſſe ſolùm accidentalem, ob gravium Doctorum auctoritatem non eſt improbabilis; ergo quandoque in neceſſitate licebit illa uti, & ſic quandoque conferre ſacramentum Confirmationis in puro oleo olivarum ab Epiſcopo benedicto.

Reſp. neg. conſequentiam: nam eſto illa ſit ſpeculativè probabilis, nullatenus tamen practicè, eò quod ſtricto Eccleſiæ præcepto ſit inhibitum confirmationem conferre in ſimplici oleo, quod præceptum non eſt relaxandum ob defectum balſami, ne ſacramentum exponatur periculo nulleitatis: hoc addito, quod moraliter loquendo nulla occurrat neceſſitas quæ miniſtrum à ſacrilegio excuſet, cum ſemper poſſit in neceſſitate ſuſcipi aliud ſacramentum, ſi quis ægrotet, ut Extrema Unctio aut pœnitentia,

Petes, an Apoſtoli in adminiſtratione ſacramenti Confirmationis ſemper fuerint uſi Chriſmate.

Reſp. Affirm. quia S. Dionyſius Areopagita lib. 4. Eccleſ. Hierarchiæ, Fabianus Papa, Clemens Papa lib. 7. Apoſt. conſtit. cap. 44. id affirmant: cum enim à Chriſto edocti fuerint chriſma conficere cenſentur quoque præceptum habuiſſe eo utendi, in quo, quòd diſpenſatum eum eis fuerit, non eſt ſine gravi fundamento dicendum. Nihil tamen vetat quò minus Apoſtoli per ſolam manuum impoſitionem potuerint dare ſimilem hujus ſacramenti effectum eo modo quo ipſi hunc acceperunt in die Pentecoſtes ſine prævio Confirmationis Sacramento; quod illi non acceperunt, ſed Deus, cujus potentia

tentia non eſt alligata ſacramentis hunc illis contulit ſine ſacramento in die Pentecoſtes.

Et debet eſſe ab Epiſcopo benedictum ad validitatem materiæ.

Petes, an benedictio Chriſmatis debeat fieri ab Epiſcopo, ita ut Pontifex nequeat hanc benedictionem ſimplici presbytero committere.

Reſp. Affirm. quod probatur ex Concil. Florent. definiente materiam hujus ſacramenti eſſe chriſma confectum ex oleo & Balſamo per Epiſcopum benedicto.

Probatur 2. ex Fabiano Papa dicente Chriſtum docuiſſe Apoſtolos Chriſma conficere: quod non debet intelligi de materiali ejus compoſitione, quæ ad pharmacopolas potiùs, quam ad Epiſcopos ſpectat; ſed de formali, nempe de modo illud benedicendi: præterea numquam legitur benedictionem chriſmatis ſimplici présbytero fuiſſe commiſſam.

Dices quilibet ſacerdos poteſt id quod majus eſt, nempe conſecrare Euchariſtiam; ergo poterit id quod minus eſt nempe conſecrare chriſma 2. Pontifex poteſt ſimplici ſacerdoti committere adminiſtrationem hujus ſacramenti, ut patet ex Conc. Flor. ergo & benedictionem chriſmatis.

Reſp. ad primum: Axioma illud, *qui poteſt majus poteſt minus* debere intelligi de majore & minore ſibi invicem ſubordinatis in eodem genere, & quidem in cauſis naturalibus: neque enim in moralibus ſequitur, qui poteſt docere Theologiam quod majus eſt poteſt docere cantum, quod minus eſt.

Ad ſecundum. Negatur conſequentia quia confectio alicujus materiæ bene poteſt ſpectare ad aliquem ſuperiorem; eſto uſus & diſtributio illius concedatur inferiori, ut videre eſt in ſacramento Euchariſtiæ, cujus confectio ſpectat ad ſolum presbyterum, diſtributio verò etiam relinquitur Diacono.

Petes an requiratur quod chriſma debeat eodem anno eſſe benedictum.

Reſp. id quidem requiri ex præcepto Eccleſiæ: prout patet ex Fabiano Papa; quod eſt in praxi ſervandum, quamvis hactenus ab Eccleſia non ſit definitum an antiquum chriſma amiſerit ſuam benedictionem.

Dico 2. Proxima materia hujus ſacramenti eſt unctio chriſmatis facta in formam crucis in fronte baptizati.

Probatur quia materia proxima ſacramentorum, quæ in uſu conſiſtunt, conſiſtit in applicatione materiæ remotæ circa debitum

Materia proxima eſt unctio in fronte baptizati.

bitum ſuum ſubjectum ; & conſequenter hæc in applicatione chriſmatis circa confirmandum.

Petes an inſuper non requiratur manuum impoſitio.

Reſp. neg. præter eam quæ continetur in ipſa chriſmatis unctione ; ſiquidem forma Confirmationis tantùm cadit in unctionem, neque ullam manuum impoſitionem ulterius determinat.

Et quidẽ in formã crucis facta.

Petes, an ſit de eſſentia confirmationis quod unctio fiat per modum crucis & quidem in fronte ejus qui confirmatur.

Reſp. quoad utrumque Affirm. quia talis ritus ſemper fuit ab Eccleſia obſervatus & tamquam eſſentialis per verba formæ ſignificatus quique tam religiosè retinetur, ut ille verè non habeatur confirmatus qui chriſmate unctus in fronte per modum crucis non fuerit.

Porro ideo unctio fit in fronte, quia frons eſt ſedes verecundiæ, idque ne confirmatus Chriſti nomen ejuſque crucem quæ Judæis fuit ſcandalum, gentibus verò ſtultitia confiteri erubeſcat.

Petes, an ſit de præcepto ut unctio fiat pollice dextro ipſius Epiſcopi.

Reſp. Affirm. eo quod Pontificale Romanum hoc præſcribat & ita àb Eccleſia obſervetur.

Petes an unctio ſic fieri debeat pollice dextro ut non poſſit fieri medio inſtrumento v. g. virgulâ argenteâ, ſicut de Extrema unctione tempore peſtis.

Reſp. quidquid ſit de Extrema unctione, de qua poſtea, probabilius eſt ſacramentum illud fore invalidum, adeoque ſub conditione reiterandum ; fundamentum petitur à continuo uſu à primis Eccleſiæ exordiis huc uſque aliter practicato.

Petes, quænam quantitas chriſmatis requiratur ad aliquem confirmandum.

Reſp. ea quâ poſſit quis digito in fronte inungi, adeoque parva quantitas ſufficit ; prout quoque ad conficiendum chriſma ſufficit ea balſami quantitas & mixtio, quâ balſamum poſſit ſuas qualitates & præſertim odorem oleo communicare.

Dices Apoſtoli confirmarunt per manuum impoſitionem ergo non requiritur chriſma.

Reſp. actionem illam quam nos appellamus unctionem, appellatam fuiſſe manuum impoſitionem, eò quod manu Epiſcopi fiat.

Petes, quænam ſit forma Confirmationis.

Reſp.

Reſp. hæc, conſigno te ſigno crucis & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris & filii & Spiritus S. quæ verba ſi quo ad ſubſtantiam immutentur, ut ſi omittatur invocatio SS. Trinitatis aut verbum *conſigno* Vel *confirmo*, non valebit ſacramentum.

DUBIUM IV.

Quodnam ſit ſubiectum Confirmationis.

Confirmationis capax eſt ſolus baptizatus.

RESP. omnis homo baptizatus ſive puer ſive adultus. Dico baptizatus, quia cum baptiſmus ſit janua reliquorum ſacramentorum nemo poteſt hoc ſacramentum recipere niſi baptizatus; ratio congruentiæ eſt, quia per baptiſmum homo ſpiritualiter generatur, & per confirmationem augetur, augmentum verò vitæ præſupponit generationem. Ratio concluſſionis eſt quia omnes baptizati ſunt capaces effectûs hujus ſacramenti & perfectionis quæ per illam datur, & quamvis infantes non ſint actu capaces ad pugnam ſpiritualem, ſunt tamen capaces, ut armentur ad illam.

Etiam infantes.

Petes an ergo hoc ſacramentum licitè adminiſtretur parvulis ante uſum rationis.

Reſp. ſic habuiſſe praxim primitivæ Eccleſiæ ut etiam impenderetur parvulis ante rationis uſum, prout & illis tunc porrigebatur Euchariſtia; quia nimirum ob varias tyrannorum perſecutiones Epiſcoporum præſentia erat valde difficilis, hinc judicavit Eccleſia parvulis hoc ſacramentum conſultiùs poſt baptiſmum conferre, qui bis tantùm tunc ſolemniter conferebatur, quam diutius differre; idque, ut majores facti, ad graviores tyrannorum perſecutiones tolerandas, mortem quoque pro fide ſubeundam, eſſent animoſiores.

Porro multæ fuerunt antiquitus conſuetudines laudabiles quę modo tamen ob juſtas cauſas ſunt abrogatæ; quas proinde hoc tempore uſurpare privatâ authoritate non licet: quod patet quo ad praxim porrigendi Euchariſtiam parvulis, item communicandi ſub utraque ſpecie; idem quoque accidit circa conſuetudinem confirmandi infantes: unde Cathec. Conc. Trid. 2. Part. cap. 3. ſic habet „ poſſet quidem „ ſtatim à baptiſmo Confirmatio „omnibus adminiſtrari, ſed minus expedit pueris ante ſeptennium, idque ob varias cauſas.„

Non tamen ipſis dandum ante uſum rationis.

1. Quia ubi non urget neceſſitas quærenda eſt major ſacramenti reverentia, quæ major habe-

habetur ubi propriâ devotione ſuſcipitur.

2. Ad evitandum periculum iterationis, quod facilè poteſt contingere quando confirmatus ignorat ſe confirmatum.

Petes, an hæc conſuetudo non confirmandi parvulos ante ſeptennium obliget rigorosè ſub peccato mortali.

Reſp. neg. quinimo ſubſiſtente juſtâ causâ nullum eſt peccatum prout contingere poteſt in locis remotioribus diœceſis ad quæ Epiſcopi raro ſe conferunt: attamen tunc adhibenda erit cautio quâ conſtare poſſit de ſacramento ſuſcepto ut evitetur periculum iterationis.

Ex quo patet quod in loco reſidentiæ, aut ad quem Epiſcopus ſolet frequenter venire non expediat confirmare parvulos ratione carentes.

Petes, quid dicendum de amentibus.

An amentibus ſit miniſtrandū.

Reſp. ſi fuerint perpetuò amentes, nec ſpes ſit rationis uſus, poſſunt illi ſtatim confirmari, quia non eſt ratio differendi: nec refert quod illi non poſſint pugnare, aut fidem coram tyranno profiteri; quia finis hujus ſacramenti non eſt ſola pugna ſpiritualis ſed & complementum hominis Chriſtiani. Quod ſi amentes habeant lucida intervalla uſus rationis, differenda erit confirmatio uſque ad illud intervallum ut illud majori cum devotione ſuſcipiatur.

An ſurdis.

Quid dicendum de ſurdis.

Reſp. illos eſſe confirmandos, eò quod ſpeciali auxilio Spiritus S. opus habeant ad fidem Chriſti ſignis & nutibus profitendam.

An moribundis.

Petes, an ſacramentum illud ſit adminiſtrandum morituris v. g. homini gentili aut Judæo, recenter converſo & baptizato & mox afficiendo ſupplicio.

Reſp. Affirm. ſi commodè conferri poſſit: nam licet ſacramentum iſtud non ſit illis neceſſarium ad pugnam, eſt tamen neceſſarium ad complementum hominis Chriſtiani: Eapropter S. Carolus Borromæus decreto 27. in actis Eccleſ. Mediol. „ ſi „ quis, inquit, cum periculosè „ ægrotat, Confirmationem ſibi „ miniſtrari petat; tunc Epiſco- „ pus, ſi eò loci eſt ubi ille ægro- „ tat, ne ſine hoc ſacramento „ decedat, cum charitate paternâ „ inviſat & confirmet: „ quinimo, ſicuti diximus ſi ſit extremo ſupplicio afficiendus & confirmationem petat à proprio Epiſcopo, illum ſub mortali teneri ad eam adminiſtrandam ne petentem fructu ſacramenti privet, tenent complures graves Doctores.

Petes quæ diſpoſitiones re-

Digitized by Google

quirantur in confirmando adulto ut ritè & licite hoc ſacramentum ſuſcipiat.

Quæ diſpoſitiones requiſita ut rite ſuſcipiatur.

Reſp. præter intentionem ſacramentum ſuſcipiendi, requiri ſtatum gratiæ, quia eſt ſacramentum vivorum. Eapropter quando Epiſcopus promulgavit ſe hoc ſacramentum adminiſtraturum, debent Paſtores parochianos ſuos adultos adhortari ad præmittendam debitam confeſſionem; prout & ut ſacramentum illud majori cum reverentia ſuſcipiant, inducendi ſunt ad jejunium, eleemoſynam, & alia pia opera præmittenda: quæ, quamvis abſolutâ neceſſitate non ſint neceſſaria, multùm tamen expediunt ad conſequendum majorem ſacramenti fructum: qui ſimiliter docendi ſunt debere linteum ad ligandum frontem conferre, quod oportet fronti alligatum ferre tribus diebus, donec à Sacerdote auferatur, & frons illo tergatur, dein comburatur & cineres in ſacrarium deponantur: neque enim poteſt linteolum illud adhiberi ad uſus profanos ob contactum Chriſmatis: ſubinde tamen poterit eſſe juſta cauſa linteolum iſtud ſtatim à confirmatione auferendi ut ſi v. g. quis confirmetur in grandiori ætate, quo caſu frons confirmati cum ſale & aqua & dicto linteolo ſtatim reverenter abſtergatur.

Patrinus adhibendus in Confirmatione unus tantùm, aut unus & una.

Petes, quæ requirantur ut quis ſit patrinus in Confirmatione.

Reſp. intentio ſubeundi onus patrini & tenendi confirmandum.

Petes, quot in Confirmatione poſſunt eſſe patrini.

Reſp. ad ſummum unus & una: ratio eſt quia quando deſuper jure novo nihil. eſt ſtatutum, ſtandum eſt juri communi, quod ûnum & unam concedit ſolum in Confirmatione, quique adhiberi debet ſub mortali peccato, quia ritus ille ſemper æſtimatus eſt ab eccleſia notabiliter gravis, ſicut & in baptiſmo.

Petes an ejuſmodi patrinus contrahat cognationem ſpiritualem.

An contrahatur in hoc ſacramento cognatio ſpiritualis, & inter quos.

Reſp. Affirm. & quidem quæ ſe extendat ad confirmatum ejuſque parentes: & hinc parentes non poſſunt in Confirmatione eſſe patrini propriæ prolis, alioquin enim privati eſſent jure petendi debitum; neque vir poteſt agere patrinum proriæ uxoris ſuæ, neque non confirmatus confirmandi: quæ omnia patent ex Pontificali Rom. frater tamen poteſt agere patrinum fratris aut ſororis ſuæ, quia deſuper non exſtat inhibitio, qui tamen inter

ter ſe contrahent cognationem ſpiritualem.

Petes, quænam ſit obligatio Patrini ex confirmatione.

Reſ. confirmatum inſtruere in fide & bonis moribus caſu quo deficiat patrinus baptiſmi vel alius habens ejus curam.

Petes an idem qui fuit patrinus in baptiſmo poſſit reſpectu ejuſdem eſſe patrinus in Confirmatione.

Reſp. expedire ut ſint diverſi, niſi tamen neceſſitas urgeat.

DUBIUM V.

Qui ſint Confirmationis effectus.

Varii effectus ſacramenti confirmationis. NOta primum hujus ſacramenti effectum eſſe gratiam ſanctificantem: prout patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 6. & 8. & Actor. 8. & 19. Ubi narratur eos accepiſſe Spiritum S. quibus Apoſtoli manus impoſuerant.

Secundus hujus ſacramenti effectus ſunt complures gratiæ actuales quæ dantur ſuo tempore ad fidem fortiter profitendam & tentationibus carnis, mundi & Diaboli animosè reſiſtendum.

Imprimit characterem. Tertius hujus ſacramenti effectus eſt character: prout definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. ex quo ſequitur hoc ſacramentum iterari non poſſe.

Dices S. Aug. lib. 5. de baptiſmo cap. 16. ait manus impoſitionem poſſe iterari; ergo.

Reſp. dum de manuum impoſitione apud SS. Patres aliquid legitur, diligenter debere adverti de qua manuum impoſitione loquantur: quia cum, *manuum impoſitio*, ſit quædam generalis cæremonia variè adhiberi ſolita, ut manifeſtum eſt ex variis Scripturæ locis, fit ut non ſolum hoc Sacramentum Confirmationis ſignificet, ſed & Sacramentum Ordinationis & reconciliationis, & interdum alios quoſdam hujuſmodi actus ſolemnes uti patet legenti veterum ſcripta. Porrò dicto loco agit S. Auguſt. de manuum impoſitione reconciliatoria.

Petes an iteratio confirmationis inducat irregularitatem ſicut iteratio baptiſmi.

Reſp. quamvis iteratio voluntaria hujus ſacramenti ſit graviſſimum ſacrilegium, non tamen cauſat irregularitatem: ratio eſt quia illud delictum ſolum inducit irregularitatem circa quod jura illam expreſſe decernunt, nullum autem jus reperitur quod annectat irregularitatem iterationi Confirmationis.

Quod ſi quis tamen cum fun-

An reiterans hoc ſacramentum incurrat irregularitatem.

damento dubitet de ſuſcepta Confirmatione, aut de ejus valore, licitè illam iterabit ſub conditione.

Petes an character Confirmationis præſupponat characterem baptiſmi.

Confirmatio ut & alia ſacramenta præſupponunt baptiſmum,

Reſp. Affirm. idque tantâ neceſſitate, ut ſi quis confirmetur ante baptiſmum ſuſceptum, Confirmatio ſit nulla, ut patet ex cap. de presbytero non baptizato, ubi is jubetur reordinari: vide quoque Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. Ubi ait „ pœnitentiam ante baptiſmum non eſſe „ ſacramentum: „ quorum omnium ratio eſt inſtitutio Chriſti, qui voluit characterem baptiſmi eſſe potentiam receptivam cæterorum ſacramentorum.

Petes, quid ſi ergo putans bonâ fide ſe baptiſatum, cum tamen non ſit, recipiat ſacramentum Euchariſtiæ, an nullum inde percipiet fructum.

Reſp. neg. quia cum non ſit baptizatus, non eſt capax effectus alicujus ſacramentalis; infantulus tamen baptizatus recipiens Euchariſtiam acciperet illius fructum, quia ſcilicet ſacramentum illi confert gratiam ſine propria diſpoſitione quam non confert adulto niſi legitimè diſpoſito, qualis non eſt qui nondum eſt baptizatus: Nec dictis obſtat quod Cornelius Centurio Act. c. 10. ante baptiſmum acceperit Spiritum S. quia illum non accepit per ſacramenta, ſed alio modo: neque enim Deus, ut ſæpe dictum eſt ita alligatus eſt ſacramentis ut ſacramenti effectum nequeat dare ſine ſacramento.

Petes an character Confirmationis ſit diſtinctus à charactere baptiſmi.

Reſp. Affirm. quod colligitur ex communi modo loquendi Doctorum qui ſicuti diſtinguunt characterem Ordinis à charactere baptiſmi & Confirmationis, ita quoque diſtinguunt hos duos inter ſe: & hoc ideo quia per hujuſmodi characteres deputatur homo ad diverſa munia; per baptiſmum ſcilicet ut ſit capax aliorum ſacramentorum, per Confirmationem verò ut deputetur Chriſti miles ad fidem ejus publicè profitendam.

DUBIUM VI.

Quis ſit miniſter Confirmationis.

Confirmationis miniſter eſt Epiſcopus.

Fide certum eſt ſolum Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium Confirmationis: quod patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 7 can. 3. Ubi ait „ ſi quis dixerit „ ſacramenti Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum

ſolum Epiſcopum, ſed quemlibet ſimplicem ſacerdotem: anathema ſit.

Iſque conſecratus.

Petes quis veniat nomine Epiſcopi.

Reſp. ſolus conſecratus;& ratio eſt quia collatio Confirmationis eſt actus ordinis; porro ante conſecrationem Epiſcopus quantumvis deſignatus, nihil poteſt circa ea quæ ſunt Ordinis.

Petes quænam diſpoſitiones debeant eſſe in Epiſcopo ut licitè hoc ſacramentum adminiſtret.

Debet illud conferre tantum ſubditis ſuis.

Reſp. 1. eum ante omnia debere eſſe in ſtatu gratiæ 2. per ſe loquendo debet illud conferre ſolis ſubditis, idque in propria diœceſi: & quamquam multi textus juris canonici inſinuent illum debere eſſe jejunum: prout patet ex cap. ut *jejuni* & ex cap. ut Epiſcopi de conſecr. diſt. 5. tamen uſus modo obtinuit ut etiam poſt prandium adminiſtretur; adeoque eſto foret conveniens, non eſt tamen neceſſarium neceſſitate præcepti ut confirmans ſit jejunus.

Dixi, per ſe loquendo Epiſcopum ſolis ſuis ſubditis in ſua diœceſi poſſe conferre ſacramentum Confirmationis, quia ex venia præſumpta (quâ prudenter præſumere poteſt id gratum fore vicinis ſuis Epiſcopis, eò quod nullum illis inde proveniat incommodum prout provenire poſſet ex collato ſacramento Ordinis) poteſt alienæ diœceſis ſubditos confirmare: nec refert quod confirmatio ſit actus juriſdictionis, quia per illam licentiam, præſumptam & ratihabitionem de præſenti, confirmandi illi ſubduntur quo ad hunc actum & hinc uſu receptum eſt ut Epiſcopus in ſua diœceſi hoc ſacramentum adminiſtrans, omnibus ad ſe confluentibus hoc conferat, non inquirens an ſint ſuæ an alienæ diœceſis: cujus tamen oppoſitum facit in collatione ſacrorum ordinum eò quod illi inhibeatur ſub pœna ſuſpenſionis ordinare clericum alienum ſine dimiſſorialibus.

Poteſtatem etiã alienis ex licentia præſumpta.

Epiſcopus negligens hoc ſacramentum miniſtrare peccat graviter.

Petes an Epiſcopus obligetur ſubditis ſuis conferre hoc ſacramentum Confirmationis.

Reſp, Affirm. quia, ut diximus ſubditi obligantur illud ſuſcipere & eſto non obligarentur quia tamen eſt ſacramentum maximè utilitatis Epiſcopus tenetur illud ovibus ſuis miniſtrare: ac eapropter ſi illud longo tempore negligat peccabit mortaliter eò quod ſubditos ſuos privet magno bono ſpirituali quod illis ex officio ſuo tenetur adminiſtrare.

Petes an Epiſcopus poſſit immutare nomen confirmati.

Reſp. Affirm. idque ex cauſa-

ſi nomen in baptiſmo acceptum exoticum ſit & paganum.

Cur alapa detur confirmato.

Petes, quare poſt collatum Confirmationis Sacramentum Epiſcopus impingat alapam confirmato.

Reſp. ut confirmatus diſcat injurias & contumelias amodo pro Chriſto perferre. 2. ut recordetur ſacramenti ſuſcepti. 3. ut ſit memor militiæ cui adſcriptus eſt.

Poteſt ſimplex ſacerdos ex commiſſione Pōtiſicis confirmare.

Petes an ſimplex ſacerdos poſſit ex diſpenſatione Pontificia validè & licitè conferre ſacramentum Confirmationis tamquam miniſter ejus extraordinarius.

Reſp. Affir. ut habetur lib. 3. Epiſtolarum Epiſt. 26. ad Januarium S. Gregorius Epiſcopus Sardiniæ conceſſit ut in defectu Epiſcoporum presbyteri poſſint confirmare: nec tantus Pontifex in re tanti momenti credendus eſt erraſſe: quin imo ejus factum approbat Conc. Flor. in decr. de Sacram. Ubi dicitur ,, legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ,, ſedis diſpenſationem ex rationabili & urgente admodum ,, cauſa, ſimplicem ſacerdotem ,, Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe ſacramentum: ,, hoc ipſum poſtmodum conceſſit Adrianus VI. anno 1521. 25. Aprilis pro Indis & Regionibus in quibus non ſunt Epiſcopi ut ſacerdos regularis Ordinis minorum poſſit confirmare: cujus privilegii authenticum inſtrumentum dicitur aſſervari Hiſpali in monaſterio S. Franciſci, ut refert Henriq. quod confirmatur ex reſponſis Cardinalium in can. 3. de Confirm. ſeſſ. 7. Conc. Trid. ubi dicitur ,, quod Abbates quoque ex privilegio ſedis Apoſtolicæ, de ,, conſenſu tamen Ordinariorum ,, id conferre poſſint. ,,

Dices Confirmatio eſt actus Ordinis, ſed quæ ſunt Ordinis non poſſunt fieri à non habente Ordinem, prout nec ex diſpenſatione Pontificia laicus poſſet conſecrare; ergo.

Reſp. concedendo totum, ſed nego ſimplicem ſacerdotem non habere ordinem requiſitum ad confectionem ſacramenti Confirmationis. Pro quo.

Nota duplicem eſſe miniſtrum hujus ſacramenti, ſcilicet unum ordinarium qui habet poteſtatem completam ad hujuſmodi actum; alterum verò extraordinarium, qui habet poteſtatem ſolùm inchoatam vi ordinis ſui, quæ elevatur & completur accedente commiſſione ſummi Pontificis.

Dices Pontifex nequit mutare eſſentialia ſacramentorum, inter

inter quæ eſt perſona miniſtri, ergo.

Reſp. Pontificem circa perſonam miniſtri nihil immutare quia ex divina inſtitutione Epiſcopus eſt ordinarius miniſter ſacramentorum, ſimplex ſacerdos verò, extra ordinarius.

Dices, quod Pontifex poteſt in tota eccleſia hoc Epiſcopus poteſt in ſua diœceſi, ſi ergo Pontifex poſſit hanc commiſſionem dare per totam eccleſiam, poterit Epiſcopus etiam dare in ſua diœceſi.

Reſp. aſſumptum tantùm eſſe verum in illis quæ ſunt Ordinis, non vero juriſdictionis; commiſſio autem à Pontifice data ſimplici ſacerdoti ad confirmandum eſt actus juriſdictionis: etenim ſi aſſumptum eſſet generaliter verum tam quo ad actum ordinis quam juriſdictionis, ſequeretur Epiſcopos poſſe condere decreta fidei & morum &c. & hinc Papa electus, ſed necdum conſecratus in Epiſcopum poteſt dare commiſſionem confirmandi, eſto ipſemet non poſſit confirmare.

Petes an ejuſmodi commiſſio data à Pontifice ſimplici presbytero exſpiret morte Pontificis.

Reſp. neg. quia eſt gratia, quæ data à Principe non exſpirat morte concedentis ut habet commune axioma.

HIC LECTOR.

INgredere cor tuum & in fundo animæ tuæ aſpice temetipſum tamquam novellum militem in acie militiæ Chriſtianæ ad pugnam deſtinatum per Confirmationis ſacramentum in quo accepiſti armaturam Domini ut ſtare poſſis & valeas tamquam generoſus athleta adverſus inſidias Diaboli, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, & ſignaturam in fronte inſpice ut non erubeſcas fidem neque evangelium crucifixi.

Attende an dona Spiritus S. tibi in collatione hujus ſacramenti abundè collata adhuc in te integra & inviolata perſeverent: ac potiſſimum reflecte ad tria ſapientiam charitatem & fortitudinem; ſapientiam, inquam ſanctorum quæ æſtimat & magni facit bona æterna & cæleſtia, mundana verò & terrena

Digitized by Google

terrena contemnit ut puerorum crepundia, cujus vox eſt omnia arbitratus ſum ut ſtercora ut Chriſtum lucrifaciam-fortitudinem, dico, Chriſtianam, quæ injurias libentiùs ſuffert quam infert, in cujus ſignum Epiſcopus dedit tibi in Confirmatione alapam, ut intelligeres te eſſe deſtinatum militem Chriſti ad patiendum, non ad percutiendum, ad tolerandas, non ad inferendas injurias, charitatem denique veram quæ benigna ſit & patiens; humilis, non ambitioſa, non verò fucatam: Et ne circa hæc quo ad praxim decipiaris ingredere ſecretum conſcientiæ tuæ & ſi paſſus injuriam de ultione non cogites, ſed animo pacato atque tranquillo hanc ipſam condones, ſi experiaris te promptum ad erogandas eleemoſynas, non verò ad opes accumulandas, ad pauperes veſtiendos, non ad prætioſum ſupellectilem concervandam, jure poteris exultare in ſpiritu tuo quod adhuc in corde tuo retineas pignus ſpiritus adoptionis filiorum Dei in confirmatione acceptum: quod ſi verò econtra te facilem experiaris ad iram, vindictam, rixas contumelias &c. & etiam ab amicis rogatus ut offenſam remittas, exorari te non patiaris dein ſi æque cupidum te, æquè avarum, æquè terrenis affixum experiaris, ita ut reipsâ difficulter patiaris tibi nummum aureum vel argenteum è burſa elabi ut ſuccurras pauperi indigenti: ecquid hinc colligere poteris, niſi te ſacramentum Confirmationis ſuſcepiſſe, ſed gratiam ſacramenti & Spiritûs S. dona, ſupervenientibus criminibus & peccatis tuis tamquam totidem obicibus offuſcaſſe. Hæc ſeriò apud te recogita & expende; & quamvis character hujus ſacramenti in te ſit indelebilis, is tamen ſine divinæ gratiæ donis nihil tibi proderit, ſed potiùs pœnam confuſionis & erubeſcentiæ, eò quod illi non conformiter vixeris, per totam æternitatem augebit.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS IV.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

PROOËMIUM.

RECEPTISSIMUM eſt Philoſophorum axioma dari in unoquoque genere unum aliquid quod cætera ejuſdem generis ſuperet: ita inter animalia principem ſibi locum vendicat homo; inter metalla, aurum; inter corpora luminoſa, ſol: & ſicuti ſeptem in cœlo ſunt planetæ, à quorum virtute & influentiis dependet quidquid hic in terra creſcit, inter quos ſolus ſol eſt naturâ ſuâ lucidus, cæteri verò ab ipſo lumen ſuum mutuantur: ita quoque ſeptem ſunt in Eccleſia Sacramenta, à quorum virtute & influentiis omnis in hac vita animarum ſalus dependet, inter quæ auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum primatum tenet, quippe totius ſanctitatis & juſtitiæ fontem in ſe comprehendens, à quo cætera non niſi communicatam virtutem ſortiuntur.

Euchariſtia ſacramentum eſt digniſſimum inter Sacramenta novæ legis.

SS. Ambroſius & Auguſtinus amorem Dei quem erga hominem, per incarnationem ſuam oſtendit, miris modis extollunt, dum in ſolemni illo ab ipſis compoſito & alternatim recitato cantico exclamant, *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum*: at certè (pace ipſorum dixero) longè major eſt amor, quem in hujus SS. Sacramenti inſtitutione Salvator oſtendit. Siquidem in priori, amor Deum homini copulavit in unam perſonam unamque hypoſtaſim: ſed inter duas tantùm naturas facta eſt unio illa hypoſtatica in incarnatione; at in hoc ſacramento, amor unit Deum cum unoquoque hominum ſigillatim, non quidem unione perſonali & hypoſtatica, ſed tali qua infra illam nulla intimior aut arctior excogitari poteſt: nam ipſemet in Evangelio ait Joannis 6. *Qui*

Extremi amoris divini erga homines ſignum & pignus.

zed by Google

manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo, O quis infinitam abyſſum altiſſimæ hujus charitatis aliquo poterit intellectu attingere, quod vilis homo omnipotentem & infinitum Dominum Jeſum Chriſtum, verum Deum & hominem, in ſe & intra præcordia ſua recipiat, illum ipſum quem novem menſibus intra ſacra ſua viſcera puriſſima Virgo Virginum geſtavit! O immenſi vis amoris quæ ſic Deum deprimit ut humani pectoris *Fœtidas cloacas* in quibus nil niſi *ſordes & immunditiæ*, reſident inhabitare dignetur. O Sacramentum dilectionis! ô myſterium amoris! ô ſolamen peregrinantis animæ ô æſtuans divinæ charitatis incendium! combure nos, illumina nos, conforta nos, accende nos ut dignè poſſimus cogitare & eloqui magnalia tua in hoc Auguſtiſſimo Sacramento.

QUÆSTIO I.

Quibus nominibus hoc Sacramentum appelletur, & quandonam ſit inſtitutum.

AUGUSTISSIMUM hoc Sacramentum tam profundis, tamque inexplicabilibus repletum eſt myſteriis, ut nullo determinate nomine exprimi valeat quod dignitatem & excellentiam illius adæquatè repræſentet, & ideo à SS. Patribus & Eccleſiæ Doctoribus complura excogitata ſunt nomina quibus illius dignitas & præcellentia aliquò uſque, ſaltem inadæquatè, adumbretur.

Euchariſtia variis nominibus à SS. PP. expreſſa.

Et quidem à re in hoc Sacramento contenta appellatur *Panis Angelorum*, *panis cœleſtis*, quia ſcilicet in eo pateſcunt quidem externæ ſpecies panis, ſed ſub illis latet panis animam roborans atque confortans. 2. Vocatur *corpus Chriſti*, quia nimirum illud realiter in ſe continet. 3. Vocatur *myſterium* quia maximè profunda, imo infinita in ſe continet myſteria. 4. Vocatur *viaticum* quia viam parat ad gloriam cœleſtem quam ſignificat. 5. Vocatur *Euchariſtia* quod ſignificat *bonam gratiam*, vel *gratiarum actionem*, ad ſignificandum, quod nos, illud recipiendo, omnium gratiarum fontem recipiamus, & per illud maximas divinæ majeſtati gratias referre poſſimus: nam per illud, ut eſt ſacrificium, reddimus Deo ſupremum cultum & gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. 6. Appellatur *Communio corporis & ſanguinis Domini*, ab effectu, quia ſcilicet per eam homo quodam-

Digitized by Google

dammodo fit unum cum Chriſto. 7. Vocatur *Memoriale paſſionis Dominicæ*, quia nimirum eſt inſtitutum ut nobis mortem Domini in memoriam revocet. 8. Vocatur *Synaxis*, ſeu collecta, quia Chriſti fideles ad ſumendum hoc ſacramentum ſolent in unum convenire. 9. Antonomaſticè appellatur *Sacramentum*, quia eſt omnium ſacramentorum præcipuum.

Præ cæteris autem maximè uſitatum apud Catholicos eſt nomen *Euchariſtia*, quod nomen repudiantes hæretici, illud paſſim appellant *Cœnam Dominicam*, juxta illud Apoſt. 1. ad Cor. 11. *Convenientibus vobis in unum jam non eſt Dominicam cœnam manducare*, addentes illud taliter quoque à SS. Patribus appellari: Quidem verum eſt aliquos SS. Patres hoc nomine uti, ſed alio plane ſenſu quam hæretici; qui illud ſic paſſim appellant, quaſi hoc ſacramentum conſiſtat in ſolo uſu, ſcilicet in cœnando, adeoque non poſſit aſſervari. SS. Patres verò, & Catholici illud quandoque ita appellant, quia tempore cœnæ à Chriſto eſt inſtitutum: quo tamen nomine, propter hæreticorum abuſum, paſſim non eſt utendum.

Porro quocumque demum nomine hoc ſacramentum appelletur, intelligitur ſemper illud quod à Chriſto Domino in ultima cœna eſt inſtitutum, in quo ſub ſpeciebus panis & vini, verè, realiter, ac ſubſtantialiter Chriſti corpus & ſanguis continetur: cujus inſtitutionem S. Matthæus Evangeliſta refert cap. 26. his verbis, *Cœnantibus autem eis accepit Jeſus panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis & ait, accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

Ejus inſtitutio ex Evāgeliis & & Paulo refertur.

Marcus verò Evangeliſta cap. 14. his verbis: *Manducantibus illis accepit Jeſus panem ac benedicens fregit & dedit eis & ait ſumite, hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis: & biberunt ex eo omnes, & ait illis, hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti qui pro multis effundetur.*

Et S. Lucas Evangeliſta cap. 22. enarrat dictam inſtitutionem hiſce verbis, *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnavit dicens, hic eſt calix novum teſtamentum in meo ſanguine qui pro vobis fundetur.*

Digitized by Google

Similiter S. Paulus 1. Cor. 11. his verbis, *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur accepit panem & gratias agens fregit, & dixit; accipite & comedite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Similiter & Calicem poſtquam cœnavit dicens: hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.*

Petes quare hoc Sacramentum Christus inſtituerit in ultima cœna.

Cur illud Sacramentum in ultima cœna inſtitutum.

Reſp. ut tantum beneficium firmiùs mentibus hominum inhæreret, & pluris æſtimaretur; nam illa quæ in diſceſſu traduntur pluris ſolent æſtimari, & firmiùs memoriæ hominum inhærere: inſtituit autem illud poſt legalem cœnam, quia prius voluit implere ſacramenta legalia, adeoque priùs ſumere Agnum Paſchalem, quam dare corpus & ſanguinem ſuum.

Et quas ob cauſas fuerit inſtitutum.

Motiva autem inſtitutionis auguſtiſſimi hujus Sacramenti hæc ſunt. 1. Ut Chriſtus immenſam ſuam in nos charitatem declararet: *Nam ſic Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum* non ſolum *daret* in mortem, ſed etiam in cibum ac viaticum. 2. Ut eſſet memoriale & compendium omnium operum ſuorum mirabilium. 3. Ut homo in hoc exilio peregrinationis ſuæ eximium haberet ſolatium, & quodammodo beatitudinem inchoatam, quâ fruuntur illæ animæ quæ ab omnibus terrenis ſequeſtratæ, & hoc unico ſummo bono contentæ, *Guſtant & vident quam ſuavis ſit Dominus*; ad quem jugiter ſuſpirantes exclamant *quid mihi eſt in cœlo & à te quid volui ſuper terram.* 4. Ut intimè ſe nobis conjungeret, quippe cum ille ſit cibus fortium, qui manducantes in ſe convertat; & ut, ſicuti cibo corporali corpus, ita hoc ſpirituali, anima reficeretur, confortaretur, & roboraretur. 5. Ut ſumentes transformentur in Chriſtum imbibentes illius ſpiritum per quem vivant cum illa humilitate, manſuetudine, charitate, ſobrietate, & caſtitate quâ vixit Chriſtus; adeoque ut, quomodo ignis omnia ſibi approximata in ſe convertit, conſumendo priùs in illis quidquid ſibi repugnat, & dein ſuam illis formam imprimendo, ſic dignè ſumentes hoc ſacramentum ſic transformentur ut quo ad vitam & ſanctos mores Chriſto aſſimilentur: Unde ſicuti in conſecratione corporis

&

Digitized by Google

& ſanguinis Domini tota panis & vini ſubſtantia convertitur in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Domini, remanentibus ſolis dumtaxat ſpeciebus; ita oppoſito modo remanente hominis ſumentis ſubſtantiâ, mutari debent ejus accidentia, ita nimirum ut ex ſuperbo fiat humilis, ex luxurioſo caſtus, ex ebrioſo ſobrius.

DUBIUM I.

In quo conſiſtat Euchariſtiæ Sacramentum.

Euchariſtia eſt novæ legis Sacramentum.

EUchariſtiam eſſe Sacramentum eſt de fide definitum in Concil. Lateran. ſub Innocentio III. Cap. *firmiter* De SS. Trinitate. Item in Florentino, decreto de Sacramentis: prout quoque in Trident. ſeſſ. 7. can. 1. De Sacrament. Item ſeſſ. 13. Ratio eſt, quia Euchariſtia eſt rei ſacræ animam ſanctificantis ſignum ſenſibile permanens, à Chriſto inſtitutum. Et quidem Euchariſtiam eſſe Sacramentum non ſolùm certum eſt apud omnes SS. Patres & Catholicos, ſed apud ipſos quoque hæreticos Calviniſtas & Lutheranos, qui licet circa hujus Sacramenti naturam, partes eſſentiales, proprietates & virtutem diverſimode errent, in eo tamen omnes conveniunt eſſe Sacramentum.

Petes in quo conſiſtat eſſentia hujus ſacramenti.

In quo conſiſtat eſſentia hujus Sacramenti.

Reſp. ſicuti eſſentia hominis conſiſtit in anima & corpore ita eſſentia hujus ſacramenti conſiſtit in ſpeciebus conſecratis & corpore & ſanguine Chriſti ſub illis contentis; ita ut ſacramentum Euchariſtiæ non ſit aliud quam ſacramentum quod ſub ſpeciebus panis & vini continet corpus & ſanguinem Chriſti quod proinde non conſiſtit in actione aliqua tranſeunte, ſed in re permanente.

Non conſiſtit in actione trãſeunte, ut alia ſacramenta.

Quod probatur ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. can 4. ,, ſi quis ,, dixerit peractâ conſecratione ,, in admirabili Euchariſtiæ ſa- ,, cramento non eſſe corpus & ,, ſanguinem Domini, ſed tan- ,, tùm eſſe in uſu dum ſumitur, ,, non vero ante vel poſt, ana- ,, thema ſit. ,,

Hoc ipſum probatur ex SS. Patribus & 1. quidem ex Clemente Romano lib. 8. conſtitut. Apoſt. cap. 20. qui jubet peractâ communione quod ſupereſt de corpore Chriſti portari à Diaconis in paſtophoria, ſeu in ſacrarium.

Digitized by Google

Ita quoque S. Irenæus in Epiſtola ad Victorem Papam teſtatur fuiſſe conſuetudinem ſui temporis ut Papa mitteret Euchariſtiam ad alios Epiſcopos in ſignum pacis.

Hoc ipſum teſtatur S. Gregor. Nazianz. in oratione habita in obitu ſororis ſuæ Gorgoniæ, quomodo nempe ſancta illa fœmina nocturno tempore in eccleſia ante altare procubuerit, & Chriſtum in Euchariſtia adoraverit.

Similia habet S. Ambroſius in oratione de obitu fratris ſui Satyri, ubi ait eum particulam Euchariſtiæ ſuſpendiſſe ad collum ſuum in periculo naufragii, & ita incolumem evaſiſſe.

S. Hieronymus refert S. Exuperium Tholoſanum Epiſcopum in caniſtro vimineo corpus Chriſti portaſſe.

Præterea probatur Euchariſtia ex hiſce verbis: *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt calix ſanguinis mei* &c. prout quoque fatentur Hæretici Lutherani; ergo ante omnem uſum exiſtit hoc ſacramentum; alioquin enim hæc verba non erunt vera. Siquidem cibus antequam ſumatur eſt verus cibus, ſed ſacramentum Euchariſtiæ eſt cibus ut patet ex illo Joann. 6. *Caro mea verè eſt cibus* ergo Euchariſtia, antequam ſumatur, eſt verus cibus.

Petes, quare totalis eſſentia hujus ſacramenti nequeat dici conſiſtere in ſolis ſpeciebus panis & vini conſecratis. *An ſpecies conſecrata non poſſint dici Sacramentum.*

Reſp. quia hoc ſacramentum eſt adorandum cultu latriæ abſoluto; quo modo ſolæ ſpecies nequeunt adorari.

Petes an ſaltem totalis ejus eſſentia nequeat dici conſiſtere in ſolis ſpeciebus conſecratis quatenus dicunt ordinem ad corpus & ſanguinem Chriſti.

Reſp. negativè, quia ob ſolum illum ordinem & reſpectum illæ non plus poſſunt adorari cultu latriæ abſoluto quam veſtes Chriſti.

Dices Innocent. III. cap. *cum Martha* de celebr. miſſ. dicit ſpecies eſſe ſacramentum tantùm; corpus verò Chriſti eſſe rem & ſacramentum; gratiam verò ſamentalem eſſe rem tantùm, ergo ſolæ ſpecies ſunt ſacramentum.

Reſp. neg. conſequentiam: nam vox *Sacramentum* aliter ſumitur dum ibi aliquid dicitur ſacramentum tantùm & aliter dum dicitur abſolutè ſacramentum: nam priori modo vox illa accepta, idem eſt quod ſignum ſenſibile, & ita ſpecies vocantur ſacramentum tantùm, quia ita ſignificant ut non ſignificentur, dum vero *Sacramentum* ponitur

zed by Googl

ponitur abſolutè ſignificat ſignum ſenſibile practicum gratiæ collativum

Petes an corpus Chriſti ſe ſolo in ordine ad ſpecies poſſit habere integram rationem ſacramenti.

An Chriſtus ſub ſpeciebus contentus non ſit Sacramentum.

Reſp. neg. quia ſacramentum debet eſſentialiter eſſe ſignum ſenſibile quale non eſt corpus Chriſti ſe ſolo in Euchariſtia, ſed tantùm mediantibus ſpeciebus eo modo quo contritio in ſacramento ſe ſolâ non eſt ſenſibilis ſed fit talis per externam confeſſionem.

Dices ſi corpus Chriſti ſit de eſſentia hujus ſacramenti, illud habebit ſe per modum materiæ vel per modum formæ, ſed neutro modo ſe habet, ergo.

Corpus Chriſti in hoc Sacramento habet rationem formæ, & ſpecies panis, materiæ.

Reſp. corpus Chriſti ſe habere in ordine ad ſpecies ſicut formam ad materiam, eo modo quo verbum in divinis ſe habet in Chriſto quo ad naturam humanam: ſiquidem id quod in aliquo compoſito eſt nobilius & dat eſſe rei compoſitæ, appellatur forma, id verò quod eſt ignobilius & perficitur, appellatur materia: conſtat verò hoc ſacramentum habere omnem ſuam dignitatem & excellentiam à corpore Chriſti, à ſpeciebus verò habere rationem ſigni ſenſibilis, adeoque ſuam ſignificationem, ac eapropter ratione ſpecierum appellat Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. Euchariſtiam, ſacramentum viſibile.

Alia Sacramenta cõſiſtunt in actione tranſeunte, hoc in re permanente.

Dices baptiſmus, Confirmatio, Extrema unctio, & alia ſacramenta conſiſtunt in aliqua actione tranſeunte, ergo & Euchariſtia, & per conſequens hæc non conſiſtit in compoſito ex ſpeciebus & corpore & ſanguine Chriſti, quæ ſunt res permanentes.

Reſp. neg. conſequentiam: eſto enim omnia ſacramenta ſint ejuſdem generis adeoque conveniant in ratione ſacramenti non ſunt tamen omnia ejuſdem ſpeciei; neque mirum eſt reliqua omnia ſacramenta conſiſtere in actione tranſeunte, quia illa conſiſtunt in applicatione materiæ cum ſua forma; quæ communiter ſignificat ipſam actionem ſeu applicationem materiæ: hoc verò ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in ipſa re quæ applicatur, & eapropter in aliis ſacramentis ipſa applicatio materiæ non diſtinguitur ab eorum eſſentia, ſecus fit in hoc ſacramento.

Dices Conc. Florent. decreto de Sacram. dicit Sacramenta novæ legis perfici tribus ſcilicet materia, forma, & intentione miniſtri, quorum unum ſi deſit,

non

zed by Google

non perfici ſacramentum: præterea ait panem & vinum eſſe materiam hujus ſacramenti, verba vero conſecrationis eſſe formam; ſed hæc tranſit prout & intentio miniſtri, ergo & hoc ſacramentum conſiſtit in aliquo tranſeunte.

Reſp. ad primum & dico Conc. Flor. numquam dixiſſe aliquod ſacramentum eſſentialiter his tribus conſtare, ſed perfici illis tribus, ſcilicet materiâ, formâ, & miniſtro perficitur autem hoc ſacramentum ex pane & vino tamquam ex materia ex qua; ab intentione miniſtri & forma tanquam à cauſa extrinſecâ effectivâ; intrinſecè autem & eſſentialiter perficitur à partibus ſuis eſſentialibus.

Ad ſecundum verò patet reſponſum ex dictis, pro cujus tamen majori elucidatione dico ſacramentum Euchariſtiæ dupliciter poſſe conſiderari, ſemel in fieri & ſemel in facto eſſe: quando ergo dicitur panis & vinum eſſe materia Euchariſtiæ, item verba conſecrationis eſſe forma, id verum eſt de ſacramento in fieri, illa enim ſunt materia & forma quibus ſacramentum conficitur, non verò in quibus ipſum ſacramenrum in facto eſſe conſiſtit.

Dices ipſa ſumptio ſeu manducatio Euchariſtiæ eſt ſignum ſenſibile collativum gratiæ ſanctificantis, ergo eſt ſacramentum, & per conſequens Euchariſtia conſiſtit in actione tranſeunte.

An ſumptio Euchariſtiæ ſit ſacramentum.

Reſp. neg. antecedens, eſto enim illa ſit ſignum ſenſibile, non tamen confert gratiam ex opere operato per modum cauſæ inſtrumentalis, prout ſacramenta debent conferre, ſed ſolum per modum conditionis ſine qua non: eo modo quo in naturalibus ipſa ciborum comeſtio non eſt cauſa nutritionis, ſed tantùm conditio applicans cauſam ipſam ſcilicet cibum cui ineſt vis nutritiva.

Ac eapropter ipſa manducatio in hoc ſacramento ſe longè aliter habet quam applicatio materiæ remotæ in aliis ſacramentis; nam in illis ipſa applicatio materiæ remotæ eſt materia proxima, adeoque de eſſentia ſacramenti; & conſequenter per modum cauſæ concurrit ad effectum ſacramenti, in hoc verò ſacramento applicatio ſeu uſus non eſt pars ſacramenti, ſed ſolum conditio ſine qua non.

Dices, ſacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in eo quod Chriſtus inſtituit & fecit, ſed Chriſtus panem benedixit, fregit, diſtribuit, & juſſit manducari,

ergo

ergo in hiſce actionibus tranſeuntibus conſiſtit ratio ſacramenti Euchariſtiæ.

Reſp. Euchariſtiæ ſacramentum quidem conſiſtere in eo quod Chriſtus fecit & inſtituit, ſed non in omni eo.

Pro cujus explicatione Nota in inſtitutione hujus ſacramenti interveniſſe diverſas Chriſti actiones tranſeuntes, ut ſunt acceptio panis, benedictio illius, fractio, diſtributio, ſumptio, &c. item res permanentes, ut ſunt ſpecies panis & vini item corpus & ſanguis Chriſti &c. Porro quod nō inſtituit in aliqua actione tranſeunte patet tam ex ante dictis quam ex eò quod Sacram. Euchar. ſit cibus animæ, juxta illud Joan. 3. *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus*, cibus autem debet eſſe res permanens.

Bucerus primus aſſeruit Euchariſtia ſacramentum conſiſtere in ſolo uſu, & cur.

Porro author hujus hæreſis & erroris aſſerentis quod corpus Chriſti in Euchariſtia ſit tantùm pro tempore quo ſumitur, adeoque conſiſtat in ſola ſumptione, fuit Martinus Bucerus, qui ideo hunc errorem excogitavit, ut ſic inter ſe conciliaret Lutheranos & Swinglianos, qui extremè inter ſe diſſentiebant: Lutherani enim dicebant corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, Swingliani negabant: Bucerus itaque aſſeruit eſſe præſens in ſumptione, quod erat pro Luthero: non tamen extra ſumptionem, quod erat pro Swinglio.

Contra quos errores ſtat inconcuſſa fides Catholica declarata ſeſſ. 13. can. 1. Conc. Trid. his verbis „Si quis negaverit in „SS. Euchariſtiæ Sacramento „contineri verè & realiter & „ſubſtantialiter corpus & ſanguinem unà cum anima & divinitate Domini noſtri Jeſu „Chriſti, ac proinde totum „Chriſtum, ſed dixerit tantum „eſſe in eo ut ſigno vel figura, „aut virtute, anathema ſit:„ Et iterum can. 6. „ſi quis dixerit in S. Euchariſtiæ Sacramen„to Chriſtum unigenitum Dei „filium non eſſe cultu latriæ „etiam externo adorandum, at„que adeo nec feſtivâ peculiari „celebritate venerandum, ne„que in proceſſionibus ſecun„dum laudabilem & univerſa„lem Eccleſiæ Sanctæ ritum & „conſuetudinem ſolemniter cir„cumgeſtandum vel non publi„ce, ut adoretur, populo propo„nendum, & ejus adoratores eſſe „idololatras: anathema ſit.„

Ex quibus omnibus liquet Euchariſtiam habere rationem ſacramenti ante omnem ſumptionem & uſum illius.

Dices Evagrius lib. 4. Hiſto-

Digitized by Google

riæ Ecclеſ. cap. 36. notat reliquias Euchariſtiæ, peractâ communione, in Eccleſia Conſtantinopolitana pueris impuberibus ex iis qui ſcholas frequentant fuiſſe ſolitas tradi abſumendas: ergo ſignum eſt illud ſacramentum conſiſtere in ſolo uſu. Preterea Clemens Rom. Epiſt. 2. prohibet plures hoſtias conſecrari quam ſint neceſſariæ ad communicandos homines.

Reſp. quo ad conſuetudinem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ illam poſſe intelligi de reliquiis tam exiguis ut non poſſent eſſe uſui communioni fidelium. Quod attinet ad Clementem Rom. patet quid ille ſentiat ex dictis ejus allegatis Dubio 1. Tractatus primi hujus partis.

DUBIUM II.

An Euchariſtiæ Sacramentum ſit unum vel plura

Euchariſtia quandoque unũ dicitur ſacramẽtũ, quandoque plura.

NOtandum hoc Samentum à diverſis SS. Patribus modo appellari unum, modo plura; idque juxta diverſam rerum exigentiam: & quidem plura appellatur à Conc. Cartag. III. Cap. 24. & 25. item à S. Cypriano ſerm. de Cœna Domini: ita quoque de eo pronuntiat Eccleſia dum in officio miſſæ ſic ait „purificent nos quæſumus Domine Sacramenta quæ „ſumpſimus.„

Porro hoc ipſum appellatur unum à Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. ubi dicitur tantùm eſſe ſeptem novæ legis ſacramenta, inter quæ unum numeratur Euchariſtia; item ſeſſ. 17. can. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. utrobique loquitur tamquam de uno ſamento. Denique Cathecіſmus Romanus ſic habet „authoritate Eccleſiæ docti, unum tantùm confitemur Sacramentum „Euchariſtiæ.„

Hac occaſione quæritur quomodo hæc conſiſtant, ſacramentum eſſe unum & eſſe plura.

Et qua ratione.

Reſp. eſſe materialiter multa, formaliter verò unum; ideo vero dicitur materialiter multa, quia in eo ſunt plures res ſenſibiles in quibus ſingulis eſt tota ſpecifica ratio ipſius ſacramenti, ſcilicet practica ſignificatio refectionis ſpiritualis; quæ tam eſt in ſpeciebus panis, quam in ſpeciebus vini; dicitur vero formaliter unum ab unitate formæ, eo quod in qualibet illa re materiali inſit una formalis ſpecifica & practica ſignificatio refectionis ſpiritualis: eapropter ſive illa ſpiritualis refectio ſignificetur per ſpecies panis, ſive per ſpecies vini, ſive per utramque

que ſimul, eſt una tamen ſecundum ſpeciem.

Hoc tamen intereſt quod illa refectio ſpiritualis tametſi æquè perfectè perficiatur ſive ſub ſpeciebus panis, ſive ſub ſpeciebus vini, ſive ſub utriſque ſimul ſacrameatum ſumatur, non tamen illa æquè perfectè per hæc ſingula ſignificetur; nam perfectius ſignificatur per accidentia panis & vini ſimul, quam per ſola accidentia panis, & vini ſeparatim; ſiquidem id quod per modum cibi tantùm ſignificat, non tam perfecte repræſentat rationem convivii, quam id quod repręſentat per modum cibi & potus.

Et licet in hoc ſacramento reperiantur diverſæ materiæ, & formæ partiales, quia tamen ex his reſultat unum perfectum ſignum ex Chriſti inſtitutione ordinatum ad ſignificandum perfectam refectionem ſeu ſpirituale convivium, idcirco hoc ſacramentum appellari poteſt integraliter unum.

Dices, ſi utraque ſpecies juncta conſtituat unum integraliter perfectum ſacramentum, ergo ſumens unam tantùm ſpeciem non accipit integrum ſacramentum.

Reſp. neg. conſequentiam, quia licet ſumptio unius ſpeciei ſeparata non ſit formaliter integra refectio, eſt tamen integra per concomitantiam ejus quod ſub altera ſpecie continetur; nam ſpecies panis v. g. non tantùm ſub ſe continet corpus Chriſti quod eſt cibus ſpiritualis, ſed & ſanguinem, quamvis non vi conſecrationis, attamen per concomitantiam, qui ſanguis eſt potus ſpiritualis.

Dices ſi ſpecies panis conſecratę ſint ſacramentum, item ſpecies vini conſecrati ſint ſacramentum, ergo ſunt plura ſacramenta.

Reſp. eſſe plura ſacramenta materialiter, ſed formaliter eſſe tantùm unum.

Petes, an plures hoſtiæ conſecratæ ſint plura ſacramenta, & conſequenter an recipiens plures hoſtias ſimul, recipiat plura ſacramenta.

An plures hoſtiæ conſecratæ ſint plura ſacramenta.

Reſp. hoſtias conſecratas dupliciter poſſe ſpectari, ſemel prout ſimul ſumuntur. 2. prout à ſumptione præſcinduntur. Si ſpectentur priori modo erunt unum tantùm Sacramentum, quia ſcilicet ſimul ſumptæ tantùm ſignificant unam refectionem ſpiritualem, eo modo quo unum convivium, eſto conſtet diverſis ferculis, eſt unum tantùm convivium.

Ex quo collige eum qui

Et an ſumēs plures hoſtias cõſecratas accipiat majorem gratiam.

plures ſimul accipit hoſtias aut unam majorem non recipere ex opere operato preciſe majorem gratiam ex eo quod recipiat plures hoſtias aut majorem; nam licet hoſtiæ ſecundum ſe ſint plura individua, tamen quatenus ſimul ſumuntur, habent tantùm rationem unius refectionis ſeu convivii ſpiritualis: cujus refectionis ſignificatio cum ſit ſpiritualis, tam ſalvatur in ſumptione unius hoſtiæ, quam plurium; eo modo quo ablutio ſpiritualis in baptiſmo tam ſignificatur per parvam quantitatem aquæ, ſufficientem tamen ad abluendum, quam per magnam.

Nihilominus tamen aliunde poteſt contingere quod accipiens plures minores hoſtias ſimul, aut accipiens unam majorem, majorem gratiam accipiat quam accipiens unam minorem tantùm; ſi nempe quando quis eas diutius retinens in ore, plures interea actus eliciat diſponentes ad majorem gratiam; qui tamen exceſſus gratiæ tunc non procedit à multiplicitate aut majoritate hoſtiæ, ſed ex opere operantis, ſcilicet à majori ſumentis diſpoſitione: præterea quo ſpecies ſunt majores, eo diutius permanent in ſtomacho antequam conſumantur: probabile autem eſt ſacramentum tam diù conferre gratiam ex opere operato quamdiu ſpecies adhuc integræ exiſtunt in ſtomacho, dummodo ſumens ſeſe contineat in actuali devotione.

Petes, an Sacerdos communicans ſub utraque ſpecie cæteris paribus non plus gratiæ ex opere operato recipiat quam laicus communicans ſub unica ſpecie.

An communicãs ſub utraque ſpecie majorem recipiat gratiam, quam ſi ſub una tantum.

Reſp. hanc quæſtionem problematicè à Doctoribus diſputari. Pro parte affirmativa facit quod refectio ſpiritualis perfectius ſignificetur per utramque ſpeciem ſimul, quam per alterutram ſeorſim: cum verò ſignificatio Sacramenti ſit practica, quò illa erit perfectior in ratione ſignificandi, erit quoque perfectior in ratione cauſandi: neque obſtat quod hinc ſequitur laicos privari aliquo augmento gratiæ, nempe illo quod confertur communicanti ſub utraque ſpecie: nam hoc augmentum gratiæ non eſt neceſſarium ad ſalutem, quo proinde laici ob juſtam cauſam poſſunt privari, ſcilicet ob periculum effuſionis ſanguinis, vel corruptionis ſpecierum vini.

Pro parte negativa facit quod licet

Digitized by Google

licet Sacramentum ſumptum ſub unica ſpecie non tam perfectè ſignificet refectionem ſpiritualem ex parte modi, ſignificat tamen eandem ex parte rei contentæ, quæ utrobique eſt eadem tam ſub una quam ſub utraque ſpecie: porro efficientia hujus Sacramenti non tam correſpondet ſignificationi ex parte modi, quam ex parte rei contentæ: & hinc dicitur Sacramenta novæ legis efficere id quod ſignificant, non verò quomodo ſignificant.

DUBIUM III.

An Euchariſtia ſit de neceſſitate ſalutis primæ, an ſecundæ.

An Euchariſtia ſit neceſſaria tā ad gratiam quā ad gloriam obtinendā.

PRænotandum nomine primæ ſalutis intelligi gratiam ſanctificantem, quatenus nimirum per illam ſalus animæ inchoatur; nomine verò ſecundæ ſalutis intelligi poſſeſſionem gloriæ cœleſtis: qui termini, quia adhuc ſæpius in Theologia occurrunt, idcirco accuratè ſunt obſervandi.

Quæritur ergo hic primò an Euchariſtia ex Chriſti inſtitutione ſit neceſſaria ad obtinendum primam ſalutem ſive ad primam gratiam, item ad ſecundam ſalutem, ſive ad obtinendam cœleſtem gloriam.

Euchariſtiæ ſumptio realis nō eſt neceſſaria neceſſitate medii parvulis.

Dico 1. Euchariſtia reipsâ ſuſcepta non eſt neceſſaria parvulis ad obtinendam primam ſalutem ſeu gratiam ſanctificantem. Probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. his verbis „ſi „quis dixerit parvulis antequam „ad annos diſcretionis perveniant, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit.„ Et ratio eſt quia baptiſmus confert parvulis primam gratiam, quæ non poteſt amitti niſi per ſuperveniens peccatum mortale, cujus parvuli pro tunc ſunt incapaces.

Nec item adultis ad primã gratiam. ſed illā præſupponit.

Dico 2. Euchariſtia reipsâ ſuſcepta non eſt adultis neceſſaria neceſſitate medii ad primam ſalutem: ratio eſt quia illa eſt ſacramentum vivorum; quod proinde ex ſua inſtitutione præſupponit vitam ſpiritualem in ſuſcipiente, & conſequenter non eſt inſtitutum ad illam primò conferendam; quod confirmatur, quia hoc eſt inſtitutum per modum cibi & alimenti animæ, ſicuti ergo cibus corporalis præſupponit vitam in ipſo alito, ita hic cibus ſpiritualis præſupponit vitam ſpiritualem in ipſo ſumente.

Dico 3. Euchariſtia in voto ſuſcepta neque parvulis, neque

Digitized by Google

An votum Euchariſtiæ ſit neceſſarium ad juſtificationem.

adultis eſt neceſſaria ad primam ſalutem, ſeu ad primam gratiam; quo ad parvulos patet, quia illi non ſunt capaces voti nempe expliciti, prout hic ſumitur, ſcilicet pro deſiderio ſuſcipiendi ſuo tempore Euchariſtiam; eò quod deſiderium illud præſuponat uſum rationis, nec poteſt aliquid adinveniri in quo contineatur votum eorum implicitum, niſi forſitan baptiſmus, quod non eſt aliud dicere quam baptiſmum illis eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad primam gratiam, quod libenter fatemur; ſed negamus ſuſceptionem baptiſmi continere in parvulis votum implicitum ſumendæ Euchariſtiæ, nam quod ſic continet alterum in voto non poteſt juſtificare niſi per ordinem ad illud; porro quod baptiſmus non juſtificet per ordinem ad Euchariſtiam reipsâ ſuſceptam probatur ex praxi Eccleſiæ, quæ jam non ſolet ſacramentum Euchariſtiæ parvulis conferre, quod tamen non poſſet omittere ſi baptiſmus ſuſceptus includeret implicitum votum Euchariſtiæ. Hoc ipſum quoque patet quoad adultos, quia Eccleſia quibuſdam adultis Euchariſtiæ ſacramentum quandoque etiam in fine vitæ negare conſuevit, ut quando eſt periculum vomitus aut alterius notabilis indecentiæ; quod tamen nullo modo poſſet ſi illa foret illis neceſſaria in voto.

Dices Euchariſtia tam eſt neceſſaria quam baptiſmus aut pœnitentia, ſed hæc duo ſunt reſpective neceſſaria neceſſitate medii in re vel in voto, ergo & Euchariſtia. Probatur aſſumptum ex verbis Chriſti quibus exprimit neceſſitatem hujus ſacramenti Joan. 6. *niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis* quæ verba ex multorum SS. Patrum ſententia de reali manducatione Euchariſtiæ ſunt intelligenda, ſuntque plane ſimilia illis quibus exprimitur neceſſitas baptiſmi vel pœnitentiæ in re vel in voto: etenim neceſſitas pænitentiæ exprimitur hiſce verbis *niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimiliter peribitis* neceſſitas verò baptiſmi exprimitur Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.*

Reſp. in hiſce tribus ſcripturis non tam eſſe attendendam ſimilitudinem verborum, quam ſignificatorum, quæ plane ſunt diverſa; quia ſcriptura S. exprimens neceſſitatem Euchariſtiæ refertur tantùm ad adultos, quippe ſignificans actionem liberè ab omnibus præſtandam *niſi manducaveritis* &c. ſcriptura verò exprimens

primens neceſſitatem baptiſmi non exprimit actionem liberam ſed generaliter loquitur, & in tertia perſona de omnibus. Deinde SS. Patres dum illum locum Joan. 6. applicant parvulis, illum intelligunt de manducatione ſpirituali, qua quis corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia, inſeritur, & qua fit particeps gratiæ ejus & vitæ; quod fit per baptiſmum. Vide Aug. l. 3. de peccat. meritis & remiſſ. c 4. & alibi.

Dices ſaltem Scriprura S. exprimens neceſſitatem pœnitentiæ eſt ſimilis illi quæ exprimit neceſſitatem Euchariſtiæ, idque non tantùm quo ad verba, ſed etiam quo ad ſignificata; ſed ex priori colligitur neceſſitas pœnitentiæ in re vel in voto, ergo & ex poſteriori.

Reſp. utramque quidem eſſe ſimilem quo ad ſignificata generalia, ſcilicet actionem liberam quam ſignificant, non tamen quo ad ſignificata particularia ſcilicet actionem ſpecificam quam ſignificant, & quæ potiſſimum debet attendi; cum enim ſacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum ad conferendam primam gratiam & primum eſſe ſpirituale, recte colligitur illud eſſe neceſſarium ad primam ſalutem: cum vero Euchariſtia ſit inſtituta per modum cibi qui vitam in ſumente præſupponit, rectè colligitur illam non eſſe neceſſariam ad primam ſalutem, quippe quam præſupponat.

Dices, ſi Euchariſtia ſit inſtituta per modum cibi, ergo ſicuti cibus corporalis eſt omnino neceſſarius ſi non ad inchoandam, ſaltem ad conſervandam vitam corporalem, ita quoque Euchariſtia, quæ eſt cibus ſpiritualis, erit omnino neceſſaria, ſi non ad inchoandam ſaltem ad cōtinuandam vitam ſpiritualem.

Reſp. concedendo totum: & ea propter.

Euchariſtia eſt omnibus adultis neceſſaria in re vel voto ſuſcepta ad conſervationem vitæ ſpiritualis.

Dico 3. Euchariſtia in re vel in voto eſt omnibus adultis neceſſaria ad conſervandam diu vitam ſpiritualem ita nimirum ut ſi illi à ſuſcepto baptiſmo diu vivant, non poſſint perſeverare in gratia ſine explicito ſaltem Euchariſtiæ voto. Prob. 1. ex illo Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba juxta Conciliorum & SS. Patrum expoſitionem de reali & ſacramentali ſumptione corporis & ſanguinis Domini ſunt intelligenda: Et hinc S. Thom. 3. p. q. 80. a. 11. ait eandem eſſe neceſſitatem baptiſmi & Euchariſtiæ reſpectu adultorum. Ex quo ſequitur nulli adulto dari gratiam ad diu continuandam vitam ſpiritualem niſi:

Digitized by Google

Euchariſtia re vel voto eſt neceſſaria ad diu perſeverandum in juſtitia.

ſi ſuſcipiat hoc ſacramentũ reipsâ vel ſaltem ejus ſuſcipiendi habeat deſiderium: nam ſicuti ex eodem tenore verborum colligitur neceſſitas baptiſmi & pœnitentiæ, ita quoque neceſſitas Euchariſtiæ: quod ulterius confirmatur, quia Euchariſtia eſt à Chriſto inſtituta adinſtar cibi ipſius animæ, ergo ſicuti vita corporalis non poteſt diu conſervari ſine cibo corporali, ita nec vita ſpiritualis, quæ eſt gratia ſanctificans, poterit in nobis diu conſervari ſine Euchariſtia.

Dices ſi ex hoc loco Joan. 6. colligatur neceſſitas Euchariſtiæ ad perſeverandũ in gratia, etiam colligetur ejuſmodi neceſſitas inchoandam vitam ſpiritualem.

Reſp. neg. conſeq. quia verba illa *non habebitis vitam in vobis*, idem ſonant ac ſi diceretur, non retinebitis vitam in vobis, conformiter ad illud Joan. 1. cap. 3. *omnis homicida non habet vitam æternam in ſemet ipſo manentẽ*, id eſt non retinet vitam æternam ſed perdit illam per peccatum homicidii.

Dices, cibus ille ſpiritualis, ſeu auxilia illa actualia quæ dantur per Euchariſtiam poſſunt ſuppleri per alia ſacramenta, item per orationes & merita juſtorum, quæ quoque cibus animæ nuncupantur, ergo Euchariſtia non eſt in re vel in voto adultis neceſſaria ad perſeverandum in gratia.

Reſp. negando conſequentiam, quia per ejuſmodi auxilia poteſt quidem homo perſeverare in gratia, ſed non diu & infallibiliter niſi accedente ſumptione Euchariſtiæ in re vel in voto, ex eò quod ſumptio hujus ſacramenti in re vel ſaltem in voto ſit unum ex illis quæ Deus vult adhiberi ab adultis qui ſunt præordinati ad vitam æternam. Porro votum illud poteſt dupliciter intelligi, ſcilicet implicitum, quod continetur in illo generali propoſito obſervandi omnia divina præcepta, de quo non eſt quæſtio, quia conſtat illud eſſe neceſſarium ad conſervandam divinam amicitiam: aliud verò eſt explicitum, quo quis actualiter deſiderat Euchariſtiam ſuſcipere, de quo voto intelligitur concluſio.

Dices, votum implicitum ſuſcipiendi baptiſmi quod continetur in contritione, quatenus hæc in ſe continet propoſitum obſervandi omnia divina mandata ſufficit ad primam ſalutem; ergo & ejuſmodi votum implicitum Euchariſtiæ quod continetur in voluntate obſervandi omnia divina præcepta ſufficiet ad ſecundam ſalutem.

Reſp. negando conſequentiam

Digitized by Google

tiam : & ratio diverſitatis eſt quia votum debet reſpectivè ſupplere cauſalitatem ſacramenti cujus eſt votum, conferendo illius effectum; effectus autem baptiſmi eſt remiſſio peccatorum, quem aliquando ſupplere poteſt contritio: effectus verò Euchariſtiæ eſt conſervatio gratiæ per nutritionem ſpiritualem, quam non poteſt conferre commune & generale propoſitum ſervandi omnia præcepta, quia alioqui omnes adulti qui ritè ſunt baptizati acciperent hunc effectum in baptiſmo, eò quod in illo habeant voluntatem ſervandi omnia divina præcepta.

Sacramentum Euchariſtiæ nõ eſt parvulis ad ſalutem neceſſarium.

Petes an Euchariſtia ſit ſimiliter parvulis neceſſaria neceſſitate medii in re vel in voto ad perſeverandum in gratia baptiſmali.

Reſp. neg. quia gratia baptiſmalis amitti non poteſt niſi per peccatum mortale cujus infantes ante uſum rationis non ſunt capaces; qui ſi in hoc ſtatu gratiæ moriantur infallibiliter ſalvantur tam ſine reali perceptione Euchariſtiæ quàm ſine ejus voto, cujus ſunt incapaces.

Dices S. Aug. lib. 1 contra Julianum cap. 4. ait Euchariſtiæ ſuſceptionem etiam infantibus eſſe medium neceſſarium ad perſeverandum in gratia: ſic enim ait „ S. Innocentio vide quid reſpondeas qui definivit parvulos niſi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorſus habere non poſſe. Idem lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. Auguſt. expreſsè aſſerit.

Reſp. S. Auguſt. illis locis agere contra pelagianos negantes peccatum originale in parvulis, contra quos oſtendit parvulos ſalvari non poſſe, niſi fiant participes corporis & ſanguinis Chriſti, hoc eſt niſi ſint participes gratiæ baptiſmalis ex meritis corporis & ſanguinis Chriſti illis obtentæ.

QUÆSTIO II.

De Materia Sacramenti Euchariſtiæ.

DUBIUM I.

An Materia Sacramenti Euchariſtiæ ſit panis & vinum,

Materia Euchariſtiæ alia proxima, alia remota tantum.

RESP. duplex communiter à Doctoribus aſſignatur materia Sacramenti Euchariſtiæ; remota ſcilicet & proxima: materia remota ſeu ex qua, eſt panis triticeus & vinum de vite: quod eſt de fide ut patet Matth. 26. Luc. 22. Marci 14.

Digitized by Google

Materia remota eſt panis triticeus & vinũ de vite.

1, ad Cor. 11. ex quibus locis unanimiter aſſerunt Doctores Chriſtum Dominum in hoc Sacramento inſtituendo verum panem & verum vinum de vite adhibuiſſe, & præcepiſſe Apoſtolis ſuis ut ipſi facerent quod ipſe fecerat; id ipſum definitum eſt in Conc. Lateran. cap. *firmiter* & in Conc. Florent. in Inſtruct. Armen. ubi dicitur „ tertium „eſt Euchariſtiæ Sacramentum „cujus materia eſt panis triti- „ ceus, & vinum de vite. „ Item in Trid. ſeſſ. 13. cap. 11.

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti ſic inſtituentis. Ratio congruentiæ eſt quia hæc materia optimè nobis repræſentat effectum hujus Sacramenti, ſcilicet ſpiritualem refectionem: & ideo communiter docent SS. Patres hoc Sacramentum in animabus noſtris producere omnes illos effectus ſpirituales, quos cibus corporalis operatur in corporibus noſtris; quare ſicut cibus corporalis vitam hominis ſuſtentat, vires deperditas reſtaurat, hoc ipſum quoque facit hic cibus ſpiritualis, hominem adverſus tentationes diabolicas corroborando, vires deperditas reſtaurando & confortando ut in fortitudine cibi illius adinſtar Elizei valeat aſcendere montem Dei Horeb, montem, inquam, perfectionis.

Præterea ſicuti quò cibus corporalis eſt melior & palatum invenit meliùs diſpoſitum, eò majorem confert illi delectationem ſenſualem, ita quoque hæc eſca ſpiritualis confert inexplicabilem dulcedinem ſpiritualem animæ habenti palatum cordis ſui bene diſpoſitum, quam S. Thomas aſſerit nullis verbis exprimi poſſe; quæ quandoque eſt tanta ut ex anima redundet in corpus, juxta id, *cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*. Denique ſicut cibus corporalis dum bonus eſt, bonum in corpore ſanguinem & humores ſalubres generat, ita quoque hoc SS. Sacramentum efficaciſſimum eſt medium ad ſervandam caſtitatem immaculatam, humilitatem, patientiam, aliaſque virtutes Chriſtianas.

Porro ad majorem elucidationem hujus materiæ remotæ prænotandum 1. hanc eſſe diſtinctionem inter materiam remotam hujus ſacramenti, & aliorum ſacramentorum, quod materia remota hujus ſacramenti tranſeat, proxima vero permaneat; in aliis vero ſacramentis econtra materia remota permaneat, proxima verò tranſeat.

Porro ſolus panis ex frumento ſeu tritico confectus eſt apta mate-

Digitized by Google

Vt ſit apta materia hujus Sacramenti debet eſſe verus panis triticeus & uſualis.

materia hujus ſacramenti, ut patet ex dictis: & quidem hic panis debet eſſe uſualis & coctus: unde maſſa triticea cruda, eſto ſecundum aliquos non differat eſſentialiter à pane cocto, non eſt materia conſecrabilis, quia non eſt comeſtibilis; prout nec panis confectus ex tritico, ſed notabiliter mixto cum aliis ſeminibus, vel cum colore mixto quo ſolemus uti ad claudendas litteras, non eſt apta materia conſecrationi: ſic nec quoque panis confectus ex tritico & ex aliis humoribus ab aqua naturali diſtinctis v. g. confectus ex tritico & aqua roſacea, vino, aut ſuccis aliarum herbarum, non eſt materia hujus ſacramenti, quia non eſt panis uſualis; ita nec panis in ſartagine ex tritico & butyro cum lacte coctus, quippe qui potius ſit placenta quam panis uſualis; idem dicendum de quibuſvis panibus dulciariis coctis cum ſaccharo, melle, aut ovis quia non ſunt panes uſuales: idem ſit judicium de pane confecto ex amylo ſive ex *cremore* tritici, quia ut amylum fiat debet farina tritici priùs corrumpi, & ea-propter non manet eſſentialiter triticum.

Panis ex ſpelta.

Petes an panis ex hordeo, avena, ſpelta, aut aliis granis ſpecie diverſis à tritico ſit apta materia hujus ſacramenti.

hordeo, ſiligine &c. tantum confectus nõ eſt materia hujus Sacramẽti.

Reſp. neg. ut patet ex dictis: quin imo nec panis ex ſiligine confectus, eſto enim aliqui exiſtiment ſiliginem ſpecie non differre a tritico, alii tamen oppoſitum ſentiunt ita ut ſaltem ad minus ſit materia dubia, quæ in hoc ſacramento nullatenus eſt adhibenda, ne exponatur periculo nulleitatis.

Ex dictis ſequitur quam providi debeant eſſe qui hoſtias ad ſacrificium deputatas emunt aut conficiunt, ut ſint confectæ ex aqua naturali & farina triticea, quia confectæ ex aqua roſacea, vino, aut aliis ſuccis non ſunt panes uſuales, adeoque nec materia hujus ſacramenti. Valida tamen erit, attamen illicita, materia ſi aliquæ guttæ aquæ roſaceæ cum aqua naturali miſceantur in confectione hoſtiarum ita tamen ut aqua roſacea non prædominetur aquæ naturali.

Advertendum præterea quod panis offerendus in ſacrificio miſſæ ex præcepto Eccleſiæ debeat eſſe orbicularis pro ſacerdotibus latinis. Quod addo, quia in Eccleſia græca, ut authores referunt, hoſtia quæ offertur eſt figuræ quadratæ vel triangularis.

Digitized by Google

Petes, an liceret ſacerdoti latino celebrare cum parva hoſtia qualis datur laicis in communione ſi non ſuppetat major.

Reſp. Affirm. ſi privatim celebret ſepoſito ſcandalo, quinimo & publicè ſi urgeat gravis cauſa, v. g. ut populus in die feſto audiat ſacrum, quia non conſtat de conſuetudine obligante ſub præcepto in ſimilibus caſibus.

Petes, an malè faceret Paſtor qui renovaturus Euchariſtiam in remonſtrantia ſumeret hoſtiam antiquam, recenter verò conſecratam reponeret in remonſtrantia.

Reſp. Affirm. peccabitque mortaliter, quia ex divino præcepto obligatur communicare de ſuo ſacrificio quod hic & nunc offert.

Dico 2. alia materia remota ſive ex qua hujus ſacramenti eſt vinum de vite, prout ſupra vidimus definitum ex Conc. Flor. in inſtruct. Armen. ſimiliter in Conc. Lateran. cap. *firmiter* de ſumma Trinitate. Ratio à priori cur hæc ſit materia, eſt Chriſti voluntas, quæ nobis innoteſcit ex ſcripturis ſupra relatis Matth. 26. Luc. 22. Marci 14. ubi contentum in calice appellatur *genimen vitis*: ratio congruentiæ eſt quia hoc Sacramentum eſt à Chriſto inſtitutum ad refectionem ſpiritualem, quæ optimè ſignificatur per panem & vinum eò quod duo hæc ſufficiant ad hominem reficiendum.

Porro ad valorem ſacramenti perinde eſt quale ſit vinum an album, nigrum, rubrum, Hiſpanicum, Francicum item ex natura ſua debile vel generoſum dummodo ſit vinum de vite.

Validè poteſt cōſecrari in muſto, non tamen licitè.

Petes, an muſtum, qui eſt liquor ex uvis recenter expreſſus ſit apta materia Euchariſtiæ.

Reſp. quod ſit materia valida, ſed illicita; quia eſto in ſubſtantia ſua ſit vinum, quia tamen non eſt plenè purgatum & defæcatum, eſt contra reverentiam Sacramenti illud adhibere. Acetum verò, item aqua vitæ, nec ſunt materia valida, nec licita; quia non retinent naturam vini: prout nec vinum variis aromatibus & ſaccharo conditum, vulgo *Vin brulé*, quod ſaltem eſt materia dubia, eò quod ſubſit periculum ne aromata adeo ſint valida ut vini ſubſtantiam corrumpant: ejuſmodi materia dubia eſt quoque vinum aceſcens, ſeu incipiens tranſire in acetum, quia meritò timetur ne ſubſtantiam vini amiſerit. Agreſta verò eſt materia prorſus invalida; eò quod ſit humor

Digitized by Google

ex uvis immaturis expreſſus, & conſequenter qui naturam vini necdum ſit aſſecutus.

An validè conſecraretur in vino congelato.

Petes an vinum congelatum ſit valida & licita materia conſecrationis.

Reſp. Quamvis ſupra tract. 1. quæſt. 1. dub. v. dixerimus eſſe materiam invalidam tamen probabiliter ſuſtineri poſſe eſſe validam; quia licet ſpecies vini conſecrati congelentur non tamen deſinit ſub illis eſſe Chriſtus nam monent rubricæ Miſſalis ut pannis calidis liquefactæ ſumantur nec jubent aliud vinum de novo conſecrari, ergo videtur quod etiam ab initio poſſit per conſecrationem Chriſtus ſub illis poni. Certum tamen eſt apud omnes ſemper eſſe materiam illicitam quia ſaltem eſt dubia, eò quod tam affirmans quam negans Doctorum ſententia utrimque ſit probabilis, adeoque ſine peccato mortali nequeat adhiberi ne ſacramentum exponatur periculo nulleitatis: præterea ageretur contra Eccleſiæ conſuetudinem in re gravi: ac proinde pro praxi ſuadetur vel aliud vinum adhibere ante conſecrationem vel vinum congelatum adhibitis pannis calidis aut igne liquefacere ante conſecrationem.

Petes quomodo vinum congelatum poſſit eſſe materia probabiliter valida Euchariſtiæ cum aqua congelata nequidem poſſit eſſe materia probabiliter valida baptiſmi.

Cur magis quā baptizari poſſit in aqua congelata.

Reſp. poſſet diſparitas aſſignari quod materia proxima baptiſmi ſit ablutio, quæ fieri nequit niſi in materia remota aquæ ſit is ſtatus per quem ſit idonea ablutioni, quod non convenit glaciei ſeu aquæ congelatæ: ad rationem verò Euchariſtiæ non pertinet ſumptio, ſed ſufficit quod corpus & ſanguis Chriſti ponantur ſub ſpeciebus panis & vini: Ex quo ſequitur ad ſubſtantiam ejus non requiri illum ſtatum materiæ qui ad ſumptionem eſt neceſſarius.

DUBIUM II.

An ſit licitum quandoque hoc Sacramentum conficere in unica ſpecie.

QUæſtio eſt an in aliqua provincia in qua non eſt repertibile vinum ſit licitum ſacerdoti conſecrare ſub unica ſpecie.

Dico 1. ſi Sacerdos conſecret unam ſpeciem ſine alia v. g. panem ſine vino validè quidem conſecrabit, eò quod conſecratio unius ſpeciei quo ad valorem non dependeat à conſecratione

 alterius:

Non licet conficere Euchariſtiam ſub unica tãtum ſpecie.

alterius: quod & inde patet, quia Eccleſia ante conſecrationem vini ſpecies panis conſecratas adorat: Illicitè tamen, adeoque cum gravi ſacrilegio conſecrabit ejuſmodi Sacerdos unam materiam ſine alia: Ratio eſt, quia conſecratio utriuſque ſpeciei ſimul, eſt de jure divino, nam Chriſtus utramque ſimul inſtituit tamquam integrum & perfectum ſacramentum prout conſtat ex ipſa antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, & traditione ab ipſis Apoſtolorum temporibus uſurpata: & quamvis extaret ſolum præceptum Eccleſiaſticum, equidem non poſſet licitè celebrari in una ſpecie, nequidem ad communicandum infirmum in mortis articulo conſtitutum: qui tunc excuſabitur ab obligatione ſumendæ Euchariſtiæ, defectu commoditatis ſumendæ, cui interim ſuccurri poterit per ſacramentum pœnitentiæ & extremæ unctionis.

Nec credibile eſt Pontificem in hoc unquam diſpenſaſſe.

Dices Summus Pontifex poteſt diſpenſare ut conficiatur una ſpecies ſine altera, ergo conſecratio utriuſque ſpeciei non eſt de neceſſitate præcepti divini, quippe in quo Pontifex nequit diſpenſare: quod verò Summus Pontifex poſſit concedere ut conficiatur Euchariſtia ſub una ſpecie probatur ex facto Innocentii VIII. Pontificis Maximi, qui diſpenſavit cum Norwegis ut poſſet in illo regno celebrari ſub una ſpecie, eo quod vinum vel difficulter poſſet eò advehi vel ſtatim aceſceret: Præterea Chriſtus commiſit Eccleſiæ ſuæ ut pro ratione temporum vel locorum poſſet quædam immutare in uſu ſacramentorum ſalvâ eorum ſubſtantiâ.

Reſp. Innocentium VIII. numquam deſuper diſpenſaſſe, nec in Summo Pontifice ejuſmodi poteſtatem diſpenſandi reſidere: ratio eſt quia conſecratio utriuſque ſpeciei in ſacrificio miſſæ eſt ex inſtitutione divina, quæ proinde non ſpectat ad uſum ſed ad eſſentiam ſacrificii, quam Pontifex nequit immutare ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. Eapropter Fumus, verbo *Euchariſtia* num. 10. refert Alexandrum VI. deſuper voluiſſe diſpenſare, eſſe tamen declaratum quod non poſſet: quare quod adfertur de diſpenſatione facta ab Innocent. VIII. cum Norwegis planè ſuſpectum eſt: quin imo Volateranus, qui hoc refert, præ ſe fert falſitatem, quia narrat Innocentium permiſiſſe ut calix conſecraretur ſine vino, quod verum eſſe non poteſt. Porro Onuphrius Panirinus immutat hanc narrationem;

Imo nec poſſe.

nem; & omittens nomen calicis, legit, quod Innocentius permiſerit celebrari ſine vino in ſolo pane; qui, cum hoc aliunde non habeat niſi ex Volaterano, meritò debet eſſe ſuſpectus: Denique quidquid ſit, illi tamquam hiſtorici referunt quidem quod tunc temporis communi famâ & rumore ferebatur, & vulgò credebatur, non verò aſſeverant Pontificem in hoc diſpenſaſſe.

Dices, Eccleſia diſpenſavit cum laicis ut communicarent ſub una ſpecie; ergo poterit diſpenſare cum Clericis ut conſecrent ſub una ſpecie.

Reſp. neg. aſſumptum, quia nullum exiſtit divinum præceptum obligans laicos ad communicandum ſub utraque ſpecie, prout declarat Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. & 2. etſi agnoſcat in Eccleſia perpetuò hanc poteſtatem fuiſſe ut in ſacramentorum diſpenſatione ea ſtatueret vel immutaret quæ ſuſcipientium utilitati, vel ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum & temporum varietate magis expedire judicaret; id tamen ſemper intellexit, ut ibidem ait, ſalvâ ipſorum ſubſtantiâ: itaque cum conſecratio utriuſque ſpeciei ſpectet ad ſubſtantiam ſacrificii, nihil poteſt in eo immutari.

Petes, an ſaltem non poſſit accidere caſus quod Sacerdos tantùm conſecret in unicâ ſpecie, & interim non peccet.

Reſp. Affirm. idque vel ob impotentiam phyſicam vel moralem: ut ſi ſacerdos v. g. ex errore invincibili impoſuerit aquam calici loco vini, & poſt conſecratam hoſtiam, vinum non poſſit haberi, quo caſu nequit obligari ad impoſſibile; aut ſi poſt conſecratam S. hoſtiam immineat illi periculum mortis: quod ſi tamen Sacerdos cogeretur in contemptum religionis conſecrare ſub una tantùm ſpecie, tenebitur potiùs mortem oppetere, quam ſic conſecrare, eò quod præceptum honoris Dei conſervandi obliget etiam cum periculo propriæ vitæ, ſi verò poſt conſecratam S. Hoſtiam contingat Sacerdotem celebrantem mori vel deficere, debebit alius Sacerdos etiam non jejunus ſacrificium ſupplere.

DUBIUM III.

An hoc Sacramentum debeat confici in pane azymo.

PRænotandum, panem azymum vocari illum qui non eſt per fermentum elevatus aut inflatus; qui ſpecie non differt à non

Latina Eccleſia Sacerdotes debēt conſecrare in pane azymo.

non fermentato, eò quod fermentum elevatione ſua non ita alteret maſſam ut faciat illam ſpecie differre ab azymo : ac conſequenter valida eſt conſecratio ſive fiat in pane azymo ſive in fermentato : nec ſuper hoc movetur hic quæſtio : ſed hic ſolùm quæritur quis panis neceſſitate præcepti debeat adhiberi ad hoc ut quis licitè conſecret : ad quam quæſtionem reſpondet Concil. Flor. in litteris unionis his verbis ,, item definimus ſive in azymo, ſive in ,, fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici, ,, ſacerdoteſque in alterutro ipſum Domini corpus conficere ,, debere ; unumquemque juxta ,, Eccleſiæ ſuæ ſive Occidentalis ,, ſive Orientalis conſuetudinem, quarum prima celebrat in azymo, ſecunda in fermentato. ,,

Græci in fermento.

Dices conſuetudo Græcorum eſt conſuetudo ſchiſmaticorum ; ergo licitum non erit Græcis non ſchiſmaticis ſequi conſuetudinem Eccleſiæ.

Reſp. neg. conſequentiam, quia conſuetudo illa celebrandi in fermentato non eſt Græcorum quatenus ſchiſmaticorum, ſed illa ex rationabili causâ ante ſchiſma irrepſit: cum enim Apoſtoli & univerſa Eccleſia in initio uteretur azymis ſurrexit hæreſis Ebionitarum dicentium una cum Evangelio legalia eſſe obſervanda, in cujus hæreſis deteſtationem voluerunt SS. Patres ad tempus in confectione Sacramenti Euchariſtiæ uti pane fermentato : porro illâ hæreſi ceſſante Eccleſia Romana rediit ad priſtinum morem celebrandi in azymo, Græcis interim receptam illam ex hac occaſione conſuetudinem retinentibus, & Latinorum morem condemnantibus ; in quo ſunt ſchiſmatici, non verò in eo quod celebrent in fermentato : & quamvis Eccleſiæ Græcæ non deſit congruentia ſui ritus, nam per fermentum aptè deſignatur natura divina deliteſcens ſub natura humana ; tamen Romana Eccleſia habet congruentias multò elegantiores, illam moventes ad celebrandum in azymo, 1. quia per azymum denotatur puritas carnis Chriſti ab immaculata Virgine progeniti. 2. docet panis azymus qua animæ & corporis puritate ad illud vivificum Sacramentum ſit accedendum. 3. quia Eccleſia Latina in hoc imitatur Chriſtum, qui etiam conſecravit in azymo, quippe qui celebravit Paſcha, & inſtituit hoc SS. Sacramentum primo die azymorum, nempe luna

Qua occaſione Eccleſia cœpit cõſecrare in pane fermentato.

Google

luna 14. menſis primi ad veſperam.

Chriſtus in azymis conſecravit.

Probatur hoc 1. Matth. 26. ubi dicitur *primo autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes ubi vis paremus tibi comedere Paſcha.* Item Marci 14 *primo autem die azymorum quando Paſcha immolabant.* Item Luc. 22. *venit autem dies azymorum in quo neceſſe erat occidi Paſcha*: hæc autem dies fuit decima quarta menſis ad veſperam, à qua ſolemnitas & magna feſtivitas diei ſequentis ſcilicet decimæ quintæ incipiebat juxta illud Levit. 23. *menſe primo, decima quartâ die menſis ad veſperam phaſe Domini eſt*, ſiquidem dies feſtus à veſpera inchoari ſolebat, ut conſtat ex eodem capite Levitici: porro in dicta die ſolemni à veſpera præcedenti diei decimæ quartæ inchoando, prohibitum fuit Judæis quidquam panis fermentati in domibus ſuis habere. Probatur inſuper quia Doctores & SS. Patres paſſim docent Chriſtum eſſe paſſum ipſo die ſolemni Paſchatis qui erat decimus quintus menſis; ergo pridie comedit Paſcha, ſcilicet veſpera præcedenti.

Dices Joan. 13. dicitur, cœnam factam eſſe ante diem paſchæ, ergo die decima tertia menſis (ut dicunt Græci) & conſequenter Chriſtus conſecravit in fermentato.

Reſp. S. Joannem Evangeliſtam ſic loqui, quia Jeſus celebravit cœnam veſpera præcedente diem feſtum ſecundum naturalem vel artificialem ejus computationem, quia tamen juxta legalem computationem feſta incipiebant à veſpera diei præcedentis ideo dicit Lucas veniſſe diem feſtum azymorum in qua neceſſe erat occidi Paſcha id intelligens de die decima quarta ad veſperam.

Dices, Joann. 18. dicitur *Judæos non introiſſe in prætorium ne contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*, hoc autem dixerunt ipſo die quo Chriſtus eſt crucifixus, ergo eſt crucifixus lunâ decimâ quartâ: cùm autem Chriſtus inſtituerit ſuum ſacramentum pridie paſſionis, conſecravit illud in fermento.

Reſp. per, Paſcha, loco Scripturæ citato non intelligi agnum paſchalem, quem pridie comederant, ſed panes azymos & paſchales, de quibus agitur Numerorum 28.

Dices, dies quo Chriſtus eſt crucifixus non erat dies feſtus, quia diebus feſtis prohibita erant opera ſervilia, Joſeph verò ab Arimathia eo die Chriſtum ſepelivit, mulieres eo die emerunt aromata: præterea dicunt Judæi Matth. 29. *non in die feſto, ne fortè*

Digitized by Google

tumultus fiat in populo; ergo Dominus non eſt occiſus die decimâ quintâ, ſed lunâ decimâ quartâ: & conſequenter celebrarat paſcha die decimâ tertiâ ad veſperam.

Reſp. negando antecedens: eſto enim Judæis in die feſto fuerint prohibita opera ſervilia, non tamen opera pietatis, quale erat ſepelire mortuos: quod attinet ad Judæos illi non erant multum ſcrupuloſi etiam in die feſto exercere judicia criminalia, dummodo illi manibus ſuis illa non exequerentur reum occidendo.

Dices Joan. 19. dicitur Chriſtus paſſus in paraſceve paſchæ horâ quaſi ſexta; ſed paraſceve erat dies præparationis rerum neceſſariarum ad futurum paſcha; ergo crucifixus eſt lunâ decimâ quarta.

Reſp. paraſceve non erat dies præparationis rerum neceſſariarum ad ſequens paſcha, ſed erat antiſabbathum quod Evangeliſta vocat hic paraſceve paſchæ, quia incidebat in primum diem ſeptem dierum paſchalium ſeu azymorum.

Et hæc quidem ſunt præcipua argumenta quibus Græci errore inducti affirmant Chriſtum manducaſſe agnum paſchalem, & conſequenter inſtituiſſe Sacramentum Euchariſtiæ lunâ decimâ tertiâ ad veſperam; quo tempore, cum Chriſtus fuerit uſus pane fermentato, concludunt eum in fermentato conſecraſſe: Ex quo inferunt materiam hujus Sacramenti eſſe panem triticeum fermentatum; ſed perperam, prout patet ex ſolutionibus objectionum.

Petes an Sacerdos latinus agens inter Græcos poſſit celebrare in azymo; vel econtra Græcus inter latinos agens poſſit celebrare in fermentato.

Reſp. ſi latinus more peregrini ſe habeat in loco Græcorum vel Græcus in loco latinorum poterit morem ſuum ſervare in celebrando, quia hæc conſuetudo etiam Romæ eſt introducta ſciente & probante Summo Pontifice ut Græcus tranſiens per Eccleſias latinas poſſit celebrare more ſuæ Eccleſiæ qui etiam poterit ſe conformare moribus Eccleſiæ illius per quam tranſit: juxta hoc axioma

Quem ritũ ſervare debeat Sacerdos latinus in græca Eccleſia, aut græcus in latina.

Cum fueris Romæ Romano vivito more
Cum fueris alibi vivito ſicut ibi.

Porro ſi Sacerdos latinus fixerit domicilium aut habitationem in loco Græcorum non habens ibi Eccleſiam ſui ritus, tenebitur celebrare in pane fermentato, quia

quia nimirum tunc cenſetur eſſe Sacerdos Eccleſiæ Græcæ: quod ſi verò habitet in Græcia, ſed in monaſterio aut congregatione latina, obligabitur celebrare in azymo, quia eo caſu cenſetur eſſe de Eccleſia latina. Idem pariformiter dicendum de Sacerdote Græco agente inter latinos.

Petes, an ſit licitum Sacerdoti latino celebrare in pane fermentato ob defectum panis azymi ad communicandum ægroto ne diſcedat ſine viatico.

Reſp. neg. quia ſicuti tali eventu non licet ſine veſtibus ſacerdotalibus celebrare, ita neque licitum erit celebrare in fermentato, eò quod res hæc ſit graviſſima utpote concernens Dei cultum & reverentiam huic ſacramento debitam; neque divinum præceptum de hoc ſacramento ſuſcipiendo in extremo vitæ tunc obligat, ſed tantùm quando commodè ſumi poteſt & cum debita reverentia, in hoc autem caſu non cenſetur commoditas illud ſuſcipiendi, eò quod deſint illa quæ ab Eccleſia ſunt requiſita: obligabitur tamen Sacerdos latinus celebrare in pane fermentato in defectum azymi ad ſupplendum ſacrificium, nec hoc mirum quia majus eſt præceptum juris divini de integritate ſacramenti quam ſit eccleſiaſticum de celebrando in pane azymo.

DUBIUM IV.

An aqua ſit Vino permiſcenda.

Ex traditione Apoſtolica miſcenda eſt aqua vino in calice.

RESP. Affirm. quod probatur 1. ex Conciliis, Trullano Can. 22. ubi dicit hanc mixtionem eſſe traditionem Apoſtolicam à Chriſto profectam 2. ex Florentino in inſtructione Armenorum, item ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 7.

Probatur hoc ipſum ex liturgia S. Jacobi in qua habetur accipiens calicem & permiſcens „ vino & aqua. „ Idem tradit S. Juſtinus martyr Apologia 2. in fine, in qua ait „ Chriſtianos „ offerre panem & calicem aquâ „ dilutum. „ Item Cyprianus Epiſt. 63. quæ eſt de Sacramento Dominici calicis.

Quid illa mixtio ſignificet.

Rationes congruentiæ ſunt hæ 1. quia ut Florentinum ait „ creditur Chriſtus in vino aqua „ mixto hoc Sacramentum in„ ſtituiſſe. „ 2. quia talis mixtio aptè repræſentat paſſionem Chriſti, in qua ſanguis & aqua è latere ejus effluxerunt. 3. quia mixtio illa repræſentat unionem duarum naturarum in Chriſto quam Eccleſia ſpectat dum per

ſacerdotem in miſſa ait da nobis per hujus aquæ & vini myſterium ejus divinitatis eſſe conſortes, qui humanitatis noſtræ dignatus eſt fieri particeps. 4 quia hæc mixtio optimè ſignificat unionem fidelium cum Chriſto, aqua enim in ſcripturis, populum ſignificat.

Petes, an hæc mixtio aquæ ſit de neceſſitate Sacramenti.

Illa mixtio non eſt de neceſſitate Sacramenti.

Reſp. neg. quod probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 7. ubi dicitur „ monet S. Synodus „ præceptum eſſe ab Eccleſia „ Sacerdotibus ut aquam vino „ in calice offerendam miſcerent: „ ubi ſatis oſtenditur hanc mixtionem eſſe præcepti Eccleſiaſtici, ac proinde non pertinere ad ſubſtantiam ſacramenti, eò quod Eccleſia ſuo præcepto non poſſit facere ut id quod non eſt materia neceſſaria fiat neceſſaria.

Præterea probatur hoc ipſum ex rubricis de defectibus miſſæ, in quibus docetur quod ſi poſt vini conſecrationem advertatur aquam non fuiſſe mixtam, eam non eſſe admiſcendam.

Tertio probatur ratione, quia mixtio adhibetur non ad ſignificandam præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti quæ eſt res primariò ſignificata per ſpecies, ſed ad ſignificandum effectum videlicet unionem fidelium cum Chriſto, quæ cum non ſit eſſentialis, patet quod per ejus abſentiam non pereat ſubſtantia ſacramenti.

Dices multi SS. Patres cenſent Chriſtum conſecraſſe in vino aqua mixto ergo hæc mixtio eſt neceſſaria neceſſitate ſacramenti.

Reſp. neg. conſequentiam: neque enim ex Chriſti facto præcisè ducitur efficax argumentum ad oſtendendum aliquid eſſe neceſſarium neceſſitate Sacramenti; alioquin enim poſſet inferri omnia quæ Chriſtus fecit, nunc quoque eſſe facienda, eſſeque neceſſaria neceſſitate Sacramenti.

Adverte tamen hanc aquæ mixtionem ſine gravi peccato mortali non poſſe omitti; cum ſecundum communem ſenſum Eccleſiæ hæc cæremonia ſit gravis, utpote habens notabilem ſignificationem myſticam, ſitque præcepti Eccleſiaſtici graviter obligantis, veriuſque ſit hoc præceptum ab Apoſtolis ad nos deſcendiſſe: quod indicat Concil. Florent. dum ait „ Eccleſiam à B. Petro & Paulo „ ſic eſſe edoctam. „

Porro Notandum quod hæc aquà debeat eſſe naturalis & miſceri in modica quantitate prout vult Concil. Florent. ne alioqui

alioqui Sacerdos exponat ſe periculo non conſecrandi: & eapropter cavere debet, ne tantùm aquæ apponat quantum eſt vinum: quinimo curare debet ne quantitas aquæ tertiam vini partem excedat, prout habetur in Concil. Tributienſi, ſufficit autem quælibet guttula ſenſibilis.

Petes an ſufficiat aquam permiſcere in ipſa ampulla vini.

Reſp. neg. quia mixtio quæ fit in ſacrificio miſſæ fit per modum cæremoniæ ſacræ & ſacram habet ſignificationem, quod non ita convenit mixtioni factæ extra calicem.

Petes, quo tempore aqua ſit vino permiſcenda.

Reſp. in eo ſervandam eſſe cujuſque Eccleſiæ conſuetudinem.

DUBIUM V.

An aqua ante conſecrationem non converſa in vinum per conſecrationem convertatur in ſanguinem Chriſti.

QUæſtio hæc olim propoſita fuit Innoc. III. cap. *cum Martha* de celebr. miſſarum, ſcilicet quid fiat cum aqua in calicem infuſa, an una cum vino immediatè convertatur in ſanguinem, an verò ſolum mediatè, quatenus nimirum primo mutatur in vinum.

Supponendum 1. nullam eſſe dubitationem quin aqua ante in vinum converſa per conſecrationem convertatur in ſanguinem nam Conc. Trid. ait fieri converſionem totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: eapropter tota difficultas quæ hic movetur eſt, quid fiat de aqua ante conſecrationem non converſa in vinum.

Dico 1. ſuper præſenti quæſtione eſſe duas celebres Theologorum ſententias quarum prima negat aquam illam per conſecrationem immediate converti in ſanguinem: poſterior verò affirmat, cui, tamquam SS. Patribus, Conciliis, & rationi magis conformi, adhæremus.

Aqua licet non converſa pravià in vinum convertitur tamen in ſanguinẽ Chriſti.

Probatur 1. ex SS. Patribus qui utrobique ſupponunt aquam vino mixtam immediatè converti in ſanguinẽ quippe qui eodem prorſus modo ſemper loquuntur de mutatione aquæ in ſanguinem quo de mutatione vini in ſanguinem. Unde ne verbulo quidem uſquam indicant aquam priùs debere mutari in vinum antequam mutetur in ſanguinem, eſto primis illis temporibus multò plus aquæ vino ſoleret admiſceri quam modo: & ita Juſtinus martyr apologia 11. pro Chriſtianis, in fine ait

„ de poculo aqua & vino temperato ij qui apud nos Diaconi dicuntur dant unicuique „ eorum qui adſunt percipiendum panem, vinum, & aquam, „ quæ cum gratiarum actione „ conſecrata ſunt : „ ita quoque loquitur S. Ambr. dum. lib. 4. de Sacram. cap. 5. ita ait „ ante „ verba Chriſti calix eſt vino & „ aquâ plenus, ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis „ efficitur. „

Hoc ipſum probatur ex Chriſti facto, cujus circumſtantiæ ſi attendantur, apparebit quod mixtio non diu præceſſerit conſecrationem.

Probatur hoc ipſum ex liturgiis SS. Jacobi & Marci mixtionem aquæ quæ tunc fiebat non diu præceſſiſſe conſecrationem; quamvis fieret in notabili quantitate, cum tamen aqua non poſſit tam cito in vinum converti, quippe quæ ſit pertinaciſſimæ naturæ; adeo ut, prout per experientiam patet, eſto per ignem reſoluta ſit in vapores, naturam ſuam tamen non amittat, ſed ſola refrigeratione reſtauretur.

Probatur 3. ex iis quæ præſcribit Eccleſia, nimirum ſi poſt panis conſecrationem advertatur in calice non fuiſſe appoſitam aquam vino, illa ſtatim apponatur & conſecretur.

Probatur 4. ex modo procedendi veteris Eccleſiæ, in qua ut patet ex Conc. Triburtienſi non videtur cautum fuiſſe tantâ diligentia ut modica aqua poneretur, quippe cum illud permittat tertiam partem aquæ.

Probatur 5. populus factâ conſecratione adorat quidquid in calice continetur, qui exponetur periculo idololatriæ niſi aqua immediatè vertatur in ſanguinem.

Probatur 6. forma conſecrationis erit falſa ſi aqua non convertatur immediatè in ſanguinem, eò quod pronomen *hoc* deſignet totum liquorem qui eſt in calice.

* 7. In pagis frequenter eſt vinum debile, & in parva quantitate appoſitum, quod difficulter poſſet aquam in ſe convertere.

Eapropter Cardinalis Baronius qui partem quoque affirmativam tenet in Annalibus ſuis anno 1188. ait ante illud tempus hoc ſemper credidiſſe & tenuiſſe Eccleſiam, aquam, ſcilicet ante converſionem in vinum, immediate converti in ſanguinem: Ejus quoque ſententiæ videtur fuiſſe Innocent. III. Cap. *cum Marthæ* de celebr. miſſar. quando abſolutè & ſine ulla diſtinctione affirmat aquam cum vino in

in ſanguinem tranſmutari : in eadem quoque ſententia eſt S. Thom. qui art. 8. ſic ait „ opi„nionem hanc quod aqua jun„cta vino per ſe manet, vino in „ ſanguinem converſo, ſtare non „ poſſe, quia poſt conſecratio„nem nihil aliud eſt in Sacra„mento altaris niſi corpus & „ ſanguis Chriſti, alioquin enim „ non totum adoraretur cultu „ latriæ. „

Dices, non aqua, ſed panis triticeus & vinum de vite aſſignatur à Conc. Flor. tamquam materia Euchariſtiæ.

Reſp. id eſſe verum, ſed id intelligi de materia neceſſaria Adverte tamen quia oppoſita ſententia non eſt improbabilis expedire modicum tantùm aquę apponere juxta præſcripta Conc. Flor. & Trid. & modernam Eccleſiæ conſuetudinem.

DUBIUM VI.

Qualis præſentia materiæ requiratur ut ea validè poſſit conſecrari.

Vt materia conſecrari poſſit debet eſſe ſaltem moraliter præſens.

Reſp. ad minus moralis, id eſt quæ communi & prudenti hominum judicio cenſetur talis. Probatur quia niſi materia taliter ſit præſens, forma erit falſa, eò quod ſecundum prudens hominum judicium pronomen *hoc* denotet rem ſenſibus præſentem, adeoque quæ tamquam præſens demonſtretur. Ultimata ratio eſt Chriſti inſtitutio, cum Eccleſiæ traditione fundata in verbis formæ deſignantibus rem præſentem. *conſecratio.*

Ex quo colligitur non validè conſecrari materiam poſt tergum Sacerdotis poſitam, aut poſt parietem collocatam, eò quod ejuſmodi materia ex communi judicio non cenſeatur præſens: ſecus dicendum de pane in caniſtro vel ciſta aut vino in lagena poſito, quia quod ita nobis præſens eſt cenſetur morali & communi hominum judicio præſens, eò quod demonſtrato continente ſufficienter demonſtretur contentum per pronomen, *hic*, aut *hoc*.

Qualis debeat eſſe illa moralis præſentia.

Petes, an ut materia cenſeatur præſens ſufficiat illam viſu poſſe percipi quamvis ſit à nobis in magna diſtantia ut v. g. an quis à longè viſa domo, validé poſſet conſecrare omnes panes in ea contentos.

Reſp neg. quia quod ita diſtat, quantumvis poſſit videri, morali tamen hominum æſtimatione non cenſetur præſens præſertim in ordine ad operationem prout hic debet eſſe: quod addo, quia eſto quandoque utamur pronomine *hoc* ex turri aliqua

Digitized by Google

aliqua v. g. demonſtrando aliquam civitatem, hæc tamen locutio tunc eſt impropria, nec rem illam demonſtramus ut nobis præſentem in ordine ad operationem.

Petes, an ut materia aliqua validè à Sacerdote conſecretur debeat ab ipſo aliquo ſenſu de facto percipi.

Reſp. neg. dummodo equidem illa ſit moraliter præſens, nam adhuc poterit verificari pronomen *hoc*: & ita novi ſacerdotes poſſunt conſecrare cum Epiſcopo panem, quem tamen nullo ſenſu externo percipiunt.

Petes an requiratur aliquis determinatus modus præſentiæ moralis ut quis *validè* & licitè conſecret.

Reſp. Affirm. & is colligi debet ex Eccleſiæ conſuetudine, quæ habet, ut materia conſecranda reponatur ante Sacerdotem in corporali: & eapropter conandum presbytero celebraturo, ut materia ſine ulla controverſia ſit illi præſens in ordine ad conſecrationem: nam qui conſecrat materiam de cujus præſentia morali meritò dubitat graviſſimè peccat exponens ſacramentum periculo nullitatis: Eapropter eſto hoſtiæ contentæ in pyxide clauſa & ſuper corporali collocata, validè conſecrentur, periculoſum tamen erit ſacerdoti eas non diſcopertâ pyxide conſecrare: quod ſi ex negligentia hoc faciat, non videtur excuſari poſſe à peccato mortali; & hoc non præcisè ob rubricæ tranſgreſſionem, ſed quia non curat habere omnimodam certitudinem moralis præſentiæ hoſtiarum, & intentionis certò ad illas determinatæ: nam quamvis ejuſmodi ſacerdos moraliter credat hoſtias in pyxide præſentes eò quod illas forte in ea repoſuerit, potuerunt tamen caſu ablatæ eſſe aut excidiſſe: Unde in rubricis miſſalis cap. 7. de offertorio & aliis uſque ad Canonem ſic ordinatur „ ſi fuerint aliquæ hoſtiæ &c. in alio „ calice ſeu vaſe pro communio„ ne populi conſecrandæ, calicem illum ſeu vas Sacerdos „ diſcooperit, & intentionem „ ſuam ad illas offerendas & „ conſecrandas dirigens, dicit „ &c. „ in quibus verbis providet Eccleſia ut materia conſecranda viſu vel tactu percipiatur.

Petes an nulla quantumvis magna quantitas panis, item nulla quantumvis minima, poſſit obſtare quo minus validè conſecretur.

Reſp. neg. per ſe loquendo, quia & maximus panis & minimus

Quævis quantitas materiæ cõſecrabilis eſt.

mus item vinum copioſum & modicum ſunt verus panis & verum vinum, adeoque materia conſecrationis. Dixi per ſe loquendo, quia per accidens poſſet contingere materiam eſſe tam vaſtam ut ſecundum omnes ſuas partes non poſſet eſſe moraliter præſens ſacrificanti, quæ tunc non tota ſeu ſecundum omnes ſuas partes poteſt conſecrari: idem dicendum ſi materia ſit tam parva ut humano ſenſu percipi non poſſit, adeoque ſit indemonſtrabilis per pronomen; *hoc*, quæ conſequenter eſt incapax conſecrationis, ſi ſit ab aliis partibus ſeparata: quod addo quia ſi loquamur de minima particula exiſtente in toto continuo, eſt de fide illam cum cæteris eſſe conſecratam docente id Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. his verbis „ per conſecrationem panis & „ vini converſionem fieri totius „ ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam „ corporis Chriſti, & totius „ ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam „ ſanguinis ejus: „ ſi autem aliqua quantumvis minima particula in toto continuo non eſſet conſecrata, non poſſet dici tota ſubſtantia panis converti in corpus Chriſti; imo tunc dici poſſet in hac hoſtia conſecrata remanere aliquid panis.

Petes quid ſi ab hoſtia conſecrata ſepararetur aliqua particula tam parva ut nullo ſenſu percipi poſſet, an ſub illa remaneret adhuc corpus Chriſti.

Reſp. Affirm. quia plus requiritur ad aliquid acquirendum quam ad aliquid retinendum, ita enim anima à corpore ſeparata conſervat characterem ſacerdotalem, quem tamen exiſtens ſeparata non poteſt acquirere: ita quoque aqua vino mixta, & in vinum non converſa, probabiliter conſecratur, & ſi ſeparetur manet conſecrata; & tamen ſeorſim nequit conſecrari.

Nihilominus tamen loquendo in rigore Philoſophico dicere poſſemus ſub ejuſmodi particula inſenſibili ſeparata non manere Chriſti corpus, eò quod illud tantùm maneat ſub illa parte ſpecierum ſub qua poteſt remanere ſubſtantia panis, quæ nequit manere ſub particula inſenſibili, eò quod quælibet forma naturalis exigat naturaliter eam quantitatem in materia, per quam reddatur ſenſibilis, eò quod hæc conditio non ſit minùs naturaliter debita quam aliæ quæ ſecundum naturam debentur. Taceo ejuſmodi particulam ſeparatam inſenſibilem non eſſe Sacramentum, adeoque Chriſti

corpus ſub ea non poſſe delitescere.

Petes, an miniſter debeat ſua intentione determinare materiam conſecrandam.

Materia debet determinari ab intentione miniſtri.

Reſp. Affirm. ratio eſt quia omnis actio humana eſt circa particularia & determinata: eapropter ſicuti agens naturale ad hoc ut agat, requirit ſubjectum determinatum in quod agat, ita quoque agens morale: unde cum hæc determinatio in moralibus non ſit à natura, debet fieri per intentionem agentis. Præterea ad omnem actum humanum requiritur intentio.

Si Sacerdos ex 10 hoſtiis velit tãtùm ſex conſecrare eas nõ determinando, nullas conſecrabit.

Hinc colligitur ſi miniſter verſetur circa materiam conſecrabilem nihil determinans, quod non conſecrabit; quia hoc inſuper inſinuat pronomen *hoc*, quod deſignat aliquod ſenſibile certum: Eapropter ſi quis Sacerdos phantaſticus ex decem hoſtiis ſibi præſentibus, vellet in confuſo tantùm conſecrare quatuor, nullas in particulari determinando nihil efficeret: ſic nec valida erit conſecratio ſi quis ex ſex hoſtiis ſibi præſentibus illam ſolam vellet conſecrare quam Deus intendit, vel quam Joannes deſignabit ante conſecrationem, quia de eo quod alter deſignat non rectè pronuntiatur pronomen *hoc*, nec materia a Deo ſolum intenta eſt humano modo determinata.

Petes, quid ſi Sacerdos habeat duas hoſtias ſimul junctas bonâ fide putans tantùm eſſe unam, adeoque intendens unam conſecrare, quænam duarum erit conſecrata.

Qui duas habet hoſtias putans eſſe tantum unicam, an utramque conſecret.

Reſp. utraque, eò quod intentio Sacerdotis feratur ſuper id totam quod habet in manibus, quæ intentio non deſtruitur per aliam particularem intentionem, quâ vult unam conſecrare; quia hæc procedit ex errore, eſtque inefficax; cum qua proinde bene conſiſtit voluntas efficax conſecrandi quidquid in manibus ſuis habet conſecrabile.

Petes quid dicendum de guttis vini quæ poſt conſecrationem reperiuntur extra calicem; an ſint conſecratæ.

Reſp. neg. quia ad has intentio Sacerdotis ſe non extendit: ſecus dicendum de illis quæ quandoque in calice inveniuntur ſeparatæ à vino quod eſt in fundo calicis, quia Sacerdos ſaltem in confuſo intendit conſecrare quidquid eſt in calice.

Petes, an hoſtiæ parvæ maneant conſecratæ ſi Sacerdos in Sacriſtia exiſtens habeat intentionem illas conſecrandi quamvis

Digitized by Google

vis in actu conſecrationis de illis non cogitet.

Reſp. Affirm. eſtque ſententia in praxi ſecura, nam Sacerdotes etiam timorati qui ejusmodi parvulas hoſtias voluerunt conſecrare, eaſque cum principali hoſtia obtulerunt in oblatione verbali, ſi ex naturali inadvertentia tempore conſecrationis diſtrahantur, & ita de illis non cogitent, ſine ullo ſcrupulo eas communicantibus diſtribuunt. Ratio verò illius eſt quia reſpectu illarum in conſecratione fuit intentio virtualis.

Ad validè conſecrandam ſufficit intentio virtualis.

Dices, ut intentio virtualiter cenſeatur permanere, debet remanere in aliqua actione externa, ſaltem mediatè emanante ab intentione actuali reſpectu talis objecti: ſed actio exterior ſacrificandi in qua hæc virtualiter dicitur perſeverare non procedit ex intentione actuali conſecrandi parvas hoſtias, ſed ex intentione conſecrandi principalem.

Reſp. actionem illam externam procedere ex duplici intentione unâ principali conſecrandi hoſtiam majorem, alterâ minus principali conſecrandi hoſtias minores.

Petes, quid ſi Sacerdoti exiſtenti in altari miniſter adſerat parvas hoſtias reponens illas extra corporale, Sacerdote interim illas vidente, an tales ſic relictæ extra corporale ſi Sacerdos tempore conſecrationis de illis non cogitet cenſeantur conſecratæ.

An illa conſecētur adeſſo ſi Sacerdos hoſtias conſecrādas in altari poſitas obliviſcatur ponere ſuper corporale.

Reſp. Affirm. quia voluntas conſecrandi illas hoſtias quam habuit dum illas vidit non tollitur per hoc quod ex naturali oblivione non repoſuerit eas ſuper corporale, ſed illa virtualiter perſeverat in ipſa actione ſacri: quamvis enim ſit ita conſtitutus ut ſi advertiſſet tempore conſecrationis illas particulas extra corporale poſitas, illas noluiſſet ſic conſecrare, tamen revera hanc intentionem illas non conſecrandi extra corporale non habuit, ſed abſolutam habuit intentionem illas conſecrandi decernens tamen illas collocare in corporali, quod ex inadvertentia, adeoque ſine peccato, omiſit: Cæterum quia tamen res hæc non caret difficultate, nam multi graves Doctores cenſent eas non eſſe conſecratas, huic innixi fundamento quod Sacerdos non debeat præſumi velle conſecrare hoſtias extra corporale poſitas, eò quod hoc nequeat facere ſine peccato; idcirco tutius erit tales hoſtias non diſtribuere, ſed illas reve-

renter habere, & datâ opportunitate ſumere in miſſa poſt hoſtiam & calicem conſecratum.

QUÆSTIO III.

De Forma SS. Euchariſtiæ Sacramenti.

DUBIUM I.

Quæ ſit Forma hujus Sacramenti.

Quæ ſit forma Sacramenti Euchariſtia.

OMISSO errore noſtrorum hæreticorum, qui non agnoſcunt ullam converſionem panis aut vini in corpus & ſanguinem Chriſti, & conſequenter negant formas conſecrationis: omiſſo inſuper quorumdam recentiorum Græcorum errore, qui ultra formas conſecrationis ajunt neceſſitate ſacramenti neceſſarias eſſe quaſdam preces, quæ poſt verba conſecrationis in liturgiis ipſorum proferuntur.

Hæc eſt veritas Catholica quod eſſentialis forma hujus ſacramenti ſint hæc verba. *hoc eſt corpus meum* &c. *hic eſt calix ſanguinis mei* &c.

Probatur 1. ex Conc. Flor. Tract. de ſacram. ubi dicit omnia ſacramenta perfici rebus tamquam materiâ, & verbis tamquam formâ; & ſignanter de hoc ſacramento agens, dicit verba quibus Chriſtus in ultima cœna ſuum corpus & ſanguinem confecit eſſe formam hujus ſacramenti.

Probatur 2. quia prolatis illis verbis, *hoc eſt enim corpus meum*, conſuetudo Eccleſiæ etiam græcæ habet ut Euchariſtia populo proponatur adoranda: & certè ſi verbis illis *hoc eſt corpus meum* non fieret conſecratio illa eſſent falſa, ſiquidem non poſſunt eſſe vera niſi reipſa hoc ſit corpus Chriſti.

Petes an hæc verba ſint forma hujus ſacramenti in fieri an verò in facto eſſe.

Verba ſunt forma ejus efficiens, ſed non componens.

Reſp. ſunt tantùm forma in fieri, id eſt illa verba ſunt forma efficiens ſacramentum, non verò forma illud componens: ratio eſt, quia prolatio horum verborum eſt quid tranſiens adeoque nequit eſſe forma rei permamentis.

Præterea hoc ſacramentum conſiſtit in ratione ſigni ſignificantis & efficientis gratiam quæ per hoc ſacramentum confertur; ergo forma illius conſtitutiva nequit conſiſtere in verbis, ſed conſiſtit in illa ſignificatione quâ ſpecies ſacramentales gratiam ſignificant eapropter dicta verba

zed by Google

verba poſſunt quidem vocari forma extrinſeca hujus ſacramenti, eò quod verba ex Chriſti inſtitutione determinent materiam ad talem rem ſignificandam & cauſandam: ac eapropter ſicuti panis non eſt materia hujus ſacramenti in facto eſſe, ſed tantùm in fieri, ita ſimiliter verba quibus hoc ſacramentum conficitur ſunt tantùm forma illius in fieri.

Petes an validè conficiatur hoc ſacramentum quando verba conſecrationis mutantur.

Reſp. neg. ſi mutentur ſubſtantialiter: Affirmativè verò ſi tantùm mutentur accidentaliter quod tamen per ſe loquendo non fiet ſine gravi peccato.

Ex his collige illum validè conficere hoc ſacramentum attamen illicite qui uteretur hac forma, *hoc eſt caro mea*; eò quod non fiat mutatio eſſentialis, ſed tantùm accidentalis, ſiquidem in Scriptura S. vox caro tam ſumitur pro corpore hominis, quam pro toto homine: ut patet Joann. 1. ubi dicitur *verbum caro factum eſt*, id eſt homo factum eſt: econtra verò invalida erit conſecratio ſub hac forma *hoc eſt corpus Chriſti*, eò quod ſubſtantialiter mutetur verborum ſenſus, quippe quæ non proferuntur in perſona Chriſti prout verba formæ debent proferri.

Petes an ergo Chriſtus illis verbis conſecraverit.

Eccleſia iiſdem verbis conſecrat quibus Chriſtus conſecravit.

Reſp. quamvis non negandum quin Chriſtus per poteſtatem excellentiæ potuerit ſolo ſuo imperio convertere panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum, prout in Cana Galilææ convertit in vinum: attamen ad Quæſtionem Reſpondetur Affirmativè probatur; ex Conc. Flor. in quo definitur quod forma hujus ſacramenti ſint verba quibus Chriſtus conſecravit, item ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 1.

Probatur 2. quia Chriſtus juſſit Apoſtolos ſuos facere quod ipſe fecit, ſed Apoſtoli, eorumque ſucceſſores non leguntur conſecraſſe aliis verbis quam illis, *hoc eſt enim corpus meum* &c. *hic eſt calix ſanguinis mei* &c. ergo & Chriſtus iiſdem conſecravit: neque enim ex toto evangelio poteſt colligi alia forma: & hinc Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. ſic ait „ acceptum panem & da„tum diſcipulis, corpus ſuum „illum fecit, dicendo *hoc eſt cor„pus meum*.

Dices ex Evangeliſtis patet quod Chriſtus priùs conſecraverit antequam verba illa proferret; ergo non conſecravit per verba illa. Antecedens probatur

 quia

quia Chriſtus panem priùs benedixit, dein fregit, & demum protulit illa verba *hoc eſt enim corpus meum* &c. benedictio autem illa non eſt aliud quam conſecratio.

Reſp. neg. conſequentiam: quamvis enim benedictio nonnumquam ſumatur pro conſecratione, ut patet ex illis verbis Apoſtoli 1. ad Corrint. 10. *calix benedictionis cui benedicimus* &c. negamus tamen apud Evangeliſtas benedictionem accipi pro conſecratione, quia in græco textu apertè ſignificatur Dominum benedixiſſe panem antequam proferret hæc verba *hoc eſt enim corpus meum*: inſuper Matthæus & Marcus dicunt *accepto Jeſus pane, poſtquam benedixiſſet, fregit & dixit hoc eſt corpus meum.*

Dein in Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. dicitur „ poſt panis vini„ que benedictionem ſe ſuum „ corpus illis præbere, ac ſuum „ ſanguinem diſertis ac per„ ſpicuis verbis teſtatus eſt. „ Unde patet conſecrationem benedictione fuiſſe poſteriorem: quod confirmatur ex Canone latino in quo benedictio præmittitur conſecrationi, idque exemplo Chriſti, qui aliqua extraordinaria facturus ſolebat benedictionem præmittere. Porro hæc prævia benedictio non eſt aliud quam invocatio divini auxilii ſuper pane, prout illam quoque præmiſit Chriſtus quando panes multiplicavit.

Petes an ſaltem benedictio & gratiarum actio quam Chriſtus præmiſit fuerint actiones diſtinctæ.

Quas actiones, & quo ordine illas fecerit, Chriſtus in cœna.

Reſp. Affirm. quod quamvis ex Scriptura S. manifeſtè nequeat probari, tamen eſt conforme noſtræ liturgiæ, ſecundum quam Chriſtus hoc ordine proceſſit 1. accepit panem: 2. oculos in cœlum levans gratias egit Patri, ut habet Canon latinus. 3. benedixit panem. 4. fregit. 5. diſcipulis illum præbendo, dixit *hoc eſt corpus meum.* Neque his obſtat quod Matthæus & Marcus meminerint ſolius benedictionis, non verò gratiarum actionis, quia conſtat non omnia quæ Chriſtus fecit quovis loco ab Evangeliſtis enarrari: Porro quod hæc duo, benedictio, & gratiarum actio ſint diſtincta, patet ex ipſa vocum ſignificatione, quia benedictio reſpicit panem, gratiarum actio verò reſpicit patrem cœleſtem.

Vox enim non eſt de ſubſtãtia formæ.

Petes an vox, *enim*, ſit de eſſentia formæ conſecrationis.

Reſp. neg. quia ſignificatio formæ ab ejuſmodi particula non depen-

dependet, ſed ſolùm additur ad deſignandam connexionem verborum formæ cum præcedentibus: omiſſio tamen ejuſmodi particulæ deliberatè facta eſſet mortalis, quia pertinet ad connectenda verba formæ cum præcedentibus quæ, judicio gravium Doctorum cenſetur magni momenti.

Nec illa, verba, qui pridie &c.

Petes an ad valorem formæ ſit neceſſe hæc verba præcedere, *qui pridie quam pateretur* &c.

Reſp. neg. quia formæ ſacramentorum id efficiunt quod ſignificant; ſed hæc verba *hoc eſt corpus meum*, plenè ſignificant converſionem panis in corpus Chriſti, ergo hæc ſufficiunt; & per conſequens illa ad valorem formæ non ſunt neceſſaria, quamquam ſine peccato mortali nequeant omitti; eò quod Eccleſia univerſalis hiſce verbis uti ſoleat.

Dices, verba formæ debent proferri in perſona Chriſti; quod non fiet, niſi verba illa, *qui pridie quam pateretur* &c. præmittantur; ergo ad valorem formæ ſunt neceſſaria.

Reſp. negando ſubſumptum, quia verba formæ poſſunt determinari per intentionem miniſtri volentis illa proferre in perſona Chriſti.

Petes quid ſi quis in forma conſecrationis corporis uteretur adverbio *hic*, loco *hoc* an eſſet conſecratio.

Reſp. negativè quia ſenſus formæ eſſentialiter mutatur: prout neque hic ſi diceret *hoc corpus eſt meum*: nam in forma conſueta corpus meum deſignat corpus Chriſti quod eſt pars illius eſſentialis phyſica: quando verò dicitur, hoc corpus eſt meum; intelligitur corpus ſub dominio Chriſti exiſtens & aliud à corpore proprio Chriſti, adeoque manifeſtè mutatur ſenſus eſſentialis formæ.

Quænā ſit forma conſecrationis calicis.

Petes an omnia verba quibus Eccleſia latina utitur in conſecratione calicis ſint de eſſentia formæ v. g. in liturgia latina adjunguntur hæc verba, *novi & æterni teſtamenti qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, an illa ſint de eſſentia formæ calicis.

Reſp. neg. ſed ſolùm hæc, *hic eſt calix ſanguinis mei*, vel his æquivalentia.

Probatur 1. quia, ut ſupra diximus formæ ſacramentorum efficiunt id quod ſignificant; atqui hæc verba *hic eſt calix ſanguinis mei* plenè ſignificant converſionem vini in ſanguinem Chriſti, ergo ſufficiunt.

Probatur 2. quia hæc verba, *hic eſt calix ſanguinis mei* inveniuntur

tur

Digitized by Google

tur in omnibus liturgiis, non verò quæ ſequuntur; nam liturgia S. Iacobi ſic habet *hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur & datur in remiſſionem peccatorum*: ac proinde in ea omittuntur verba illa *æterni teſtamenti*, & *myſterium fidei*: id ipſum quoque patet in liturgiis SS. baſilii & Chryſoſtomi; quinimo in liturgia Æthiopum omittitur hoc totum *novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei*: quod eſt certum ſignum verba illa non eſſe de eſſentia formæ: Nota tamen verba iſta non poſſe ſine gravi peccato omitti, ob Apoſtolorum traditionem, & univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, quæ habet vim legis: etenim videtur additamentum iſtud relictum Eccleſiæ à S. Petro qui id à Chriſto accepit, ut communiter tradunt Doctores.

Petes quis ſit ſenſus formæ calicis, *hic eſt calix ſanguinis mei novi & æterni teſtamenti myſterium fidei qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*.

Reſp. ſenſus verborum formæ eſt hic, id quod continetur hoc calice eſt ſanguis meus, quo confirmatur & ſancitur novum teſtamentum, eſtque illud arcanum ſola fide cognoſcibile, qui pro vobis ſumentibus, & pro multis, ſcilicet electis efficaciter effundetur.

Petes, quid deſignet pronomen *hoc* in forma panis.

Reſp. corpus Chriſti velatum ſub ſpeciebus. ratio eſt quia pronomen *hoc* deſignat rem ſingularem de qua prædicatum verè affirmatur, ſed nullum eſt ibi ſingulare quod demonſtretur per pronomen *hoc*, præterquam corpus Chriſti; nam ſi deſignaret panem, tunc eſſet forma falſa.

Dices pronomen *hoc* deſignat aliquid ante finem propoſitionis, ſed tunc non poteſt aliud deſignare quam panem, ergo.

Reſp. negando aſſumptum, quia pronomen *hoc* non ſortitur ſignificatum ſuum ante finem propoſitionis, ſicuti dum quis manu ſua ducens lineam dicit hæc eſt linea, particula *hæc* non demonſtrat quidquam præſens antequam finiatur propoſitio, hocque commune eſt omnibus propoſitionibus practicis, id eſt per quas aliquid fit, quales ſunt formæ hujus Sacramenti, tales enim proferuntur non intentione affirmandi attributum de ſubjecto prout illud eſt ante prolationem vel tempore prolationis, ſed intentione faciendi id quod ejuſmodi enuntiatione

Quid denotet pronomen hoc *in forma panis.*

tiatione ſignificatur, quodque tum demum erit, aut ita ut ſignificatur ſe habebit, quando enuntiatio prolata fuerit; ut ſi quis dicat donando alteri librum, hic meus liber eſt tuus. Et tales propoſitiones veritatem non requirunt niſi in ultimo inſtanti prolationis, ad quod inſtans tota propoſitio referenda eſt. Eapropter ſi ſubjectum illarum ſit pronomen demonſtrativum ſemper demonſtrat rem prædicato ſignificatam.

Dices, ergo ſenſus formæ erit hic, *hoc corpus meum, eſt corpus meum*, adeoque erit propoſitio identica.

Reſp. neg. ultimum. Identicam enim propoſitionem vocamus, non in qua attributum & ſubjectum pro eadem re ſingulari accipiuntur, (ſic enim omnis affirmatio vera de præſenti foret identica) ſed illam in qua res eadem, eodem aut ſinonymo plane vocabulo de ſeipſa enuntiatur: ut homo eſt homo, enſis eſt gladius: quod hic non fit.

Pro nomen hoc & hic in forma, ſumitur adjectivè non ſubſtantivè aut adverbialiter.

Ex his quoque collige pronomen, *hic*, in forma calicis ſimiliter denotare aliquid præſens ſub ſpeciebus vini in fine orationis, ſcilicet ſanguinem.

Adverte præterea hæc pronomina, *hoc*, *hic*, in formis non ſumi ſubſtantivè ſed adjectivè prout hoc clarè patet in forma calicis, nam ſi ſubſtantialiter ſumeretur, interpres non tam accuratè poſuiſſet in maſculino.

Petes an pronomen, *hic*, in forma calicis non poſſit accipi adverbialiter.

Reſp. neg. nam ſi ita ſumeretur, non poſſet ex forma calicis convinci non adeſſe vinum in calice, quandoquidem ſub eodem velamine poſſent eſſe vinum & ſanguis.

DUBIUM II.

Quomodo verba conſecrationis proferantur.

NOtandum propoſitionem aliquam tribus modis poſſe proferri. 1. materialiter. 2. hiſtoricè, ſeu narrativè. 3. affirmativè.

Porro tunc propoſitio aliqua profertur materialiter quando profertur ſecundum verborum ſonum ſine ulteriori intentione aliquid ſignificandi. 2. tunc profertur hiſtoricè quando profertur cum intentione narrandi id quod per verba ſignificatur. 3. tunc profertur affirmativè quando profertur cum intentione faciendi quod propoſitio ſignificat. His præmiſſis.

Certum eſt non ſufficere proferre

Digitized by Google

Verba formæ in conſecratione non proferũtur ſolum hiſtoricè à miniſtro.

ferre verba formæ merè materialiter aut hiſtoricè tantùm, prout volunt hæretici, quia Sacerdos teſte Conc. Flor. loquendo in perſona Chriſti, conficit hoc Sacramentum: quod ſi autem hiſtoricè ſolum aut narrativè illa verba proferret, loquetur ſolum in perſona ſua, non verò Chriſti.

2. Si ſufficeret illa verba ſolum recitativè ſeu hiſtoricè proferri, numquam illa poſſent proferri in præſentia panis quin conficeretur hoc ſacramentum; adeoque committeret ſacrilegium legens Euangelium Matthæi Marci, aut Lucæ ſub menſa.

3. Ille qui narrat geſta aut facta alterius ibi ſiſtendo, non cenſetur propterea loqui in perſona alterius, & hinc Petrus narrans Joannem locutum fuiſſe turpia aut juraſſe, non propterea ipſe loquitur turpia aut jurat.

Petes an ergo verba conſecrationis non proferantur hiſtoricè ſive recitativè.

Verba conſecrationis proferũtur & hiſtoricè & ſimul affirmativè.

Reſp. Affirm. quod patet ex verbis Canonis „ qui pridiè „ quam pateretur &c. nam ab eo loco narrat ſacerdos quid Chriſtus in ultima cœna fecerit, attamen non proferuntur ſolum hiſtoricè ſeu narrativè, ſed & inſuper affirmativè, quatenus nimirum ſacerdos inſuper intendit facere quod verba ſignificant: neque enim hæc duo ſimul pugnant quod quis intendat per aliquam propoſitionem aliquid narrare, & inſuper hoc ipſum velit facere quod propoſitio ſignificat.

Hoc tamen hic notandum, quod pronomen, *hoc*, dum verba proferuntur hiſtoricè deſignet contentum ſub ſpeciebus panis qui erat in manibus Chriſti; dum verò proferuntur affirmativè, illud *hoc* deſignat tunc contentum ſub ſpeciebus panis in manibus ſacerdotis.

Petes an verba formæ prius naturâ efficiant quam ſignificent.

Prius ſignificant quam efficiant.

Reſp. neg. ſed econtra prius ſignificant quam efficiant, eò quod operentur ut ſigna; ſignum vero prius naturâ ſignificat, quam efficiat id quod ſignificat.

Petes an verba formæ operentur & efficiant quatenus ſunt vera.

Veritas propoſitionum alia eſt practica alia ſpeculati-

Reſp. duplicem paſſim aſſignari veritatem alicujus propoſitionis, practicam nimirum, & ſpeculativam; hæc conſiſtit in conformitate propoſitionis cum ſuo ſignificato: practica verò in conformitate ipſius propoſitionis cum intentione & poteſtate loquen-

Digitized by Google

loquentis: & quidem ſi duæ illæ veritates inter ſe conferantur reſpectu ejuſdem propoſitionis, practica poterit eſſe prior ſpeculativâ, nam ſi quis cum intentione & poteſtate faciendi dicat, craſtinâ die ego celebrabo, is dicit practicè verum, & tamen fieri poteſt ob aliquod obſtaculum quod non ſequatur veritas ſpeculativa. His præmiſſis.

Dico, verba formæ operari ſuum effectum quatenus ſunt practicè vera, & ut ſic ſunt vera cauſa ſui ſignificati, & conſequenter veritatis ſpeculativæ.

QUÆSTIO IV.

De converſione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

DUBIUM I.

An corpus Chriſti factâ conſecratione panis & vini ſit verè & realiter præſens ſub accidentibus pani & vini.

Primis ſex ſæculis Eccleſia agnovit Chriſtū realiter præſentē eſſe in Euchariſtia.

ANTEQUAM ſtabiliamus veram, realem præſentiam corporis & ſanguinis D. N. Jeſu Chriſti in Euchariſtia Prænotare oportet quod primis ſexcentis annis à temporibus Apoſtolorum nemo veterum hanc realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia revocaverit in dubium & eapropter nemo veterem Patrum contra hunc errorem reperitur diſputaſſe ac eapropter nemo eorum qui tunc de hæreſibus exſurgentibus ſcripſerunt (ſcripſerunt autem plures ut Irenæus Tertullianus, Epiphanius, Auguſtinus (illius mentionem fecit quidem S. Ignatius in Epiſt ad Smirnenſes ait, de quibuſdam Hæreticis ſimonianis quod Euchariſtias & oblationes non admitterent, eò quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem ſalvatoris; ſed illi non tam oppugnabant myſterium Euhariſtię quam Chriſti incarnationem: unde cum negarent Chriſtum habere veram carnem, conſequenter in Euchariſtia negabant eſſe carnem Domini.

Qui primi hæreſim Sacramentariorum invexerint.

Aliqui prætendunt illum errorem in Græcia circa ann. 754. jam viguiſſe, ex eo nempe quod Iconoclaſtæ hæretici in Conciliabulo ſuo Conſtantinopoli habito dixerunt ſe unam tantùm imaginem adorare, Euchariſtiæ ſc: Sacramentum: At verò quamvis ſæpius Euchariſtiam imaginem & typum Chriſti vocarent, agnoſcebant tamen realem Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus,

 nec

Digitized by Google

nec in eo errabant, ut agnoſcit Synodus generalis 2. Nicęna 30. annis poſt celebrata, quæ nunquam reprehendit illos tamquam qui realem præſentiam Chriſti quo ad corpus, in Euchariſtia negaſſent.

Porro primus qui in Eccleſia latina de veritate corporis & ſanguinis Domini cœpit dubitare dicitur quidam Joannes Scotus, qui vixit temporibus Caroli Calui Imperatoris: cujus errorem & librum in Conc. Vercellenſi damnatum fuiſſe aſſerit Lanfrancus. Hunc Joannem Scotum circa idem tempus, (dicitur enim ſcripſiſſe uterque ex inductione Caroli Calui) in eodem errore ſecutus eſt quidam Bertramus vel Ratramus quamvis hic ita obſcurè ſententiam ſuam in hac materia explicuerit, ut multi etiam Catholici authores eum ab errore abſolvant, multi etiam condemnent.

Contra horum errorem putant aliqui Scripſiſſe Doctiſſimum ſuum opus Paſchaſium Rutbertum Abbatem Corbeienſem; putant tamen alii eum illud antea ſcripſiſſe circa ann. 818. nec in illo fit illa Scoti aut Bertrami mentio, ſed apparet ſcriptum eſſe occaſione quorundam dubiorum quæ ex lectione S. Auguſtini exorta ſibi, quidam Frugigardus ſolvenda propoſuerat.

Tandem circa annum Domini 1035. hanc hæreſim apertè reſuſcitavit & defendit quidam Berengarius patriâ Turonenſis, dignitate Archidiaconus Andegavenſis, cujus nefandæ blaſphemiæ rumor, cum jam univerſas Gallias impleſſet, Henricus Rex Francorum Chriſtianiſſimus ad profligandam hanc hæreſim, prout notat Baronius circa hunc annum, totius regni ſui Epiſcopos ad Concilium convocare propoſuerat, inter quos Durandus diſertiſimus pariter & Sanctiſſimus Leodienſis Epiſcopus inter primos ſeſe huic hæreſi viriliter oppoſuit, & primus fuit qui in hunc virulentum Draconem, poſt ipſum fecit Adelmanus ejuſdem Eccleſiæ Leodienſis ſcholaſticus, poſtea Brixienſis Epiſcopus, ipſius Berengarii olim ſub magno Fulberto in Academia Carnotenſi condiſcipulus.

Berengarius damnatur in pluribus Conciliis.

Poſt quas multi adverſus hanc nefandam Berengarii hæreſim conſurrexerunt Doctiſſimiſque Scriptis confutaverunt, ut Lanfrancus Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus, Guitmundus Archiepiſcopus Averſanus, & Algerus ex Canonico Leodienſi Monachus Cluniacenſis. Et quidem

Digitized by Google

dem hic error Berengarii primò damnatus eſt in Conc. Turon. ſub Victore II. præſidente Hildebrando Apoſtolicæ ſedis legato, ipſo Berengario ibidem errorem ſuum deteſtante, & propriâ manu ſubſcribente, eamque deteſtationem jure jurando confirmante; qui quia paulò poſt reverſus eſt ad vomitum, opus fuit ſub Nicolao II. Victoris, ſucceſſore aliud Concilium ann. 1059. Romæ convocare, ad quod dicturus cauſam Berengarius reus eſt citatus, qui comparens, prout notat Baronius circa hunc annum, errorem ſuum iterum anathematizavit & librum Joannis Scoti cujus lectione ad hæreſim illam nefariam devenerat, igne combuſſit; fecitque tunc fidei confeſſionem quæ eſt relata in jus canonicum & habetur diſt. 2. de conſecrat. cap. *ego Berengarius.* At. perfidus hæreſiarcha, ubi poſt Concilium Romanum liberam facultatem nactus eſt ſcribendi quæ vellet, adverſus eandem ſuam fidei catholicæ confeſſionem denuo edidit invectivam qui eapropter iterum anno 1079. ut notat Baronius ſub Gregorio VII. in Synodo, Romana inveteratus dierum malorum ſenex octogenarius veniam poſtulavit, & coram univerſis ſuam hæreſim abjuravit, & jurejurando profeſſus eſt fidem catholicam de ſubſtantiali converſione panis & vini in veram & vivificam carnem & ſanguinem D. N. Jeſu Chriſti.

Berengarii in fine vitæ confeſſio fidei.

Qui tandem ann. 1088. poſtquam toties falsâ pœnitentiâ eluſiſſet Eccleſiam ipſo die Epiphaniæ mortuus eſt de quo narrat Guilielmus Malmesburienſis agens de ipſius obitu; eum, quamvis ſententiam correxiſſet, tamen, quod omnes quos depravaverat, convertere nequiviſſet; morientem, gemitu, producto, dixiſſe „ hodiè in „ diè apparitionis ſuæ apparebit „ mihi Dominus meus Jeſus „ Chriſtus propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam, „ vel propter alios, ut timeo, „ ad pœnam. „

Henriciani, & Petro-Bruſſiani hæretici.

Hunc Berengarii errorem circa annum Domini 1140. quidam Henricus à quo derivati ſunt hæretici Henriciani & Petrus Baruis rurſum reſuſcitaverunt, prout teſtatur Petrus Cluniacenſis quo eodem tempore floruit in Tractatu de ſacrificio miſſæ contra eos ſcripſit.

Albigenſes. Wicleff.

Eundem rurſus errorem circa annum Domini 1228. renovarunt hæretici Albigenſes, prout narrat S. Antoninus in ſua ſumma: prout & eundem quo-

Digitized by Google

que reſuſcitavit anno Domini 1375. quidam Joannes Wiclef. contra quem ſcripſit Thomas Waldenſis.

Carolſtadius, Zwinglius &c. Denique circa annum Domini 1517. Carolſtadius Archidiaconus Wittenbergenſis eundem rurſus docere cœpit & poſt illum Ulricus Swinglius Paſtor Tigurinus, qui dicit ſe hanc doctrinam hauſiſſe in ſomno à monitore quodam qui, an albus an ater fuerit, neſcivit. Swinglium ſecuti ſunt Oecolampadius Apoſtata ex monacho Brigittino, Petrus Martyr, Joannes Calvinus, Beza & alii ejuſdem farinæ hæretici, qui omnes volunt Chriſti corpus eſſe tantùm in Euchariſtia ſicuti in ſigno ſeu figurâ.

Contra quos omnes hæreticales errores ſtat immobilis veritas fidei catholicæ, nimirum quod in SS. Euchariſtiæ ſacramento poſt conſecrationem verè realiter & ſubſtantialiter eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus verus Deus & homo prout definit Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 1. ubi nota Concilium dicere eſſe ibi *verè* quia non ſolum eſt ibi in figura vel ſigno. 2. *realiter*, quia non ſolum eſt ibi per apprehenſionem fidei. 3. *ſubſtantialiter*, quia non ſolum eſt ibi per virtutem, ſed quod ſecundum ſe conjungatur ſpeciebus ſacramentalibus.

Porro ut hæc veritas catholica contra omnes hæreticos clarè pateſcat, eam primò probabimus ex ipſa ejus inſtitutione 2. ex Conciliis 3. ex SS. Patribus.

PROBATIO

Præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia ex ipſa ejus inſtitutione.

Probatur realis præſentia Chriſti in Euchariſtia ex verbis quibus Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit.

INſtitutio SS Euchariſtiæ Sacramenti habetur apud Matthæum Evangeliſtam cap. 2. his verbis *Cœnantibus autem eis accepit Jeſus panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait; accipite & comedite; hoc eſt corpus meum; & accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

Eadem inſtitutio habetur apud Marcum Evangeliſtam cap. 14. his verbis *Accepit Jeſus panem & benedicens fregit, & dedit eis, & ait ſumite hoc eſt corpus meum.* Et *accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes & ait illis hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti qui pro multis effundetur.*

Apud Evangeliſtam Lucam habetur hæc inſtitutio cap. 22. his verbis *Accepto pane gratias egit*

&

Digitized by Google

& fregit & dedit eis dicens, hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur hoc facite in meam commemorationem: ſimiliter & calicem poſtquam cœnavit dicens: hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine qui pro vobis fundetur.

Denique dicta inſtitutio habetur apud Paulum Apoſtolum 1. ad Cor. cap. 11. his verbis *Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur accepit panem & gratias agens fregit ac dixit accipite & manducate hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem, Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens, hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem.*

Verba illa in ſenſu obvio & proprio eſſe ſumenda negant hæretici.

Tota modo difficultas eſt cum modernis hæreticis quo modo hæc verba inſtitutionis accipienda ſint an propriè an metaphoricè. Hæretici ne cogantur admittere Chriſti corpus verè, realiter, & ſubſtantialiter eſſe præſens ſub ſpeciebus panis & vini, interpretantur hæc verba figurate & metaphoricè eſſe accipienda, quæ quidem adeo contorquent ut in libello deſuper edito 1577. pluſquam ducentæ expoſitiones hæreticorum in hæc verba à Catholicis ſint annotatæ. Magis tamen famoſæ ſunt hæ tres, prima Zwinglii qui hæc verba, hoc eſt corpus meum, ſic explicat, hic panis ſignificat corpus meum. Secunda eſt ô ecolampadii qui hæc verba ita exponit, hoc eſt figura corporis mei Tertia eſt Joannis Calvini, qui hæc verba ſic exponit, hic panis eſt figura corporis mei. Quæ quidem tres expoſitiones reipſa à ſe invicem non differunt, ſed tantùm quoad modum loquendi, quippe cum prima ponat tropum in copula, quem duæ aliæ ponunt in prædicato. Omitto ſtolidas aliorum hæreticorum explicationes qui pronomen *hoc* explicandum cenſent adverbialiter, ita ut ſecundum ipſos hic ſit ſenſus formæ, hic ſeu hoc loco, eſt corpus meum, vel quod Chriſtus per pronomen *hoc* deſignaverit corpus ſuum in propria ſubſtantia paſſibile.

Et qualiter ipſi ea interpratantur.

Verba Chriſti in ſenſu obvio & proprio ſignificãt Euchariſtiam eſſe verum & reale corpus Chriſti.

Sed obſecro æquum lectorem quis, niſi perfrictæ frontis & plane pertinax non facile perſpiciet verba ab Euangeliſtis ſupra relata, eſſe ſumenda propriè & non metaphoricè: etenim ipſæ circumſtantiæ in quibus Chriſtus hæc verba eſt locutus hoc manifeſtè indicant, nam cum Chriſtus eſſet ex hoc mundo tranſiturus voluit externam aliquam cæremoniam ſeu ſacramentum

mentum inſtituere cujus uſus perpetuus eſſet futurus in eccleſia Dei : proinde decuit, ut ille cui non deerat faciendi potentia hoc faceret verbis clariſſimis, quibus nullus relinqueretur dubitandi locus. Præterea cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos, in ſignum verò illius dilectionis præmiſsâ lotione pedum, acceptum panem benedixit, ac illis quos ita diligebat, dixit hoc eſt corpus meum, porro hoc dixit ille qui etiam de lapidibus poteſt ſuſcitare filios Abrahæ, quique aquam convertit in vinum in Cana galileæ quale vero ſignum dilectionis illud fuiſſet ſi tantùm verbis illis ſignificaſſet ſe dare figuram corporis ſui. Præterea dixit hæc verba ſolis Apoſtolis ad quos ſolitus erat loqui apertè & ſine parabolis aut ſi quid obſcurius dictum explicare, eo quod illis datum eſſet noſſe myſteria regni Dei.

Præterea, ut patet ex textu, Chriſtus non dixit ſimpliciter *hoc eſt corpus meum*; *hic eſt ſanguis meus*, ſed inſuper addidit *quod pro vobis datur*, *qui pro vobis effundetur*; ſed figura corporis ejus non fuit pro nobis data nec vinum figura corporis ejus pro nobis effuſum eſt; ergo.

Denique tres Evangeliſtæ & ſimul S. Paulus qui hujus ſacramenti inſtitutionem expoſuerunt, omnes prorſus iiſdem verbis utuntur, *hoc eſt corpus meum*, nec quidquam in illis mutarunt, cum tamen in enarrandis aliis rebus plerumque ſoleant verbis diſcrepare, dum alii obſcuriùs, alii clariùs idem explicant: quod manifeſtum ſignum eſt non eſſe alium illorum verborum ſenſum quam eum quem verba præ ſe ferunt.

Præterea in ipſis hiſce verbis, *hoc eſt corpus meum* concordat verſio Græca, Syriaca, Perſica Latina vulgata, Arabica, & Æthiopica, prout videre eſt in bibliis Polyglottis ad cap. 26. Matthæi, Marci 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Eapropter peto ab hæreticis, ſi Chriſtus Dominus voluiſſet dicere id quod tradebat eſſe corpus ſuum, quibuſnam verbis illud potuiſſet clarius, ſimplicius & evidentius exprimere quam expreſſit. Profecto nec myſterium SS. Trinitatis, neque Dominicæ incarnationis uſquam in ſacris bibliis tam manifeſtè apparent expreſſa, quam myſterium SS. Euchariſtiæ: unde, ut ſupra diximus, uſque ad annum Domini 1035. nempe uſque ad Berengarium nemo tropicè hæc verba intellexit.

Dices, verbum, *eſt*, in multis Scri-

Scripturæ S. locis accipitur pro *ſignificat*: prout patet in hiſce, *Agnus eſt phaſe*, id eſt *tranſitus Domini* Exodi 12. *petra erat Chriſtus* 1. Cor. 10. *ego ſum vitis, vos palmites* Joan. 15. *ſeptem boves ſunt ſeptem anni.* Gen. 41. *ſemen eſt verbum Dei.* Luc. 13. &c. ergo & verbum *eſt* in hac propoſitione *hoc eſt corpus meum*, idem eſt quod, *hoc ſignificat corpus meum.*

Verbum eſt *nullibi in ſcripturis accipitur pro* ſignificat.

Reſp. & dico 1. in his & ſimilibus locutionibus verbum *eſt* numquam ſumi metaphoricè ſed propriè prout ſolet ſumi in aliis propoſitionibus, nam tunc verbum *eſt* ſumitur propriè quando ſignificat copulam ſeu unionem ſubjecti & prædicati inter ſe, prout ſignificat in omnibus illis propoſitionibus: eapropter metaphora ſemper eſt in prædicato, prout patet ex reſolutione cujuſque talis propoſitionis: unde v. g hæc *Chriſtus eſt petra* reſolvitur in hanc, *Chriſtus eſt ſignificans petram, leonem, agnum* &c.

Dices, in omnibus antedictis propoſitionibus invenitur tropus in prædicato; ergo & reperitur in hac, *hoc eſt corpus meum*, quaſi diceret *hoc eſt ſignificans corpus meum.*

Scripturæ verba ſunt ſumenda in proprio ſenſu quando nulla ſequitur inde abſurditas.

Reſp. neg. conſequentiam, nam hæc eſt regula generalis interpretandi S. Scripturam quod illa ſemper debeat intelligi in proprio verborum ſenſu niſi ex hoc ſequatur aliquid abſurdi; quod ex hac ultima propoſitione non ſequitur, ſicuti ſequitur ex antedictis.

Dices in hac forma calicis, *hic calix novum teſtamentum in meo ſanguine*, eſt duplex tropus; unus nimirum in verbo *calix*, alter in verbo *teſtamentum*; nam *calix* ſumitur pro contento, & *teſtamentum* ſumitur pro inſtrumento quo continetur voluntas teſtatoris.

Reſp. tametſi aliqui Catholici concedant duplicem ibi tropum, nam Dominus noluit dicere quod ipſe calix tamquam continens eſſet novum teſtamentum, ſed res in calice contenta, qui tropus tam clarus eſt & tam obvius in communi modo loquendi hominum, quam propria locutio: attamen non eſt opus illum concedere; nam eſto Lucas & Paulus ſic habeant, hic *calix novum teſtamentum in meo ſanguine*, Matthæus tamen & Marcus ſic habent, *hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*, quibus verbis ſufficienter explicatur quid nomine *calicis* alii ſignificent: nam verba illa *hic calix in meo ſanguine* perinde valent ac *hic calix ſanguinis mei* in quibus verbis non apparet plus tropi quam dum dico hoc eſt vas vini. Deinde

Ee nec

nec in verbo *teſtamentum*, eſt ulla figura aut tropus, nam teſtamentum propriè dictum ſemel ſumitur pro voluntate ultima, ſeu diſpoſitione teſtatoris; dein quoque ſumitur propriè pro authentico inſtrumento quo continetur voluntas legiſlatoris, quo ſecundo modo teſtamentum Dei dicuntur non ſola biblia, quibus continetur voluntas Chriſti teſtatoris, ſed etiam ipſa ſacramenta quibus jus ad hæreditatem nobis promiſſam applicatur: porro inter omnia Sacramenta Euchariſtia peculiariter appellatur teſtamentum quia eſt inſtrumentum quo jus ad hæreditatem nobis applicatur.

Secundo probatur concluſio ex rationibus deductis ex ipſis verbis inſtitutionis, quia quando Chriſtus dixit *hoc eſt corpus meum*, vel fuit mentitus, quod eſt horrenda blaſphemia, vel fuit impotens ponere corpus ſuum ſub ſpeciebus panis quod repugnat divinæ ejus omnipotentiæ; adeoque neutrum illorum dici poteſt; ergo ſequitur verba illa eſſe vera; & conſequenter ſub ſpeciebus vini latêre corpus & ſanguinem Chriſti.

3. Probatur concluſio ex 1. ad Cor. cap. 11. ubi Apoſtolus ait *quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, ſed fieri non poteſt quod quis ſit reus corporis & ſanguinis Domini niſi verè & realiter corpus ejus & ſanguinem ſumat; ergo: quod ſi calviniſtæ negent ſubſumptum, & dicant illum quoque eſſe reum qui tractat indignè panem quatenus eſt figura corporis Chriſti, illis reponendum quod agnus paſchalis, item manna in veteri teſtamento fuerint figuræ Euchariſtiæ de quorum tamen indigna ſumptione non habemus quod quis fuerit reus corporis & ſanguinis Domini.

Probatur 4. quia Joann. 6. poſtquam Jeſus dixiſſet *panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita* Judæi ſcandaliſati ſunt murmurantes & dicentes, *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* quod murmur Chriſtus uno verbo potuiſſet tollere, dicendo ſe verba illa non intelligere de propria carne, ſed de ſpirituali tantùm per fidem apprehenſa, quod tamen non fecit, ſed verba ante dicta magis confirmando addidit *niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis*.

PRO-

Digitized by Google

PROBATIO

Præſentiæ corporis Chriſti in Euchariſtia Ex Conciliis.

Probatur realis præſentia Chriſti in Euchariſtia ex Conciliis.

1. Ex Concil. 1. Nicano.

QUod Chriſtus ſit verè realiter & ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia probatur; ex concilio primo generali Nicæno celebrato anno 325. à 325. Epiſcopis ubi expreſſè inhibetur Diaconis præſentibus presbyteris Chriſti corpus fidelibus porrigere; eò quod offerendi ſacrificii non habeant poteſtatem.

2. Ex Epheſino.

2. Probatur ex Concilio generali Epheſino celebrato anno 468 ubi dicitur „ ſanctificamur „ participes ſancti corporis & „ pretioſi ſanguinis Chriſti om„ nium noſtrum redemptoris „ effecti. „

3. Ex Conſtantinopolitano.

Probatur 3. ex Concilio generali Conſtantinopolitano celebrato anno 684. in quo dicitur „ presbyter qui per igno„ rantiam illicitis nuptiis eſt im„ plicatus .... nec publicè nec „ privatim benedicatur, nec „ Chriſti corpus aliis diſtri„ buat. „

4. Ex Nicano II.

Probatur 4. ex Synodo generali Nicænâ II. celebrata anno 787. ſub Adriano II. Pontifice in qua Actione II. ſic habetur „ nemo umquam SS. A" poſtolorum qui tubæ ſunt Spi" ritus S. aut glorioſorum Pa" trum noſtrorum incruentum " noſtrum ſacrificium in me" moriam paſſionis Chriſti Do" mini Dei noſtri & totius di" ſpenſationis ſuæ factum, ima" ginem corporis ejus dixerit: " nam is qui accepit à Domino, " hic non errat aut confitetur, " ſed audiunt eum ſic dicentem " Evangelicè *niſi comederitis carnem " filii hominis & biberitis ejus ſangui" nem non intrabitis in regnum cœlo" rum & qui manducat hunc panem " & corpus meum* &c. „ quæ Synodus fuit 350. Epiſcoporum.

5. Ex Vercellenſi.

Probatur 5. Ex Synodo Vercellenſi celebrata ſub Leone anno 1040. in qua damnata eſt Berengarii hæreſis cum ſcriptis Joannis Scoti.

6. Ex Turonenſi.

Probatur 6. ex Synodo Turonenſi ſub Victore II. Papa, præſidente ejus legato Hillebrando anno 1058. in qua hæreſis Berengarii rurſum eſt damnata.

7. Ex Romano ſub Nicol. 2.

Probatur 7. ex Concilio Romano celebrato ſub Nicolao II. anno 1059. in qua Berengarius in præſentia 113. Epiſcoporum hæreſim ſuam abjuravit & profeſſionem fidei edidit quæ habetur de Conſecrat. diſt. 2. can. " ego Berengarius corde credo " & ore confiteor panem & vi" num quæ ponuntur in altari

per myſterium ſacræ actionis & "verba noſtri redemptoris ſub-"ſtantialiter converti in veram "propriam & vivificativam car-"nem & ſanguinem Domini "noſtri Jeſu Chriſti.„

8. Ex alio Romano ſub Greg. 7. Probatur 8. ex Synodo Romana coacta ſub Gregorio VII. anno 1079. cui Berengarius, poſtquam reverſus fuerat ad vomitum juſſus intereſſe convictus eſt & hæreſim ſuam denuo abjuravit.

9. Ex Lateranenſi ſub Innoc. 3. Probatur 9. ex magno Lateranenſi Concilio celebrato anno 1215. ſub Innoc. III. cui interfuerunt 400. Epiſcopi & 800. alii Patres quod cap. 1. ſic habet "una verò eſt fidelium univer-"ſalis Eccleſia extra quam nul-"lus omnino ſalvatur in qua "idem ipſe Sacerdos & Sacrifi-"cium Jeſus Chriſtus cujus cor-"pus & ſanguis in Sacramento "altaris ſub ſpeciebus panis & "vini veraciter continetur, "tranſubſtantiatis pane in cor-"pus, & vino in ſanguinem.„

Ex Viennenſi. Probatur 10. ex Concilio generali Viennenſi celebrato ſub Clemente V. anno 1308. in quo exſtat decretum de annuà feſtivitate corporis Chriſti celebranda, quod relatum eſt in corpus juris.

Ex Conſtātienſi. Probatur 11. ex Concilio generali Conſtantienſi celebrato anno 1418. in quo ſeſſ. 13. ſic dicitur „firmiſſimè creden-"dum & nullatenus dubitan-"dum integrum Chriſti corpus "& ſanguinem tam ſub ſpecie "panis quam ſub ſpecie vini ve-"raciter contineri.„

Ex Baſileenſi. Probatur 12. ex Concilio baſileenſi celebrato 1437. in quo ſeſſ. 30. ſic dicitur „nec "ullatenus ambigendum quod "non ſub ſpecie panis caro tan-"tùm, nec ſub ſpecie vini ſan-"guis tantùm, ſed ſub qualibet "ſpecie integrè eſt totus Chri-"ſtus.„

Ex Florentino. Probatur 13. ex Concilio florentino celebrato anno 1439. in quo ſeſſ. 25. ſic habetur „hoc ſacro univerſali approban-"te concilio definimus, ut hæc "fidei veritas ab omnibus Chri-"ſtianis credatur & ſuſcipiatur "in azymo ſive in fermentato "pane triticeo, corpus Chriſti "veraciter confici, ſacerdotes-"que in altaribus ipſum Chri-"ſti corpus conficere debere; "unumquemque ſcilicet juxta "Eccleſiæ ſuæ ſive Occidenta-"lis ſive orientalis conſuetudi-"nem.„

Ex Tridentino. Probatur ultimo ex Conc. Trid. inchoato 1545. in quo ſeſſ. 13. can. 1. ſic dicitur „ſi "quis negaverit in SS. Euchari-"ſtiæ ſacramento contineri verè

"realiter

„ realiter & ſubſtantialiter cor„ pus & ſanguinem unà cum „ anima & divinitate Domini „ noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde „ totum Chriſtum, ſed dixerit „ tantùmmodo eum eſſe in eo „ ut in ſigno vel figura, aut vir„ tute anathema ſit.„

PROBATIO

Corporis Chriſti in Euchariſtia. Ex SS. Patribus præſertim quinque primorum ſæculorum.

Probatur realis præſentia Chriſti in Euchariſtia ex SS. Patribus primorũ quinque ſæculorum.

QUi copioſam probationem præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ex Patribus deſiderat legat Joannem Garetiumquondam canonicum regularem in S. Martini Lovanii qui ab ipſis Apoſtolorum temporibus per ſedecim annorum centurias teſtimonia SS. Patrum adducit in confirmationem præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia quia tamen Calvinus impudenter jactat omnes vetuſtos ſcriptores qui totis quinque ſæculis poſt Apoſtolos vixerunt, uno ore ſibi patrocinari ut ipſum aperti mendacii reum convincamus, teſtimonia vetuſtiſſimorum Patrum, qui primis quinque ſęculis vixerunt ordine ſuo adducemus: & imprimis celebris eſt illa D. Andreæ Apoſtoli confeſſio facta coram Ægea proconſule Achaiæ cum ab eo ad immolandum idolis ſollicitaretur.„ Ego inquit omni„ potenti Deo qui unus & verus „ eſt, immolo quotidie non „ taurorum carnes, neque hir„ corum ſanguinem, ſed imma„ culatum agnum in altari, cu„ jus carnem poſteaquam omnis „ populus credentium mandu„ caverit, agnus qui ſacrificatus „ eſt, integer perſeverat & vi„ vit.„

Ex confeſſione S. Andreæ Apoſtoli.

Proximus ab Apoſtolis ſequitur Dionyſius Areopagita lib. de Eccleſ. hierar. cap. 3. in quo ſic ait,„ miniſtrorum præcipui „ una cum ſacerdotibus ſanctum „ panem & benedictionis cali„ cem ſacroſanctis altaribus im„ ponunt, cum ante præceſſerit „ ab omni clero univerſalis laus „ atque profeſſio. Adhæc vene„ randus Antiſtes orationem ſa„ cratiſſimam peragens pacem „ Sanctam omnibus nuntiat ..... „ ubi vero manus tum Antiſtes „ tum ſacerdotes aquâ laverint, „ Antiſtes ad medium divini aſ„ ſiſtit altaris, dein muneribus „ debitâ laude honoratis Sacro„ ſancta & Auguſtiſſima Myſte„ ria rite conficit, & quæ ante „ laudaverat venerandis adoperta „ ſignis in conſpectum agit. Poſt-

Ex Dionyſio Areopagita.

" quam autem adſtantibus ea reverenter oſtendit, ad ſacram " communionem & ipſe convertitur, & reliquos, ut communicent, hortatur; ſumptâ demum atque traditâ omnibus " communione divina, gratias " referens finem myſteriis imponit. „

Ex Juſtino martyre. Dionyſium ſequitur Juſtinus Martyr qui vixit anno à Chriſto nato 150. is in Apologia 2. pro Chriſtianis habita ad Antonium pium Imperatorem circa finem ſic ait, „ cibus is apud nos Euchariſtia vocatur, qua nemini alii " participare licet niſi ei qui & " vera eſſe credit quæ nos dicimus, & expiatus eſt lavacro " quod in remiſſionem peccatorum, regenerationemque datur; " & ita vivit ut Chriſtus tradidit: " neque enim hæc communem " uſitatumque panem uſitatamque potionem capimus; ſed " quemadmodum per Dei verbum homo factus Jeſus Chriſtus conſervator noſter & carnem & ſanguinem pro ſalute " noſtra habuit, ſic etiam cibum " qui per preces ſermonis, quem " ab eo accepimus, conſecratus " eſt, & quo ſanguis carneſque " noſtræ communione aluntur, " Jeſu Chriſti ejus qui homo factus eſt, & carnem & ſanguinem eſſe accepimus: Apoſtoli enim in commentariis ſuis " quæ Euangelia dicuntur ita ſibi Chriſtum præcepiſſe tradiderunt, eum accepto pane, " cum gratias egiſſet, dixiſſe, " *hoc facite in memoriam mei, hoc eſt corpus meum*, dixiſſe etiam accepto poculo cum egiſſet gratias, " *hic eſt ſanguis meus.* „

Ex Irenæo. Subſequitur S. Irenæus Archiepiſcopus Lugdunenſis & martyr qui vixit à Chriſto nato 180. is lib. 4. cap. 34. adverſus hæreſes ſic ait „ quomodo autem conſtabit eis eum panem " in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini ſui; & calicem, ſanguinis ejus, ſi non " ipſum fabricatoris mundi filium dicant: quaſi diceret vos " hæretici aſſeritis panem illum " in quo gratiæ actæ ſunt corpus eſſe Domini & calicem illum eſſe calicem ſanguinis " ejus, & quomodo illud conſtabit ſi negaveritis Dominum " veſtrum eſſe filium conditoris " omnium creaturarum? & paulò " poſt, quomodo autem dicunt " carnem in corruptionem devenire & non percipere vitam, " quæ à corpore Domini & ſanguine alitur? vide eundem aliquantum poſt initium lib. 5.

Ex Tertulliano. Prodeat quinto loco Tertullianus qui vixit à Chriſto nato 203. is libro de reſurrectione carnis

carnis ſic ait ,, caro , Chriſti cor-
" pore & ſanguine veſcitur ut
" & anima de Deo ſaginetur. ,,

Ex Origene.

Tertulliano ſuccedit Origenes Adamantinus qui vixit 220. is homilia 5. in diverſa loca Evangelii ſic ait ,, quando manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tuum tectum ingreditur, & tu ergo humilians temet ipſum , imitare hunc centurionem & dicito Domine non ſum dignus &c. ,,

Ex Cypriano.

Origeni ſuccedit S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis qui vixit anno 250. is ſermone de cœna Domini ſic ait ,, panis ille quem Dominus diſcipulis ſuis porrigebat non effigie ſed natura mutatus , factus eſt caro omnipotentis verbi. ,,

Ex Hilario.

Cypriano ſuccedit S. Hilarius Epiſcopus Pictavienſis qui vixit anno 360. is libro 1. de Trin. ſic ait ,, de veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus tunc enim & ipſius Dei profeſſione & fide noſtra , verè caro eſt & verè ſanguis eſt .... anne hoc veritas non eſt contingat plane illis verum non eſſe qui Jeſum Chriſtum verum eſſe Deum negant. ,,

Ex Optato Milevitano.

Sequatur Optatus Milevitanus Epiſcopus Afer qui vixit 365. is libro 6. de Schiſm. Donatiſt. circa principium ſic ait " quid enim eſt altare niſi ſedes & corporis & ſanguinis Chriſti hæc omnia furor veſter aut raſit , aut fregit aut removit ...... quid vos offenderat Chriſtus, cujus illic per certa momenta corpus & ſanguis habitabat .... hoc modo judæos eſtis imitati ; illi injecerunt manus Chriſto in cruce , à vobis percuſſus eſt in altari .... hoc tam immane facinus geminatum eſt dum fregiſtis etiam calices Chriſti ſanguinis portitores. ,,

Ex Cyrillo Hieroſol.

Optatum ſequatur S. Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus qui vixit anno Chriſti 381. is Catecheſi 4. myſtagogica ſic ait ,, cum igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet atque dicat de pane , *hoc eſt corpus meum* quis deinceps audeat dubitare ? ac eodem quoque confirmante ac dicente *hic eſt ſanguis meus* , quis inquam dubitet & dicat non eſſe illius ſanguinem ? Aquam aliquando mutavit in vinum , quod eſt ſanguini propinquum , in Cana galileæ ſolâ voluntate , & non erit dignus cui credamus quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet ? ..... quare omni cum certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſuma-

Digitized by Google

" ſumamus, nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus & ſub ſpecie vini datur ſanguis.,,

Ex Baſilio. Prodeat S. Baſilius Epiſcopus Cæſarienſis qui vixit anno Domini 370. qui homilia 1 de baptiſmo cap. 3. ſic ait ,, graviſſimum ſupplicium in lege Deus adverſus eos decrevit qui cum ſint immundi ſancta contingere non verentur ...... quod ſi in immunditia tantùm conſtitutus tam terribile judicium habet, quantò magis, qui cum in peccato ſit, corpus Domini contingere audet: ,, Vide alia huc pertinentia quæ dicto loco habet.

Ex Gregorio Niſſeno. Succedat S. Gregorius Niſſenus qui vixit anno 347. is in Oratione 1. de reſurrectione Domini ſic ait ,, ſeſe oblationem & victimam offert pro nobis Sacerdos ſimul & agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quando hoc accidit? cum ſuum corpus ad comedendum & ſanguinem ſuum familiaribus ad bibendum præbuit. ,,

Ex Gregorio Nazian. Simili modo loquitur S. Gregorius Nazianzenus qui vixit anno 378. is Oratione 11 in S. Paſcha ſic ait ,, nec ibi animo titubes dum ſanguinem Dei & paſſionem ac mortem audis ...... quin potiùs ſine pudore ac dubitatione corpus ede, ſanguinem bibe, ſi modò vitæ deſiderio teneris.

Ex Ambroſio. Non diſſimili modo loquitur S. Ambroſius Archiepiſcopus Mediolanenſis qui vixit circa annum Domini 380. is lib. 4. de Sacram. cap. 4. & 5. ſic habet ,, panis iſte ante verba Sacramentorum panis eſt, ubi acceſſerit, conſecratio de pane fit caro Chriſti. ,, Vide plura huc pertinentia eodem loco.

Ex Hieronymo. Similia habet S. Hieronymus qui vixit anno 410. is ad Damaſum de filio prodigo ſic habet " vitulus ſaginatus, qui ad pœnitentiæ immolatur ſalutem, ipſe Salvator eſt, cujus quotidie carne veſcimur, cruore potamur. Et in Epiſtola ad Seduliam ſic ait ,, nos credamus panem quem fregit Dominus diſcipulis ſuis, eſſe corpus Domini Salvatoris. ,,

Ex Chriſoſtomo. Non abſimilia habet S. Joannes Chriſoſtomus qui vixit circa annum Domini 414. is hom. 83. in Matth. ſic ait ,, Quoniam ergo dixit, hoc eſt corpus meum nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus & oculis intellectus illud inſpiciamus: & quod modo dicunt, vellem formam & ſpeciem ejus, vel veſtimenta ipſa calceamenta videre, ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis.

Sub-

gitized by Googl

Ex Auguſtino. Subſequitur S. Auguſt. qui vixit anno 425. is Epiſt. 11. ad Januarium ſic habet „ liquidò „ apparet quando primùm acce- „ perunt diſcipuli corpus & ſan „ guinem Domini, non eos ac- „ cepiſſe jejunos, numquid ta- „ men propterea calumniandum „ eſt univerſali Eccleſiæ, quod „ à jejunis ſumatur? & hoc enim „ placuit Spiritui S. ut in hono- „ rem tanti ſacramenti in nos „ Chriſtianos prius dominicum „ corpus intraret quam cæteri „ cibi. „

Ex Caſſiano. Subſequitur Joannes Caſſianus qui vixit anno 434. is collat 22. cap. 4. movet hanc quæſtionem: an ad ſacroſanctam communionem accedere licet nocturnâ illuſione polluto, & reſpondit „ ſi hoſtis ille nequiſ- „ ſimus ut nobis cœleſtis reme- „ dii ſubtrahat medicinam, cu- „ ſtodiam ſopitæ mentis illuſe- „ rit, ita dumtaxat nullo ſenſi- „ bili interveniente pruritu ..... „ poſſumus & debemus ad gra- „ tiam ſalutaris cibi confidenter „ accedere, ſi verò noſtro vitio „ hæc fuerit egeſta concretio, „ convenientes conſcientiam no- „ ſtram illud Apoſtolicum for- „ midemus, qui manducaverit „ panem vel biberit calicem Do- „ mini indignè reus erit corpo- „ ris & ſanguinis Domini.

Ex Paulino Nolano. Subſequitur S. Paulinus Epiſcopus Nolanus qui vixit anno 425. is in Epiſtola ad Alithium fatetur ſe S. Ambroſii dilectione ad fidem nutritum eſſe & in ſacerdotii ordine conſoveri, qui ſuum'è clero vendicare voluit, inquit, ut etſi diverſis locis degam, ipſius presbyter cenſeat.

Ex Cyrillo Alexandrino. Pulcherrima de hoc ſacramento habet S. Cyrillus Alexandrinus qui vixit anno 436. is libro 8. in Leviticum ſic ait „ Tu qui ad Chriſtum Pontifi- " cem verum, qui ſanguine ſuo " Deum tibi propitium fecit, " & reconciliavit te patri, non " hæreas in ſanguine carnis, ſed " reſpice potiùs in ſanguinem " verbi, & audi ipſum tibi di- " centem, quia *hic eſt ſanguis meus* " *qui pro vobis effundetur in remiſſio-* " *nem peccatorum*: novit qui my- " ſteriis imbutus eſt, carnem & " ſanguinem verbi Dei; non " ergo immoremur in his, quæ, " & ſcientibus nota, & ignoran- " tibus latere poſſunt. „

Ex Euthymio. Similia habet Euthymius qui vixit ſecundum aliquos anno 448. is cap. 64. in Matth. ſic ait „ ſicuti vetus teſtamentum „ hoſtias & ſanguinem habet, „ ita ſane & novum, corpus vi- „ delicet & ſanguinem Domini: „ non dixit autem hæc ſunt ſi-

„ gna corporis & ſanguinis mei, „ ſed hæc ſunt corpus meum & „ ſanguis meus. „

Ex Theodoreto. Nec diſſimilia habet S. Theodoretus Epiſcopus Cyri qui vixit anno 450. is in cap. 5. Epiſt ad Corrinth. ſic ait „ eundem cibum ſpiritualem, nempe manna comederunt ſicut nos corpus Chriſti, potum ſpiritualem, „ hoc eſt aquam è rupe ſeu petrâ ſcaturientem, quemadmodum nos ſanguinem Chriſti quamvis enim ſenſibilia quoque erant quæ illis præbebantur, tamen ſpiritualiter tradebantur.

Ex Leone I. Teſtimonium ſuum proferat S. Leo Papa qui vixit anno 452. is ſerm. 6. de jejunio ſeptimi menſis ſic ait „ ſic Sacræ menſæ „ communicare debetis, ut nihil „ prorſus de veritate corporis & „ ſanguinis Chriſti ambigatis. „

Ex Proſpero. Eodem modo loquitur S. Proſper. Epiſcopus Regienſis, qui vixit anno 456. is libro ſententiarum ſuarum ſic ait „ caro „ ejus quam formâ panis opertam in ſacramento accipimus, „ & ſanguis ejus, quem ſub „ vini ſpecie & ſapore potamus. „

Ex Victore Uticenſi. Prodeat S. victor Epiſcopus Uticenſis qui vixit anno 460. is lib. 1. perſecutionum cap. 1. ſic ait „ Arriani tempore quo „ ſacramenta Dei porrigebantur, introëuntes maximo cum „ furore, corpus Chriſti & ſanguinem in pavimento ſparſerunt & illud pollutis pedibus „ calcarunt. „

Ex Fulgentio. Agmen claudat S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis qui vixit anno 499. is libro 2. quæſtionum ad Monimum cap. 2. ait „ dicis „ à nonnullis te interrogatum „ de ſacrificio corporis & ſanguinis. Et iterum cap. 11. hæc „ inquam ædificatio ſpiritualis „ numquam opportuniùs petitur quam ab ipſo Chriſti corpore, quod in Eccleſia, in ſacramento panis & calicis, ipſum „ Chriſti corpus & ſanguis offertur. „

Ex his nunc judicet æquus lector nullo præoccupatus ſiniſtro affectu, an hæc non ſufficiant ad refellendum atrox Calvini mendacium, quo pertinaciter aſſerit omnes Patres primorum quinque ſæculorum ſtare pro ſe: quamquam (verbis S. Fulgentii utar) novum non ſit ut hæretici, privati lumine veritatis, illis ſe propoſitionibus veritatem ſuperaturos arbitrentur, quibus facillimè ſuperantur; gloria namque in confuſione ipſorum eſt, qui terrena ſapiunt, quippe contra aperta Scripturæ S. teſtimonia, totius antiquitatis ſenſum, & generalium

lium Conciliorum definitiones hallucinari plenis buccis non verentur, & affirmare Chriſti corpus non eſſe propriè, ſed ſolum figurativè in Euchariſtia, velut in ſigno aut in imagine; ad quod, ſecundùm externam apparentiam, indocto & rudi populo oſtendendum adferunt ex SS. Patribus qui ante exortas hæreſes de hoc myſterio parciùs loquebantur, quia ſollicite cavebant ne myſteria noſtræ religionis infidelibus paterent, obſcuriora quædam loca: cum tamen iidem Patres paſſim habeant loca clariſſima quibus veritatem præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia explicant; docet autem recta ratio loca obſcuriora explicari debere per clariora, & non è contra: porro loca quæ objiciunt hæretici partim ex Scriptura S. partim ex SS. Patribus hæc ſunt primaria.

OBJECTIONES

Hæreticorum ex Scriptura Sacra.

Objectiones Hæreticorum contra realem præſentiã ex Scriptura.

JOannis 6. Chriſtus ait *hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem miſit ille* & ſubjungit *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam verba quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt*: ergo Chriſtus toto illo capite agit de manducatione ſpirituali per fidem.

Reſp. negando conſequentiam: & dico Chriſtum ita loqui ut tollat falſam imaginationem Judæorum, qui putabant carnem Chriſti in propria ſua ſpecie eſſe manducandam, eo modo quo comeduntur carnes bovinæ ex macello: Porro pro explicatione ejus quod dicit Chriſtus *caro non prodeſt quidquam.*

Quo ſenſu caro dicatur nihil prodeſſe.

Notandum carnem Chriſti dupliciter poſſe ſpectari 1. quatenus eſt ſeparata à Verbo, & hoc modo verum eſt quod nihil proſit ad vitam æternam. 2. ut eſt Verbo conjuncta; quo modo multùm prodeſt ad vitam æternam; ſiquidem ſicut illa hoc modo ſuſcitavit Lazarum, contactu ſuo ſanavit ſocrum Petri, aliaque miracula fecit; ita quoque illa hoc modo animabus noſtris dat vitam ſpiritualem.

Præterea notandum pro majori elucidatione capitis 6. Joannis, ibidem agi de triplici cibo, 1. de materiali. 2. ſpirituali. 3. de ſacramentali: & quidem in initio capitis agitur de panibus à Chriſto multiplicatis, cumque ob hoc miraculum frequens turba Chriſtum ſequeretur, inde ſumpta occaſione agit de cibo ſpirituali, adhortans turbam ut potiùs quærat cibum ſpiritualem

 quam

quam corporalem, dicens, *operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis*: ſcilicet proprium corpus, quod in fine capitis promittit turbæ ſe daturum in Venerabili Sacramento, dicens *panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*. Eapropter in fine capitis agit de reali manducatione corporis ſui: quod inde patet. 1. quia Chriſtus loquitur de futuro, quod non faceret ſi per panem intelligeret ſemetipſum per fidem apprehenſum, eò quod talis manducatio per fidem non eſſet tantum futura, ſed diu jam præceſſiſſet, quippe cum Patres veteris teſtamenti Chriſtum per fidem ſic ſemper ſumpſiſſent. 2. Chriſtus hoc loco Joannis 6. promittit aliquid novi quod Patres antiqui non manducaverunt, dicens, *non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt*: præterea hoc ipſum confirmatur ex murmure Judæorum litigantium & dicentium, *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*: ex quo perſpicuum eſt eos hoc intellexiſſe de propria Chriſti carne manducanda; quod eapropter tamen Chriſtus non correxit, ſed inſuper addidit *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis*. Præterea dicto capite Chriſtus ait, *caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus*, quæ certè non addidiſſet, ſi omnia voluiſſet intelligere de manducatione per fidem.

Locum Ioan. 6. intelligi de ſacramentali manducatione, & non ſolum de ſpirituali per fidem.

Idem manifeſtè colligitur ex S. Auguſtino lib. de conſenſu Euangeliſtarum, ubi ait Ioannem in loco proprio de Euchariſtia non feciſſe mentionem ſicut alii Euangeliſtæ fecerunt, eò quod de ea ante cap. 6. ſui Euangelii ſcripſiſſet, in quo, niſi agatur de vero Chriſti corpore in Euchariſtia, ſequitur in Euangelio Ioannis nullum extare divinum præceptum de illa percipiendâ, neque Ioannem in toto ſuo Euangelio meminiſſe Euchariſtiæ.

Eſto autem aliqui SS. Patres dictum caput 6. Ioann. explicent de myſtica manducatione corporis Chriſti, nuſquam tamen negant dictum caput litteraliter explicari debere de reali manducatione corporis & ſanguinis Chriſti.

Dices Matth. 15. dicitur *omne quod in os intrat in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*; ſed corpus Chriſti non emittitur in ſeceſſum; ergo non intrat in os, ſed ſolus panis.

Quo ſenſu Chriſtus dicat omne quod intrat in os, in ſeceſſum emitti.

Reſp. ſignum illud diſtributivum *omne* hic accipi debere pro gene-

generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum; ſiquidem non omnis individuus cibus, qui per os intrat, mittitur in ſeceſſum, ſed tantùm pars ejus impurior, nam pars ejus nobilior tranſit in ſubſtantiam aliti: Et eapropter Chriſtus dicto loco agit de cibis communibus qui aſſumuntur ad alendum corpus, de quibus verum eſt quod pro parte ſua impuriori mittantur in ſeceſſum; non verò de cibo extraordinario Euchariſtico, ſicut nec de cibo quem Chriſtus ſumpſit poſt reſurrectionem ſuam.

Petes quid tandem fiat de Euchariſtia per os ſuſcepta.

Quid fiat de Chriſti corpore poſt ſumptionem:

Reſp. ſimul ac ſpecies panis & vini vi caloris naturalis ſunt conſumptæ in ſtomacho, tunc corpus Chriſti ibidem eſſe deſinit ſine ulla ſui alteratione.

Dices Matth. 24. ait Chriſtus, *ſi quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus aut illic: nolite credere*; ergo non eſt credendum dicentibus Chriſtum eſſe in altari aut in pyxide.

Reſp. ejuſmodi nugatores hæreticos in citatione alicujus Scripturæ debere attendere ad ſcopum & ad ſenſum illius: etenim Chriſtus dicto loco monuit cavendos eſſe Pſeudoprophetas qui ſibi nomen Chriſti vendicabant, de quibus dicto loco ait *quod multi venient in nomine meo dicentes, ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent.*

Dices Matth. 26. ait Chriſtus *pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis; ergo.*

Reſp. neg. conſequentiam, nam Chriſtus id intellexit de ſe in propria ſpecie.

Dices Lucæ 24 ait Chriſtus *palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*; ergo ex palpatione & viſione probari poteſt corpus; ſed Chriſtus in Euchariſtia nequit palpari & videri ergo in illa non eſt corporaliter & realiter præſens.

Reſp. neg. conſequentiam: nam eſto ex palpatione & viſione probetur corpus, non tamen ex illis ſolis: ac eapropter ſi Deus hominem faceret inviſibilem, non tamen propterea deſineret eſſe homo.

Dices Matth. 18. ex eo quod *Chriſtus reſurrexit*, infert Angelus, ergo *non eſt hic*, ſcilicet in ſepulchro; ergo neque in Euchariſtia.

Reſp. neg. conſequentiam, quia Angelus noluit ibidem ſignificare quid per divinam potentiam fieri poſſit aut non poſſit, ſed tantùm quid communiter fieri ſoleat; quò modo nemo ſimul eſt in duobus locis.

Dices Ioann. 16. ait Chriſtus *relinquo mundum & vado ad patrem*, ergo non eſt ampliùs in Eucharistia.

Reſp. neg. conſequentiam, quia dictis verbis Chriſtus tantum voluit inſinuare ſe non ampliùs viſibili & extenſivâ præſentiâ manere in mundo, eo modo quo fuerat triginta tribus annis in eo converſatus.

Dices Actorum 17. ait Paulus, *Deus non in manufactis templis habitat*; ergo Chriſtus non eſt in templis Chriſtianorum.

Reſp. neg. conſequentiam, & dico dicto loco agi de divinitate; quæ, etſi peculiari ratione ſit in templis, non tamen eſt in illis circumſcriptivè vel quaſi illis indigeat.

OBJECTIONES

Hæreticorum ex SS. Patribus nominatim primorum quinque ſæculorum.

Objectiones eorũ ex SS. Patribus

HÆretici, ut indocto populo plauſibiliter oſtendant SS. Patres pro ſe ſtare, adferunt ex illis obſcuriora quædam loca, prout adhuc ſupra inſinuavimus; cum tamen dicti Patres habeant loca clariſſima, quibus veritatem præſentiæ corporis Chriſti in Euchariſtia explicent, ut ſupra vidimus &c.

1. Quidem ex Tertulliano lib. 4. contra Marcionem cap. 40. ubi ait „Deus acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, „dicendo *hoc eſt corpus meum*, id eſt „figura corporis mei: „ in qua dicendi formula triumphat Calvinus; ſed perperam: ſiquidem verba illa, *id eſt figura corporis mei*, non ſunt conſtruenda cum proxime præcedentibus, ſcilicet, corpus meum, quaſi illorum ſit explicatio, ſed cum pronomine *hoc*: ita ut ſenſus ſit, hic panis qui olim erat figura corporis mei in veteri teſtamento, nunc eſt corpus meum quod apertè verba ejus, immediate ſequentia declarant; ita enim ait „figura autem „non fuiſſet niſi veritatis corpus „eſſet: aut ſi propterea panem „corpus ſibi finxit, quia corporis „carebat veritate, ergo panem „debuit tradere pro nobis. Cur „autem panem corpus ſuum appellat & non magis panem „quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem „fuiſſe iſtam figuram corporis „Chriſti dicentis per Hieremiam, *adverſum me cogitaverunt* „*cogitatum dicentes, venite conjiciamus lignum in panem ejus*, ſcilicet „crucem in corpus ejus. Itaque „illuminator antiquitatum (*Chriſtus*) quid tunc noluerit ſignificaſſe

Ex Tertulliano.

Digitized by Google

„ ficaſſe panem, ſatis declaravit, „ corpus ſuum vocans panem. Videri poſſunt notæ Pamelii ad hunc locum.

Porro quod talis debeat eſſe conſtructio verborum Tertulliani, patet ex toto ejus ſcopo quem habuit in toto libro contra Marcionem: qui fuit, oſtendere contra illum hęreticum, docentem Chriſtum habuiſſe corpus merè phantaſticum, oſtendere, inquam Chriſtum habuiſſe verum & reale corpus utpote figuris veteris teſtamenti repræſentatum.

Ex Origene. Dices Origenes in caput 15. Matth. dicit Euchariſtiam eſſe corpus typicum ſymbolicumque; veram autem Chriſti carnem non poſſe à peccatoribus ſumi.

Reſp. Origenem Euchariſtiam vocare corpus Chriſti typicum quia ſcilicet eſt figura corporis Chriſti in propria ſpecie exiſtentis: quod autem dicat veram Chriſti carnem à peccatoribus non comedi, id intelligit cum fructu & effectu.

Ex Ambroſio. Dices S. Ambroſius lib. 4. de Sacram. ait „ ſimilitudinem „ pretioſi ſanguinis bibis. „ Et cap. 5. oblationem altaris vocat figuram corporis & ſanguinis Chriſti: & lib. 4. de officiis cap. 4. cum dixiſſet „ Euangelii „ quoque tempore Chriſtum „ offerri addit „ hic in imagine, ibi in veritate.

Reſp. S. Ambroſium docere nos bibere ſimilitudinem; quia ſcilicet ſanguis Chriſti, ut eſt ſub ſpeciebus vini eſt ſimilitudo & figura ſanguinis ejuſdem pro nobis in cruce effuſi: quo modo corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis vocat figuram corporis in cruce ſuſpenſi: quod verò addat, nos Chriſtum habere hic *in imagine* in cœlo verò *in veritate*, hoc ideo dicit quia hic habemus eum velatum ſub ſpeciebus, in cœlo verò videbimus eum ſicuti eſt: ac eapropter imago hic non opponitur ſubſtantiæ ſed claræ notitiæ.

Ex Baſilio. Dices S. Baſilius in ſua liturgia vocat Euchariſtiam *Antypon*, hoc eſt, figura corporis Chriſti.

Reſp. *Antypon*, idem eſſe quod prototypon, ſeu idem quod ſimilitudo, quia ſcilicet Euchariſtia eſt ſignum corporis Chriſti in cruce immolati: quà ratione S. Chryſoſtomus hom. 17. in Epiſt. ad Hebr. ſacrificium Euchariſtiæ vocat exemplar ſacrificii crucis.

Ex Auguſtino. Dices S. Auguſt. Epiſt. 23. ad Bonifacium diſertè ait quod ſecundùm quemdam modum ſacramentum corporis Chriſti ſit

ſit corpus Chriſti: item cap. 12. contra Adimantium ſic ait „ non „ dubitavit Dominus dicere hoc „ eſt corpus meum cum ſignum „ daret corporis ſui: „ & iterum Comment. in Pſal. III. „ Chriſtus, inquit, adhibuit Judam „ ad convivium, in quo corporis ſui figuram diſcipulis commendavit: „ & iterum Tract. 25. in Joann. ſic loquitur „ quid „ paras dentes & ventrem, crede & manducaſti: „ denique hom. 26. inter 5. ſic ait „ ſi verum, inquit vultis reſpondere, „ hoc utique dicere debetis quod „ non ſit minus verbum Dei „ quam corpus Chriſti; quæ „ vera non eſſent ſi verum & „ non ſymbolicum eſſet corpus „ Chriſti in altari.

Reſp. ad 1. objectionem ex S. Aug. factam, illum loqui de ſpeciebus ſacramentalibus, quæ dicuntur Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, quia ſunt ſigna ſenſibilia repreſentantia corpus & ſanguinem ejus: porro nihil magis obvium, quam quod ſignum veniat quandoque nomine rei ſignificatæ.

Ad 2. dico ſpecies ſacramentales eſſe ſignum corporis Chriſti; non abſentis, ſed præſentis.

Ad 3. dico ipſum loqui de Euchariſtia ut eſt figura corporis Chriſti in cruce ſuſpenſi.

Ad 4. etiamſi aliqui dubitent an hæ homiliæ ſint S. Auguſtini, veroſimilius tamen eſt quod ſic, neque objectio inde deſumpta continet aliquid fidei contrarium, non enim dicit verbum Dei eſſe plus quam corpus Chriſti: ſed tantum negat eſſe minus, accipit autem verbum Dei non ſecundum vocem, ſed ſecundum rem ſignificatam, quæ eſt divina.

Quo ſenſu Patres Euchariſtiam vocent quandoque panem.

Hic tantùm notandum pro explicatione locorum aliorum SS Patrum, quod quando hoc Sacramentum appellant panem, id intelligant, vel quia ſub ſpeciebus panis continetur, vel quia adinſtar panis animam nutrit, confortat atque corroborat ſimiliter dum corpus Chriſti quandoque appellant figuram, id eos intelligere non quaſi non ſit corpus reale, ſed quia illud eſt, ſignum ſeu figura corporis in cruce ſuſpenſi: præterea dum Patres dicunt corpus Chriſti in Euchariſtia tangi videri &c. id eos intelligere ratione ſpecierum: item dum dicunt Euchariſtiam repreſentare corpus Chriſti, idem volunt, quod ipſum præſens exhibere: quin imo pleri que SS. Patres circa Euchariſtiam obſcurius quandoque fuerunt locuti in præſentia infidelium

Patres de hoc Sacramento cur obſcurius quandoque locuti ſint.

Digitized by Google

lium & catechumenorum: Ea-propter S. Aug. ſæpius utitur hac phraſi, norunt fideles, & Theodoretus Dial. 2. ſic ait „ non oportet apertè dicere, eſt „ enim veroſimile adeſſe aliquos „ myſteriis non initiatos. „

Sed permittamus Calvino, & omnibus ejus ſectariis omnes Patres primorum quinque ſæculorum cum ipſo in fide Euchariſtiæ conveniſſe (quod tamen quam apertè falſum ſit & quantopere à veritate alienum, ex ipſis SS. Patrum teſtimoniis clariſſimè deduximus.)

Non potuiſſe in Eccleſiã introduci fidem de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia, ſi non jam ab initio illa per Chriſtũ & Apoſtolos ſtabilita fuiſſet.

Peto à Calvino in quo terrarum angulo, quibus authoribus contraria doctrina de reali nimirum & ſubſtantiali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia ſit cœpta prædicari, quinam Patres ſuis ſcriptis dictam doctrinam exagitarint? quinam Epiſcopi illi ſe viriliter oppoſuerint? quæ Concilia illam, ut hæreticam, condemnarint? profectò ſi hiſtoriam Eccleſiaſticam pervolvamus, ille fuit ſemper majorum noſtrorum zelus, ut, quamprimum aliquis error contra aliquam apertam fidei veritatem exorſus eſt, eundem toto conatu oppugnare, contexere libros, convocare Concilia, ac reſiſtere non deſtiterint, donec & quo uſque ille funditus eſſet extirpatus. Sane quamprimũ Arrius ore blaſphemo Filium Dei conſubſtantialem Patri negavit; quam multi magni nominis Epiſcopi ad illum protinùs refellendum ſe non accinxerunt, quam multi calamos ſtrinxerunt, nec ceſſarunt donec convocato Concilio Nycæno, deteſtabilis illa blaſphemia ore 318. Epiſcoporum eſt condemnata. Quamprimum Neſtorius ex Monacho presbytero Eccleſiæ Antiochenæ ſublimatus ad thronum Eccleſiæ conſtantinopolitanæ hæreſim ſuam cœpit evomere contra Virginem Matrem, negans illam eſſe Deiparam, quas commotiones hic error non excitavit in populo! quam viriliter ſeſe illi oppoſuit S. Cyrilius Alexandrinus? quantopere impia ejus ſcripta inſectatus eſt S. Cælestinus Papa, nec ceſſavit donec convocato Concilio Oecumenico Epheſino ſcripta ejus ibidem publicè ſunt concremata, Neſtorius condemnatus & ſede depoſitus eſt. Quid dicam de Eutyche Archimandrita Conſtantinopolitano, cujus error quamprimum detectus eſt, qui fuit quod duas in Chriſto negaret eſſe naturas: quas tragædias, quas commotiones non ſolum in urbe Conſtantinopolitana ſed & in univerſali Eccleſia non concitavit: quæ & qualia

Digitized by Google

à Doctoribus illius temporis contra illum non ſunt ſcripta, nec ceſſatum donec & quouſque in Concilio Oecumenico Chalcedonenſi damnatus eſt.

Conformiter his oſtendant nobis ſectarii tumultus & ſeditiones exortas circa introductionem doctrinæ de vera reali & ſubſtantiali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia: quinam Epiſcopi huic ſeſe oppoſuerunt? quænam Concilia ad illam extirpandam ſunt congregata? profectò nihil horum reperient, quin potius econtra eandem doctrinam omnium SS. Patrum placitis corroboratam Epiſcoporum authoritate munitam, & omnium penè Conciliorum definitionibus ſtabilitam ut ſupra oſtendimus: quod manifeſtiſſimum ſignum eſt illam ſic à Chriſto traditam ab Apoſtolis ad hæc uſque tempora uniformiter fuiſſe receptam & acceptatam. Et quia Calvinus ſpecialiter agnoſcit S. Auguſtinum tamquam fidelem antiquitatis interpretem, aitque extra controverſiam eſſe nihil à principio Eccleſiæ uſque ad ipſius ætatem mutatum fuiſſe in doctrina: videamus quæ & qualis S. Auguſtini temporibus tam de Euchariſtia quam de aliis fidei Catholicæ myſteriis doctrina viguerit: quod unicum caput 8. lib. 22. de Civit. Dei manifeſtè elucidabit, quippe in quo S. Auguſt. modernam Eccleſiæ Catholicæ Romanæ faciem vivis coloribus depingit: Unde cordatus Lector in illo capite videbit B. Saturninum Uſalenſem Epiſcopum, Geloſum presbyterum, ac Diaconos Carthaginenſes, videbit Heſperium Fuſcalenſem advocaſſe presbyteros ut à malignorum ſpirituum infeſtatione domum ſuam liberarent; videbit & unum ex presbyteris in domo illa obtuliſſe ſacrificium corporis & ſanguinis Domini ut ceſſaret illa infeſtatio, quæ & protinus Deo miſerante ceſſavit, videbit altaria, videbit Eccleſiæ dedicationem, videbit benedictionem Epiſcopalem, videbit corpora SS. in pretio habita & miraculis illuſtrata: videbit Energumenum ad memoriam SS. Martyrum Gervaſii & Protaſii portatum ut curaretur, videbit ſanctimoniales cantantes hymnos veſpertinos & orationes: & ne longior ſim, videbit externam Eccleſiæ formam œconomiam & cæremonias omnes eaſdem cum illis quas modo habemus; ita ut nemo dubitare poſſit quin illorum temporum Eccleſia eadem prorſus eſſet in myſteriis, Sacramentis & cæremoniis

moniis cum moderna Catholica Romana: & illius temporis Eccleſia, ipſo fatente Calvino erat puriſſima, nec ullâ falsâ doctrina præſertim circa Sacramentum Euchariſtiæ deformata; ergo & illa credidit, id quod hodie credimus, Sacrificium corporis & ſanguinis Domini. Legat Cordatus Lector dictum Caput, & fatebitur illo ſolo Calvinum cum omnibus ſuis aſſeclis falſitatis & mendacii eſſe convictum.

Quibus attentis incredibile eſt Deum in re tanti momenti à qua pendet cultus totius religionis Chriſtianæ Eccleſiam ſuam & omnes SS. Patres qui vitæ innocentia & doctrina illuſtres extiterunt, tot ſæculis, poſt tot tantaſque diſſenſiones, tanto cum molimine in pluribus Conciliis factas, permiſiſſe decipi, & veritatem patefeciſſe hominibus quibuſdam luxurioſis, ſuperbis, impuris, quales fuerunt Wicleffus, Swinglius, Lutherus, Calvinus, aliique ſimilis farinæ Apoſtatæ.

Denique hæc veritas ſtabiliri poteſt tribus congruentiis quarum 1. eſt quod alioqui lex nova carebit omni ſacrificio.

2. Si hoc myſterium negetur, multò magis negabitur myſterium SS. Trinitatis & Incarnationis: ratio eſt quia hæc ſunt multò difficiliora & humanæ rationi minus cognita: 2. quia nuſquam in Scriptura tam apertè & expreſſe fit mentio SS. Trinitatis & Incarnationis, prout fit mentio corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

3. Quia plurima loca eaque difficiliora ex Scriptura S. adferri poſſunt, quibus ea myſteria impugnentur. Uti patet ex diſputationibus antiquorum patrum Athanaſii, & Cyrilli Alexandrini. Pauca verò inveniuntur contra hoc myſterium eaque ſolutû facilia. Eapropter priora multis ſæculis fuerunt accerrimè oppugnata, quando de Euchariſtia adhuc nulla erat dubitatio. Eapropter quod Calviniſtæ hanc realem præſentiam in Euchariſtia & non myſterium SS. Trinitatis vel Incarnationis negent non eſt ideo quaſi ex Scriptura magis hæc falſa ipſorum doctrina poſſit probari; ſed quia ipſi illa duo, utpote totius Chriſtianæ religionis fulcra non audent movere, idque ut ſaltem retineant nomen Chriſtiani, qui circa myſterium Euchariſtiæ facti audaciores, etiam tentabunt majora: unde videmus ex Calviniſtis homines paſſim fieri atheos & ſane conſequenter nam ſi myſterium Euchariſtiæ non ſit credendum, ſequitur

tur neque myſterium SS. Trinitatis aut Incarnationis eſſe credendum: & ſi hæc duo non ſint credenda, ſequitur conſequenter nihil eſſe credendum.

OBJECTIONES

Hæreticorum ex ratione petitæ contra Eucharistiam.

Reſponſiones ad argumẽta hæreticorum à ratione petita.

PRima eſt, ſi unum corpus eſſet in pluribus locis ſequitur hæc contradictio, idem corpus eſt extra hunc locum, & non eſt extra hunc locum.

Reſp. negando ſequelam dictæ contradictionis: Quando enim dicitur, Chriſti corpus eſt extra hunc locum, vel illa propoſitio poteſt habere hunc ſenſum, Chriſti corpus non eſt in hoc loco, ſed alibi exiſtit. Et tunc non eſſet vera hæc propoſitio, corpus Chriſti eſt extra hunc locum demonſtrando locum in quo continetur hoſtia conſecrata: poteſt item eſſe ſenſus illius propoſitionis, corpus Chriſti eſt extra hunc locum, quo nempe ſignificetur ſimpliciter corpus Chriſti contineri vel eſſe præſens alio loco, non tamen negetur quin etiam contineatur in hoc loco: adeoque erit vera hæc propoſitio, corpus Chriſti eſt in hoc loco, demonſtrando locum hoſtiæ conſecratæ, & eſt etiam extra hunc locum.

Dices idem corpus nequit eſſe ſimul in diverſis temporibus, ergo nec ſimul in diverſis locis.

Reſp. neg. conſequentiam: neque enim id oritur ex aliquo defectu corporis; ſed quia tempora, cum ſint entia ſucceſſiva, nequeunt ſimul exiſtere.

Dices ſi idem corpus poſſit eſſe ſimul in diverſis locis, poterit ſimul moveri motibus contrariis v. g. ſurſum & deorſum, item poterit ſimul moveri qualitatibus contrariis, adeoque poterit ſimul eſſe calidum & frigidum, vivere & mori, peccare & non peccare. Ad hæc.

Reſp. 1. cum S. Auguſtino lib. 22. de civit. Dei cap. 11. „ecce qualibus argumentis Omnipotentiæ divinæ humana „contradicit infirmitas quam „poſſidet vanitas:„ dein addo, hic nullam reperiri implicantiam, quandoquidem hoc ſingulis diebus pateſcat in anima rationali: quæ prout eſt in capite hominis eſt ſurſum reſpectu ſui ipſius prout eſt in pedibus: porro an corpus replicatum poſſit ſimul affici contrariis qualitatibus, id infra ſuo loco videbimus.

Dices corpus quantum nequit exiſtere in indiviſibili, eò quod illud ſit eſſentialiter extenſum

Digitized by Google

tenſum & diviſibile; ergo corpus Chriſti in Euchariſtia nequit eſſe indiviſibili.

Reſp. negando aſſumptum: pro cujus explicatione. Nota duplicem paſſim aſſignari extenſionem corporis quanti, unam in toto, alteram in loco; prior eſt de eſſentia corporis quanti, non verò poſterior; utpote nuda ipſius proprietas, quæ ſeparari poteſt ab extenſione rei in ſe.

Dices quantitas nequit exiſtere ſine figura, quippe quæ ſit intrinſecus terminus quantitatis; ſed figura nequit concipi ſine extenſione locali, quippe quæ exſurgat ex tali vel tali extenſione: & hinc quotieſcumque mutatur extenſio localis alicujus rei toties mutatur figura illius: ex quo ſequitur, quod ablatâ extenſione locali, neceſſe ſit auferri figuram.

Reſp. ſicuti ſupra inſinuavimus, eſſe duplicem extenſionem corporis quanti, ita quoque hic dicimus duplicem illius eſſe figuram; unam ſcilicet organicam quæ pendet ab extenſione corporis quanti in ſe, alteram vero localem, quæ pendet ab extenſione locali. Porro Chriſtus in Euchariſtia habet figuram organicam, non verò localem: quod pateſcere poteſt exemplo manus, quæ retentâ eâdem figura organicâ toties mutat figuram localem quoties mutat extenſionem localem; nam aliam habet figuram dum plicatur, aliam dum extenditur.

Dices, tantùm fructum haurimus ex præſentia Chriſti in figura, quantum ex præſentia Chriſti reali in hoc Sacramento Euchariſtiæ: nam fructus Euchariſtiæ eſt nutritio animæ, quam non minùs facit Chriſtus in figura quam realiter præſens; quin imo præſentia ejus corporalis impedit quandoque ejus ſpiritualem: unde Joann. 16. ait Chriſtus *expedit vobis ut ego vadam: ſi enim non abiero paracletus non veniet ad vos.*

Reſp. neg. antecedens, quia Chriſtus præſens multa confert quæ abſens non eſſet collaturus etiamſi poſſet: ut enim in Euangelio habemus quotquot illum tangebant, ſanabantur juxta illud ..... *quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes*: præterea non quæcumque Chriſti præſentia impedit acceptionem Spiritus S. ſed illa ſolum qua præſens erat ſecundum formam humanæ converſationis, ſecundum quam Apoſtoli nimis humano & ſenſibili modo illum diligebant.

Dices, poſitâ etiam poſſibilitate

litate corporis Chriſti in Euchariſtia, actualis tamen illius præſentia ibidem debet refelli, eò quod talis exiſtendi modus dedeceat tantam majeſtatem.

Reſp. neg. antecedens: ſi enim ille ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruit Virginis uterum: prout nec pauperculis pannis involvi, in paupercula domo naſci, pauperem vitam agere, denique ſcandaloſam mortem in cruce ſubire non erubuit, cur dedignabitur deliteſcere ſub ſpeciebus panis & vini.

Diſcant Hæretici ejuſmodi objectiones facientes ex Epiſtola 1. ad Cor. 1. myſterium crucis Judæis fuiſſe ſcandalum, gentibus ſtultitiam, electis vero Dei virtutem & ſapientiam.

DUBIUM I.

An idem Corpus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis. Et an habebit utrobique eaſdem formas: & ſi mutetur in uno, etiam debeat mutari in alio?

Idem corpus poteſt eſſe ſimul in pluribus locis.

DE fide certum eſt non tantùm poſſe, ſed & defacto contingere quod idem corpus ſit in pluribus locis ſacramentaliter, aut in uno loco localiter & in altero ſacramentaliter.

An verò idem corpus poſſit eſſe circumſcriptive & localiter in diverſis locis, quamvis hoc problematicè à Scholaſticis diſputetur: nos hoc ipſum tamen abſolutè affirmamus: ratio eſt quia in omnipotentia creatoris non ſolum latent infinitæ ſingulorum generum ſpecies, & ſingularum ſpecierum infinita individua, differentiis ſuis individuantibus diſtincta; ſed etiam in quolibet individuo latet differentia ejus individuans infinities, ita ut infinities ab eo res eadem numero produci poſſit, & per diverſas dependentias ab eo dependere & in ſe ipſa reproduci poſſit, manente interim perfecta numerica identitate ipſius rei. Eſto enim cauſa creata ſemel tantùm unam & eandem rem poſſit producere, eò quod potentia ejus ſit à Deo ad hoc limitata, divina tamen potentia eſt intrinſecè illimitata, & inexhauſta: ex quo patet non eſſe Deo difficile eandem rem reproducere tot locis quot voluerit illa interim manente in ſe eâdem.

Etiam circumſcriptivè per Dei potentiam.

Probatur 2. non implicat contradictionem ut una natura ſit in tribus perſonis reipſa diſtinctis; ergo nec implicat ut unum corpus ſit in tribus locis reipſa diſtinctis.

Pro-

Digitized by Google

Vti & duo corpora poſſunt ſe penetrare.

Probatur 3. quia ſunt multa myſteria eaque difficilia, quæ tamen fieri non repugnant v. g. quod unus locus capiat duo corpora per penetrationem, ut patet in nativitate & reſurrectione Domini item in ingreſſu ejus ad diſcipulos januis clauſis.

Probatur 4. exemplis: nam certum eſt Chriſtum poſtquam aſcendit ad cœlos non deſcenſurum uſque ad diem judicii ut patet Act. 3. ubi dicitur *quem oportet quidem cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium*. Eo tamen non obſtante apparuit S. Paulo in terris Actor. 9. & Paulus cum illo loquitur tamquam cum præſente, illumque coram videt, & audit vocem ejus, ergo Chriſtus tunc ſimul erat in cœlo & prope terram.

Hoc ipſum quoque patet ex diverſis apparitionibus Salvatoris factis diverſis ſanctis,

Probatur 5, quia non eſt contra naturam quantitatis extenſivæ eſſe in duobus locis, eò quod natura quantitatis ſit prior quam extenſio localis: eapropter ſicuti non eſt contra naturam ejus privari extenſione locali, ita neque eſt contra naturam ejus habere plures extenſiones locales: dein unus Angelus poteſt naturaliter eſſe totus in toto aliquo loco & totus in qualibet ejus parte; eo modo quo anima noſtra eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte; ergo ſaltem divina virtute poterit manere totus in duabus partibus extremis loci, non manendo in medio, eò quod præſentia, quâ eſt totus in una parte non dependeat à præſentia qua eſt totus in alia.

Petes an ſi corpus mutetur in uno loco etiam mutabitur in altero.

Reſp. & dico 1. corpus exiſtens in duobus locis, poterit in uno moveri localiter, & non in altero: quomodo Chriſtus movetur localiter in altari, & non in cœlo: ratio eſt quia in duobus locis habet duas præſentias locales, quarum una eſt independens ab alia ergo poterit mutare unam non mutando alteram.

Corpus replicatū poteſt in uno loco exiſtens ibi moveri, in alio quieſcere.

Dico 2. corpus exiſtens reproductum Mechliniæ & Bruxellis ſi Mechliniæ aſſideat igni non calefiet Bruxellis vi ejuſdem ignis: ratio eſt quia ignis naturaliter non poteſt agere niſi intra ſuam ſphæram; ergo ſi Bruxellis non ſit ignis non poterit ibidem agere.

Dico 3. corpus reproductum in duobus locis poterit in uno famêre & in alio nutriri; ratio eſt quia nutritio nón fit ſine con-

Digitized by Google

conjunctione novæ materiæ, quæ in uno loco poterit adhiberi & non in alio: ſimiliter tale corpus poterit mori in uno loco & non in altero: ratio eſt quia cauſa mortis illativa poterit applicari in uno & non in alio loco.

Dico 4. homo exiſtens reproductus in duobus locis, ſi in uno amet Deum amabit ipſum quoque in alio: ratio eſt quia ejuſmodi actus vitalis utrobique habet idem principium activum & paſſivum, nec pendet ab aliquo objecto particulari vel agente extrinſeco, poterit tamen Petrus reproductus Mechliniæ & Romæ ibi videre Pontificem, & non Mechliniæ, eò quod ejuſmodi actus viſionis pendeat à præſentia objecti vel agentis extrinſeci, quod eſt præſens Romæ & non Mechliniæ.

Petes an Petrus non poſſet Romæ eſſe Catholicus & Mechliniæ hæreticus.

Reſp. neg. eò quod ejuſmodi actus vitales contrarii non poſſint eſſe ſimul in eodem ſubjecto: neque refert quod calor & frigus poſſent naturaliter manere in eodem ſubjecto ſi illud miraculosè replicetur, quia hæ formæ actu non pugnant inter ſe niſi ſint ſimul in eodem loco.

Porro homo exiſtens in duobus locis ſi in uno eſſet hæreticus, etiam talis eſſet in alio, & ſi in uno loco Deum amaret, etiam amaret in altero, ſi in uno loco odio haberet, etiam in alio ipſum odio haberet idque ob naturalem ſympathiam ejuſdem animæ exiſtentis in uno loco ad ſe ipſam exiſtentem in alio.

DUBIUM II.

An facta conſecratione remaneat panis & vinum una cum corpore & ſanguine Christi.

QUæ hactenus diximus potiſſimum diriguntur contra Calvinum Swinglium & eorum aſſeclas: quæ verò in hoc Dubio dicemus diriguntur contra Lutherum, qui ait corpus Chriſti in Euchariſtia fieri præſens, non per tranſubſtantiationem, ſed per impanationem ſive per præſentiam illius ſimul cum pane & vino.

Chriſtus vi conſecrationis per tranſſubſtantiationem ponitur in Eucharistia.

Hæc eſt doctrina fidei catholicæ Chriſtum in Euchariſtia fieri præſentem per verba conſecrationis per tranſubſtantiationem ſive per converſionem totius ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti remanentibus ſolis dumtaxat accidentibus.

Quod

Digitized by Google

Quod definitum eſt in Conc. Lateran. ſub Innocentio III. cap. *firmiter* de Summa Trinitate. In Conc. Conſtant. ſeſſ. 8. in qua damnatur hic Articulus Wiclefi *ſubſtantia panis materialis, & vini materialis manent in Sacramento Altaris*.

Eadem veritas definitur in Conc. Florent. decreto de Sacram. noviſſimè verò in Conc. Trident. ſeſſ. 13 can. 2. his verbis,„ ſi quis dixerit in SS. Euchariſtiæ Sacramento remanere „ ſubſtantiam panis & vini unà „ cum corpore & ſanguine D. „ N. Jeſu Chriſti, negaveritque „ mirabilem illam & ſingularem „ rem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem „ nem remanentibus dumtaxat „ ſpeciebus panis & vini quam „ quidem converſionem Eccleſia catholica aptiſſime tran- „ ſubſtantiationem appellat, anathema ſit.„

Probatur hoc ipſum ex Scriptura S, *hoc eſt corpus meum* &c. ob quæ verba ſemper perſuaſum fuit in Eccleſia Dei per conſecrationem panis & vini fieri converſionem totius ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti: nam ſi ibidem remaneret panis forma illa eſſet falſa, quandoquidem panis triticeus numquam fuerit corpus Chriſti.

Dices ſub eiſdem accidentibus poterunt deliteſcere duæ ſubſtantiæ, una panis, altera corporis Chriſti: & tunc licebit utroque modo loqui hoc eſt corpus meum, & hoc eſt panis triticeus: nam cum, ut ſupponitur, utrumque ſit præſens ſub accidentibus poterit per pronomen *hoc* utrumque demonſtrari.

Reſp. neg. aſſumptum: nam quando duæ ſubſtantiæ ſunt ſimul in eodem loco, quarum una apparet per propria accidentia illi inhærentia; altera verò ibidem deliteſcit, eſtque inviſibilis; tunc quidem monſtratum contentum ſub accidentibus non deſignat ſubſtantiam ſub illis inviſibiliter deliteſcentem, ſed illam cujus ſunt propria accidentia: unde ſi quis haberet cibum in manibus, non rectè diceret, hoc eſt Deus: nam licet Deus ſit ſub cibo præſens, tamen non deſignatur per illius accidentia.

Eodem modo ſi panis cum ſuis accidentibus eſſet in Euchariſtia ſimul cum corpore Chriſti, non rectè diceremus hoc eſt corpus Chriſti, quia pronomen *hoc* deſignat proximum contentum ſub accidentibus, quod

tunc non eſſet corpus Chriſti, ſed ſubſtantia panis.

Præterea accidentia ipſa ſolùm deſignant ſuum proprium ſubjectum non autem id quod extrinſecè ſubjecto conjungitur: & eapropter ſi Angelus aut Dœmon occultaret ſe ſub pane, non rectè diceretur hoc eſt Angelus ſeu Dœmon; ſed bene hîc eſt Angelus ſeu Dœmon: ac eapropter ſi remaneret panis ſubſtantia in Euchariſtia, pronomen *hoc*, deberet illam neceſſariò demonſtrare, ac proinde forma eſſet falſa.

Dices, ſi quis demonſtrato vaſe dicat hoc eſt vinum bene loquitur & tamen accidentia exteriùs apparentia non inhærent vino, ſed vaſi.

Reſp. non eſſe mirum, quia pronomen, hoc, ex communi uſu etiam demonſtrat rem contentam quando continens vel ex naturâ ſuâ vel hominum inſtituto ad hoc continendum eſt deſignatum prout contingit in vaſe reſpectu vini, non verò in pane Euchariſtico.

Dices, ſuppoſitâ impanatione ſeu conjunctione corporis Chriſti cum pane tam verum erit dicere *hoc eſt corpus meum* quam eſt verum dicere *hic homo eſt Deus*, oſtenſo Chriſto.

Reſp. negando aſſumptum: neque enim ratione ſimplicis conjunctionis duarum rerum inter ſe diſtinctarum ſtatim poſſunt illæ duæ res verè de ſe mutuo prædicari: nam ex eo quod equus ſit alligatus aſino, non bene ſequitur hic equus eſt aſinus; ergo neque ex ſimplici conjunctione corporis Chriſti cum pane unum prædicabitur de altero.

Dices ſaltem ſuppoſitâ unione hypoſtatica panis cum verbo corpus Chriſti poſſet de pane affirmari.

Reſp. quamvis hæc unio non ſit impoſſibilis, tamen neque ex Scriptura S. neque ex Patribus, neque ex Conciliis probari poteſt eſſe facta: & eſto ſimilis unio panis facta eſſet cum verbo, tunc ſequeretur quidem corpus Chriſti panatum eſſe in Euchariſtia, non tamen illud carneum quod accepit de Maria Virgine. Omitto duas naturas hypoſtaticè unitas verbo non poſſe prædicari de ſe mutuo; neque enim rectè dicitur humana natura eſt divina natura, ſicut quoque non rectè dicitur Deus eſt humanitas: ratio eſt quia communicatio idiomatum fit in ſuppoſito, non in natura; & eapropter termini propoſitionis debent ſignificare ſuppoſitum, & non naturam.

Dices

Digitized by Google

Quo ſenſu dici poſſit ſenſus nō falli circa ſua objecta.

Dices ſenſus non errat circa ſenſibile; ſed ſenſus judicat panem eſſe in Euchariſtia; ergo ibidem eſt panis.

Reſp. ſenſum hujus axiomatis eſſe, ſenſum non falli circa ſenſibile proprium & per ſe, niſi fortè per accidens ratione organi aut medii malè diſpoſiti, qui tamen poteſt falli circa ſenſibile commune & per accidens, quale eſt ſubſtantia, quæ non per ſe ſed per ſola accidentia cadit ſub ſenſum.

Dices ex effectu rectè cognoſcitur cauſa, prout docet quotidiana experientia, ſed in Euchariſtia experimur effectus & operationes panis materialis, nam ſapit, nutrit, & confortat poſt conſecrationem, eodem modo quo ante ergo ibidem remanet panis.

Reſp. ita rectè concludi judicio naturali, niſi altiori lumine fidei cognoſcamus aliam ſubſtantiam ſub hiſce proprietatibus & accidentibus deliteſcere, hæc accidentia exiſtere extra omne ſubjectum prout hoc ex Chriſti inſtitutione, Eccleſiæ definitione & conſtanti SS. Patrum doctrinâ habemus.

DUBIUM III.

Qua actione ponatur corpus Chriſti in Euchariſtia.

Licet tranſubſtantiatio, ſeu converſio unius ſubſtantiæ in aliam ſit formaliter motus, involvit tamen ſimul aliquam actionem quia nihil poteſt dici ab uno tranſire in aliud ſi nulla actio accedat: Eapropter de actione quâ panis convertitur in corpus Chriſti hic quæritur, qualis illa ſit, an adductiva tantùm, an verò reproductiva corporis Chriſti.

Chriſtus ponitur præſens in Euchariſtia per actionem reproductivam.

Reſp. eſſe actionem reproductivam; nam hoc poſito quod Deus virtute omnipotentiæ ſuæ poſſit eandem rem, non tantùm ſemel ſed etiam toties quoties vult ponere in rerum natura, ut ſupra probavimus, tunc multò conformius dictis SS. Patrum & Conciliorum dicimus intervenire hanc actionem reproductivam: nam Patres apertè dicunt panem & vinum converti in corpus & ſanguinem Chriſti; item Sacerdotes Chriſti corpus conficere, de pane fieri corpus Chriſti &c. quæ & ſimiles locutiones deſignant corpus Chriſti in Euchariſtia poni per veram & realem confectionem ipſius corporis: ita ut per verba

Digitized by Google

formæ à Sacerdote prolata, tam quam per inſtrumentum phyſicum attingatur & efficiatur ipſum corpus Chriſti actione phyſicâ ita quidem ut ſubſtantia corporis Chriſti ſit terminus actionis, quæ eſt converſio.

An ſi corpus Chriſti nullibi eſſet, per conſecrationem produceretur ſub ſpeciebus.

Petes an ergo per verba conſecrationis poſſet corpus Chriſti accipere primum ſuum eſſe, ita ſcilicet ut poſſit poni ſub ſpeciebus panis & vini quamvis non haberet eſſe naturale in cœlis.

Reſp. abſolutè loquendo Affirmativè: quia eſſe corporis Chriſti in hoc Sacramento non habet neceſſariam dependentiam à ſemetipſo exiſtente in ſuo ſtatu naturali; quamvis attentâ ſuavi Dei providentiâ, deſinente corpore Chriſti ſecundum eſſe ſuum naturale, non poneretur quoque ſub ſpeciebus panis & vini: quia cum hoc myſterium ſit inſtitutum mediante Chriſti humanitate amquam causâ inſtrumentali, illâ deſinente, ipſum quoque deſineret.

Petes, quare actio adductiva cujus terminus eſt ſola præſentia localis corporis Chriſti in hac hoſtia, nequeat ſufficere.

Reſp. quia non videtur conceptibile quomodo res aliqua exiſtens in uno loco incipiat eſſe in alio per ſolam productionem ipſius præſentiæ in ſecundo loco: neque enim per hanc actionem adductivam deſerit primum locum: unde magis videtur mirum rem ſtatui præſentem in duobus locis per ſolam actionem adductivam quam per reproductivam. 2. quia actio adductiva eſt minus conformis dictis SS. Patrum; quin imo ipſa poteſtas conficiendi corpus Chriſti data Sacerdotibus magis indicat actionem reproductivam quam adductivam.

DUBIUM IV.

An totus Chriſtus ſit in Euchariſtia ſub qualibet ſpecie conſecrata.

Totus Chriſtus eſt verè præſens ſub qualibet hoſtia conſecrata.

RESP. Affirm. quod eſt de fide definitum tam in Conc. Florent. in inſtruct. Armen. quam in Trid. ſeſſ. 13. can. 3. ubi dicitur „Anathema neganti in Sacramento Euchariſtiæ „ſub unaquaque ſpecie totum „Chriſtum contineri.

Probatur ratione quia certum eſt ſub ſpeciebus panis contineri corpus Chriſti, ſed illud realiter eſt unitum ipſi animæ rationali & ſubſiſtentiæ Verbi; ergo ſub eodem eſt totus Chriſtus. Idem proportionaliter dicendum de ſan-

Digitized by Google

ſanguine ſub ſpeciebus vini: nam quando duo ſunt realiter unita, ubicumque eſt unum eorum etiam erit & alterum.

Dices perſona verbi eſt unita humanitati Chriſti; & tamen humanitas Chriſti non eſt in omnibus locis in quibus eſt perſona verbi; quippe quæ ſit in omni loco.

Chriſti humanitas non eſt ubique præſens ſicut divinitas

Reſp. axioma ante datum eſſe verum quando ſunt duo adæquatè inter ſe unita; tunc enim ubicumque eſt unum eorundem etiam eſt & alterum: ſecus contingit quando duo quæpiam ſunt inadæquatè inter ſe unita ut contingit in perſona verbi & humanitate Chriſti; tunc enim ubicumque eſt minus, etiam eſt majus ſed non econtra: unde ubicumque eſt humanitas Chriſti etiam eſt perſona verbi ſed non econtra.

Ex dictis collige ſub ſpeciebus panis non tantùm reperiri corpus ſed & ſanguinem & divinitatem; prout quoque ſub ſpeciebus vini non tantùm reperitur ſanguis, ſed & corpus anima & divinitas.

Petes an hæc omnia ſub qualibet ſpecie reperiantur eodem modo.

Reſp. neg. nam aliqua ſunt ibidem vi verborum, alia verò per ſolam concomitantiam.

Petes quidnam in ſacramento dicatur præſens vi verborum.

Reſp. cujus præſentiam verba formæ requirunt ad hoc ut ſint vera & ita corpus ponitur ſub ſpeciebus panis vi verborum, item ſanguis ſub ſpeciebus vini; quia verba formæ requirunt illorum præſentiam ad hoc ut ſint vera.

Petes quænam dicantur poni per concomitantiam.

Quid ſub ſingulis ſpeciebus ponatur præſens vi verborum: & quid ſolum per concomitantiam.

Reſp. illa quæ ponuntur ſub ſpeciebus propter unionem, quā habent ſive naturalem ſivè hypoſtaticam cum iis quæ ponuntur vi verborum: & ita anima Chriſti ſimul & divinitas ponuntur per concomitantiam ſub ſpeciebus panis, quia ſunt realiter unita corpori, anima nimirum unione naturali; divinitas unione hypoſtatica.

Petes, pro quo ſumatur, corpus quod vi verborum dicitur poni ſub ſpeciebus panis.

Reſp. pro corpore organico ſeu materiâ primâ quatenus ſubſtat partialibus formis carnis, oſſium, & nervorum requiſitorum ad conſtitutionem corporis organici prout abſtrahit à vivo & mortuo quod addo, quia ſi in triduo mortis Chriſti facta fuiſſet conſecratio, forma habuiſſet idem ſignificatum quod habet modo, ergo illa ſignificat

Digitized by Google

corpus abſtractum à vivo, & mortuo.

Dices corpus organicum debet etiam includere ſanguinem ergo & ille ponetur ſub ſpeciebus panis vi verborum.

Reſp. neg. antecedens: nam quamvis corpus defacto informatum animâ rationali & actu componens hominem requirat ſanguinem non tamen corpus humanum debitè organizatum ad receptionem ipſius animæ rationalis.

Petes an ſub ſpecie vini vi verborum ponatur totus ſanguis Chriſti, an verò ille ſolus qui eſt in paſſione effuſus.

Reſp. ponitur totus qui eſt in ejus corpore, quia forma calicis abſolutè totum ſignificat; qui proinde non debet reſtringi ad unam partem: nec refert quod in forma dicatur qui *pro vobis effundetur*; nam illa particula non limitat ſanguinem ponendum, ſed declarat quod ſanguis Chriſti ſit fundendus pro redemptione generis humani, ſive interim totus ſive quo ad partem effundatur.

Petes an ſit fidei aliqua in hoc ſacramento poni per concomitantiam.

Reſp. neg. quia id nuſquam ab Eccleſia tamquam de fide eſt definitum; quod tamen ita certum eſt ut contrarium ſentire erroneum ſit & planè temerarium: nam Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. id affirmat.

Dices, ſi Conc. dicto capite id aſſerat, ergo eſt de fide.

Reſp. neg. conſequentiam: neque enim omnia quæ traduntur in capitibus ſunt de fide, ſed ſolum illa quæ vel in generali aliquo concilio ſunt definita, vel ex ſcriptura S. aut traditione habentur tamquam de fide.

Dices, quæcumque ponuntur in ſacramento Euchariſtiæ ponuntur per efficaciam formæ forma autem ſolum efficit ſignificando, ergo nihil in ſacramento ponitur niſi ſignificetur; ſed quæ ponuntur per concomitantiam non ſignificantur per formam, ergo non ponuntur.

Reſp. neg. ſubſumptum: nam eſto illa quæ per concomitantiam ponuntur non ſignificentur directè per formam, ſignificantur tamen indirecte.

Petes an totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum panis & vini factâ diviſione.

Reſp. Affirm. quod eſt de fide, definitum in Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 3. his verbis „ ſi „ quis negaverit in venerabili „ Euchariſtiæ Sacramento ſub „ unaquaque ſpecie & ſub ſin„ gulis cujuſque ſpeciei partibus,

„ ſepara-

„ ſeparatione factâ totum Chri- „ ſtum contineri : anathema „ ſit. „

Hoc ipſum probatur ex uſu univerſalis Eccleſiæ, quo ſolent quandoque hoſtiæ conſecratæ dividi in minutas partes quando non ſunt ſufficientes conſecratæ ut præbeatur communio fidelibus.

Chriſtus eſt realiter præſens ſub qualibet particula hoſtiæ conſecratæ.

Patet hoc ipſum ex Rythmo S. Thomæ ab Eccleſia approbato : „ fracto demum ſacramento, ne vacilles, ſed memento tantùm eſſe ſub fragmento quantum toto tegitur.

Præterea quælibet particula hoſtiæ ſeparata adoratur cultu latriæ; adeoque ſub illâ continetur totus Chriſtus.

Etiam ante diviſionem hoſtiæ.

Petes, an ante diviſionem S. Hoſtiæ ſit totus Chriſtus non ſolum in tota hoſtia; ſed etiam in ſingulis ejus partibus.

Reſp. Affirm. eo modo quo anima rationalis eſt tota in toto corpore & tota in ſingulis ejus partibus.

Probatur quia Chriſtus eſt totus in ſingulis partibus poſt diviſionem, ut ſupra dictum eſt, ergo quoque eſt totus in ſingulis partibus ante diviſionem; quia per diviſionem ſpecierum non immutatur conſecratio.

Præterea certum eſt quod factâ conſecratione corpus Chriſti ſit in tota hoſtia, nam verba ad ſui veritatem hoc requirunt ſed nequit eſſe ſub tota hoſtia niſi quoque ſit totus ſub ſingulis partibus ipſius hoſtiæ; quia non eſt ibidem modo quantitativo & extenſo, ſed ſpirituali & indiviſibili.

Quod poſterius tamen non videtur eſſe de fide.

Petes an hæc propoſitio totus Chriſtus eſt in qualibet parte hoſtiæ ante diviſionem ſit de fide.

Reſponderi poſſet neg. quamvis enim Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 3. dicat quod totus & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte totus item ſub vini ſpecie & ſub ejus partibus exiſtat, tamen quia canon. 3. ejuſdem ſeſſ. expreſsè addit *ſeparatione facta* hinc videtur Concilium non voluiſſe determinare tamquam de fide quod ſit in qualibet parte ante ſeparationem.

An Chriſtus in Euchariſtia habeat ibi omnia accidentia quæ ei inſunt exiſtenti in cœlo.

Petes an Chriſtus in Euchariſtia habeat omnia ſua accidentia quæ in corpore ſuo habet in cœlo.

Reſp. Affirm. loquendo de accidentibus ſpiritualibus intellectu voluntate &c. quod verò attinet ad accidentia materialia, ſi illa dicant ordinem ad locum, qualis v g. foret extenſio localis corporis Chriſti in cœlis: reſpondetur negative : ſecus verò ſi

quæ-

quæſtio intelligatur de accidentibus materialibus abſolutis: ratio eſt quia corpus Chriſti eſt realiter unitum illis accidentibus; ergo ubi ponitur corpus ejus debebunt illa ſaltem poni per concomitantiam.

Petes, an inter corpus Chriſti & ſpecies intercedat aliqua unio realis.

Reſp. negativè quia illa vel eſſet eſſentialis vel accidentalis, ſed corpus Chriſti & ſpecies non reſpiciunt ſe mutuo ut partes eſſentiales reales, neque etiam ut forma & ſubjectum quia eſt de fide accidentia eſſe in Sacramento ſine ſubjecto, ergo nulla inter corpus Chriſti & ſpecies intercedit unio realis propriè dicta.

DUBIUM V.

Quam diu maneat corpus Chriſti in Eucharistia.

Chriſtus tamdiu manet ſub ſpeciebus conſecratis, quam diu ſub illis remanſiſ-

Reſp. corpus Chriſti tam diu manere ſub ſpeciebus conſecratis quam diu non ſunt adeò corruptæ vel alteratæ, ut ſub illis non remaneret ſubſtantia panis vel vini. Ratio eſt quia corpus Chriſti ex inſtitutione hujus ſacramenti, ſuccedit in locum panis aut vini; ergo tamdiu debet ſub ſpeciebus perſeverare quamdiu ſub illis conſervaretur ſubſtantia panis aut vini ſi ibidem exiſteret.

ſet ſubſtantia panis aut vini.

Petes quomodo ſpecies poſſint corrumpi, quando quidem ſint extra ſubjectum; agentia autem naturalia à quibus corrumpuntur, non poſſunt agere extra ſubjectum.

Reſp. illas quidem eſſe extra aliquod ſubjectum, non tamen extra omne; nam ſubjectantur in ipſa quantitate panis, ac proinde non eſt mirum ſi agentia naturalia in illas introducant contrarias qualitates quibus illarum temperies aufertur, prout patet experientiâ; ſiquidem conſtat illas quandoque omnino putrefieri.

Non deſinit eſſe præſens Chriſtus ſtatim ac ſpecies deglutiuntur.

Ex illis collige Chriſtum non deſinere ſub ſpeciebus ſtatim ac ille in ſtomachum trajiciuntur, ſiquidem non ille ſtatim ſub illis deſineret ſubſtantia panis.

Petes quid ſi quis communicans tam diu retineret ſpecies ſacramentales in ore donec præ alteratione eſſent totaliter corruptæ an peccaret mortaliter.

Reſp. Affirm. quia talis poneret obicem effectui primario ipſius ſacramenti, quippe qui confertur in ipſa manducatione ſeu trajectione in ſtomachum.

Petes

Quid ſi ſpecies per vomitum ſint ejectæ, an ſint adoranda.

Petes quid ſi ſpecies per vomitum ſint ejectæ an ſub illis remaneret adhuc corpus Domini.

Reſp. ſi illæ taliter per ſtomachum ſint alteratæ ut ſub illis non remaneret ſubſtantia panis tunc nec ſub illis remanebit corpus Chriſti, & conſequenter nec erunt adorandæ; quod ſi verò non ſint adeo alteratæ quin adhuc ſub illis poſſit remanere ſubſtantia panis tunc vel ſunt ſumendæ vel in ſacrario reverenter reponendæ & adorandæ.

Poſt cõmunionẽ aliquamdiu abſtinendũ à cibis, & profanis occupationibus.

Ex hoc diſcant quotquot frequenter communicant & nominatim ſacerdotes, non ſtatim poſt ſumptionem corporis & ſanguinis Domini ſeſe convertere ad fabulas aut mundana colloquia, ſed ad minus uno horæ quadrante ſeſe tenere in ſecreto, & perſrui Deo ſuo. Diſcant quoque ſacerdotes non ſtatim poſt lectum ſacrum ſumere jentaculum ſed ad minus abſtineant uno horæ quadrante, donec & quouſque ſpecies ſacramentales in ſtomacho ſufficienter fuerint alteratæ: nam valdè indecens eſt & contra reverentiam huic SS. Sacramento debitam cibum corporalem in ſtomacho conjungere huic cibo ſpirituali.

Petes quamdiu poſt ſumptionem Euchariſtiæ ſit abſtinendum à cibo corporali.

Reſp. deſuper nullum exſtare præceptum determinans: attamen ſalutare eſſe conſilium abſtinere per mediam horam.

Petes quomodo deſinat corpus Chriſti corruptis ſpeciebus in Euchariſtia.

Reſp. per ceſſationem actionis illius reproductivæ per quam antea poſitum fuerat in Euchariſtiâ. Probatur, quia ibi deſinit modo oppoſito illi, quo in eadem ponitur; ſed ponitur in illa per actionem. quâ ſubſtantia illius reproducitur, ergo deſinit per deſitionem illius reproductionis quâ in Euchariſtia eſt collocatum.

Corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt mortuo modo.

Petes an corpus Chriſti in Euchariſtia ſit ibidem modo planè mortuo.

Reſp. negativè, ſed vivo.

Non poteſt tamẽ juxta illum modũ agere in externa objecta.

Petes an ergo corpus Chriſti in Euchariſtia poſſit agere actione tranſeunte in objecta extrinſeca.

Reſp. negat. quia ut ſic non poteſt agere niſi per membra organica, quibus naturaliter in hoc ſacramento non poteſt uti, eo quod motus naturales eorum membrorum requirant extentionem localem, qualem non habent in Euchariſtia; præterea modus agendi conſequitur modum

dum eſſendi, ſed corpus Chriſti non poteſt naturaliter exiſtere ſine extenſione locali, ergo nec agere ſine illâ.

Vti nec exercere ibi actiones organicas.

Petes an ſaltem corpus Chriſti in Euchariſtia non poſſit exercere actiones immanentes v. g. an poſſit naturaliter exercere actus ſenſuum externorum, ut audire, videre, ſentire &c.

Reſp. negativè, nam ut ſenſus agat requiritur ut objectum mittat ſpecies ad organum ſenſus, quas ſpecies non poteſt naturaliter mittere ad potentiam Chriſti ſenſitivam, quippe collocatam in indiviſibili & hoc ideo quia agens naturale nequit producere qualitatem cum modo inexiſtendi in indiviſibili.

Vti nec actiones ſpirituales; ſaltē naturali agendi modo.

Ex hoc eodem principio ſequitur Chriſtum in Euchariſtia non poſſe naturaliter exercere actus ſenſuum internorum: cum enim & illi ibidem exiſtant in indiviſibili nequeunt naturaliter operari, nec producere qualitatem materialem, cum modo ſuper naturali exiſtendi in indiviſibili. Porro quod attinet ad actus intellectus & voluntatis quamvis illæ potentiæ utpote ſpirituales exiſtant in indiviſibili, non poterit tamen naturaliter Chriſtus elicere actus ejuſmodi potentiarum, eo quod ejuſmodi potentiæ in uſu naturaliter dependeant à ſenſibus & phantaſmatibus.

Veriſimilius tamen hæc omnia ab humanitate Chriſti effici ſupernaturali agendi modo.

Quibus omnibus non obſtantibus Chriſtus in Euchariſtia omnes ejuſmodi operationes vitales tam ſenſuum internorum quam externorum elicere poteſt & quidem piè præſumendum eum omnes ejuſmodi operationes vitales in Euchariſtia exercere neque ibidem commorari modo quodam mortuo ſed vitali; etenim nihil obſtat quominus ipſi actus potentiæ ſenſitivæ ſupernaturaliter ponantur in indiviſibili, & ſpecies neceſſariæ ad agendum ſupernaturaliter infundantur, & Deus motum ſpirituum vitalium ſuppleat neceſſarium ad operandum; etenim ſi omnes ſenſationes quas Chriſtus elicit in cœlo ſint in Euchariſtia per concomitantiam, nihil obſtare poteſt, quominus & hæ hic ſic ponantur in indiviſibili. Et hæc cogitatio plurimum conducit ad reverentiam hujus Auguſtiſſimi Sacramenti, dum cogitamus Chriſti corpus non eſſe ibidem præſens modo mortuo ſed vivo, adeoque oculis ſuis aſpicientem ſacerdotem & circumſtantes, auribus ſuis audire fabulas aliaque irreligioſa verba quæ nonnumquam in conſpectu ejus ibidem proferuntur &c.

Petes

Digitized by Google

Petes an corpus Chriſti poſſit pati ab agente extrinſeco naturali.

Chriſti corpus in Euchariſtia nihil pati poteſt ab agente extrinſeco.

Reſp. negativè, ratio eſt quia ejuſmodi extrinſecum agens non poteſt naturaliter producere hujuſmodi qualitatem materialem cum modo inexiſtendi in indiviſibili eo quod ejuſmodi modus inexiſtendi ſit ſuper naturalis eapropter Chriſtus à cauſa naturali nequit calefieri aut frigefieri; neque lædi aut verberari, nam fieri non poteſt quod accidens ſit localiter extenſum, & ſubjectum ſit in indiviſibili.

Nec poteſt naturaliter ibi videri oculo corporeo.

Ex eodem quoque principio ſequitur corpus Chriſti in Euchariſtia non poſſe videri oculo corporeo. Ratio eſt, quia objectum in indiviſibili poſitum non eſt per ſe ſenſibile, adeoque non eſt objectum potentiæ viſivæ, neque poteſt naturaliter imprimere ſpeciem ſui oculo corporeo, poteſt tamen cognoſci ab intellectu glorificato hominis vel Angeli item per fidem ab homine viatore.

Petes an ergo corpus Chriſti in Euchariſtia non poſſit moveri localiter.

Poteſt tantum localiter moveri.

Reſp. Affirm. attamen per accidens ad motum ſpecierum, ſed non per ſe, ratio prioris eſt, quia ſi localiter non moveretur Euchariſtia non poſſet deferri ad ægrotos neque poſſet deferri in ſupplicationibus.

Petes an ergo corpus Chriſti dum defertur ad ægrotos non accipiat novam præſentiam.

Reſp. Affirm. quia nimirum alteri ſpatio fit præſens, eapropter quando illud dicitur moveri per accidens, non ita venit intelligendum, quaſi ipſum corpus in ſe non recipiat novam præſentiam, ſed quia non movetur niſi ad motum ſpecierum.

Petes à quo corpus Chriſti in Euchariſtia moveatur per accidens.

Reſp. ab eo qui movet ſpecies: nam eſto inter corpus Chriſti & ſpecies nulla intercedat realis vinc, uti diximus, intervenit tamen ex divina ordinatione inſeparabilis præſentia unde contingit ut mutatâ præſentiâ ſpecierum mutetur quoque præſentiâ corporis.

Petes quomodo corpus Chriſti poſſit moveri ab homine, qui movet ſpecies quandoquidem nequidem Angelus poſſit producere præſentiam in indiviſibili in corpore ergo multo minus homo.

Reſp. Angelum quidem non poſſe rem localiter extenſam ponere in indiviſibili ſuppoſito tamen quod corpus aliquod ſit à

Digitized by Google

Deo poſitum in indiviſibili, poterit illud corpus movendo ſimilem præſentiam in eo producere.

Petes, an divinâ virtute corpus Chriſti nequeat moveri per ſe in Euchariſtiâ, ita ſcilicet ut vel ſe ſubducat ſpeciebus, vel ipſas ſpecies ſecum deferat.

Reſp. affirmativè quod fieri poteſt ab anima Chriſti tamquam inſtrumento phyſico ipſas ſpecies per contactum phyſicum impellendo: inſuper hoc fieri poterit à dote agilitatis, quâ corpus Chriſti in hoc Sacramento eſt præditum, & ita conſtat per authentica exempla quandoque Sacram Hoſtiam, nullo miniſtro exteriùs deferente ad diverſos ſanctos eſſe delatam.

DUBIUM VI.

An quando in hoc Sacramento aliquando apparet caro, ſanguis, aut puer, ſit corpus Chriſti vel ſanguis Chriſti.

Quandoque miraculosè loco ſpecierũ apparere puerum, carnem, &c.

PRænotandum ex plurimis hiſtoriis & miraculis, quæ multis in locis contigerunt, conſtare de ſimilibus apparitionibus, prout refert Paſchaſius lib. de Euchariſtia cap. 14. & ſimiliter Joannes Garretius per quindecim ſæculorum centurias; pro quarum explicatione Notari oportet ejuſmodi apparitiones poſſe contingere dupliciter, primo quidem per immutationem factam in oculo videntis, vel aëre intermedio nullâ interim factâ immutatione in ipſis ſpeciebus, ſecundo per immutationem, factam in ipſis ſpeciebus.

Duobus modis contingere poſſunt tales apparitiones.

Quod ſi apparitio fiat primo modo, tunc Chriſti corpus remanet ſub ſpeciebus ſacramentalibus, nec id quod apparet eſt verè corpus aut ſanguis Chriſti; prius patet, quia corpus Chriſti tam diu remanet ſub ſpeciebus ſacramentalibus quamdiu illæ non ſunt ita corruptæ, ut ſub illis deſineret panis ſubſtantia: poſterius patet, quia mutatio ſolùm fit in organo aut aëre intermedio. Porrò ſi apparitio fiat ſecundo modo tunc quidem eſt ibi vera ſpecies carnis, meri, vel ſanguinis, non tamen vera caro vel ſanguis Chriſti, ratio eſt quia id quod apparet quandoque nigreſcit: inſuper multis annis ſolet aſſervari in thecâ vel pixide, quæ omnia dedecent corpus Chriſti glorioſum, ac eapropter ejuſmodi caro aut ſanguis apparens non eſt cultu latriæ adorandus, ſaltem abſoluto quamvis tamen adorari poſſet cultu latriæ reſpectivo tamquam aliquid corpus Chriſti repræſentans, unde pro praxi ad vitandum omne idololatriæ periculum ubi aſſervantur ejuſmodi

An quãdo ſimilia apparent viſibiliter ibi remãneat corpus Chriſti.

An caro vel ſanguis ita miraculoſe apparens ſit caro aut ſanguis Chriſti.

Digitized by Google

ejuſmodi ſpecies; expedit illis adjungere veram hoſtiam conſecratam quæ adoretur.

Petes, undenam ſcietur an in ejuſmodi apparitionibus mutatio ſit ſolum facta ex parte videntis an vero ſit facta in ipſis ſpeciebus conſecratis.

Reſp. ſi hæc apparitio uni vel alteri tantùm fiat, & non paſſim omnibus eſt moraliter certum indicium apparitionem ſolùm eſſe factam ex parte videntis, ſecundo ſi apparitio quidem illa fiat omnibus æqualiter, ſed duret pauco tempore, ita ut Sacra Hoſtia eadem appareat quæ antea, ſignum quoque eſt immutationem factam ex parte videntium.

Petes, ſi id quod apparet non ſit caro Chriſti aut ſanguis quid ergo erit.

Reſp. erit figura repræſentans carnem aut ſanguinem Chriſti.

Petes, an in ejuſmodi apparitionibus nulla poſſit intervenire deceptio.

Ex quibus cauſis fieri poſſint tales apparitiones.

Reſp. pro majori eorumdem elucidatione dictas apparitiones poſſe cauſari à triplici causâ ſcilicet primò à Deo, ſecundò ab illuſione dæmonum, tertiò à vehementi imaginatione: qua diſtinctione præſuppoſitâ.

Dico quandocumque apparitio venit a Deo, nulla poteſt intervenire deceptio, quia Deus efformat ejuſmodi ſpeciem carnis vel ſanguinis in oculo videntis ad ſignificandum quod in Euchariſtiâ corpus & ſanguis Chriſti ſint realiter præſentia, quod ſi ſimpliciter errent & fallantur eorum error eſt per Paſtores corrigendus: hoc modo apparuit Chriſtus duobus Diſcipulis euntibus in Emaus in formâ peregrini, factâ ſcilicet mutatione in oculis videntium non vero in ipſo objecto.

Quandoque poſſunt cauſari à Dæmone aut imaginatione.

Porrò quia hujuſmodi apparitiones poſſunt eſſe illuſoriæ & tendere ad deceptionem quando procedunt à dæmone vel ipſo mediante à vehementi phantaſiâ idcirco opus eſt magna diſcretione Spirituum, prout & oratione ad diſcernendum, an ejuſmodi apparitio proveniat à Deo, an à Diabolo, an à propriâ phantaſiâ.

Petes, an quando ejuſmodi apparitiones fiunt in Venerabili Sacramento ſit Chriſtus ſaltem Sacramentaliter præſens ſub ſpeciebus conſecratis.

Reſp. affirmativè ſi nimirum mutatio fiat in ſolis oculis videntium, quod ſi vero fiat mutatio ex parte ſpecierum conſecratarum ſi illæ in tantum alterentur & mutentur ut ſub illis non poſſit ſubſiſtere ſubſtantia panis vel

vim, ut puta quando odor, ſapor, & ſpiſſitudo panis omnino immutantur, tunc non manet ſub eis Chriſtus: quod ſi verò mutatio qualitatum neceſſariarum ad conſecrandum ſubſtantiam panis aut vini non eſſet tam notabilis ut tolleret, formam panis aut vini tunc adhuc ſub illis ſpeciebus remanebit Chriſtus.

Petes, quid faciet ſacerdos cum inter ſacrificandum vinum mutatur in ſanguinem, aut ſpecies panis in carnem.

An ſi hoſtia conſecrata tempore miſſa ſic immutetur, debeat illã Sacerdos ſumere.

Reſp. ſi aliqua pars hoſtiæ aut ſpecierum vini maneat immutata, illa erit ſumenda, quia completio Sacrificii eſt de jure divino, quod ſi verò utraque ſpecies ſit ſubſtantialiter & totaliter immutata non debebit ſacerdos de novo conſecrare ſpecies quia hoc non eſſet prius Sacrificium perficere ſed novum inchoare: quod ſi verò ſolæ ſpecies panis ſint immutatæ integris interim remanentibus ſpeciebus vini tunc debebit conſecrare novam hoſtiam, pro complemento Sacrificii, & interim ſpecies immutata debebit reverenter aſſervari.

DUBIUM VII.

An accidentia Panis & vini remaneant in Eucharistiâ poſt conſecrationem.

Accidentia panis & vini poſt conſecrationem manent.

Reſp. affirmativè, quod patet experientiâ ſenſuum externorum qui nullam in illis mutationem percipiunt.

Hoc ipſum quoque patet ex Trident. ſeſſ. 13. can. 2. in quo definit ſubſtantiam panis & vini converti in corpus & ſanguinem Chriſti manentibus dumtaxat ſpeciebus.

Petes, an hæc accidentia ibidem remaneant ſine ſubjecto ſubſtantiali.

Sunt in quantitate tamquam in ſubjecto.

Reſp. affirmativè, neque enim ſunt ampliùs in illo ſubjecto cui ante inerant ſcilicet ſubſtantiæ panis, nam illa eſt ablata, neque de novo inſunt copori Chriſti quia illud ibidem eſt in indiviſibili, accidentia vero ſunt ibidem localiter extenſa, quorum proinde corpus Chriſti non eſt capax.

Petes, an ſaltem accidentia panis & vini non inſint quantitati panis & vini.

Reſp. affirmativè, juxta probabiliorem Philoſophorum ſententiam quæ quantitatem realiliter diſtinguit à materia nam prout adhuc ſupra inſinuavimus videmus quod agentia naturalia agant circa illa accidentia, calefaciendo

faciendo, frigefaciendo, aut aliter alterando, quod rectè non poſſent, ſi illa forent extra omne ſubjectum; eò quod agentia naturalia nequeant producere effectum extra ſubjectum ſeu independenter à ſubjecto quod eſt creare.

Porrò quia quantitas eſt ſubjectum reliquorum accidentium, idcirco agens naturale agit in illa non ſecus ac ſi eſſent in ſubjecto ſubſtantiali. Probatur ſecundò quia niſi illa accidentia ſint in aliquo ſubjecto communi, non habebunt inter ſe aliquam connexionem unde facilè exciderent à ſe invicem, neque ſe mutuo neceſſariò concomitarentur, jam autem videmus quod quando Sacra Hoſtia transfertur de loco, in locum ſimul transferantur albedo, rotunditas & aliæ qualitates niſi quod non fieret accidentia illa eſſent inter ſe unita, in aliquo tertio.

Dices, in Concilio Conſtantienſi damnatur hic articulus Wicclef, *Accidentia panis non manent ſine ſuo ſubjecto*, ergo falſum eſt illa ſubjectari in quantitate.

Reſp. negando conſequentiam; nam Concilium damnat illam propoſitionem ad ſenſum auctoris, qui aſſerebat totum aggregatum accidentium eſſe in ſubjecto, adeoque remanere ſubſtantiam panis, cui accidentia tamquam ſubjecto ineſſent.

Petes, an quantitas panis conſervetur eadem actione extra ſubjectum qua in ſubjecto conſervatur.

Reſp. negativè; communis ratio eſt quia actiones diſtinguuntur formaliter à termino ad quem unde quando illi ſunt diverſi diverſæ quoque ſunt actiones, porro conſervatio rei in ſubjecto & ejus conſervatio extra ſubjectum habent diverſos terminos: nam prior pro termino habet rem cum inhærentia, poſterior verò rem ſine inhærentia.

Petes, an ſpecies illæ ſeu accidentia ſeparata à ſubſtantia eodem modo agere, poſſint prout quando ſubjectabantur in ſubſtantia.

Reſp. affirmativè, nam per experientiam videmus, quod poſſint imprimere ſpecies viſibiles prout ante, ſimiliter quod eodem modo immutent guſtum, tactum, &c. prout ante, communis ratio eſt, quia accidentia illa non à ſubjecto ſed à ſeipſis habent vim cauſandi.

Petes, an ex ſpeciebus conſecratis poſſit aliquid generari vel nutriri.

Ex illis ſpeciebus poteſt aliquod corpus generari.

Reſp. affirmativè, quod patet experientia: nam videmus ſpecies conſecratas, præſertim ſi diu

diu in loco aliquo humido aſſerventur, putrefieri & ex illis vermes generari, ſimiliter hominem ex hoſtiis conſecratis, in magna quantitate ſumptis nutriri, vino conſecrato inebriari & ex hoſtiis combuſtis generari cineres.

Petes, quomodo hæc fiant.

Et qua ratione hoc fiat. Reſp. quando alteratio ſeu conſumptio ſpecierum eo uſque proceſſit ut ſi ſub illis eſſet ſubſtantia panis aut vini neceſſariò illa deberet deſinere, tunc eoipſo momento à Deo tamquam authore naturæ creatur nova materia ex qua res gignitur, aut nutritur, idque juxta diſpoſitiones ab agente naturali introductas, quorum beneficio illa ultimò diſponitur ad introductionem formæ ſubſtantialis quæ eodem inſtanti ex illâ producitur.

QUÆSTIO V.
De Effectibus Sacramenti Euchariſtiæ.

DUBIUM I.
Quot ſunt Sacramenti Effectus

Varii effectus Euchariſtiæ. Complures iique præſtantiſſimi à SS. Patribus hujus Sacramenti recenſentur effectus, & inter illos 8. ſequentes ſpeciales; quorum primus eſt augmentum gratiæ Sanctificantis; prout patet ex Scriptura Joannis cap. 6. .... *Qui manducat me vivet propter me & iterum qui manducat hunc panem vivet in æternum*, quibus verbis promittit Chriſtus manducantibus ſuam carnem quod victuri ſint vitâ ſpirituali, quæ non eſt aliud quam gratia ſanctificans.

Probatur ſecundò, ex Florentino in inſtructione Armen. item ex Tridentino ſeſſion. 13. cap. 2. ubi ait, quod Chriſtus hoc Sacramentum ſumi voluerit tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius. *Eſt ſpiritualis cibus animæ.*

Probatur tertiò quia eſt commune omnibus Sacramentis novæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem; ſed hoc Sacramentum per ſe non confert primam gratiam; ergo confert illius augmentum: nam ſicuti effectus cibi corporalis non eſt tribuere vitam homini, ſed illam augere, ita effectus hujus cibi ſpiritualis non eſt dare primam gratiam homini ſeu vitam ſpiritualem ſed illam augere, eapropter Salvator ait

Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus.

Petes, an nullum ſit diſcrimen inter hunc cibum ſpiritualem

Differentia inter cibum hunc ſpiritualem & corporalem.

lem & alium cibum corporalem

Reſp. affirmativè quia hic cibus ſpiritualis non tantùm animam ſemper nutrit ac corroborat ſed etiam continuum præſtat augmentum, corporalis vero eſto ſemper nutriat, non ſemper tamen dat ipſi ſuſcipienti incrementum ſiquidem omne vivens tandem pervenit ad finem accretionis, ultra quem non procedit: etenim ſi per quælibet bona opera homo juſtus ſemper adaugeat merita, quanto magis per crebram & debitam ſuſceptionem hujus ſacramenti.

Petes an augmentum gratiæ quod tribuitur per hoc Sacramentũ diſtinctum ſit ab eo quod datur per alia Sacram. Vivorum.

Reſp. affirmativè nam eſto gratia Sanctificans quæ per quodlibet Sacramentum confertur ex opere operato ſecundum ſe ſit ejuſdem ſpeciei, quælibet tamen differt ab altera, ratione finis: & ita augmentum gratiæ datum in confirmatione datur ad fortiter reſiſtendum tentationibus, in hoc vero Sacramento datur augmentum gratiæ ut homo perfectiùs per amorem Deo uniatur.

Euchariſtia non eſt inſtituta ad dandum primam juſtitiam.

Petes quomodo effectus Euchariſtiæ non eſt prima gratia Sanctificans quandoquidem prout habetur in formâ calicis hoc Sacramentum ſit inſtitutum *in remiſſionem peccatorum*, præterea quia ex vi ſuæ inſtitutionis continet in ſe Chriſtum, & per conſequens virtutem remittendi peccata; inſuper hoc inſinuare videntur orationes Eccleſiæ in Miſſâ, dum ſic orat Sacerdos hæc nos communio purget à crimine &c. item purificent nos Sacramenta quæ ſumpſimus, item, ſit ablutio ſcelerum &c.

Reſp. ad primum ex forma quidem colligi Chriſti ſanguinem effuſum eſſe in remiſſionem peccatorum, ſed nequaquam ipſum Sacramentum eſſe inſtitutum in remiſſionem peccatorum, ad ſecundum dico quod ipſe Chriſtus qui in hoc Sacramento continetur, procul dubio habeat vim remittendi peccata; non tamen voluit ſic inſtituere hoc Sacramentum ut in illo exiſtens & per illud operans ſuſcipienti ex opere operato conferret primam gratiam, eo quod hoc Sacramentum inſtituerit per modum cibi & potus, qui præſupponunt vitam in ſumente.

Porro quod attinet ad orationes Eccleſiæ, illis vel petitur remiſſio peccatorum mortalium quorum non habemus conſcientiam; vel remiſſio peccatorum venialium: vel ſi generaliter petitio extendatur ad omnia pec-

Digitized by Google

cata mortalia, tunc dicendum erit hoc non peti pro iis qui Sacramentum ſuſcipiunt, ſed id peti à Sacerdote tamquam Miniſtro Eccleſiæ pro omnibus Eccleſiæ membris in peccato mortali exiſtentibus idque per modum impetrationis.

Aliquando tamen eam per accidens conferre poteſt.

Petes an ergo Sacramentum Euchariſtiæ nunquam conferat primam gratiam & an conſequenter non deleat peccatum mortale.

Reſpondeo affirmativè non quidem per ſe ut eſt dictum, ſed per accidens, uti contingit quando quis ſumit Euchariſtiam in peccato mortali cujus conſcientiam & affectum non habet, hoc eſt dum prudenter & bona fide exiſtimat ſe eſſe in ſtatu gratiæ, eliciens interim actum perfectæ contritionis aut attritionis quæ ſit vera contritio, ratio eſt quia omnia Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem, ſed talis non ponit obicem, ergo conſequitur gratiam & conſequenter remiſſionem peccatorum ſuorum mortalium.

Si quis exiſtens in peccato mortali hoc invincibiliter ignoret.

Petes quid ſi quis invincibiliter ignoret ſe eſſe in peccato mortali, adeoque ad Euchariſtiam accedat ſine ullo dolore aut tantum cum attritione orta ex puro metu gehennæ, aut etiã cum dolore quem putat eſſe veram contritionem & non eſt, an talis conſequetur remiſſionem peccati ſui mortalis Reſp. negativè, non quidem primo modo, quia ſine pœnitentia formali aut virtuali nullum remittitur peccatum mortale; non etiam ſecundo aut tertio modo quia etſi non ponat obicem poſitivum, ponit tamen obicem negativum, quatenus nimirum non habet diſpoſitionem requiſitam ad remiſſionem peccati mortalis.

an per ſuſceptionem Euchariſtiæ non juſtificabitur ſi non ſit contritus.

Petes, an Ejuſmodi Euchariſtiam ſic ſumendo peccet.

Talis tamen non peccabit ſumendo Euchariſtiam.

Reſp. negativè nec hoc mirum, quia major diſpoſitio requiritur ad conſequendum hujus Sacramenti effectum, quam ad vitandum peccatum in ſuſceptione hujus Sacramenti: nam ad vitandum peccatum ſufficit quod accedens bona fide exiſtimet ſe eſſe in ſtatu gratiæ, ad conſequendum verò remiſſionem peccati requiritur dolor formalis vel virtualis.

Quia ſolùm negativè indignus accedit.

Dices: peccator ante dictus non dignè accedit ad hoc Sacramentum ergo peccat mortaliter, juxta illud Apoſtoli *Qui manducat & bibit indigne judicium ſibi manducat & bibit.* ratio eſt quia non datur medium inter dignum & indignum.

Reſp. peccatorem poſitivè indignum ſumentem Euchariſtiam ſem-

ſemper peccare mortaliter, ſecus vero indignum negative ſive non dignum prout hic contingit.

Dices Euchariſtia datur per modum cibi, ſed cibus nunquam poteſt vivificare mortuum, quippe qui præſupponit vitam in vivente, ergo nec Euchariſtia unquam poterit etiam per accidens vivificare peccatorem ſpiritualiter mortuum.

Reſp. negando conſequentiam & ratio diſparitatis eſt quia cibus corporalis nec in ſe vitam continet nec habet vim illlam efficiendi: ſed econtra illam in ſumente præſupponit, Euchariſtia verò & vitam in ſe continet & vim habet illam quandoque per modum cibi conferendi quippe quæ ſit panis vivus & vitalis.

Euchariſtia nutrit ac roborat animam dignè ſumentis.

Secundus Effectus] Euchariſtiæ ſunt auxilia gratiæ actualis quæ ſumenti conferuntur ex opere operato in ſumptione S. S. hujus Sacramenti, quibus anima ſpiritualiter delectatur, roboratur & quodammodo inebriatur dulcedine divini amoris; & hic effectus uno nomine vocatur refectio ſpiritualis. fundamentum hujus ſumitur ex illo Ioan. 6. *caro mea vere eſt cibus*; ex quo S. S. Patres colligunt & Concilium Florentinum quod hoc Sacramentum eoſdem proportionaliter effectus operetur in anima communicantis in ordine ad vitam ſpiritualem, quos confert cibus materialis in ordine ad vitam corporalem, hinc quemadmodum cibus corporalis vitam hominis ſuſtentat vires deperditas reſtaurat, hominemque facit accreſcere: ita hoc Sacramentum vitam ſpiritualem ſuſtentat, vires animæ calore concupiſcentiæ debilitatas reſtaurat, hominemque ita facit excreſcere in vitâ ſpirituali, ut in fortitudine cibi illius ad inſtar Eliæ perſeveret in ambulandâ viâ divinorum mandatorum, quo adusque perveniat ad montem Dei Horeb. ſecundò ſicuti cibus corporalis comedenti adfert ſaporem & ſuavitatem, eoque majorem quo fuerit delicatior eodem modo hæc eſca ſpiritualis ſuaviſſimum guſtum confert ſumenti eoque majorem quo mentis palatum invenerit meliùs diſpoſitum, quæ dulcedo in animabus piis quandoque eſt tanta ut nullis verbis exprimi poſſit & tam exceſſiva ut ex animâ quandoque tamquam ex fonte redundet in omnes corporis partes, juxta illud *cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, imo de quibuſdam Sanctis legitur eos tantum gaudium, tantumque corporis robur ex hoc Sacramento ſuſcepiſſe ut

Digitized by Google

hoc ſolo alimento contenti omnem reliquum cibum reſpuerint: & hos quidem effectus operatur hoc Sacramentum ex ſe & ex opere operato accedente perfecta diſpoſitione ſumentis, cujus defectu quantumvis aliqui non accedant indignè illos tamen in ſe non percipiunt, ſiquidem delicata nimis eſt divina conſolatio, nec datur admittentibus alienam quantumvis parvam. Porro contingit quod pro majori vel minori communicantium diſpoſitione ejuſmodi fervor charitatis, & hæc ſpiritualis dulcedo plus aut minus percipiatur: quamvis quandoque ex ordinatione divina ad majorem humilitatem & profectum animæ ſumentis hæc ſpiritualis dulcedo retardetur ne effluat in appetitum ſenſitivum.

Concupiſcentiæ motus frænat & debilitat.

Tertius hujus Sacramenti effectus eſt moderari inordinatos noſtros appetitus & fomitem noſtræ concupiſcentiæ; nam Chriſtus in hoc Sacramento ſe non dat tantum nobis in cibum ſed etiam in Pharmacum ſpirituale quo infirmitates noſtræ curentur & ideo S. Cyrillus Alexandrinus lib. quart. cap. 17. in Ioan. ait quod Chriſtus in nobis manens ſedet ſævientem membrorum noſtrorum legem & hoc ſenſu S. Ieronymus exponit illa verba Zachariæ *quod enim bonum ejus niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines* nimirum ſicut cibus corporalis malus malum ſanguinem generat, ita quoque ſanguis hic puriſſimus procreat ſanguinem puriſſimum.

Illos effectus Euchariſtia phyſicè cauſat.

Petes quomodo Euchariſtia minuat concupiſcentiam & extinguat fomitem concupiſcentiæ an phyſicè an vero tantum moraliter nos protegendo ab inſidiis Diaboli auferendo occaſiones quæ fomitem excitant, præveniendo animam per Sanctas inſpirationes & pias affectiones quibus ad bona opera excitatur & malorum obliviſcitur.

Reſp. ſicuti initio diximus Sacramenta phyſicè cauſare ſuos effectus, eò quod ille modus cauſandi magis faciat ad excellentiam & reverentiam Sacramentorum ita conformiter hic dico Sacramentum hoc actione phyſicâ directâ circa corpus ſumentis ardorem concupiſcentiæ minuere, idque vel agendo in imaginationem phantaſticam & appetitum ſenſitivum, quo ſpiritus animales ita moveantur & temperentur prout eſt expediens ad ejuſmodi paſſiones & affectus carnales temperandos, quinimo & contrarias qualitates immittendo, quibus minuatur & remitta-

Digitized by Google

mittatur excedens æſtus libidinis juxta illud Euangeliſtæ *Virtus de illo exibat & ſanabat omnes* nec hoc mirum ſi enim idem ille dominus mulierem; hæmorrhoiſſam fimbriam veſtimenti ſui dumtaxat tangentem à fluxu ſanguinis liberaverit quanto magis ſuo corporali contactu illam carnem à fluxu libidinis expurgabit cui intimè & ſubſtantialiter conjungitur. Merito ergo de effectu hujus Sacramenti S.S. Patres exclamant. *O Felix fructus ubertatis ex qua virginitas ſeminatur*, eapropter quotquot deſiderant in carne fragili non carnaliter vivere, ſed corpus ſuum omni tempore incontaminatum ſervare & incorruptum, ſibi perſuadeant hoc eſſe medium efficaciſſimum quinimo neceſſarium, juxta illud Joann. ſexto *niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem non habebitis* id eſt non retinebitis *vitam* gratiæ & Caſtitatis *in vobis*, ſed illam facilè victi tentationibus amittetis.

Euchariſtia præſervat à mortalibus.

Quartus effectus hujus admirabilis Sacramenti eſt præſervatio à peccatis mortalibus, quod facit tribuendo ex opere operato auxilia actualia ad tentationes oppoſitas ſuperandas augendo quoque habitus ſupernaturales, quibus anima contra vitia roboratur & confortatur; inſuper quatenus in hoc Sacramento agitur memoria dominicæ paſſionis, quia dæmones per eam victi expaveſcunt nec audent impugnare quantum alioqui vellent, hinc merito concilium Tridentinum hoc Sacramentum vocat antidotum quo à peccatis præſervamur; bene tamen notandum quod unica ſumptio hoc non efficiat per totam vitam, ſed ſolùm ad tempus, & ea propter crebro S. S. illud Sacramentum ad præcavendas peccatorum recidivas eſt maximâ cum diſpoſitione & reverentiâ ſumendum ſi hiſce divinis præſidiis optemus præveniri.

Et qua ratione hoc operetur.

Euchariſtia remittit peccata venialia.

Quintus hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio peccatorum, venialium ut ait S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 6. fit autem illa in hoc Sacramento per amoroſæ contritionis vel charitatis fervorem, quem hoc Sacramentum mediantibus auxiliis actualibus in animâ communicantis excitat nolente dilectum ſuum deliberatè etiam minimo quovis inordinato actu offendere; hinc Concil. Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. vocat illud, antidotum quo liberamur à culpis quotidianis.

Idque ex opere

Ex his collige hoc Sacramentum delere peccata venialia ex

perato, & qua ratione.

opere operato non præcisè quatenus confert gratiam ſanctificantem, quia illa ut ſic non habet oppoſitionem cum venialibus, ſed quatenus ex opere operato confert illa auxilia actualia quibus elicitur actus amoroſæ contritionis vel charitatis talis ac tantus, qui repugnet ipſi peccato veniali; eapropter ſicut cibus corporalis reſtaurat id quod actione caloris naturalis eſt deperditum, ita hoc Sacramentum quod confertur per modum cibi, reſtaurat fervorem charitatis qui per peccata venialia fuit deperditus, qui fervor ſufficientem habet oppoſitionem cum peccatis venialibus.

Vnit intimè hominem dignè ſuſcipientē Chriſto.

Sextus effectus eſt ineffabilis quædam unio Chriſti cum homine illud dignè ſuſcipiente juxta illud Joann. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo,* hæc tamen non diſtinguuntur ab ipsâ reali perceptione Sacramenti; nam ex eo quod Chriſti corpus per ſumptionem realiter & ſubſtantialiter recipiatur in homine communicante, dicitur realiter corpori ejus conjungi; nihilominus tamen quædam unio ſpiritualis & moralis reſultat inter Chriſtum & animam communicantem, inquit, S. Thomas, dum ait proprium eſſe hu-

Qualis ſit illa

unio & in quo conſiſtat.

jus Sacramenti effectum hominem in Deum tranſmutare, illum ſibi ſimilem efficiendo in vitâ & ſanctis moribus; eapropter ſicuti cibus corporalis dum ſumitur vertitur vi caloris naturalis in ſubſtantiam aliti & cum eo quaſi quid unum efficitur, & ſicuti vi conſecrationis ſubſtantia panis & vini tranſſubſtantiantur in corpus & ſanguinē Domini ita quoque vi dignæ & ſacræ communionis homo moraliter tranſmutatur in Deum: nimirum dum ex ſuperbo fit humilis, ex ebrioſo fit ſobrius ex luxurioſo caſtus, ex frigido fervidus, & per motus anagogicos in tantum nonnumquam abſorbetur in Deum ut quaſi unus Spiritus fiat cum Deo & exclamare cogatur cum Apoſtolo ad Galat. 2. *Vivo ego jam ego, vivit verò in me Chriſtus*, eapropter ſicuti ignis omne lignum ſibi appropinquans mox in ſe convertit conſumendo priùs in eo quidquid ſibi repugnabat, & demum illi ſuam formam imprimit: ita Deus in hoc Sacramento animam ſibi caſto amore appropinquantem quaſi in ſe convertit, auferendo prius quidquid in illa ſibi diſplicebat, & illam Demum ſibi in vita & Sanctis moribus aſſimilat.

Vitam æternam homini confert.

Septimus effectus eſt adeptio æternæ gloriæ juxta promiſſionem

Digitized by Google

nem Chriſti Joann. 6. quâ pollicetur vitam æternam illis qui dignè Sacramentum hoc ſuſceperint; & eapropter Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. vocat hoc Sacramentum pignus æternæ gloriæ: qui quidem effectus eſt Sacramento huic peculiaris & proprius, nam quamvis commune ſit omnibus Sacramentis conferre gratiam, & conſequenter jus ad gloriam, de facto tamen non obtinetur gloria niſi per perſeverantiam in gratia uſque in finē, quæ potiſſimum virtute hujus Sacramenti confertur, quatenùs ad hoc Sacramentum ſpectat tamquam ad cibum ſpiritualem animam confortare, fovere, & conſervare in bono uſque ad finem.

Vti & reſurrectionem & immortalitatē corpori.

Octavus denique hujus Sacramenti effectus eſt reſurrectio & gloria corporis quæ tamē non videtur aliter hujus Sacramenti effectus niſi quatenus ſequitur ex effectu gratiæ quam Euchariſtia in hac vitâ contulit, ratio eſt quia gloria corporis correſpondet gloriæ animæ, ſed Euchariſtia non habet aliam efficaciam circa gloriam animæ præter eam quam habet circa gratiam & charitatem in hac vitâ, & eapropter non confert aliter immortalitatem corporis quam nutriendo & conſervando gratiam, ex cujus conſervatione ſequitur vita æterna, de hoc effectu loquitur Chriſtus Joannis 6. dum ait qui *manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.*

Dices; Euchariſtia non plus confert ad hunc effectum quam alia Sacramenta quæ etiam conferunt gratiam & conſequenter gloriam.

Reſp. negando antecedens quia hæc ultra gratiam etiam confert perſeverantiam, quod illi particulare eſſe ſupra vidimus.

DUBIUM II.

Quandonam Sacramentum Euchariſtiæ in ſumente producat gratiam ſanctificantem.

Euchariſtia confert illos effectus cum realiter ſumitur.

Certum eſt hoc Sacramentum non cauſare gratiam nec alios ſuos effectus ex opere operato antequam de facto realiter ſumatur & manducetur; quia Chriſtus Joann. 6. non promiſit effectum hujus Sacramenti niſi realiter illud manducantibus, dum ait *qui manducat me vivet propter me*, ac eapropter ſatis convenit inter doctores effectus illos non conferri ante manducationem. Ex quo ſequitur, eos qui tam diu retinent Sacram hoſtiam in ore donec ſpecies corrumpantur, antequam deglutiantur non reci-

Ad hoc requiritur ut deglutiantur ſpecies.

recipere fructum hujus Sacramenti ſed econtra committere ſacrilegium nam tunc prius manducatio incipit quando ab ipſo ſumente mediantibns inſtrumentis vitalibus imprimitur impetus ipſis ſpeciebus ſacramentalibus & trajiciuntur in ſtomachum, quo toto tempore confertur gratia.

Eucharistia ex opere operato agit quamdiu ſpecies manent in ſtomacho.

Sed hic vertitur quæſtio an hocSacramentum in ſubjecto rite diſpoſito inſuper non producat effectus ſuos ex opere operato etiam poſt ipſam ſumptionem, idque quamdiu Chriſti præſentia durat ſub ſpeciebus in ſtomacho.

Reſp. affirm. quæ ſententia valde probabiliter aſſeritur à plurimis magni nominis Theologis, Cajetano, Gabriele, & aliis; eſtque valde pia & apta ad excitandum devotionem fidelium, maxime Sacerdotum, & aliorum crebro communicantium, qui ne defraudentur dono bono, & ne particula boni doni eos prætereat poſt ſumptam ſacram communionem ad minus per mediam horam manent in ſecreto & fruuntur Deo ſuo, tam diu ſcilicet quam eſt probabile ſpecies manere incorruptas in ſtomacho, & accendunt interea in ſe ſpiritum devotionis, amoris, pietatis, quo toto tempore non ſolum ex opere operantis, ſed & ex opere operato conſequuntur continuum augmentum gratiæ ſanctificantis.

Probatur hæc ſententia primò quia hoc Sacramentum teſte Scriptura, Concilio Florentino, & Tridentino traditur per modum cibi, unde & proportionaliter eoſdem effectus operatur in anima communicantis, quos cibus corporalis producit in corpore ſumentis; ſed cibus materialis non ſolum in ipſa ſumptione cauſat effectus, ſed inſuper magis poſtquam ſumptus eſt, tunc enim nutrit, confortat, atque corroborat; ergo idem quoque facit hic cibus ſupercœleſtis.

Secundo maxime congruit ut huic auguſtiſſimo Sacramento tribuamus omnes effectus poſſibiles, ſed ejuſmodi effectus illi non repugnant, quinimo maxime congruunt: nam cum Sacramentum operetur effectus ſuos ad inſtar cauſæ naturalis, cauſa autem naturalis non tantum operetur quando applicatur, Sed etiam quando applicata eſt, ut patet in igne, aquâ, &c. ita congruit quoque huic admirabili Sacramento ut operetur effectus ſuos, quamdiu incorruptum perſeverat in ſtomacho.

Cur hoc Sacramentum

Dices gratia in aliis Sacramentis non producitur ſucceſſive

ſuos effectus potius valeat à producere ſucceſſive quam alia Sacramenta.

ceſſive ſed in inſtanti ergo quoque idem fiet in hoc Sacramento, & quidem in primo inſtanti manducationis, eo quod promiſſio gratiæ fiat ipſi manducationi.

Reſp. negando conſequentiam & ratio diſparitatis eſt quod alia Sacramenta conſiſtant in actione tranſeunte & conſequenter uno tantum inſtanti exiſtant, adeoque uno tantùm inſtanti valent operari: hoc verò Sacramentum conſiſtat in re permanente quod proinde tam diu poteſt operari quamdiu perſeverat & applicatur: applicatur autem ſucceſſive & in tempore.

An ergo ſi quis ſumat majorem Hoſtiam ſemper accipiat majorem gratiam quam qui minorem, cæteris ſi paribus.

Dices ex hac ſententia ſequuntur hæc abſurda, primo quod qui plures Sacras Hoſtias conſecratas ſimul acciperet aut ſumeret Hoſtiam majoris quantitatis aut qui debilioris eſſet ſtomachi & minore calore naturali polleret, & alius qui ſtomacho eſſet robuſtiori, communicando cumhoſtiâ æqualis quantitatis majorem reciperet gratiam.

Reſp. negando ſequelam, nam imprimis quod attinet ad plures Hoſtias ſimul ſumptas aut ad aliam majoris quantitatis tota efficacia Sacramenti pendet à Chriſto præſente, ille autem tam bene eſt præſens ſub parvâ quam magnâ Hoſtiâ adeoque ſub eadem æque bene operatur.

Dices hoc eſſe quidem verum ſed cum Chriſtus diutius maneat ſub majori quantitate ſpecierum aut ſub parvis ejus ſpeciebus in ſtomacho debili conſequenter diutius diffundet ſuos effectus & conſequenter ſequentur abſurda antedicta.

Reſp. negando conſequentiam, ſpectat etenim ad divinam providentiam in talibus caſibus attemperare gratiæ productionem ac durationem ipſarum ſpecierum in ſtomacho, ne ubi eſt æqualis diſpoſitio in communicantibus major gratia producatur in uno quam in altero, ratione majoris durationis ſpecierum in ſtomacho unius quam in ſtomacho alteriùs.

An ad conſequendum effectum Euchariſtiæ neceſſaria ſit actualis devotio in ſumente.

Petes an homine juſto communicaturo ſit alia diſpoſitio neceſſaria ad conſequendum augmentum gratiæ præter ipſum ſtatum gratiæ.

Reſp. & dico primo ſaluberrimum eſſe conſilium pro conſequendo majori gratiæ augmento tam ante ſumptionem hujus Sacramenti quam in ipſa ſumptione, ſeſe excitare ad actualem devotionem, nam ut ajunt medici ſaluberrimum eſſe ante refectionem corporalem aliquo honeſto exercitio non

nihil

Digitized by Google

nihil excitare calorem naturalem, ita quoque utiliſſimum eſt ſacræ communioni aliquod exercitium ſpirituale præmittere, quo animæ calor ac devotio excitetur, præterea, ſicuti à cibo corporali ſumpto plurimum conducit ad ſanitatem animum exhilarare moderato aliquo & ſuavi colloquio: pariformiter ſumpto hoc divino ferculo, optimum erit ſuaviter colloqui cum Deo ſuo, & in illo actualis devotionis calore exæſtuare: & profecto pluris tunc valet una media horula cum devotione tranſacta, quam alio tempore ſeptem horæ in pietate conſumptæ.

Proinde ad quæſt. propoſitam. Dico cum Cajetano, S. Bonaventura & aliis, ultra ſtatum gratiæ per ſe loquendo ad conſequendum augmentum gratiæ requiri actualem vel virtualem devotionem; idque ex inſtituto Chriſti qui idcirco hoc Sacramentum inſtituit per modum cibi & potus, ut diſcamus quod, ſicuti cibus corporalis non nutrit, corroborat, aut auget ſine interventu actionis vitalis ipſius ſumentis, ita quoque nec hic cibus ſpiritualis dabit augmentum gratiæ ſine interveniente actuali vel virtuali devotione ipſius ſumentis: & eapropter S. S. Patres paſſim requirunt magnam devotionem in accedente ad hoc Sacramentum.

Probatur pars affirmans.

Probatur 2. quia Deus neminem adultum teſte conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 6 juſtificat conferendo primam vel ſecundam gratiam ſine interventu motûs liberi arbitrii, quo ipſe in Deum moveatur; ſed hic motus eſt hujuſmodi devotio; ergo hæc requiritur: Et hinc ſeſſ. 13. cap. 7. expreſsè monet ne quis abſque magna reverentia & ſanctitate ad hoc Sacramentum accedat: & cap. 8. explicans quâ ratione ſpiritualiter ſumatur, dicit id fieri vivâ fide, id eſt per actus fidei ſpei & charitatis quibus Chriſto conjungimur.

Probatur 3. quia quilibet illum valde reprehenſibilem judicaret, qui, licet à peccato mortali abſolutus, ſine ullo tamen pietatis aut reverentiæ motu ad hoc Sacramentum accederet: & eapropter quicumque verè Chriſtianus, ſi in perceptione hujus Sacramenti ſine devotionis aut pietatis ſenſu acceſſerit, ſeſe deſuper accuſabit; ex quo patet etiam ipſa conſcientiâ teſte, requiri aliquos pietatis & devotionis motus in ſumptione hujus Sacramenti.

Probatur 4. quia multi ſacerdotes, prout adhuc ſupra inſinuavimus,

vimus, in ſtatu gratiæ quotidie celebrant, qui proinde procul dubio maximum gratiæ augmentum acquirerent ſi non requireretur actualis devotio: quod autem tale non acquirant, patet ex eorum vita & moribus, quippe qui alioquin mutarentur in viros alios, eò quod charitas intenſa magna operetur, & ſi non operetur, charitas non ſit.

Probatur 5. auctoritate S. Thomæ qui in 4. ſentent. diſt. 12. art. 2. expreſsè tenet augmentum gratiæ impediri ob, defectum actualis vel virtualis converſionis animæ ad Deum.

Dices, uſus eccleſiæ habet ut ſi quis incidat in amentiam, qui ante piè vixit, quamvis hoc Sacramentum, expreſsè non petat ut detur illi per modum viatici dum abeſt periculum irreverentiæ: inſuper hoc Sacramentum olim dabatur infantibus; ergo ad conſequendum hujus Sacramenti fructum non requiritur actualis vel virtualis devotio; quippe cum antedicti illius ſint capaces.

Reſp. nos idcirco dixiſſe, *per ſe loquendo*, nimirum quando quis eſt capax uſus rationis: nam ſicuti parvuli & uſu rationis deſtituti juſtificantur ſine motu liberi arbitrii, ita quoque augmentum in hoc Sacramento recipiunt ſine motu actualis devotionis; ſecus contingit in adultis ratione utentibus, de quibus ait S. Auguſt. „ qui creavit te ſine „ te, non juſtificabit te ſine te.

Dices ex antedictis ſequitur hominem in S. communione venialiter diſtractum non percipere augmentum gratiæ ſanctificantis, & per conſequens peccare mortaliter, quia ponit obicem primario effectui ipſius Sacramenti.

An qui ſine devotione ſumit Euchariſtiam peccet mortaliter.

Reſp. concedendo primam ſequelam, negatâ interim ſecundâ licet enim ponat obicem impedientem quo minus effectus primarius hic & nunc producatur, non cenſetur tamen talis ponere abſolutè obicem; Sacramentum enim equidem aliquid operatur, quia tali ſuſcipienti dat jus ad augmentum gratiæ illi conferendũ pro tempore quo ad illud erit ritè & debitè diſpoſitus vide. ſupra Tract. 1. quæſt. 7. Dub. 2

QUÆSTIO VI. De uſu ſeu ſumptione hujus Sacramenti.

DUBIUM I.

Quot modis dicatur ſumi Euchariſtia?

Euchariſtia ſumptio

NOta triplicem paſſim à S S. patribus & concilio tridentino ſeſſ. 13. cap. ultimo ſtatui ſumptio-

Digitized by Google

in hoc ſtatu ſine prævia pænitentia præſumat hoc ſacramentum ſuſcipere.

Cum conſcientia peccati mortalis communicans ſine pænitentia congrua, peccat mortaliter.

Probatur 1. ex 1. Epiſt. ad Corrinth. cap. II. ubi ait Apoſtolus, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane, illo, edat & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibis non dijudicans corpus Domini.*

Porro, quia hæretici dicto Apoſtoli loco abutuntur, dicentes ibidem agi de probatione per fidem ita ut ille, dicatur ſumere indignè, qui illud ſumit ſine fide ille verò dignè ſecundum ipſos, qui ſumit cum fide, credens ſibi per Chriſtum peccata remiſſa, idcirco conc. Tridentinum ſeſſ. 13. canon. 11. ſic definit.

Vt homo peccator ſe digne præparet ad Euchariſtiam, non eſt ſatis quòd credat.

„ *Si quis dixerit ſolam „ fidem eſſe ſufficientem præparationem „ ad ſumendum S. S. Euchariſtiæ Sacramentum anathema ſit, & ne tan„ tum Sacramentum indignè, & ideo „ in mortem & condemnationem ſu„ matur, ſtatuit atque declarat ipſa „ Sancta Synodus illis, quos con„ ſcientia peccati mortalis gravat quan„ tumcumquè ſeipſos contritos exſti„ ment, habitâ copiâ confeſſoris præ„ mittendam eſſe confeſſionem Sacra„ mentalem.*

Probatur ſecundò, quia figuræ hujus Sacramenti ſumi non poterant niſi à legaliter mundis, prout patet in panibus propoſitionis Veteris Teſtamenti, ergo ipſa veritas ſumi non poteſt niſi à mundis ſpiritualiter.

Dices, Chriſtus omnes peccatores ad ſe invitat dicens Matth. 11. *venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos,* ergo & modò peccatores quatenus tales poſſunt Chriſtum ſuſcipere præterea Zacchæus nondum reconciliatus, Chriſtum ſuſcepit hoſpitio, Lucæ 19. inſuper Magdalena pedes ejus rigando, ungendo, tetigit nec peccavit: præterea peccator non peccat Euchariſtiam videndo, quia Eccleſia illam omnibus videndam exponit, ergo nec peccat illam ſumendo:

Cur minus liceat peccatori Chriſtū ſumere quam videre in Euchariſtia.

Reſp. negando conſequent. & ratio diſparitatis eſt, quod peccator ſumens illam in peccato mortali reddat falſam illius ſignificationem: ſiquidem ſignificat refectionem ſpiritualem; ac proinde ſignificat eum, qui illam ſumit, debere ſpiritualiter vivere: hoc autem non faciunt illi qui Chriſtum ſolum externis oculis vident vel manibus tangunt. Præterea ſumptio Euchariſtiæ intra viſcera multò majorem unionem & familiaritatem deſignat, adeoque majorem ſanctitatem poſtulat, quàm contactus exterior; eo modo quo

 geſta-

Digitized by Googl

geſtatio Chriſti in utero majorem poſtulabat puritatem, quam exterior illius geſtatio in brachio.

Sumens Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis committit Sacrilegium.

Petes, cujus ſpeciei peccatum committat, qui ſuſcipit hoc Sacramentum in peccato mortali:

Reſp. peccatum ſacrilegii: adeoque peccat contra virtutem religionis: nam ſicuti cultus & reverentia, quæ Chriſto in hoc Sacramento exhibentur. pertinent ad virtutem religionis, ita pariformiter injuria quæ Chriſto in hoc Sacramento infertur, ſpectat ad ſacrilegium vitium utique religioni oppoſitum.

Petes, an hoc peccatum ſit omnium peccatorum graviſſimum?

Reſp. negativè.

Quod per ſe non eſt graviſſimum omnium peccatorum.

Nam illa peccata ſunt ex genere ſuo graviſſima, quæ committuntur immediatè contra ipſam divinitatem, prout ſunt peccata infidelitatis, blaſphemiæ, deſperationis, aut odii Dei; magis gravia poſt hac ſunt illa, quæ committuntur, in Chriſti propriam humanitatem, idque in propria ſpecie, qualia fuerunt Judæorum qui illum crucifixerunt; tertio loco ſunt illa quæ fiunt contra Sacramenta, & maximè quæ fiunt contra Sacramentum Euchariſtiæ poſtremum locum occupant illa peccata, quæ committuntur in puras creaturas. ratio hujus ordinis eſt, quia quantò perſona, contra quam peccatur eſt major, tantò peccatum eſt ex genere ſuo gravius, ſiquidem major gravitas peccati deſumitur ex majori dignitate objecti.

Præterea in unoquoque iſto ordine recenſito poſſunt committi peccata alia aliis graviora: & ita injuriæ in Chriſtum jactæ in propria ſpecie ſunt graviores iis quæ in illum committuntur in aliena ſpecie. Inſuper gravius peccat qui Euchariſtiam objicit canibus vel pedibus conculcat, quam qui indignè communicat, eò quod prior habeat expreſſam intentionem illam inhonorandi & contemnendi, non ita poſterior, qui tamen cæteris paribus gravius peccat, quam ille, qui delinquit contra virtutes morales.

Petes, quot peccata committat communicans in peccato mortali?

Communicans indignè per ſe loquendo non committit plura

Reſp. per ſe loquendo unum tantum nempè ſacrilegium.

Dices, ultra peccatum commiſſionis quod eſt ſacrilegii, ſemper adeſt peccatum omiſſionis pænitentiæ.

Reſp. illam omiſſionem pænitentiæ non eſſe peccatum diſtinctum

peccata mortalia.

ſtinctum ab illo ſacrilegio, quia obligatio pænitendi tunc non oritur ex præcepto pænitentiæ, ſed ex virtute religionis obligantis ad hoc Sacramentum dignè ſuſcipiendum: & hinc quandocumque præceptum non obligat ratione ſui, ſed tantum ratione alterius, ut hic, tunc oritur una tantum obligatio ſcilicet ex parte virtutis obligantis nempe religionis, quæ jubet ſancta ſanctè tractari.

Petes, an ſicuti accedens ad hoc Sacramentum cùm peccato mortali peccat mortaliter, ita quoque accedens cum peccato veniali peccet venialiter?

Quomodo peccet qui communicat cum peccato veniali.

Reſp. cum diſtinctione, ſi peccatum illud veniale ſit circumſtantia actus communicandi, tunc in ipſa communione peccatur venialiter; & aliquando quoque mortaliter, ſi nimirum ipſum peccatum veniale habeat rationem abſoluti finis ipſius communionis, prout ante diximus. quamquam tamen pro praxi hoc ſit advertendum ex hoc capite rarò inter Chriſtianos peccari mortaliter, eò quod nemo cenſeatur ita ex vana gloria aut alio vano motivo ad hoc Sacramentum accedere, quin adhuc aliquem actum habeat, quo confuſè deſiderat fructum hujus Sacramenti ſuſcipere. unde ſi quis irrepat affectus vanæ gloriæ, ille ſeſe concomitanter cenſetur habere, qui licet ſit peccatum veniale, non tamen erit cauſa novi peccati venialis.

Habens conſcientiam peccati mortalis antequam Euchariſtiam accedat debet confiteri.

Petes, an peccator conſcius peccati mortalis ſufficienter ſeſe diſponat ad dignè communicandum ſi contritionem ſaltem eliciat?

Reſp. negativè, ſed inſuper præmittere debet confeſſionem, idque per ſe loquendo, eſto videatur ſibi ſufficienter contritus.

Probatur ex Tridentino ſeſſ. „13. cap. 7. ubi ſic ait, quare „communicare volenti, revo„candum eſt in memoriam ejus „præceptum: probet autem ſe„ipſum homo, & ſic de pane illo „edat & de calice bibat; & ſubdit, „Eccleſiaſtica autem conſuetu„do declarat, eam probationem „eſſe neceſſariam, ut nullus ſibi „conſcius peccati mortalis, „quantumvis ſibi contritus vi„deatur, abſque præmiſſa Sacra„mentali confeſſione ad S. Eu„chariſtiã accedere debeat, cum autem concilium fundet ſe in Eccleſiaſtica conſuetudine, cujus initii nulla exſtat memoria, ſufficienter declarat eſſe Apoſtolicam traditionem de ſacra confeſſione præmittenda ab eo, qui communicaturus ſibi conſcius eſt peccati mortalis. & eapropter obligatio

Illud præceptum etiam obligat, ubi conc. Trid. non eſt receptum.

præ-

Digitized by Google

præmittendi confeſſionem etiam obligat illos, qui morantur in locis in quibus concilium Tridentinum non eſt receptum: quippe cum hoc non condat novum jus, ſed declaret antiquum, videlicet probationem, de qua loquitur Apoſtolus intelligendam eſſe de confeſſione Sacramentali.

Eſt enim præceptum divinum:

Petes, ex quo ergo præcepto oriatur obligatio præmittendi confeſſionem ante ſumptionem Euchariſtiæ?

Reſp. ex divino, quod habetur 1. ad Corrinth. cap. 11. probet autem ſeipſum homo &c. in quo proinde Eccleſia nunquam diſpenſat, ſed tantùm declarat illud in quibuſdam caſibus non obligare.

Petes, an ſi quis præcedenti nocte vel eodem die peccavit mortaliter peccato carnis, & dein illud confeſſus eſt, poſſit eodem die vel, communicare vel celebrare?

An qui peccatum carnale commiſit poſſit eadem die facta confeſſione communicare.

Reſp. negativè, partim ob diſtractiones & mentis obnubilationes, quas ſimilia peccata poſt ſe relinquunt: partim ob periculum accedendi ad hoc Sacramentum ſine vero dolore & efficaci propoſito emendationis, eo quod ejuſmodi peccata recenter admiſſa utpote periculoſiſſima in genere ad hæſionis, non tam facile habentur odio, quin imò adhuc magis alliciunt & excitant: & hinc: Gregorius Papa ad interrogationem Auguſtini Angliæ Apoſtoli ait oportere ut per diem à communione abſtineat, qui pravâ cogitatione pollutus eſt. & hinc Adrianus & Cajetanus dicunt, quod communicare poſt peccatum quodcumque mortale eodem die admiſſum, eſto prævia contritione & confeſſione ſit peccatum veniale.

Petes, quænam ſint adæquatè requiſita, ut quis in mortali exiſtens poſſit communicare ſine prævia confeſſione.

Quibus caſibus liceat communicare non præmiſſa confeſſione peccati mortalis.

Reſp. Hæc duo: neceſſitas confitendi & defectus copiæ confeſſarii, quod patet ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. ubi poſtquam docuiſſet communioni præmittendam eſſe confeſſionem ab eo qui peccavit mortaliter, addit, modò non deſit copia confeſſoris, & quod ſi neceſſitate urgente ſacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.

Petes, qualis debeat eſſe illa neceſſitas?

Reſp. gravis, ita tamen ut certo termino nequeat definiri, & idcircò relinquenda ſit judicio timoratorum & prudentum virorum; ejuſmodi cenſetur imminens periculum mortis pro-

Digitized by Google

propriæ vel alienæ: & ita conſtitutus in periculo mortis, nec habens copiam confeſſarii poteſt ſine prævia confeſſione ſeipſum communicare: poterit & ſacerdos in iiſdem circumſtantiis celebrare, ut miniſtret infirmo periclitanti viaticum. idem dic, ſi quis ex officio v. g. paſtor, die feſto teneatur celebrare, & non ſit alius qui poſſit ſupplere; item quando quis ſine ſcandalo, aut periculo infamiæ non poteſt communionem omittere, quamquam diligenter adverti debeat, an ſubſit periculum ſcandali vel infamiæ, vel tantum accedat populi admiratio: neque enim propterea licebit ſtatim communicare ſine prævia confeſſione, eò quod vel alii admirabuntur, vel habebitur pro minùs devoto.

Quid ſi quis ad menſam flectens recordetur peccati mortalis.

Petes an Laicus, qui præmiſſâ peccatorum confeſſione percepturus Euchariſtiam flectit ad linteum, & ibidem adhuc recordatur alicujus peccati mortalis obliti, poſſit ſic communicare?

Reſp. ſi ſine periculo ſcandali vel infamiæ ſe nequeat ſubducere, poterit communicare: nullatenus verò, ſi nullum tale periculum ſubſit, ſed tantum quia homines mirabuntur, quia ſola gravis neceſſitas illum excuſat.

Quandonam cenſeatur eſſe periculum infamiæ.

Porrò tunc ſequitur ſcandalum vel periculum infamiæ, quando datur occaſio detrahendi vel temerè iudicandi, vel proximum infamandi; non verò quando datur ſola occaſio admirandi, quod bene notandum, eo quod multi admirationem ſumant pro ſcandalo.

Sacerdos ratione beneficii obligatus ad quotidie celebrandum habens conſcientiam peccati mortalis. an poſſit ſine confeſſione celebrare.

Petes an ſacerdos obligatus ex onere capellaniæ vel ratione indigentiæ ad obtinendam neceſſariam ſuſtentationem poſſit celebrare ſine prævia confeſſione conſtitutus in mortali?

Reſp. negativè, quia onera capellaniæ intelliguntur ſalvâ decentia & honeſtate, præterea oneri illi ſatisfieri poterit die altero porrò ſacerdos pauper aliunde ſibi poterit providere de neceſſariis ad ſuſtentationem.

Item an idem poſſit ad victum ſibi procurandum,

Petes an ſacerdos conſtitutus in mortali, nec habens copiam confeſſarii poſſit ſic celebrare in die feſto, ut audiat ſacrum, vel ut adimpleat præceptum Eccleſiæ de annua communione?

An idem poſſit ut ſatisfaciat præcepto audiendi ſacrum

Reſp. negativè, eo quod præceptum divinum, quale eſt de præmittenda confeſſione non ſit infringendum, ut adimpleatur Eccleſiaſticum, quippe cum minus dêbeat cedere majori.

Petes, quandonam cenſeatur deeſſe copia confeſſarii?

Reſp. nec hic certam & determi-

Quandonam cenſeatur deeſſe copia confeſſarii.

terminatam regulam poſſe præſcribi, ſed id relinquendum judicio virorum prudentum & timoratorum, qui cenſent primò deeſſe copiam confeſſarii, quando quis ſpectatà ætate, debilitate naturæ, negotiis perſonæ, item brevitate temporis, nequit aliquem confeſſarium in vicinia habitantem adire. 2. ſi nullus adſit qui calleat idioma pænitentis. 3. ſi nullus adſit qui habeat juriſdictionem. 4. ſi nullus adſit approbatus 5. ſi quis adſit approbatus, ſed ſine gravi damno ſuo ſpirituali pænitens illi nequit confiteri.

An religioſus cenſendus non habere copiam confeſſarii quia extra monaſterium non habet niſi ſæculares.

Petes, an religioſus abſens à ſuo monaſterio, & incidens in peccatum reſervatum poſſit celebrare ſine prævia confeſſione, cum tamen habeat ad manum ſacerdotem ſæcularem, qui ipſum poſſit abſolvere, & an illo caſu cenſeatur illi deeſſe copia confeſſarii?

Reſp. ſic aliquos religioſos docere, cum hac addita ratione, quia nimis indecens eſſet, ut ſacerdotes ſæculares peccata gravia religioſorum audirent: quod dictum quam ſcandaloſum ſit, & quam magnam portam aperiat plurimis ſacrilegiis, noverunt, quotquot ſunt Deum timentes: quaſiverò etiam ſacerdotes ſæculares inde non poterunt inferre ſe poſſe celebrare ſine prævia confeſſione, ſi deſit ipſis copia alicujus ſacerdotis ſæcularis, eſto ad manum foret regularis approbatus, quia ſcilicet indecens eſt regulares audire graviora crimina ſacerdotum ſæcularium.

Quid faciet communicaturus qui peccatum habet quod eſt reſervatum vel quod non audet aperire præſenti Sacerdoti.

Petes quid ſi pœnitens habeat quidem copiam confeſſarii, ſed tamen unum ſuum peccatum illi nequit explicare ſine gravi ſuo aut alterius damno. item quid ſi habeat caſum reſervatum, nec poſſit commode adiri habens poteſtatem à reſervatis?

Reſp. ad primum caſum, confeſſionem eſſe præmittendam cum taciturnitate iſtius peccati ex quo timetur periculum mali; etenim eo caſu confeſſio erit formaliter integra. Ad ſecundum caſum dico, ejuſmodi pœnitentem debere omnia ſua peccata etiam ipſum reſervatum præſenti ſacerdoti approbato confiteri, & quamprimum fieri poterit, abſolutionem à caſu reſervato obtinere: quod & verum arbitror, eſto hujuſmodi caſus haberet annexam excommunicationem, ſi ex omiſſione communionis tali die vera oriretur infamia, vel ſcandalum: ratio eſt, quia lex ſuperioris ejuſmodi excommunicationem inferentis cum tanto rigore non obligat, ut

ut ad illius obſervantiam quis conſtringatur cum magno ſcandalo, vitæ aut honoris periculo.

Communicaturus non habens copiam confeſſarii debet elicere contritionem de ſuo peccato.

Porrò in his & ſimilibus caſibus, in quibus quis communicat aut celebrat ſine prævia confeſſione, prærequiritur vera contritio cum propoſito confitendi, quinimo ſacerdos qui tali caſu celebravit, tenetur ex præcepto Concilii Tridentini prima datâ occaſione confiteri, prout patet ſeſſ. 13. cap. 7. his verbis: quod ſi neceſſitate urgente ſacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confi„teatur, ſi nimirum ſibi ſit con„ſcius peccati mortalis.; & hoc ipſum quoque venit intelligendum, ſi quidem confeſſionem præmiſerit, ſed juſta de cauſa aliquid in confeſſione ſubticuerit. & eapropter ſacerdos qui negligit primâ datâ opportunitate confiteri, peccat mortaliter: eo quod communis ſenſus doctorum illud concilii Tridentini decretum interpretetur obligare ſub mortali, quod tamen non habet locum in Laico, eo quod lex Tridentini non ſit extendenda ultra proprietatem verborum.

Et inſuper tenetur quamprimum illud poſtea confiteri.

Petes quid ſi ejuſmodi ſacerdos qui celebravit ſine prævia confeſſione differat legere miſſam uſque ad octiduum, an tunc ſufficiat immediatè confiteri ante miſſam in octiduo celebrandam.

Reſp. negativè ſi in hebdomada habuerit occaſionem confitendi, quia Concilium non præcipit confeſſionem in ordine ad illam miſſam ſed planè independenter ab omni alio ſacrificio.

Qui non habet copiam ſacerdotis approbati non tenetur Sacerdoti non approbato confiteri.

Petes, an qui habet neceſſitatem celebrandi vel communicanda, ſed non habet copiam confeſſarii approbati, habet tamen copiam Sacerdotis non approbati, an licebit ipſi confiteri venialia ſimul & mortalia à quibus ſaltem indirectè abſolvatur cum onere illa denuo confitendi directè alicui approbato.

Reſp. negativè eò quod uſus eccleſiæ non habeat ut Sacerdos non approbatus aliquem abſolvat à venialibus qui ſimul habet mortalia.

Petes an ob magnum fructum qui percipitur ex Sacra communione vel ob diei ſolemnitatem, vel ob lucranda ſuffragia pro defunctis poſſit quis communicare ſine præviâ confeſſione inſuper, an ſi quis non habeat copiam proprii ſui Confeſſarii cui ſolet majori cum devotione confiteri poſſit communicare ſine præviâ confeſſione.

Reſp. ad utrumque negativè; quia ad communicandum ſine prævia confeſſione requiritur abſo-

Digitized by Google

abſoluta neceſſitas, ut patet ex Conc. Trid. quo modo non venit quæcumque commoditas aut decentia ex recenſitis.

DUBIUM IV.

An dubitans ſe commiſiſſe peccatum mortale teneatur præmittere confeſſionem.

An qui dubitat ſe peccatum mortale commiſiſſe, teneatur illud confiteri antequam communicet.

NOta tunc conſcientiam propriè eſſe dubiam quando neque reſolvit ſe in affirmativam partem neque in negativam, ſed manet ſuſpenſa.

Dico 1. qui verè dubius eſt de mortali tenetur præmittere confeſſionem ante communionem: ratio eſt quia Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. excipit ſola venialia ab obligatione confitendi; ergo mortalia dubia ſunt materia neceſſaria.

2. Conſtat latum eſſe præceptum obligans illum qui conſcientiam, habet peccati mortalis ad confeſſionem: porro cum in dubio judicandum ſit in favorem poſſidentis, ſequitur eſſe judicandum in favorem præcepti confeſſionis, quod ex communi Doctorum conſenſu eſt in poſſeſſione.

3. Quia qui ſic non præmiſſâ confeſſione communicaret, exponeret ſe periculo ſuſcipiendi Euchariſtiam in peccato mortali.

DUBIUM V.

An nocturna pollutio impediat à ſuſceptione hujus Sacramenti

Ad dignè ſumendum Euchariſtiam requiritur puritas corporis.

EXplicatis diſpoſitionibus requiſitis ad communicandum ex parte animæ, nunc venit explicanda diſpoſitio requiſita ex parte corporis, quæ præcipuè conſiſtit in incorruptione & immunitate à concupiſcentia & fœditate carnali: ſi enim in veteri teſtamento ſacerdotes ab hac debebant eſſe immunes qui ſolos panes propoſitionis offerebant, quanta in Sacerdotibus novi Teſtamenti requiritur munditia, qui puriſſimum corpus & ſanguinem Domini quotidie offerunt: ſi ad mannæ conſervationem præcepit Deus ut fabricaretur vas de auro puriſſimo imponereturque areæ de lignis ſetim incorruptibilibus, quam pura debebunt eſſe corpora Sacerdotum novæ legis, in quibus, tamquam in Sacrario verum illud & Cœleſte Manna corporis & ſanguinis Domini aſſervatur: ſane incorrupta ſint neceſſe eſt, neque carnalibus concupiſcentiis obnoxia: unde quamvis Sanctitas

ctitas Sacerdotis maxime eluceat in omnium virtutum acquiſitione, potiſſimum tamen in caſtitate illibata ſervanda; ſicuti enim nullum eſt vitium quod Sacerdotem reddat ineptiorem ad celebrandum quam impudicitia & libido, ita nulla eſt virtus quæ magis eum ornet quam caſtitas, quare etiam majori injuria non afficitur Deus quam dum corpus ejus virginale impuris Sacerdotum manibus contrectatur, & libidinoſo corpore ſuſcipitur. Quod ut intelligatur.

Notandum Salvatorem noſtrum fuiſſe tantum caſtitatis amatorem, ut, quamvis ſe omnibus humanæ naturæ miſeriis ſubjecerit, noluerit tamen in conceptione aut nativitate ſua vel minimum quid admittere quod virginali immunditie labem inferret: & eapropter pulchrè ait S. Thomas à villa nova „ omnia munda vult auctor puritatis, mundam & puriſſimam „ matrem elegit, virginem diſcipulum præ cæteris dilexit, „ mundà & novâ ſindone corpus „ ſuum involvi voluit, mundo „ in tumulo, in quo nondum „ quiſquam poſitus erat tumulari „ voluit ab his qui ſunt mundo „ corde videtur, & ab his qui „ ſunt mundo corpore poſſi- „ detur.

Et quare quæſo Sacerdotes in miſſæ Sacrificio amictu lineo & albâ lineâ veſtiuntur niſi quia illa caſtitatem & puritatem corporis ſacerdotis præfigurant etenim ut lino candor inducatur quamplurimo opus eſt labore; quippe quod molliri teri & in filum torqueri debet, & tamdiu ſolis æſtibus exponi donec paulatim candor inducatur: quo labore peracto ut candidum permanere poſſit, ſæpius eſt lavandum; ita quoque pro caſtitate tam obtinenda quam conſervanda multis laboribus opus eſt, frangendus & mortificandus eſt appetitus, corpus jejunio extenuandum virtutes heroïcæ exercendæ, familiaritates vitandæ, cithara corporis noſtri excavanda ut deſuper poſſimus pulſare Canticum novum quod nemo poteſt canere *niſi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti ſunt de terra: hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coïnquinati, virgines enim ſunt; hi ſequuntur agnum quocumque erit.* Apoc. 4. His præmiſſis.

Animæ, mentis, & corporis caſtitatem ſemper intactam conſervare cupientes, audiunt caſtè quod pro caſtitatis agnitione neceſſitas cogit aperire; ut habeant unde ſe & animas ſibi commiſſas quandoque poſſint in tam lubrica materia dirigere; ſiquidem

Digitized by Google

dem hoc punctum de nocturna pollutione animas maximè pias & timoratas ſolet perturbare: eapropter cum præſtet verecundiam pati quam animam periclitari, paucis dicemus in hac materia quæ dicenda erunt: nos interim tamquam apes caſtæ ex hiſce venenoſis floſculis mella debemus colligere & non venena.

Itaque ſupponendum, teſte Gerſone Pariſienſi cancellario è membro pudendo multiplicem defluere humorem, unum urinalem, ſecundum ſeminalem, tertium medium, qui ſemini ſimilis eſt in colore & infectione & carnis commotione, quæ aliquando ipſum concomitatur: diſſimilis verò in eo quod non ſit ita groſſus & faciliùs fluat, nec cum magna carnis commotione, qui appellari ſolet diſtillatio. Additur quartus humor præſertim in mulieribus, ſcilicet menſtrualis.

Quid ſit pollutio. Humor ſeminalis, teſte Sancto Thoma non eſt aliud quam ſuperfluum ultimæ digeſtionis ſeu alimenti: nam natura habens ſufficiens alimentum ad conſervationem ſui individui mittit ex omnibus partibus, quod ſupereſt ad vaſa genitalia, & hinc natura conatur illud tamquam ſibi ſuperfluum expellere per fœdas diſtillationes, quandoque in ſomno, quandoque extra ſomnum.

Humor medius eſt ſuperfluum alimenti non tantùm in quantitate ſed & in qualitate, adeoque non tantum ineptus nutritioni, ſed & generationi, veluti ſaliva aut aliæ viſcoſitates deſcendentes ex cerebro. putat Gerſon hunc humorem medium vix aut numquam cauſare talem motum delectationis in membris pudendis, nec in exitu ſuo ita obnubilare judicium rationis ſicut fit in humore ſeminali.

Inſuper, quod notandum, hic humor oritur ex levioribus cauſis, & majori facilitate fluit, præſertim in mulieribus, adeoque nonnumquam ex leviſſimo corporis motu de loco in locum vel inclinatione abſque aliqua prava cogitatione: percipitur verò hic ex effectu, nimirum ſordidatione viſcoſa in carne: evenit autem fœminis faciliùs, & non ſine aliquo ſenſu concomitante dum perſonam aliquam ſibi gratam aſpiciunt, ei arrident aut confabulantur, etiam ubi nihil de opere carnali volunt nec putant, non tantùm peragere, ſed nec cogitare.

Supponendum 2. pollutionem poſſe oriri ex variis cauſis; ex cooperatione Dæmonis qui virtutem imaginativam variis modis poteſt movere, & ita in *Illa oriri poteſt ex variis cauſis.*

Digitized by Google

carne varios motus excitare, cum tanta interdum violentia ut homo potentiarum voluntati ſubordinatarum vix videatur dominus, voluntate interim manente immuni & omnimodè reſiſtente: & ita in piiſſimis animabus Dæmon quandoque tam horrendos excitat motus ut præ horrore fere deficiant legatur vita S. Catharinæ Senenſis, Angelæ de fulgine, Saræ abbatiſſæ &c. & quidam vir magnus dicit ſe experientia didiciſſe in variis perſonis etiam ſanctiſſimis Deum hæc permiſiſſe ad exercitium humilitatis, ſicut ſtimulum carnis & colaphiſationem Sathanæ. in S. Paulo. Legatur deſuper vita S. Petri de Morono qui ex eremita Summus Pontifex creatus dictus eſt Cœleſtinus, hic adoleſcentiæ annos prætergreſſus incredibili ſolitudinis amore captus, poſtquam triennio integro in fovea quadam delituiſſet, in qua inter multas divinas conſolationes quamplurimas quoque Diaboli inſidias pertulit, ſacerdotii tandem honore decoratus ad alium montem, dictum Moronis, perrexit, ubi in cripta quadam annis quinque angelicæ vitæ puritatem eſt æmulatus; ſentiens interim ibidem quandoque acriter carnem ſpiritui reluctantem: & quia interdum nocturnis pollutionibus inquinabatur, animo vehementer angi cœpit an deinceps tremendùm miſſæ ſacrificium peragere poſſet: quæ fluctuatio cum eum indies magis turbaret, ecce nocte quâdam viſus eſt ei Chriſtus in ſomnis aſſiſtere, qui docuit ac monuit propter hujuſmodi Diabolicas illuſiones, quamdiu voluntas reſiſtit nec ulla cauſa data eſt, à miſſæ Sacrificio non eſſe abſtinendum. Porro docuit hoc eum Chriſtus hâc viſione, videbatur huic S. viro quod inſidens aſino aulam prætioſiſſimam intraret, in qua aſinus tributum ventris tranſeundo ſolvebat; exhorruit vir ſanctiſſimus, & progredi reformidans, aulâ regiâ egredi conabatur, idque tamdiu quo ad uſque voce de throno lapſa, benignè admonitus eſt, nihil ad contaminationem regiam pertinere id, quod ſe inſcio aſinus ſuus, utpote animal irrationale excrementa ſua in aula effuderat.

Et quandonam pollutio impediat à ſumptione Euchariſtia.

Eapropter talis pollutio ex hac radice procedens nullatenus impedit celebrationem ſacri aut communionem: eapropter hujuſmodi anima ſeſe totaliter reſignans in Dei voluntate optimè faciet contemnendo tam ejuſmodi motus quam Dæmonem eos immittentem.

Petes,

Petes, unde ſciet Confeſſarius hos motus a Dæmone immiſſos & non potius ex prava inclinatione exortos.

Reſp. id colliget Confeſſarius ex ipſa qualitate perſonæ: nam ſi illa ſit aliàs proba & pia nec ſimilibus peccatis addicta, quin imo mortem potius quam ſimiles ſordes perferre parata, adeoque extra tempus tentationis tota ſit ſollicita ut ſe immaculatam cuſtodiat, & inſuper ſit ſobria, certum eſt ejuſmodi tentationes a Dæmone immitti.

2. Evenit nonnumquam hæc immunditia ex infirmitate vel debilitate naturæ; nam ut ait Gerſon fluxus hic tantâ facilitate in quibuſdam perſonis contingit, ut ſolo aſpectu, alloquio, aut cogitatione, ſine ulla mala inclinatione contingat: quis autem dicat tales invitos & renitentes, & nequidem ullo modo in cauſa conſentientes, committere peccatum mortale, non enim omnium eſt una complexio, in quibuſdam enim videmus leviſſima ex cauſa defluere ſanguinem ex naribus, alios etiam adhibitâ magnâ violentiâ eum non poſſe excutere: cognovi hominem ſeptuagenarium, inquit Gerſon, ſæcularem & valde Crapuloſum qui nunquam ſe pollutum fuiſſe dormiendo teſtabatur, alium vidi religioſum valde ſobrium, qui per decennium & ampliùs hâc quotidie paſſione vexabatur.

Quare generatim in caſibus antedictis, Dico illi, cui præter voluntatis conſenſum accidit, per ſe loquendo congruentius eſſe abſtinere à ſacra communione ſi effectus aliqui iſtius illuſionis adhuc perſeverent: ut v. g. turpes cogitationes, mentis diſtractiones & obnubilationes.

Dixi *ſi effectus aliqui perſeverent*, nam poteſt contingere quod quis ſomno pollutus (neque enim illius humoris obſcænitas apud omnes æquali temporis ſpatio durat) paulo poſt multò humiliùs, devotiùs & cum majori reverentia ad hoc Sacramentum accedat: quod maxime locum habet in viris pijs & contemplativis quorum eſt ad Deum facilis converſio propter carnis ſubjectionem & bonum habitum dum vigilant: rarò autem apud ſæculariter viventes, aut novam bene vivendi formam inchoantes talis repentina recollectio invenitur: quare congruit eos tunc pro illo die abſtinere à ſumptione hujus Sacramenti.

3. Evenit hæc paſſio aliquibus

bus ex cauſa aliqua peccaminoſa, ut ex nimiò potu & cibo: etenim cum natura noſtra inclinetur ad ſumptionem cibi & potus, partim ob conſervationem individui partim ob conſervationem ſpeciei, quidquid ſupereſt conſervationi individui redundat in conſervationem ſpeciei, eſtque materia libidinis.

Oritur quoque ejuſmodi obſcænitas ex vita otioſa: cum enim otium ſit pulvinar Diaboli, fieri non poteſt ut, qui eſt otioſus, infinitis cogitationibus etiam peſſimis, & motibus inde exſurgentibus non repleatur; nam cor ejuſmodi hominis eſt adinſtar molendini, quod deficiente frumento molit paleam.

Oritur quoque hæc paſſio ſæpe ex curioſitate videndi audiendi legendi res venereas, ex quibus poſtmodum tales commotiones oriuntur prout quoque ex immoderato habitu peccandi.

Dico ergo pollutio nocturna quæ vel eſt peccatum mortale, vel effectus peccati mortalis de neceſſitate impedit communionem aut celebrationem ſacri.

Petes, quid ſi pollutionis iſtius per Sacramentum pænitentiæ ſit obtenta venia, an non erit licitum eodem die celebrare

Qui peccaminoſe pollutus eſt, non poteſt eâdem die communicare, licet confeſſus.

Reſp. neg. idque ob rationes Dubio 2. allegatas contra illum qui præcedenti nocte vel eodem die peccato fornicationis eſt inquinatus, eſto illius per confeſſionem obtinuerit veniam: quinimo prudens confeſſarius ejuſmodi pænitenti etiam ſacerdoti, qui voluntariè ſe tali peccato cöinquinavit ſalubriter injunget pro pænitentia ut ad minus tribus diebus abſtineat à celebratione ſacri, idque ob reverentiam tanti Sacramenti.

Petes, an copula conjugalis eodem quoque modo impediat à S. communione.

Uti nec conjuges habita copula. ſaltem de congruo.

Reſp. Aff: ſive ſit facta reddendo ſive petendo, ſaltem de congruo: ceſſantibus tamen mentis diſtractionibus & obnubilationibus, aliiſq; effectibus ex hac immunditia prodire ſolitis poterit is qui debitum reddidit, & etiam quandoque is qui petiit, præſertim ſi hoc fecerit causâ prolis, eodem die abſque ulla culpa communicare: porro qui venialiter deliquit in petendo, ſæpe quoque venialiter peccabit eodem die communicando niſi cauſæ aliquæ rationabiles irreverentiam & indecentiam reſarciant.

Petes quid faciet uxor volens

Digitized by Google

lens communicare ſi maritus urgeat debitum.

Reſp. ſi poſſit comparti ſuadere dilationem ad hoc obligabitur ex reverentia Sacramenti : quod ſi compars non deſinat urgere, tenebitur reddere, & quo ad S. communionem ſeſe conformare noſtris anterioribus dictis.

Porro qui affectu voluptatis & non causâ prolis debitum petiit, eo die ſub peccato veniali tenetur abſtinere à ſacra communione, nam diſtractio illa & imaginatio remanens ex libidinis fluxu impedit ex decentia eum ſub peccato veniali.

Ad quid teneātur qui conſuetudinem habent ſeſe polluendi in ſomno.

Petes an qui ex prava conſuetudine remanente poſt pænitentiam dormiens aut ſemidormiens ſe tangendo polluit teneatur ſub peccato mortali quærere remedium & impedire ne hujuſmodi obſcænitas illi obveniat.

Reſp. Affirm. nam tenetur in ſe impedire illud materiale peccatum quod non naturaliter ſed per pravam phantaſiam ipſe in ſe operatur; ſicuti ſi quis in ſomno proximum ſuum ſoleret vulnerare vel turpiter contingere, id reſciens teneretur huic malo quærere remedium, alioquin enim cenſeretur in illud conſentire : remedium autem pro ejuſmodi obſcænitate impedienda, præter ſpiritualia aſſignabit prudens confeſſarius hujuſmodi pænitenti ut manus faſciâ aut cordâ ex collo demiſsâ ſupra pectus conſtringat ut ad illum locum non poſſit demitti : item injunget abſtinentiam à cibo & potu.

Petes an fluxus menſtrui muliebris impediat mulierem à communione.

Reſp. negative : prout nec ulla immunditia exterior, quæ neque de ſe eſt peccatum neque peccato neceſſariò eſt conjuncta ut lepra vel alius fædus morbus.

HIC LECTOR.

ELeva cor tuum ad Ieſum : & Dic Domine per virgineam puritatem tuam te obteſtor. ure igne ſancti ſpiritus renes noſtros ut tibi caſto corpore ſerviamus & mundo corde placeamus. O Domine qui Hæmorrhoiſſam plena fide contingentem fimbriam veſtimenti tui a fluxu ſanguinis liberaſti, te rogo ut animas quoque tibi devotas teque plenâ fide & amore in auguſtiſſimo Sacramento contingentes ab omni libidinis fluxu etiam involuntario præſervare digneris. Amen.

DUBIUM

Digitized by Google

DUBIUM VI.

An cibus vel potus præſumptus impediant communionem.

Euchariſtia extra neceſſitatem ſumenda eſt à jejunis.

idque ex præcepto Apoſtolico.

CErtum eſt ex conſtitutione Apoſtolica corpus & ſanguinem Domini eſſe ſumendum à jejunis prout teſtatur S. Auguſtin. Epiſt. 118. cap. 6. ubi ſic ait,, placuit Spiritui S. ut, in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani prius dominicum corpus intraret quam cæteri cibi; nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur: hæcque conſtitutio in variis conciliis reperitur ut Carthag. III. c. 29. Conſtantienſi ſeſſ. 13. &c.

Dices Chriſtus dedit hoc Sacramentum non jejunis.

Reſp. id quidem verum eſſe; ſed hoc feciſſe poſt cœnam legalem ut finem figuris imponeret: Apoſtoli autem juxta poteſtatem à Chriſto traditam ſtatuerunt in honorem, tanti Sacramenti ut non niſi à jejunis ſumatur: & quidem antiquitus fuit exceptus dies cœnæ, quo, ad imitationem Chriſti, euchariſtia ſumebatur poſt cœnam prout patet ex conc. Carthag. citato; quamquam tamen canon dicti concilii quo ad hoc numquam fuerit univerſaliter receptus, ſed potius contrariâ conſuetudine abrogatus.

Quid jejunium naturale.

Petes, quotuplex ſit jejunium

Reſp. duplex ſcilicet Eccleſiaſticum, & Naturale: illud conſiſtit in abſtinentia à carnibus & pluribus refectionibus. Naturale verò in omnimoda abſtinentia à qualibet re etiam minima, comeſtibili per modum cibi potus aut medicinæ.

Petes quandonam dicitur aliquid ſumi per modum cibi & potus.

Reſp. quando ab extrinſeco imponitur ori, & propriâ actione vitali trajicitur in ſtomachum.

Petes quale jejunium prærequiratur ante Sacram communionem.

Reſp. naturale.

Petes an ergo ſi quis os abluendo parum aquæ præter intentionem tranſmitteret, aut ſanguinem à capite ad fauces deſcendentem deglutiret, non poſſet eo die communicare.

Reſp. Affirmat ratio eſt quia hæc & ſimilia trajiciuntur per modum ſalivæ, non verò per modum cibi aut potus: idem dic de quovis condimento quod ad percipiendum ſaporem guſtatur & poſtea ſtatim exſpuitur.

Petes an illa quæ ſumuntur in ore contra malignam auram

Digitized by Google

frangant jejunium naturale: & conſequenter an ſumi poſſint ante communionem.

Reſp. vel illa ſunt talia quæ facile liqueſcunt & diffunduntur, pro ut ſunt compoſita ex melle aut ſaccharo, vel ſunt plane arida ut gariophilli aut nuces muſticæ: quæ ſunt prioris generis non poſſunt ante S. communionem teneri in ore propter manifeſtum periculumtranſmiſſionis in ſtomachum: quæ verò ſunt ſecundi generis, juſtà interveniente causâ non prohibentur teneri in ore, ut v. g. ne fœtor anhelitûs alios offendat vel aura maligna intus hauriatur, dummodo advigiletur ne quid trajiciatur: nec enim illa accipere licet eo animo ut deglutiatur ſaliva illorum virtute imbuta ad cor confortandum; nam hoc eſſet de induſtria aliquid intus ſumere ab extra, nam ſuccus aliquis & non ſola qualitas ab illis elicitur, qui, mixtus ſailvæ tranſit ad ſtomachum.

Petes, an ergo ſolvatur jejunium naturale per ſumptionem tabaci.

Reſp. Affirmat. ex dictis, ſi nimirum fumus os intret & deglutiatur: quod etſi non fiat, certè eſt contra reſpectum & reverentiam S. S. Sacramenti ejuſmodi fumum ante S. communionem haurire cum præbeat occaſionem magni ſcandali, nec ulla juſta cauſa ad illum ſumendum poſſit intervenire.

Petes an ſi chartam edens, eam trajiceret in ſtomachum frangeret jejunium naturale.

Reſp. Affirmat. quia ſumit illam per modum cibi, utpote actione vitali illam trajiciens in ſtomachum: nec refert quod non nutriat, quia ſufficit ut extrinſecus imponatur ori & vitali actione trajiciatur in ſtomachum; ſiquidem hoc eſt per modum cibi potus aut medicinæ aliquid ſumere.

Petes à quo tempore hoc jejunium naturale inchoëtur.

Reſp. ab hora 12. noctis, à qua ſumitur initium diei naturalis in Eccleſia Romana.

Petes quandonam cenſeatur eſſe hora 12. an quando auditur præambulum, an quando primus horæ pulſus, an vero tantùm quando duodecimus.

Reſp. horam duodecimam cenſeri auditam ad primum ictum campanæ præambuli, quod ita ſervatur in foro externo quia horologium eſt adinſtar teſtis indicans horam eſſe completam: & ideo quando auditur primus pulſus, jam eſt hora completa & per accidens eſt quod alii pulſus ſubſequantur qui ideo adduntur

quod

quod complementum horæ talis vel talis nequeat indicari unico pulſu, & ideo qui bibit aut comedit eſto finiat ante ultimum pulſum horæ duodecimæ noctis non poteſt Euchariſtiam ſumere.

Petes an dubitans num ſit duodecima audita poſſit ſequenti die communicare.

Reſp. negativè quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, poſſeſſio autem hic ſtat pro præcepto Eccleſiæ præſcribente Euchariſtiam non eſſe ſumenda m niſi à naturaliter jejunis.

Petes an ſacerdos qui voluntariè trajecit unum granum ſinapis aut tritici in ſtomachum poſſit celebrare.

Reſp. non & peccabit mortaliter ſi id faciat, neque enim in hoc caſu adeſt parvitas materiæ reſpectu rei præceptæ: neque enim hic præcipitur jejunium, ſed prohibetur communio poſt comeſtionem, quæ conſequenter ſemper eſt materia gravis, etiamſi materia per quam jejunium frangitur ſit levis.

Qui dubitat an ſit jejunus, communicare non poteſt.

Petes, an qui tranſactâ media nocte deglutivit aliquid ſacchari quod veſperi ori impoſuerat, aut cum fundamento dubitat an deglutierit poſt mediam noctem poſſit communicare.

Reſp. neg. quod patet ex dictis.

Petes, an ſit neceſſe ut ſumpturus mane Euchariſtiam de nocte dormierit.

An ſit neceſſarium inter ſumptionem cibi & Euchariſtiæ intercedere ſomnum.

Reſp. negativè neque enim hoc ex ullo juris textu probatur: nec obſtat Capitulum *ſi obſtiterit*, de accuſato, ubi graviter punitur Sacerdos qui nullâ dormitione præmiſſa celebraverat; ſiquidem non punitur quia non dormierat, ſed quia totâ nocte pernoctaverat in taberna, & veriſimiliter totâ nocte potitans mane iverat ad miſſam celebrandam: unde præſumptio juris erat quod celebraverat non jejunus.

Quid ſi poſt ſumptam ablutionem, Hoſtiæ adhæreant palato?

Petes, an Sacerdos qui poſt ſumptam ablutionem habet aliquas reliquias S. Hoſtiæ palato affixas poſſit novam ablutionem ſumere ut haſce trajiciat.

Reſp. Affirm. eò quod magis deceat illas trajicere per iteratam ablutionem quam per digiti in os impoſitionem; neque obſtat quod non videatur jejunus ob illam ablutionem, quia reputatur unica actio quam Sacerdos jejunus inchoavit.

Petes quid faciet Sacerdos cum hoſtiis poſitis in corporali de quibus dubitat an ſint conſecratæ.

Reſp. Sumet illas poſt ſumptionem calicis vel etiam ſi malit poſt ablutionem, nam reputatur una actio quæ fuit inchoata cum jejunio.

Digitized by Google

Licitum eſt ſumere Euchariſtiam non jejuno, 1. propter reverentiam Sacramenti.

Petes an non liceat aliquibus caſibus Euchariſtiam ſumere fracto jejunio.

Reſp. Affirmat. & 1. quidem quando ita poſtulat reverentia Sacramenti. 2. quando neceſſitas gravioris præcepti ita poſtulat.

Et quidem propter priorem cauſam poteſt Sacerdos non jejunus ſumere Euchariſtiam ſi ſit periculum ne illa alioqui indignè ab hæreticis tractetur: quinimo defectu Sacerdotis idem poterit laicus non jejunus, eò quod reverentia huic Sacramento debita in tali caſu magis obliget quam lex de jejunio.

2. Propter aliud præceptum gravius obligans.

Propter ſecundam cauſam, nimirùm quando ita poſtulat neceſſitas gravioris præcepti, Sacerdos qui loco vini conſecravit aquam non advertens errorem niſi poſt ſumptionem debet de novo vinum conſecrare & ſumere quamvis non ſit jejunus: eò quod completio ſacrificii ſit juris divini: ob eandem cauſam ſi Sacerdos poſt conſecrationem utriuſque ſpeciei moriatur, nec adſit alius Sacerdos quàm non jejunus, tenebitur ille hoc Sacrificium perficere, eò quod præceptum perficiendi ſacrificium ſit majus quam præceptum ſumendæ Euchariſtiæ cum jejunio.

Poteſt grav iter ægrotanti non jejuno dari viaticum.

Ex eodem capite Euchariſtia dari poteſt infirmo non jejuno in articulo mortis per modum viatici, quando commodè nequit exſpectari tempus ſumendi jejunè; quia adeſt neceſſitas adimplendi præcepti divini cui cedere debet Eccleſiaſticum; quod etiam verum eſt in caſu mortis violentæ.

Petes an infirmus qui ſemel communicavit non jejunus per modum viatici, poſſit adhuc aliquando in eodem morbo communicare non jejunus.

Idque ſæpius etiam in eodem morbo.

Reſp. Affirmativè quia cum conc. Conſtantienſe ſeſſ. 13. conceſſerit ut quis infirmus non jejunus communicet, nec reſtrinxerit conceſſionem ſuam ad unam vicem non videtur negandum quin infirmus non jejunus in eodem morbo poſſit adhuc aliquando ad ſacram communionem admitti: neque enim credibile eſt Eccleſiam piam matrem filios ſuos infirmos velle privare tot commodis quibus potiſſimum in tali conſtitutione indigent.

Petes, quid ſi ergo ſit anima aliqua devota, aſſueta, dum ſana eſt, indies communicare & modo ægrota id non valet niſi non jejuna, an poſſit ipſi ita quotidie hoc Sacramentum adminiſtrari.

Reſp. negativè idque propter reverentiam tanto Sacramento debi-

Digitized by Google

debitam; quamquam ipſi videatur concedendum ut ſaltem poſt ſex vel octo dies denuo ſic communicet: & quidem in hâc re ſequenda eſt praxis & conſuetudo fidelium ne ſuboriatur ſcandalum.

Sacerdos non jejunus an poſſit celebrare ad miniſtrandum viaticum ægroto.

Petes, an liceat Sacerdoti non jejuno celebrare ad dandam communionem infirmo conſtituto in mortis articulo ſi deſint hoſtiæ conſecratæ.

Reſp, negativè quia hoc præceptum de jejunè celebrando æquè obligat ac præceptum conſecrandi in pane azymo, aut adhibendi veſtes ab Eccleſia præſcriptas; ſed non licet celebrare in pane fermentato, aut ſine veſtibus requiſitis ad communicandum infirmum: ergo.

Dices præceptum Jejunii naturalis eſt Eccleſiaſticum, præceptum verò communicandi in articulo mortis eſt divinum; ſed divinum præponderat eccleſiaſtico ergo ſacerdos tenebitur tunc celebrare non jejunus.

Reſp. ſubſumptum eſſe verum quando præſumitur divinum præceptum obligare: in caſu autem poſito non præſumitur obligare partim ob reverentiam tanto Sacramento debitam, partim ob alia incommoda inde ſequi nata: nam Sacerdos cogeretur quandoque bene potus ex menſa ſurgere, & adhuc eructans crapulam ſtatim celebrare ad communicandum infirmum; quod ſanè cederet in maximam irreverentiam hujus Sacramenti: nec refert quod obligetur divino præcepto, quia ab illo excuſatur defectu materiæ, ſcilicet hoſtiæ conſecratæ.

Dices licet infirmo non jejuno in tali caſu communicare; ergo & licebit Paſtori non jejuno quoque celebrare.

Cur minus poſſit celebrare non jejunus quam non præmiſſâ confeſſione.

Reſp. negando conſequentiam nam quod infirmo ſic licit m ſit communicare, id accidit ei ob privilegium ab Eccleſia tali conceſſum, quod non conceditur Paſtori ſano.

Dices Sacerdos habens conſcientiam peccati mortalis poteſt abſque prævia confeſſione celebrare ad communicandum infirmum dum non habet copiam confeſſarii; ergo ob eundem finem poterit quoque celebrare non jejunus.

Reſp. negando conſequentiam quia confeſſio ſuppletur per contritionem, nequaquam autem jejunium.

DU-

ne exſpuant: unde conc. Lateran. prudenter ſtatuit pueros tantum debere admitti ad communionem cum ad annos diſcretionis pervenerint; circa quos tamen annos determinandos notandum non poſſe generalem regulam præſcribi; nam pro varia corporis temperie vel etiam educatione alii citius alii tardius ad diſcretionem perveniunt: Ea propter hoc tantùm pendet ex judicio prudentis Confeſſarii qui ejuſmodi pueros ad hoc Sacramentum judicabit idoneos, ſi noverint quid in eo contineatur, & quomodo a pane communi differat: inſuper calleant credenda neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem: prout quoque orationem dominicam, ſalutationem Angelicam, ſimbolum Apoſtolorum, præcepta Decalogi, & Eccleſiæ.

Quandonam pueri judicandi ſint ad annos diſcretionis devenisſe.

DUBIUM VII.
An detur Divinum præceptum de ſumenda S. Communione.

Extat præceptum, fideles obligans ad ſumptionem Euchariſtiæ.

Reſp. Affirm. quod probatur; ex verbis Chriſti Joann. 6. *niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* ubi ſecundum intellectum omnium fere Doctorum loquitur de reali manducatione corporis ſui.

Probatur 2. ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 6. ubi habetur antiquiſſimum eſſe morem in Eccleſia communionem ſumendi in mortis articulo: cum verò talis moris ignoretur principium, præſumere poſſumus ejuſmodi conſuetudinem ab Apoſtolis profluxiſſe; quæ, cum ſemper in eccleſia perſeveraverit, exiſtimare debemus illam eſſe fundatam in divino præcepto obligante in mortis articulo: quod inde confirmatur quia etiam non jejunus poteſt in mortis articulo communicare non obſtante præcepto Eccleſiaſtico prohibente, ergo ſignum eſt præceptum communicandi in articulo mortis eſſe divinum.

Illudque divinum.

Denique hoc ipſum inſinuat Eccleſiæ conſuetudo, quæ cum maxima ſollicitudine procurat hoc Sacramentum morituris, etiam peccatoribus ſi eos peccatorum ſuorum pœniteat.

Quandonam obligat illud præceptum.

Petes quandonam obliget hoc divinum præceptum.

Reſp, certum eſt, prout patet ex dictis illud obligare in mortis articulo ſi enim umquam obligemur Chriſto uniri per hujus Sacramenti ſumptionem, certè obligabimur in illa extrema lucta, ut contra inſidias Diaboli per ſumptionem ejus roboremur.

Licet quis ante morbum lethalem communicaverit, tenetur equidem in morbo communicare.

Petes, quid ſi quis immediate ante ægritudinem periculoſam communicaverit ex devotione v. g. 4. diebus ante, an obligabitur denuo in ægritudine communicare ut ſatisfaciat præcepto divino.

Reſp Affirm. quia quando communicavit, tunc necdum urgebat præceptum, proinde per illam communionem, non potuit ſatis facere: aliud foret dicendum ſi uno tantum vel altero die ante communicaſſet, quippe cum tunc ceſſet finis præcepti, ideo enim tenetur quis communicare in mortis articulo ut ſe præparet ad tranſitum ex hac vita, ad quem cenſetur ſe ſufficienter præparaſſe per Euchariſtiam paulò ante ſumptam, quæ proinde morali judicio cenſetur habere rationem viatici.

Petes an qui in articulo mortis non communicavit, obligetur illo adhuc tranſacto communicare, ut adimpleat præceptum quo tenebatur in articulo mortis communicare.

Reſp. negativè, ſiquidem terminus tunc conſtitutus ad communicandum non videtur poſitus ad ſollicitandam obligationem rei præceptæ, ſed ad illam ſimplicitur finiendam.

Petes an illud divinum præceptum etiam obliget aliquoties in vita.

Præceptum illud divinum fideles obligat etiam extra periculum mortis.

Reſp. Affirm. quamvis enim ſit difficile determinare tempus quo illud præceptum obligat extra mortis articulum, certum eſt fideles adhuc aliquando obligari; cum enim Chriſtus Dominus hoc ſacramentum inſtituerit per modum ſpiritualis alimoniæ ut ejus ope vita gratiæ in nobis conſervetur, & reſtauretur id, quod ardore carnalis concupiſcentiæ eſt deperditum neceſſe eſt illud aliquoties in vitâ ſumere & ideo Eccleſia prudenter determinavit illud ſumendum ad minus ſemel ſingulis annis tempore paſchali.

Illud præceptum obligat omnes fideles adultos rationis capaces.

Petes, quinam hoc divino præcepto communionis obligentur?

Reſp. omnes & ſinguli ratione utentes adulti, ratio eſt quia præceptum datum Ioannis 6. eſt univerſale, ſeſe extendens ad omnes præcepti capaces.

Imo & infideles.

Ex quo infer, omnes etiam adultos non Baptiſatos obligari hoc præcepto, nam eſto Euchariſtiam nequeant ſuſcipere, niſi ſint Baptiſati; tamen illius præcepto ita obligantur, ut ſi Baptiſmum negligant, qui eſt medium ad ſuſceptionem hujus Sacramenti, etiam ex eo capite peccant mortaliter, quod in vita & morte ſua non communicaverint.

A for.

A fortiori obligantur hoc præcepto omnes hæretici:

Mutus & ſurdus à nativitate poteſt eſſe capax Euchariſtiæ.

Petes an Euchariſtia ſit danda ſurdis & mutis à nativitate, ratio dubitandi eſt, quia illi non poſſunt doceri ea, quæ ad ſubſtantiam hujus Sacramenti concurrunt v. g. in illo non eſſe panem ſed verum corpus & Sanguinem Chriſti, unde non videntur habere poſſe fidem de reali Chriſti præſentia, ſicuti nec videntur poſſe habere fidem explicitam neceſſariorum neceſſitate medii, ſcilicet myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Filii Dei, qui proinde horum defectu videntur indiſpoſiti.

Qualiter talis poſſit habere fidem myſteriorum.

Reſp. reperiri ejuſmodi ſurdos & mutos à nativitate, qui pollent non tantum ſufficienti uſu rationis, ſed & qui ſunt ingenii acutiſſimi, ita ut etiam difficillima quæque intellectu, per ſigna ſeſe oſtendant intelligere; & ea quæ ab aliis eis ſunt manifeſtata, etiam ſignis externis oſtendant: qui licet diſtinctè doceri non poſſint, Euchariſtiæ, pænitentiæ, Matrimonii, aut aliorum Sacramentorum ſubſtantiam, poſſunt tamen ex iis quæ ab aliis fieri vident, illam in confuſo cognoſcere, & etiam ſignis externis oſtendere, ſeſe habere ejuſmodi confuſam notitiam. ita V. G. ex eo quod videant alios genibus flexis adorantes Euchariſtiam, illamque magnâ cum reverentiâ ſumentes, cognoſcere poſſunt Euchariſtiam eſſe alterius ordinis quam panem materialem & profanum. Itaque ex eo quod videant aliquos cùm dolore & gemitu ad confeſſionem accedentes tundentes pectora ſua, ſeſeque accuſantes de peccatis ſuis, poſſunt confusè cognoſcere Sacramentum pænitentiæ. Præterea hæc ipſa poſſunt illis ſignis aliquibus externis & nutibus oſtendi ab aliquo inſtructore. qui ipſum confeſſarium ſuper his poterit informare Quod ad explicatos illos fidei actus attinet, præſumendum eſt de Divinâ bonitate, ejuſmodi ſurdos, & mutos non deſtitui interiori auxilio divino, quo adiuti myſteriorum illorum veritatem, per exteriora ſigna cognoſcant, & fide internâ credant.

Et talis poteſt eſſe capax abſolutionis Sacramentalis.

Eapropter quod attinet ad Sacramentum Pænitentiæ, advertere debet Confeſſarius, ſe hujuſmodi mutum & ſurdum in articulo mortis poſſe abſolvere, ubi pectus tundendo, ſe dolere de peccatis manifeſtat quod vero attinet ad confeſſionem annuam illum abſolvere non poteſt niſi ſaltem unum peccatum in ſpecie per ſigna conſueta manifeſtet.

 Po-

Digitized by Google

Porro quod ad Euchariſtiam attinet poterit illa quoque in mortis articulo & in Paſchate illi adminiſtrari: quinimo poterit reperiri ejuſmodi mutus & ſurdus, qui talia edat ſigna hujus myſterii & aliorum, ut ſæpius illi quoque permitti poſſit Sacra Communio ex devotione.

Petes an amentes qui quandoque uſi ſunt ratione obligentur hoc præcepto.

Reſp. Affirmativè nam illam obligationem contraxerunt dum ratione uterentur, quæ per ſupervenientem defectum uſus rationis non eſt extincta, quamvis ob defectum uſus rationis non peccent ſi non communicent. Obligantur nihilominus Paſtores illis in mortis articulo communionem præbere, ſi in bono ſtatu in amentiam incidant, aut ſaltem ita præſumantur, dummodo ſaltem abſit periculum vomitus aut irreverentiæ, extra tamen mortis articulum non ſolet illis hoc Sacramentum adminiſtrari ob reverentiam Sacramenti.

Quandonam teneatur Sacerdos Euchariſtiam dare iis qui in amentiam inciderunt

Petes, quandonam aliquis in bono ſtatu cenſetur incidiſſe in amentiam.

Reſp. quando non conſtat illum antea peccaſſe mortaliter, quia juxta regulam juris quilibet præſumitur bonus, donec probetur malus, ſaltem quoad effectum nulli præjudicioſum: quod ſi verò ſciatur ipſum peccaſſe mortaliter, tunc quoque debet conſtare eum ante amentiam fuiſſe confeſſum, vel ſaltem dediſſe ſigna contritionis, ad quod ſufficit teſtimonium fide dignum unius.

Petes, an pueri ratione utentes obligentur hoc præcepto, & conſequenter an obligetur Paſtor illis Euchariſtiam in mortis articulo adminiſtrare.

Pueri maturius ſolent eſſe capaces abſolutionis quam Euchariſtia accipienda.

Reſp. Affirmat. quamvis bene ſit notandum pueros citius eſſe capaces abſolutionis, quàm Communionis, nam citius poſſunt diſcernere inter bonum & malum, quam inter cibum ſpiritualem & corporalem, adeoque citius poſſunt admitti ad confeſſionem quàm ad communionem. Plurimum quoque confert ut prima communio fiat in magna diſpoſitione & contritione, & proinde præſtat ut hæc nonnihil in pueris differatur, ut devotius & reverentius ad illam accedant. Eapropter eſto pueri octo annorum admitti poſſint ad confeſſionem, utpote doli capaces, & ſufficientes ad diſcernendum inter bonum & malum, non tamen facile ante decimum ætatis annum admittendi ſunt ad Sacram Communionem, quæ tamen

Pueris ante decimum ætatis annum ordinariè non eſt danda Euchariſtia.

men ultra duodecimum ætatis annum non debet differri. Nec ejuſmodi pueri obligantur ex divino præcepto in articulo mortis communicare ante illam ætatem in quâ ſani erant obligati.

Quod ſi tamen in caſu aliquo particulari aliquis puer inveniatur capax etiam anno octavo aut nono, ut reverenter & devotè hoc Sacramentum ſuſcipiat obligabitur paſtor illi hanc in articulo mortis adminiſtrare.

Publici peccatores non admittendi ad Euchariſtiam niſi de emendatione conſtet.

Petes an ſit danda euchariſtia publico peccatori v. g. concubinario, meretrici, ſi pœnituerit.

Reſp. negativè, niſi manifeſtè conſtet de ejus pœnitentiâ, idque ad vitandum ſcandalum.

Petes quâ hora poſſit aliquis communicare.

Reſp. per ſe loquendo qualibet diei horâ quamvis enim Sacerdos non poſſit qualibet horâ celebrare, poteſt tamen per ſe loquendo, qualibet diei hora Euchariſtiam adminiſtrare, modo ſuſcipiens ſit jejunus; per accidens tamen ratione ſcandali, non poteſt Euchariſtia publicè adminiſtrari in eccleſia poſt meridiem, partim ob contrariam eccleſiæ conſuetudinem, partim quod præſumi poſſet, illam dari non jejunis,

Quid ſi non conſtet de diſpoſitione infirmi?

Petes, an Euchariſtia ſit adminiſtranda infirmo, dequo non conſtat an ſit rite diſpoſitus.

Reſp. ſi infirmus ille ante fuerit notoriè in peccato mortali, adeoque conſtet de poſitiva ejus indiſpoſitione, non poteſt illi adminiſtrari Euchariſtia, niſi conſtet de poſitiva ejus emendatione per pœnitentiam, ne alioqui Sacramentum detur indigno. ſufficit autem quod pœnitentia ejus conſtet paſtori per teſtem ſi ſe dignum; ſi ipſe infirmus nequeat explicare: quod ſi verò non conſtet de poſitiva ejus indiſpoſitione, v. g. quod ſit in mortali, & nequeat confiteri, erit equidem ei adminiſtranda Euchariſtia; eo quod nemo præſumatur malus, niſi probetur talis.

Infectis peſte non licet miniſtrare Euchariſtiam mediante inſtrumento.

Petes, qualiter ſit adminiſtranda Euchariſtia peſte infectis.

Reſp. aliquos Paſtores metu infectionis uti ſpatulâ oblongâ: aliquos cochleari argenteo; alios alio inſtrumento. Ego hortor & conſulo paſtorem non debere recedere à communi uſu Eccleſiæ, qui eſt immediate illam manu adminiſtrare, quia ſic poſtulat reverentia tanto Sacramento debita, & aliter practicantem non cenſerem immunem à gravi peccato, quippe

contra venientem gravi cæremoniæ Eccleſiæ univerſalis, quâ in parte præivit omnes Paſtores S. Carolus Borromæus, & ne Paſtores ſuæ diœceſis, aliquo inſtrumento uterentur expreſſe vetuit.

Sed quid ſi os infirmi non poſſit aperiri.

Petes, quomodo Paſtor adminiſtrabit infirmo habenti os vi morbi plane clauſum.

Reſp. quod parvam particulam Hoſtiæ Conſecratæ imponet cochleari cum modico vino, illamque reverenter immittet intra fiſſuras dentium, qui adhuc unum cochleare, vini aut aquæ immittet ut ſpecies deſcendant in ſtomachum.

Quid ſi infirmus ſtatim perceptâ Euchariſtia, moriatur.

Petes quid faciet Paſtor, ſi hujuſmodi infirmus à ſumptâ communione ſtatim moriatur.

Reſp. ſi illam deglutierit, nihil agendum: ſi verò Sacra Hoſtia remaneat in ore hominis mortui, illa reverenter extrahetur & reponetur in Tabernaculo, quo ad uſque ſpecies Sacramentales ſint conſumptæ. quod ſi vero ignoretur, an deglutierit: nec appareat Sacra Hoſtia, tunc præſumendum eſt quod illam deglutierit.

Petes, quid ſi Paſtor in ſuo pago ſit ſolus, & ipſe peſte infectus, an poterit in mortis articulo communicare ſemetipſum.

Reſp. poſſe, eſto etiam non eſſet jejunus, qui tamen uti debet ſtola & ſuperpellicio, pro reverentia tanti Sacramenti, quinimo laicus in articulo mortis, poſſet ſemet ipſum communicare in abſentia Sacerdotis. prout fecit Maria Regina Scotiæ, quæ in carcere antequam eſſet afficienda ſupplicio ſemet ipſam communicavit. Neque enim Euchariſtiam tali caſu contrectari à laico, eſt per ſe malum, quippe cum olim fideles eam manibus acciperent, neque jus Pontificium hoc prohibens venit intelligendum de hac neceſſitate.

Licitum Laico quandoque ſe-ipſum communicare.

DUBIUM VIII.

Quinam obligentur præcepto Eccleſiaſtico annuæ Communionis.

Omnes fideles adulti ex Eccleſiæ præcepto obligantur ad communicandum ſaltem ſemel in anno

RESp. omnes fideles poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint obligantur ex præcepto Eccleſiæ ad ſemel ſingulis annis communicandum in Paſchate, in Eccleſiâ ſuâ parochiali. Etenim etſi fideles in primitivâ eccleſiâ quotidie communicarent, illo tamen fervore Paulatim refrigeſcente, à Fabiano Papa decretum fuit, ut ſaltem ter in anno omnes fideles communicarent, ſcilicet in Paſchate, Pentecoſte, & Natali Domini, in

Digitized by Google

in cujus præcepti obſervatione, cum quoque turba fidelium tepeſceret, tandem in Concilio Magno Lateranenſi ſub Innocentio tertio ſtatutum eſt ut omnes fideles, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, ſemel ſaltem in anno idque tempore Paſchæ, reverenter Euchariſtiam ſuſciperent in propria ſua parochiali Eccleſiâ.

Idque tempore Paſchali.

Quid per tempus Paſchale intelligatur.

Nota tempus Paſchale ex conſuetudine complecti dies 15. nimirum à Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam in albis incluſivè, ita ut poſſit ſatisfieri præcepto Eccleſiæ, quolibet ex illis diebus communicando, etiam ipſo die Paraſceves, nam quamvis eo die non ſit licitum celebrare, nihil tamen obſtat, quominus ſit licitum communicare.

Petes, quid ſi quis Pridie Palmarum communicaſſet per modũ viatici, an obligaretur denuo cõmunicare tempore Paſchali ad ſatisfaciendũ pręcepto Eccleſię.

Reſp. Affirm. eo modo quo is qui pridie palmarum audivit Sacrum, obligatur equidem ipſo die Palmarum iterum audire, cum enim communicandi obligatio in paſchate ſit diſtincta ab obligatione communicandi in mortis articulo, oportebit & illi ſatisfacere, eoquòd dies præcedens non ſit comprehenſus intra tempus ad exequendum præceptum communionis paſchalis determinatum ab Eccleſia.

Petes, an qui non communicavit in paſchate, obligetur tempore Paſchali tranſacto quam primum communicare?

Qui non communicavit tempore Paſchali, tenetur vi illius præcepti poſtea communicare.

Reſp. Affirm. niſi fortè communio ſit dilata de conſilio Confeſſarii (quod enim Confeſſarius communionem Paſchalem poſſit differre ob rationabilem cauſam v.g. ut pœnitens melius diſponatur aut quia judicatur inſtituenda generalis confeſſio &c. patet ex cap. *omnis utriuſque ſexus*) ratio eſt quia ſumptio Euchariſtiæ abſolute præcipitur, ſaltem ſemel in anno & apponitur tempus Paſchale non ad finiendam obligationem ſed ad ſollicitandam & non ulterius differendam: quandocumque vero aliquid abſolutè præcipitur, illique adjungitur aliquod tempus, tamquam magis conueniens adimpletioni præcepti, elapſo illo termino non tollitur obligatio, ut patet in contractibus quibus adiicitur tempus. ultra quod non poteſt differri ſolutio nam illo elapſo non propterea tollitur obligatio ſolvendi.

Qui prævidet ſe tempore Paſchali.

Petes, an qui ante tempus paſchale, prævidet ſe tempore paſchali impeditum iri ad communicandum, teneatur illud prævenire.

Reſp.

impediendum à communione, an teneatur prævenire:

Reſp. ſi prævideat ſe toto anno impediendum, tenebitur prævenire tempus paſchale: quod ſi vero poſt finitum tempus paſchale prævideat ſe adhuc habiturum commoditatem communicandi, non tenebitur prævenire quia ante illud tempus necdum urget obligatio præcepti: eo modo ſicuti is, qui prævidet ſe proximo die feſto impeditum iri ad audiendum Sacrum, non obligabitur propterea prævenire: ſecus dic de eo, qui in hebdommada Sancta prævidet ſe ſequentibus diebus impeditum iri, ille enim obligatur tunc præcepto.

Pueri etſi utentes ratione non ſtatim obligantur hoc præcepto.

Petes, an parvuli quamprimum ad annos diſcretionis pervenerint, obligentur hoc præcepto Eccleſiæ communicandi.

Reſp. negative ut adhuc ſupra diximus, nam eſto ſi peccaverint mortaliter, obligentur illo anno ſtatim confiteri, non tamen obligantur ſtatim communicare, eo quod requiratur major rationis uſus ad communicandum, quam ad confitendum, nam faciliùs diſtinguitur bonum a malo, quam cibus ſpiritualis à corporali, quia hoc præceptum ita interpretatur Eccleſiæ conſuetudo, ut majori cum reverentia & devotione ad hoc ſacramentum accedatur.

Qui indigne communicavit in Paſchate, non ſatisfecit præcepto Eccleſiæ.

Petes, an qui tempore Paſchali communicavit in peccato mortali ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ.

Reſp. negativè, quia talis non ſatisfacit præcepto divino, ergo nec ſatisfacit præcepto eccleſiaſtico, cum hoc tantum ſit determinatio divini præcepti, quippe cum Eccleſia tantum intendat præcipere quod Chriſtus præcepit; eapropter capitulo *omnis utriusque ſexus*, præcipitur ut omnes reverenter, ad minus in Paſchate Euchariſtiam ſuſcipiãt.

Dices ille ſatisfacit præcepto, qui ponit ſubſtantiam præcepti, ſed ſacrilegè communicans ponit ſubſtantiam præcepti, ergo.

Reſp. negando ſubſumptum, quia ſubſtantia hujus præcepti eſt digna & reverentialis communio.

Nec talis implevit præceptum quoad ſubſtantiam.

Dices, modus præcepti non cadit ſub præceptum, ſed dignitas & reverentia eſt modus præcepti, ergo.

Reſp. aſſumptum eſſe intelligendum de modo accidentali, non verò de modo eſſentiali, qui ſemper cadit ſub præceptum, qualis hic eſt digna & reverentialis communio, & in lectione horarum, & auditione miſſæ eſt attentio.

Petes

Non ſatisfacit illi præcepto communicans in Eccleſia Religioſorum.

Petes, an ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ qui tempore Paſchali communicavit in eccleſijs religioſorum.

Reſp. negativè, ut patet ex cap. *omnis utriuſque ſexus*, in quo præcipitur communionem Paſchalem debere accipi in Eccleſia, parochiali de manibus proprii Paſtoris.

Satisfacit tamen Sacerdos ubicumque dignè celebrando.

Dices, Sacerdos ſatisfacit præcepto communionis Paſchalis celebrando tempore Paſchali apud Religioſos, ergo & laicus ibidem communicando.

Reſp. negando conſequent. quia ex recepta Eccleſiæ conſuetudine Sacerdos tunc ſatisfacit, ubicumque celebrando: præceptum verò tunc communicandi, quoad laicos, reſtringitur ad propriam parochiam; eapropter Pontifices concedentes religioſis privilegia, ut quovis anni tempore, poſſint Euchariſtiam diſtribuere adventantibus, parochorum licentiâ minime requiſitâ, excipiunt feſtum Paſchale, per quod indicant unumquemque tempore paſchali debere communicare in propria ſua parochia.

Petes, an ergo qui præcepto Eccleſiæ ſatisfecit in hebdommada Sancta, communicando in propria ſua parochia, non poſſit tempore paſchali alibi communicare.

Reſp. poſſe nam dum dicitur fideles debere communicare in propria ſua parochia in Paſchate, id venit intelligendum formaliter, nempe pro ipſa communione Paſchali ut ovis ſuum paſtorem agnoſcat: eapropter cum is præcepto Eccleſiæ ſatisfecerit, non eſt ratio cur alibi non poſſet communicare.

Pœna à jure ſtatuta in eos qui non ſatisfaciunt illi præcepto.

Petes, quænam ſit pœna quam ncurrit non communicans in paſchate.

Reſp. quod vivens arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & moriens careat eccleſiaſtica ſepultura, ut patet ex cap. *omnis utriuſque ſexus*.

Vagi, peregrini &c. ubi debeant communicare.

Petes, an peregrini, vagi, & qui extra parochiam ſuam ad certum tempus commorantur, vel habent duplex domicilium ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ communicando in Eccleſia parochiali, in qua tunc commorantur.

Reſp. affirm. ex praxi eccleſiæ, quod Eugenium Pontificem vivæ vocis oraculo declaraſſe tradit Navarrus, ſcilicet ejuſmodi in paſchate cenſeri, ac ſi adepti eſſent habitationem in dicta parochia quoad Sacramenta pœnitentiæ & euchariſtiæ: qui tamen nullatenus ſatisfacerent præcepto communionis annuæ ibidem communicando apud Religioſos.

Saeculares inſervientes Religioſis debent in parochia communicare in Paſchate.

Petes an famuli inſervientes religioſis exemptis, debeant tempore Paſchali communicare in eccleſia parochiali, in quâ ſitum eſt monaſterium.

Reſp. Affirm. niſi hoc monaſterium habeat privilegium, prout pleraque habent per communicationem, unde hujuſmodi famuli tunc ſatisfacient communicando in ipſo monaſterio in quo & poſſunt ſuſcipere viaticum, ut patet ex bullâ Pauli tertii.

Petes, quid facto opus cum illo qui tempore Paſchali communicavit apud Religioſos, ſine licentiâ proprii ſui Paſtoris?

Reſp. debet is denuo in propria ſua parochia communicare eoquòd necdum ſatis fecerit præcepto Eccleſiæ.

DUBIUM VIII.

Ad quem ſpectat Adminiſtratio Euchariſtiæ.

Adminiſtrare Euchariſtiam competit ſolis Sacerdotibus juriſdictionem habentibus.

Quamvis omnibus Sacerdotibus competat poteſtas conficiendi Euchariſtiam, illam tamen alijs diſtribuere ex officio competit illis ſolis ſacerdotibus, qui habent juriſdictionem ordinariam vel delegatam. Ratio eſt quia Euchariſtia prout & alia Sacramenta ſunt cibus animæ adminiſtratio autem cibi ſpectat ad illum qui debet paſcere, qualis eſt ſolus paſtor, aut ejus delegatus.

Peccat mortaliter Sacramenta adminiſtrans ſine licentia Paſtorum.

Hinc inſer: eos peccare mortaliter, qui ſine ullâ juriſdictione adminiſtrant, eo quod violent jus alterius in re gravi: Quod ſi tamen infirmus aliquis ſit ſacro viatico muniendus, & proprius paſtor abſit, vel ſi ſit præſens irrationabiliter recuſet illam dare, tunc quilibet ſacerdos tam ſæcularis quam regularis poterit illam adminiſtrare, ex præſumpta voluntate Epiſcopi aut pontificis.

Item qui occultè Euchariſtiam defert ad ægrotos.

Petes, an peccent ſimplices Sacerdotes, qui ſine conſuetis cæremoniis & debita reverentia clam deferunt Euchariſtiam ad ægrotos communicare volentes ex devotione.

Reſp. Affirm. idque mortaliter, primo defectu iuriſdictionis quippe cum hoc faciant renitentibus & diſſentientibus ipſis parochis: ſecundò ratione ſummæ irreverentiæ quâ hoc S. S. Sacramentum tractant.

Qualiter agere debet Paſtor dum Euchariſtia longinque deferenda eſt per loca periculoſa.

Petes, an ſimiliter peccet Paſtor, qui cogitur deferre Euchariſtiam ad ægrotum extra civitatem per vias lutoſas, difficiles, & periculoſas, clam illam deferendo,

Reſp. paſtorem tunc obligari ad faciendum quidquid poteſt

teſt

Digitized by Google

ſuum tam internorum quam externorum, prout & in ſilentio & oratione internâ, poterit illas tertio quoque die ad ſacram communionem admittere. quinimo ſi ejuſmodi anima gravi aliquâ afflictione internâ aut tentatione prematur, non ſeſe difficilem exhibebit Pater ſpiritualis ad quotidianam illi communionem pro aliquo temporis ſpatio V G. toto tempore adventûs, aut quadrageſimæ, illi impertiendam, & hoc ideo, quia ſacra communio animam potiſſimùm corroborat atque confirmat contra omnes tentationes & deſolationes internas: nec refert, quod prout ſtatim dicemus, communio quotidiana exigat eminentiorem diſpoſitionem: ſicuti Rex terrenus exiſtens in exercitu ſuo non perhorreſcit pro modico tempore commorari in tentorio, aut etiam tugurio ruſticano, ita nec Deus ſummæ Majeſtatis dedignatur pro modico tempore commorari in ejuſmodi anima adhuc inculta contra vitia ſua continuo bellante, dummodo ſaltem in ea nullos pulveres inveniat, qui oculos ſuæ majeſtatis offendant.

Ex dictis facilè concludetur cuinam animæ ſit conferenda quotidiana & continua communio; ſcilicet illi, quæ licet necdum in culmine perfectionis ſit collocata, attamen ab omnibus mundi curis & cupiditatibus ſæculi eſt vacua; peccata ſua præterita deflet; paſſiones ſuas omnes ſtudio mortificationis cohibet, nulli creaturæ affixa; virtutum, præſertim humilitatis, manſuetudinis, caſtitatis, & ſilentii amans, non in plateis, (niſi hoc exigat Dei gloria) ſed domi in abdito cordis ſui commorari aſſueta cum ſul omnimoda reſignatione in Dei Voluntatem; tota deniq; interna & recollecta, etiam fugiens minima peccata venialia deliberata. detur mihi ejuſmodi anima, & ego illi quotidianam communionem non denegabo; nam ſicuti Rex terrenus politum, & omnimodè ornatum expetit palatium, in quo aſſiduè commoretur, eſto fortaſſis in tranſitu, ut diximus quandoq; contentus ſit etiam vili tugurio ruſticano; ita quoque Dominus ſummæ majeſtatis; & eapropter domum illam, id eſt animam illam, decet ſanctitudo omniſque ornatus interior ſupra deſcriptus, in qua ille aſſiduè debet commorari. ſi cui aliud videatur, illi reſpondebo cum Apoſtolo ad Rom. 14. *unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*. & hæc ſufficient pro praxi confeſſariorum.

Digitized by Google

Dices, Catechiſmus Conc. Trid. juſſu Pii V. editus, de Euchariſ. c. 15. ſic habet. „Parochi partes „erunt fideles crebrò adhortari, „ut quemadmodum corpori in „ſingulos dies alimentũ admini-„ſtrare neceſſariũ putant, ita etiã „quotidie hoc ſacramento alendę „& nutriendæ animæ curam non „abjiciant, neq; enim minus ſpiri-„tuali cibo anima quàm materiali „corpus indigere perſpicuum eſt. „Vehementer autẽ proderit hoc „loco repetere illa maxima & di-„vina beneficia, quæ, ut antea de-„monſtratum eſt, ex Euchariſtiæ „ſacramentali perceptione conſe-„quimur, illa etiã figura erit ad-„denda, cum ſingulis diebus cor-„poris vires manna reficere opor-„tebat. itemq; S.S. Patrũ autho-„ritates, quæ frequenter hujus ſa-„cramenti perceptionem magno-„pere commendant. Neque enim „unius Auguſt. ea fuit ſententia, „quotidie peccas, quotidie ſume; „ſed ſi quis diligenter attenderit „eundẽ omnium Patrum qui de „hoc ſcripſerunt, ſenſum fuiſſe, facile comperiet.„ ergo ſecundum dictum Catechiſmum omnibus omnino fidelibus indiſcriminatim erit ſuadenda ſacra Communio.

Reſp. cum Gabriele Vaſquez part. 3. diſp. 192. quod Catechiſmus ille Romanus juſſu Pii V. editus non habeat tantum authoritatis, ut credamus ea quæ habet à Pontifice eſſe definita, ſed longe minor authoritas ei eſt tribuenda, ut proinde non nimirum ſit quod contra eum aliqui ſcholaſtici non ſemel ſenſerunt. Præterea dictus Catechiſmus venit intelligendus juxta ſupra memoratam diſtinctionem Sancti Thomæ.

Recollectio.

Hic Lector paucis expende ſi potes, memoriam mirabilium ſuorum, quæ tibi exhibet miſerator & miſericors Dominus in hoc auguſtiſſimo ſacramento, tanquam omnium miraculorum ſuorum portentoſa ſynopſi, & recogita, quam amplum ei te gratum exhibendi, & ferventer illi inſerviendi, hic tibi ſuppetat argumentum. certe Eccleſia in glorioſo ſuo Cantico Sacro horrore perculſa admirabunda exclamat, qui ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis uterum. *quantò magis admirari oportet dum recogitas, quod dominus ille infinitæ majeſtatis ſpurcum & fœtidum corporis tui habitaculum ingredi & intra viſcera tua recipi non exhorreſcat & quod te in majorem admirationem rapere,*

rapere, & ſtupore percellere debet, eſt hoc, quod idem ille Dominus, qui amore tui homo factus olim à ſceleratis carnificibus ſe in crucem agi paſſus eſt, ſic adhuc hodie quorundam ſceleratorum ſacerdotum manibus tangi, & contrectari ſe ſinat, atque in impuriſſima illorum corpora ingrediatur, ſeque denuo ab illis vendi, flagellari & crucifigi patiatur, ut animas ſuas electas illorum miniſterio viſitet atque ſoletur. Dein expende quanti tibi interſit debitâ tam corporis quam animæ puritate & diſpoſitione ad hoc ſacramentum ſacratiſſimum accedere, eoquod juxta menſuram diſpoſitionis tuæ futura ſit menſura gratiæ, quam recipies; quæ certè tantò major ad hoc ſacramentum requiritur, quantò illud cæteris omnibus eſt excellentius: & idcirco juxta monitum Apoſtoli, Proba te ipſum bene, antequam de pane illo edas & de calice bibas, ne aliquis judicium tibi manduces, non dijudicans corpus Domini. ſatage inquam conſcientiam tuam mundare, non ſolum à mortalibus, ſed etiam quantum potes, ab omnibus venialibus, quæ licet charitatem non tollant, ſervorem tamen ejus plurimum diminuunt & devotionem, quæ magis propria eſt ad hoc ſacramentum diſpoſitio, plane refrigerant, ne dicam extinguunt.

Porro ſicut aqua odorifera ex variis boni odoris floribus & herbis diſtillatur, ſic devotio hæc ex multis ſpiritualibus adeoque gratis affectibus componitur, ut ſunt, profunda humilitas, ſumma reverentia, firma fiducia, ardens amor fames indeficiens, & intolerabile deſiderium hujus ſacramenti ſumendi. porro humilitatem & reverentiam excitabis conſiderando ex una parte ſupremam Dei majeſtatem, verum Deum & hominem hoc in ſacramento realiter præſentem, ad cujus nutum columnæ cœli contremiſcunt; ex altera vero parte oculos tuos in te reflectendo & conſiderando propriam vilitatem tuam & miſeriam, adeoque perſonam publicani induendo, qui ad altare propius accedere non audebat, nec oculos ad cœlum levare dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori: & quod ad affectum amoris & fiduciæ attinet cur non redamabis, uſque adeo te amantem, & reddas amorem pro amore; aut cur non fides ei, qui ſemetipſum tibi tradidit in pignus proprio ſuo te paſcens cruore: & quia, ut ait S. Auguſtinus, hæc eſca eſuriem quærit hominis interioris conare cum intenſo deſiderio & appetitu ad hoc ſacramentum accedere, quod animam eſurientem implebit bonis: quia vero temetipſum ſine ejus prævio adjutorio diſponere non potes, ipſum rogabis, ut animam tuam humilitate, patientiâ, caſtitate amore & reverentiâ implere dignetur: hiſque & aliis id genus conſiderationibus actualem in te devotionem in ſuſceptione hujus ſanctiſſimi ſacramenti reſuſcitare conaberis.

De

De Sacrificio Miſſæ.

Euchariſtia habet rationem non ſolùm Sacramenti, ſed etiam Sacrificii.

PRænotandum Euchariſtiam non tantùm habere rationem Sacramenti, de qua hactenus tractavimus, ſed etiam Sacrificii in quo præcipuus cultus Religionis Chriſtianæ conſiſtit; quæ rationes etiamſi ſint formaliter diverſæ, non tamen ita inter ſe pugnant ut nequeant uni & eidem rei competere; Eſt itaque Euchariſtia Sacramentum, quatenus eſt efficax ſignum gratiæ ſanctificantis: eſt autem Sacrificium, quatenus Deo in recognitionem ſui ſupremi Dominii offertur. Proinde hic breviter tractandum de Sacrificio in genere, deinde de Sacrificio Miſſæ in ſpecie, propter noſtri temporis hæreticos, qui illud penitùs abolere conantur.

QUÆSTIO I.
Quid Sacrificium in genere.

HÆretici, pro implacabili odio quo feruntur in auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, etiam quâ parte eſt ſacrificium ut illud prorſus eliminent, ita genericam rationem Sacrificii explicant, ut omne opus bonum appellent Sacrificium, quinimo quidquid Deo offertur Sacrificii nomine appellant: Pro intelligentia itaque Sacrificii in genere.

Non omne opus bonum eſt propriè ſacrificium.

Dico primo; non omne opus bonum etiam relatum ad Dei honorem, eſt Sacrificium; quia ſcriptura ſæpe opus bonum opponit Sacrificio, prout patet primo Regum cap. 15. ubi ait Spiritus Sanctus, quod *melior ſit obedientia quam victima*, & Oſeæ 6. *miſericordiam volo, & non Sacrificium.* Ex quibus clarè patet non omne opus bonum eſſe Sacrificium.

Secundò Sacrificium debet eſſe excellentiſſimus Dei cultus exterior; quod inde patet, quia illud nulli, præterquam ſoli Deo, poteſt offerri, teſte Auguſt. qui libro 10. de Civitate Dei cap. 4. ait, „ Nemo umquam ſacrificandum cenſuit, niſi ei, quem „ aut Deum ſcivit, aut putavit, „ aut finxit: ſed opus bonum prout ſunt diverſa honoris ſigna, ut genuflexio, erectio ſtatuæ, &c. ſæpe homini deferuntur, ergo

ergo non omnia opera bona ſunt ſacrificia.

Tertio ad Sacrificium requiritur Sacerdos & altare, ſed multa opera bona fiunt ab illis, qui non ſunt Sacerdotes, nec qui habent altaria, ergo: porro quod ad ſacrificium requiratur Sacerdos & Altáre, patet ex uſu omnium gentium, exemplis quoque Scripturæ Sacræ, ubi altaria, non niſi ad ſacrificandum, erecta legimus, uno excepto filiorum Ruben, & Dan, de quo Joſuæ 22. qui illud erexerant in ſignum quod haberent jus offerendi: cum verò Sacrificium ſit excellentiſſimus Dei cultus, requiritur ad illud determinata perſona, adhoc ſpecialiter conſecrata prout & determinatus locus ab uſibus profanis ſequeſtratus.

Dices Scriptura Sacra, Contritionem, Eleëmoſinam, & alia bona opera appellat Sacrificia, ut patet Pſalmo 50. ubi ait *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, & Pſalmo 4. *Sacrificate Sacrificium juſtitiæ.*

Sacrificium in ſcripturis variè aliquid dicitur.

Reſp. nomen ſacrificii in Scriptura accipi dupliciter, primo latè pro omni opere bono, quia ſcilicet tale opus adinſtar ſacrificii, Deum placat, & ſic accipitur locis citatis. Secundo ſumitur ſtrictè & proprie, pro externo Dei cultu, quo aliquid Deo, tanquam omnium rerum principio & Domino, exhibetur; unde dum S. Auguſtinus lib. 10. de civitate Dei, c. 4 5 6. vocat Sacrificium verum omne opus bonum quod agitur ut ſancta ſocietate Deo inhæreatur &c. nomen Sacrificii accipit latè quatenus nimirum vim habet Deum placandi; adinſtar proprie dicti Sacrificii.

Quid ſacrificium proprie dictum.

Petes, quid ſit Sacrificium proprie & ſtricte dictum?

Reſp. eſt oblatio externa per legitimum miniſtrum Soli Deo facta, quâ ſubſtantia aliqua ſenſibilis realiter immutatur, in proteſtationem ſupremi illius dominii, & noſtræ ſubjectionis. Ex qua quidem definitione patet quinque requiri ad ſacrificium proprie dictum primo miniſter, 2. materia, 3. forma, 4. locus, quinto finis.

Sacrificii miniſter, in omni lege fuit Sacerdos.

Quod ad miniſtrum attinet requiritur ut is ſit Sacerdos, cum enim ut diximus, Sacrificium ſit Sanctiſſimus Dei cultus, debet is illi exhiberi à perſonâ adhoc ſpecialiter conſecratâ, prout functiones honorificæ in Republicâ fiunt ſpecialiter à perſonis adhoc deputatis; & ita in Veteri Teſtamento videmus ſacrificia à Sacerdotibus ſemper fuiſſe oblata, quinimo hoc ipſum

patet in ethnicis, ſi conſulamus eorum hiſtorias, & eapropter Apoſtolus, ad Hebr. quinto ait, *omnis pontifex ab hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia.* & idcirco Olias Rex cum non eſſet Sacerdos & tamen Sacrificium offerre vellet, à Deo fuit punitus 2. Paral. 26. Et Saul ob eandem cauſam à Deo eſt rejectus. vide ſi placet S. Auguſtinum lib. 8. de Civitate Dei cap. ultimo & lib. 22. cap. 10. ubi ſemper hæc duo conjungit, ſacrificium & Sacerdotem, tamquam duo inſeparabilia.

Ad ſacrificium requiritur materia ſenſibilis.

Secundo requiritur materia ſacrificii; quæ debet eſſe res aliqua ſenſibilis animata vel inanimata; ratio eſt quia Sacrificium fit ad proteſtandum Deum eſſe principium omnium. Ita Apoſtolus ad Hebræos octavo, probat ex communi ratione ſacrificiorum neminem verè dici poſſe Sacerdotem, niſi habeat victimam quam offerat, dum ait, *omnis Pontifex ad offerendum munera & Hoſtias conſtituitur.*

Et illius materiæ, realis immutatio.

Tertio requiritur Forma Sacrificii, quæ conſiſtit in reali immutatione materiæ ſenſibilis quæ offertur; quod inde patet quia alioqui non poſſet ſufficienter ſignificare, Deum eſſe vitæ & mortis auctorem, ad quod tamen ſignificandum Sacrificium offertur, nam per hoc proteſtamur nos ita à Deo nutu in eſſe & conſervari, dependere, ſicut res oblata à nobis dependet, & immutari poteſt, & eapropter moralis rei mutatio non ſufficit, prout videmus in omnibus materiis ſacrificiorum veteris legis quæ ſemper realiter mutabantur.

Non ſufficit moralis tantùm mutatio.

Petes an requiratur deſtructiva rei oblatæ mutatio?

Sed requiritur materiæ mutatio deſtructiva.

Reſp. Affirm. loquendo de omni ſacrificio quod offert pura creatura nam cum illa non poſſit quidquam de novo producere in recognitionem ſupremi Dei dominii, non poteſt hoc aliter proteſtari, quam per rei deſtructionem; ita patet omnia Sacrificia veteris legis fuiſſe oblata per rei deſtructionem, nam res animata mactabatur, res inanimata & liquida ut oleum aut vinum effundebatur, res ſolida, ut panis, frangebatur in fruſta, ſimila coquebatur in ſartagine, ſal urebatur, thus adolebatur, triticum conterebatur & ita juxta ſuam conditionem, quælibet materia deſtruebatur.

Mors Chriſti fuit verum ſacrificium

Dices Chriſtus ſemetipſum in cruce obtulit deo Patri, & tamen nec occidit nec immutavit ſe ipſum, ergo ad rationem ſacrificii non requiritur immutatio

Digitized by Google

teſt pro reverentia tanti Sacramẽti & ſi aliter nequeat propter periculum lapſus, poterit illam, indutus tamen ſtolâ & ſuperpellicio, portare in decenti burſa ad hoc præparatâ ad pectus, quinimo tempore perſecutionis aut hæreſis, poterit illam etiam deferre ſine ſtola & ſuperpellicio, dummodo abſit periculum ſcandali, & adſit licentia Epiſcopi.

Peccant Regulares ſine licentia Parochi Euchariſtiam clam deferentes ad ægrotos.

Petes, an ſit licitum regularibus extra Eccleſiam ſuam deferre Euchariſtiam ad domos privatas.

Reſp. negativè nequidem in mortis articulo, ſine parochi licentia; nam ut habetur clementinâ de privilegiis & exceſſibus, privilegiatorum, Regulares qui ſacram communionem, vel extremam unctionem ſine parochi ſpeciali licentia ipſius ſubditis miniſtrare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto, per ſedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi: & licet poſt dictam Clementinam Regularibus ſint conceſſa aliqua privilegia, ut non requiſitâ licentiâ parochi omnibus Chriſti fidelibus Sacram Euchariſtiam in ſuis templis miniſtrare poſſint, tamen vi dictorum privilegiorum, non poſſunt illam clam deferre ad domos privatas parochianorum, & nequidem illam miniſtrare fratribus aut ſororibus tertiariis, niſi in communi viventibus, ut patet ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X.

Sane ſi non excuſentur à gravi peccato Sacerdotes ſæculares clam ſine debita honeſtate Euchariſtiam deferentes quomodo excuſabuntur in ſimili facto Regulares, quippe qui non minùs quoad adminiſtrationem ſacramenti pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſubjiciuntur juriſdictioni ipſius Epiſcopi, quàm Sacerdotes ſæculares, eoquod nullum Sacramentum ſæcularibus poſſint adminiſtrare ſine Epiſcopi licentia, ut patet ex bulla Gregorii XV. quæ incipit *inſcrutabili Dei providentia* data anno 1622. & profectò ſi non liceat Regularibus, ut ipſimet fatentur, publicè & palam deferre Euchariſtiam ad ægrotos per plateam, ſine licentia Epiſcopi vel parochi, eò quod hoc juri parochorum derogot, quomodo licebit eam deferre clam ſine ulla reverentia & ſolemnitate.

DUBIUM ULTIMUM.

An liceat quotidie hoc Sacramentum ſumere?

HAnc quæſtionem compendioſè reſolvit S. Thomas quæſt. 80. art. 10. dum ait duo

Digitized by Google

circa hujus Sacramenti ſumptionem eſſe attendenda; unum ſcilicet ex parte ſacramenti, cujus virtus & efficacia eſt hominibus omnino ſalutaris, & proinde quantum eſt ex hac parte, utile eſt quotidie hoc ſacramentum ſumere, ut quotidie ejus fructus percipiatur. alterum verò ex parte ſumentis, in quo requiritur legitima diſpoſitio, & ideo, ſi quis quotidie ſeſe adhoc debite inveniat diſpoſitum, laudabile quoque erit quotidie illud ſumere.

Sumptio quotidiana Euchariſtiæ per ſe eſt utiliſſima.

Porro hæc doctrina ſic generaliter intellecta certiſſima eſt & veriſſima: & ſecundùm hanc intelligi debet Conc. Trident. dum ſeſſ. 13. cap. 8. optat ut in ſingulis miſſis fideles adſtantes, non tantùm ſpirituali affectu, ſed & realiter hoc ſacramentum ſuſcipiant, quo ad eos uberior S. S. hujus Sacramenti fructus perveniat. attamen ut hæc doctrina reducatur in praxim multis periculis & difficultatibus non caret, eò quod facilè in hac materia peccari poſſit tam per exceſſum, quam per defectum. idque ob diverſas diverſorum hominum diſpoſitiones; & eapropter adhoc potiſſimum advigilare debent illi quibus animarum cura commiſſa eſt, ut unicuique hunc cœleſtem cibum diſtribuant congruo tempore, & reſpectivè ad diſpoſitionem. Neque enim in hac materia tanti momenti expedit ut quis ſit Judex in propria cauſa, aut innitatur proprio ſuo judicio, ac eapropter, quotquot fere ſunt vitæ ſpiritualis magiſtri, conſulunt, ut illi, qui ſaluti ſuæ ſtudere deſiderant, & cum fructu hoc Sacramentum ſuſcipere, quempiam ſibi patrem ſpiritualem eligant virum utique pium & doctum, & ſpiritualium rerum uſu peritum, cujus judicium in omnibus, & potiſſimùm in uſu & ſumptione hujus Sacramenti ſequantur: hocque conformiter ad Concilium Lateranenſe cap. *omnis utriuſque ſexus* ubi poſtquam præcipitur, ut omnes fideles ſemel quotannis communicent idque in Paſchate, protinus additur, niſi fortè de proprii ſacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejuſdem perceptione quis duxerit abſtinendum.

Hoc tamen non omnibus expedit.

An alicui frequenter aut rarius expediat communicare, Confeſſarii prudentis judicio ſtandum.

Porro hic bene notandum, expedire multùm ut hujuſmodi pater ſpiritualis ſit proprius confeſſarius, dummodo adhoc putetur ſufficiens, alioqui enim aſſumi debet alius magis idoneus, cui ejuſmodi anima deſiderium habens proficiendi in vita ſpirituali, candidè & ſincerè ape-

Digitized by Google

aperiat penetrale cordis ſui, ſeque illius judicio omnimodè confor-met, neque directè aut indire-ctè procuret, ut ipſe ad conſu-lentis guſtum & appetitum ali-quid conſtituat aut determinet. ne alioqui forſitan, Deo per-mittente in pœnam, & hic & ille in errorem inducatur. ubi autem quis ſeſe omnimodè conformat voluntati divinæ paratus facere quidquid ille per patrem ſpiritua-lem juſſerit, tunc præſumendum erit de divina bonitate, quod hunc patrem ſpiritualem ſuffi-cienter illuminabit, pro directio-ne hujus animæ, quæ tutò tunc ejus conſilium ſequi poterit.

Vt autem ejuſmodi pater ſpi-ritualis & animarum medicus cognoſcat, cui expediat com-municare & quoties, ſtudioſè in particulari examinabit intentio-nem, ſtatum, & obligationem, item profectum ſpiritualem ejuſmodi animæ crebrò commu-nicare volentis.

Et primò quidem quod ad in-tentionem attinet, ſæpe contin-git, præſertim in fœminis qua-rum natura fragilior eſt, & ma-gis ſubjecta illuſionibus & phan-taſmatibus vanæ gloriæ, ut quamvis ipſæ hoc non cogno-ſcant putent ſeſe velle accedere ad ſacram communionem cum bona intentione & ſpe profe-ctûs, cum tamen revera ducan-tur fumo vanæ gloriæ; quia ni-mirum crebrò communicantes vident æſtimari, & homines pios hoc ſacramentum ſæpiùs frequentare.

Praxis directoribus utilis pro admittendis frequenter aut varius quoſdam ad communionem.

Ea propter ut animarum me-dicus hoc cognoſcat, aliquo ex-perimento mortificationis ſtu-debit tentare quo ſpiritu ejuſ-modi anima ducatur. neque enim facilè ad ſacram communio-nem frequenter admittendi ſunt, qui potiùs ex arida quadam conſuetudine vel ad aliorum imitationem, quam ex ſincero Dei amore & devotione frequen-ter communicare advertuntur.

Secundò quod attinet ad ſtatum, conditionem, & obliga-tionem crebro communicare volentis: ſi pater ſpiritualis animadvertat quod attentis at-tendendis, anima illa nequeat obligationibus ſuis ſtrictis ſatis-facere frequentando commu-nionem, eò quod occupationes ejus non compatiantur exercitia pietatis ante & poſt ſacram com-munionem adhiberi debita, tunc ſacra communio eſt pro tempore omittenda, partim ut conſulatur reverentiæ Sacramenti, partim quoque quod illa, quæ ſunt ſtri-ctæ obligationis ſint præferenda iis, quæ ſunt conſilii. & eapro-pter illis diebus, quibus occupa-tiones,

Digitized by Google

tio rei oblatæ facta à Sacerdote

Reſp. licet Chriſtus ſe ipſum phyſicè non occiderit, fuit tamen vere cauſa voluntaria totiu paſſionis & mortis, quatenus ſe liberè obtulit crucifixoribus, à quibus ei mors eſt illata ſicuti enim Sacerdos qui admovet thus igni, dicitur cauſa ſuffitus quem ignis naturaliter cauſat, ita & Chriſtus qui corpus ſuum objecit tormentis, dicitur cauſa vulnerum quæ per tormenta fuerunt illata.

Non ita martyrium. Dices ergo paſſiones Martyrum ſunt Sacrificia.

Reſp negando conſequentiam: quia neque offeruntur à veris ſacerdotibus, neque offeruntur ad proteſtandum ſupremum dominium, ſed in teſtimonium veritatis fidei.

Finis ſacrificii eſt proteſtatio divini Dominii & noſtra ſubjectionis. Quarto requiritur finis ſacrificii, qui eſt ut explicitè vel implicitè referatur ad proteſtandum ſupremum Dei dominium & noſtram ſubjectionem eò quod ſacrificium ſit ſignum aliquod ſenſibile quo ſignificamus affectum ſervitutis noſtræ erga deum; ac proinde ſi hi actus deſint non erit ſacrificium.

Sacrificium eſt actus religionis. Ex his collige quod Sacrificium ſit actus Religionis, quatenus nimirum finis ejus intrinſecus eſt cultus & honor Dei, nam eo ipſo quo proteſtamur ſupremum ejus dominium, hoc ipſo deum colimus & adoramus.

petes, an ſacrificandi neceſſitas ſupponat peccatum?

Reſp negativè ratio eſt, quia objectum ejus formale, nimirum proteſtatio quod deus ſit ſupremus dominus, vitæ & mortis poteſtatem habens, nullo modo pendet à peccato, unde & in ſtatu innocentiæ Sacrificium offerri potuiſſet.

DUBIUM I.

Quotuplex ſit Sacrificium.

Varia Sacrificii diviſio. Reſp. & dico primo ſacrificium poſſe dividi quadrupliciter, idque juxta quatuor genera cauſarum, & primo quidem ratione cauſæ efficientis dividitur in Sacrificium legis naturæ, Moſaicæ & evangelicæ.

Secundo ratione cauſæ materialis dividitur in Victimam Hoſtiam, oblationem, & Libamen. cum enim ſit triplex materia ſacrificii ſcilicet animata, ſecundo inanimata, & ſolida, 3. inanimata & liquida: prima vocatur Victima vel hoſtia, ſecunda vocatur Immolatio, tertia vocatur libamen.

Ratione cauſæ formalis dividitur Sacrificium, in holocauſtum ſacrificium pro peccato, & hoſtiam pacificam, holocauſtum erat ſacrificium omnium per-

perfectiſſimum, quia in eo tota res oblata abſumebatur ita ut nihil inde cederet in uſus humanos.

Sacrificium pro peccato partim cremabatur, partim cedebat in uſum Sacerdotum, qui in atrio templi ex eo veſcebantur.

Hoſtia pacifica dividebatur in tres partes, una cremabatur, ſecunda abſumebatur à Sacerdotibus, tertia comedebatur ab offerentibus.

Ratione cauſæ finalis dividitur ſacrificium in Latreuticum, Euchariſticum, Impetratorium, & propitiatorium.

Latreuticum eſt quod ſolùm fit ad Deum colendum, teſtando ejus in nos dominium, & noſtram ſubjectionem.

Euchariſticum eſt quod offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis.

Impetratorium eſt quod offertur pro beneficiis accipiendis Propitiatorium eſt quod offertur pro peccatis.

DUBIUM II.

An in Miſſâ offeratur verum Sacrificium novæ legis.

Miſſa unde dicatur.

PRænotandum quod nomine Miſſæ intelligatur actio illa ſacra quâ Sacerdos ad intentionem Chriſti offert & conſecrat Corpus & Sanguinem Domini. Quæ actio à græcis appellatur liturgia & quamvis aliqui vocabulum *Miſſæ* putent derivari à voce hebræa *Miſſath.* quæ oblationem voluntariam ſignificat, verius tamen eſt illam vocem eſſe latinam & derivari à verbo mitti ſive quod in ea res oblata à Deo mittatur; ſeu potius à miſſione ſeu dimiſſione populi, quæ in fine ejuſmodi officii publicâ voce miniſtri fit, cum ait *ite Miſſa* eſt.

Miſſa Cathechumenorum quid fuerit.

Porrò in hâc ſignificatione, quandoque ſumitur pro miſſa Cathecumenorum, ſeu pro illâ parte miſſæ, quæ durat ab initio uſque ad offertorium excluſive, quia poſt recitationem Symboli ſolebant dimitti Cathecumeni

Quid Miſſa fidelium.

Quandoque accipitur pro miſſa fidelium, ſeu pro illâ parte Miſſæ quæ durabat ab offertorio uſque ad finem; propriè vero accipitur pro totâ illa actione ſacra, qua conficitur corpus & ſanguis Chriſti, comprehendendo ſimul miſſam Cathecumenorum & fidelium. his præmiſſis.

In nova lege eſt proprie dictum Sacrificium Miſſa.

Dico primo præter Sacrificium Chriſti cruentum in Cruce datur in nova lege aliud verum & propriè dictum ſacrificium. Quod eſt de fide definitum in Tridentino ſeſſ. 21. canone primo his verbis *ſi quis dixerit in Miſsâ*

Miſſâ non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam Chriſtum nobis ad manducandum dari, Anathema ſit.

Probatur ſecundo ex jure naturæ, quod dictat dandum eſſe aliquod ſacrificium externum, & viſibile, in quo Chriſtiani conveniant, ad colendum & placandum Deum, & eapropter nulla fuit umquam inventa natio tam barbara Deum aliquem agnoſcens, quæ non ſimul judicaret, offerendum illi eſſe aliquod ſacrificium externum, & hinc S. Thomas ait oblationem Sacrificii pertinere ad legem naturæ. & S. Auguſtinus libro 19. contra Fauſtum capite 11. ait „ in nullum nomen religio„nis, ſeu verum ſeu falſum, „ coagulari homines poſſunt, niſi „ aliquo ſignaculorum viſibi„lium conſortio colligentur. „ & epiſt. 49. quæſt. 3. ait in „ ritibus paganorum non culpa„ri quod conſtituant templa, in„ſtituant Sacerdotia, & faciant „ Sacrificia, ſed quod hæc Idolis „ & Dœmonibus exhibeant.

Probatur 3. ex antiquiſſimis liturgiis Jacobi, Marci, Baſilii, Chryſoſtomi, quæ licet quoad accidentales ritus ſint diverſæ, omnes tamen quoad ſubſtantiam rei oblatæ conveniunt: & hinc à primis Eccleſiæ temporibus reperimus fuiſſe altaria, ſacerdotes, & Epiſcopos, quod patet legentibus vitas primorum Pontificum Romanorum.

Probatur quartò ex ipsa inſtitutione Sacratiſſimæ Euchariſtiæ, prout ab Euangeliſtis refertur, Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. primæ Corinth. 11. quibus locis conſtat, Chriſtum panem & vinum conſecraſſe & tranſubſtantiaſſe in corpus & ſanguinem ſuum, & Deo Patri ſuo obtuliſſe, in recognitionem ſupremi dominii. & Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in ſui memoriam idem facere præcepiſſe his verbis *hoc facite in meam commemorationem*.

Probatur hoc ex S. S. Patribus.

Probatur quintò ex teſtimoniis & communi conſenſu omnium Sanctorum Patrum etiam primorum quinque ſæculorum.

Et primò quidem ex Sancto Dionyſio Areopagita, qui lib. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ritum ſacrificii miſſæ mirificè deſcribit; prout & illud quoque inſinuat S. Andr. Apoſt. qui, ut patet ex Epiſt. Eccleſ. Achajæ quâ, uti teſtantur Presbyteri Achajæ. „ coram circumſtante multitudi„ne effatus eſt, ego Agnum im„maculatum in altari quotidie „ offero, cujus carnes, poſtquam „ omnis populus credentium

 man-

manducaverit, agnus, qui manducatus eſt, integer perſeverat & vivit.

Idem teſtatur S. Juſtinus Martyr qui vixit anno 150. dum in dialogo cum Tryphone ſic „ait. A nemine ſane Deus Ho„ſtias accipit, niſi à Sacerdoti„bus ſuis univerſis, igitur qui „per nomen ipſius ſacrificia of„ferunt, quæ Jeſus Chriſtus fie„ri tradidit, hoc eſt in Euchari„ſtia panis & Calicis, quæ in „omni loco à Chriſtianis fiunt, „prævertens Deus, Malachiæ „primo, grata ſibi eſſe teſtatur.

Hujus quoque teſtis eſt Irenæus Martyr, qui vixit anno 180. qui lib. 4. contra Valentium „cap. 32. ſic ait, ſed & Diſci„pulis ſuis Chriſtus dans conſi„lium, primitias Deo offerre ex „ſuis creaturis, non quaſi indi„genti, ſed ut ipſi nec infru„ctuoſi nec ingrati ſint, eum „qui ex creatura panis eſt, ac„cepit & gratias egit dicens, „*hoc eſt corpus meum*: & cali„cem ſimiliter, qui eſt ex ea „creatura, quæ eſt ſecundum „nos, ſuum ſanguinem confeſ„ſus eſt, & Novi Teſtamenti „novam docuit oblationem „quam Eccleſia ab Apoſtolis „accipiens in univerſo mundo „offert Deo.

Succedit Tertullianus qui vixit anno Chriſti 200. is lib. ad Scapulam cap. 2. ſic ait, „itaque ſacrificamus pro ſalute „Imperatoris ſed Deo noſtro „& ipſius.

Suffragatur Cyprianus qui vixit anno 250. dum l. 2. epiſt. „3. ſic ait in calice Dominico „ſanctificando, & plebi mini„ſtrando, quidam non hoc fa„ciunt, quod Jeſus Chriſtus, „Dominus & Deus noſter Sa„crificii hujus author, & Do„ctor fecit & docuit,

Idem teſtatur Euſebius Cæſarienſis qui vixit anno 320. dum lib. 1. Euang. demonſtrat, „capite ultimo ſic ait, Sacrifi„camus Deo plenum & hono„rem afferens SacroSanctum, „Sacrificium; Sacrificamus „novo more ſecundum Novum „Teſtamentum.

Ita quoque teſtificatur S. Greg. Nicænus qui vixit anno 347. dum oratione prima de „feſto Paſchæ ſic ait, Chriſtus „non expectat Pilati judicium, „ſed ineffabilis Sacrificii mo„do, præoccupat violentum im„petum Judæorum, ac ſe ipſum „offert oblationem pro no„bis, Sacerdos ſimul & Agnus; „quando vero hoc accidit? cum „nempe Corpus ſuū ad mandu„candum, & Sanguinem fami„liaribus exhibuit adbibendum.

Idem

Idem teſtatur S. Ambroſius qui vixit anno 400. dum S. Laurentium his verbis Sixtum Pontificem alloquentem ſic introducit, quo Sacerdos ſancte „ſine Diacono properas ? tu „numquam ſine Miniſtro Sacrificium offerre conſueveras. qui & miſſæ mentionem facit Ep. 23. ad Marcellinam ſororem, item lib. 4. de ſacramentis magnam canonis & oblationis Miſſæ partem refert.

Succedit S. Auguſt. qui vixit anno 425. dum lib. 22. de Civitate Dei, cap. 10. ſic ait,, non „ erigimus altaria in quibus ſacrificemus Martyribus ſed uni „ Deo . & Martyrum & noſtro, ſacrificium immolamus: „ ipſum verò Sacrificium Corpus Chriſti eſt. Et lib. 9. confeſſ. cap. 3. agens de Matre ſua Monica defuncta ,, ita Scribit „ tantum memoriam ſui modo „ ad altare ſuum deſideravit unde ſciret diſpenſari victimam „ ſanctam , qua deletum eſt „ Chyrographum , quod erat „ contrarium nobis.

Sequitur Sanctus Cyrillus Alexandrinus qui vixit anno 430. dum anathematiſmo ſecundo ſic ait „ Sanctum, vivificum incruentumque in Eccleſia Sacrificium offerimus corpus & pretioſum ſanguinem quæ præponuntur.

Porro S. Joannes Chryſoſtomus qui vixit anno 400. homilia 61. ad popul. Antioch. miſſæ ſacrificium latè deſcribit , item homilia 24. c. 17. 1 ad Corinth. 10. & aliis locis plurimis.

Teſtatur hoc ipſum S. Leo Pontifex Maximus qui vixit anno 452. dum ſermone 6. de Je„ junio ſeptimi menſis ſic ait, ſic „ ſacræ Miſſæ communicare debetis , ut nihil prorſus de veritate Corporis Chriſti & Sanguinis ambigatis.

Denique hoc ipſum aſſerit S. Fulgentius qui vixit anno 490. dum lib. de fide ad Petrum cap. 19. ſic ait ,, firmiſſime tene „ & nullatenus dubites ipſum „ unigenitum Deum , verbum „ carnem factum , ſe pro nobis „ obtuliſſe ſacrificium & Hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis

Ex his patet quam manifeſtæ falſitatis convincantur noſtri temporis hæretici , qui miſſam ante tempora S. Gregorii Magni Pontificis , qui vixit anno 600. non incepiſſe , tam impudenter jactitant.

Dices , quotquot Patres de ſacrificio Miſſæ ſcripſerunt , locuti ſunt de Sacrificio metaphorico ; per quod aliud non intellexerunt quam figuram ſacrificii cruenti in cruce oblati . ratio eſt quia illud eſt unicum ſacrificium

cium novæ legis, eſtque infiniti valoris, adeoque quodlibet aliud ſacrificium eſt ſuperfluum.

Reſp. Sanctos Patres omnes enumeratos ſupra', de vero & proprio ſacrificio fuiſſe locutos, non verò de figura Sacrificii, ut patet ex eorum textibus.

Sacrificium Eucharisticum non derogat dignitati ſacrificii à Chriſto in cruce oblati.

Ad ſecundum concedo ſacrificium crucis fuiſſe infiniti valoris adeoque non eſſe opus alio ſacrificio quo quæratur novum pretium, & nova redemptio generis humani. Ex quo tamen minimè ſequitur Sacrificium miſſæ incruentum eſſe ſuperfluum, quia licet per ſacrificium crucis fuerit comparatum ſufficiens pretium ad redimendum genus humanum, tamen per illud non eſt immediate applicatum: unde neque per Chriſti paſſionem immediatè juſtificamur, ſed per applicationem meritorum Chriſti quæ fit per ſacramenta, per pia opera, per Sacrificium miſſæ, quod in eccleſia perſeverat. Alioqui ſi illud argumentum valeret, ſequeretur Baptiſmum, & fidem, & ſpem & Charitatem eſſe ſuperflua. Nam ſi virtus Sacrificii cruenti aliunde ſufficiat clarum eſt quod nec ſacramenta, nec articuli fidei erunt neceſſarii ad ſalutem.

Ex his quoque patet diſcrimen quod eſt inter ſacrificium crucis cruentum & incruentum. Quòd per primum ſit comparatum pretium redemptionis generis humani, per ſecundum verò fiat illius applicatio.

Porro ex dictis quòque datur intelligi locus ille ad Hæbræos 10, ubi ait Apoſtolus *unâ oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Quia ſcilicet Chriſtus unâ oblatione, quam fecit in cruce conſummavit quotquot ſunt Sancti, vel ſanctificandi promerendo eis pœnitentiam, remiſſionem peccatorum, gratiam & gloriam, ut verò hæ gratiæ ſanctificantes applicentur plurimùm juvat Sacrificium incruentum, vim ſuam à Sacrificio cruento habens.

Dices, Chriſtus eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, ergo non ſunt alii Sacerdotes in Eccleſia, nec aliud Sacrificium præter Sacrificium Crucis. Item ex eo quod, Chriſtus ſit Sacerdos in æternum, bene ſequitur eum nullos habere ſucceſſores nam ſucceſſor dicitur qui ſuccedit in poteſtatem defuncti..

Reſp. id totum verum eſſe, ſed inde non ſequi eum plures non habere Vicarios, qui poteſtate ab ipſo acceptâ, miniſterio ſuo funguntur; ſicuti enim multitudo Vicariorum Regis non re-

repugnat poteſtati Regis, ita nec multitudo miniſtrorum Chriſti repugnat ſacerdotali poteſtati Chriſti.

Dices, Joann. 4. dicit Chriſtus, *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*, ſed illis verbis ſignificat nullum futurum Sacrificium externum in novâ lege, ſed tantum internum ergo.

Reſp. negando ſubſumptum, pro cujus explanatione notandum adorationem à Scripturâ Sacra dupliciter ſumi: ſemel pro adoratione ſolemni, quæ fit per Sacrificium, prout patet actorum 8. ubi eunuchus venit adorare in Ieruſalem: alia erat adoratio ſimplex, quæ fiebat aliquibus ſignis externis honorem & latriam erga Deum teſtantibus. Prima nuſquam fieri poterat niſi in Ieruſalem, idque in templo, ad hoc ſolùm conſecrato; poſterior fieri poterat quovis loco.

Porro in hoc loco Scripturæ ait Chriſtus de adoratione ſolemni, prout patet ex toto ſcopo ſermonis, qui eò tendit, ut ſignificet venturum tempus, quo ſacrificium neque amplius offeretur in monte Garizim prout prætendebant Samaritani, neque in templo Ieroſolymitano, prout prætendebant Iudæi; ſed veri adoratores ſeu ſacrificatores ſacrificabunt ſacrificium, non carnale, qualia erant ſacrificia Veteris legis, ſed ſpirituale & verum.

DUBIUM III.

Quænam ſit res oblata, ſeu Materia Sacrificii Miſſæ.

SEnſus quæſtionis eſt, quænam ſit res illa, quæ propriè ſacrificatur in Miſſa, an ſcilicet ſit panis & vinum, an verò Corpus & ſanguis Chriſti. *Res quæ offertur in hoc ſacrificio, eſt ipſe Chriſtus.*

Reſp. eſt Chriſtus ipſe, prout exiſtit ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

Probatur ex Tridentino ſeſſ. 22. cap. 2. ubi ait, „ quod in „ Sacrificio miſſæ, idem ille „ Chriſtus, cruentè immolatur, „ qui in arâ crucis ſemel ſemetipſum „ incruentè obtulit.

Petes, quare Chriſtus ſe ſolo, prout eſt in propria ſpecie, non ſit res oblata in Sacrificio Miſſæ?

Reſp. quia materia ſacrificii viſibilis debet, quoque eſſe viſibilis, Chriſtus autem in propriâ ſpecie, ut exiſtit in hoc ſacrificio, non eſt viſibilis ſed tantum mediantibus ſpeciebus panis & vini.

Ex quo collige ſpecies panis & vini, intrinſecè pertinere ad rem oblatam in Sacrificio Miſſæ, eò quod ſit de ratione ſacrificii viſibilis quòd res oblata ſit viſibilis.

Digitized by Google

Dices inde ſequi ſacrificium miſſæ non eſſe idem quoad rem oblatam, cum ſacrificio crucis, quod tamen ſupra aſſertum eſt ex Tridentino.

Reſp eſſe idem quo ad ſubſtantiam rei oblatæ, ſecus vero quoad accidens.

Petes, an Corpus Chriſti præciſum à perſona Verbi, ſit res oblata in hoc ſacrificio.

Reſp. negativè, & ratio eſt quia hoſtia quæ in hoc ſacrificio offertur; eſt infinitè digna, & Deo grata, & conſequenter non ſolum dicit, Corpus & ſanguinem Chriſti, ſed & ipſam perſonam Verbi, à quâ habet quod ſit infinitæ dignitatis & valoris.

In quo differat Sacrificium miſſa à Sacrificio crucis.

Petes an ſacrificium Miſſæ & ſacrificium crucis, eſto ſint ſubſtantialiter idem quoad rem oblatam, ſaltem non differunt in modo offerendi.

Reſp. Affirm. quia Chriſtus in cruce oblatus eſt mortalis, & paſſibilis, qui nunc in miſsâ offertur immortalis & impaſſibilis: ſecundo ille in cruce obtulit ſemetipſum, qui in miſsâ offertur miniſterio Sacerdotum.

Petes, an Sacrificium quod Chriſtus obtulit in ultimâ cœnâ differat ab eo quod modo offertur in Miſsâ.

Reſp. non differre quoad rem oblatam, prout neque quoad modum oblationis incruentum, neque etiam quoad ipſum principalem offerentem, in eo tamen differre, quod tunc per ſe ipſum offerret, quod modo offert per ſacerdotes, & quod ipſe principalis offerens tunc eſſet mortalis qui modo eſt immortalis.

Petes, quænam ſit differentia inter Sacrificia Veteris legis & novæ, quoad modum materiæ offerendæ.

Reſp in eo quod res oblata in ſacrificiis veteris legis actioni ſacrificandi eſſet præſuppoſita, in novâ vero lege res oblata ſit terminus actionis ſacrificandi, ſeu ſit id, quod actione ſacrificali efficitur.

Petes an panis & vinum quoque non offerantur in Miſſæ Sacrificio.

Reſp. ſic aliquos Sanctos Patres loqui: nam Irenæus lib. 4. cap. 32. ſcribit eccleſiam offerre Deo ſacrificium ex creaturis: & S. Cyprianus epiſt. 63. ait Chriſtum obtuliſſe Patri calicem, vino & aquâ mixtum, & rurſum idem obtuliſſe, quod Melchiſedech obtulerat. Verumtamen hujuſmodi Sancti Patres intelligendi ſunt, de re ſecundariâ oblatâ, non vero de principali, quæ in Sacrificio Miſſæ non eſt terminus à quo, prout in

in veteribus ſacrificiis, ſed terminus ad quem ipſius actionis ſacrificalis, idque tum ob dignitatem rei, tum quoque ex intentione offerentis, quæ non eſt Deum colere annihilatione panis & vini, ſed productione corporis & ſanguinis Chriſti:

DUBIUM IV.

In quâ actione Miſſæ eſſentialiter conſiſtat ſacrificium novæ legis.

PRænotandum ſex in Miſſa reperiri actiones, de quibus dubitari poteſt, an in illis conſiſtat eſſentia ſacrificii, prima eſt oblatio panis & vini, ſecunda eſt conſecratio, tertia eſt oblatio corporis & ſanguinis Chriſti poſt conſecrationem, quarta eſt fractio hoſtiæ conſecratæ, quinta eſt ſumptio, hoſtiæ ſexta eſt diſtributio facta populo.

Reſp. quoad has quatuor actiones, oblationem panis & vini, oblationem corporis & ſanguinis Chriſti poſt conſecrationem, tertio fractionem ſacræ hoſtiæ, quarto diſtributionem, omnes Doctores ſatis unanimiter convenire, quod ad eſſentiam ſacrificii Miſſæ minimè requirantur, eapropter quæſtio potiſſimum verſatur circa conſectationem & ſumptionem, de qua ſunt tres Theologorum ſententiæ, prima eſt quæ dicit totam rationem ſacrificii abſolvi in ſumptione. Hoſtiæ, ſecunda ait eſſentiam ſacrificii conſiſtere in conſecratione & ſumptione ſimul, tertia ait eam abſolvi in ſola conſecratione utriuſque ſpeciei, cui ultimæ adhæremus.

Probatur hæc ultima ſententia, quia per hæc verba *hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. prout ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. conſtituit Dominus Apoſtolos Sacerdotes novæ legis, illiſque & illorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, dedit poteſtatem Sacrificium offerendi, & eapropter per particulam, *Hoc*, debet deſignari actio, in quâ conſiſtit actio ſacrificandi, ſed Euangeliſtæ ſolum meminerunt quatuor actionum per particulam, *Hoc*, deſignatarum, ſcilicet gratiarum actionis conſecrationis, fractionis & diſtributionis, conſtat autem neque gratiarum actionem, ſi diſtinguatur à Conſecratione, neque fractionem neque diſtributionem eſſe de eſſentia ſacrificii, ergo conſiſtit illa in ſola Conſecratione.

Sed probatur ſecundo quia Apoſtoli ut conſtat ex Sanctis Patribus, nihil ſacrificando ad verba conſecrationis addiderunt,

runt, præter orationem Dominicam ergo.

Probatur tertio quia principalis offerens in Sacrificio Miſſæ eſt Chriſtus, prout aliquoties docet Concilium Trident. ergo in illa actione, quæ fit in perſona Chriſti, tamquam principalis offerentis conſiſtit eſſentia ſacrificii; ſed nulla actio fit in perſona Chriſti, præterquam conſecratio, nam in ea loquitur Sacerdos, quaſi eſſet ipſemet Chriſtus.

Probatur quarto, ſi aliqua inſuper requireretur actio ad eſſentiam ſacrificii Miſſæ præter conſecrationem, deberet eſſe ſumptio; ſed hæc adhoc non eſt neceſſaria: quod probatur, quia tota ſignificatio, tam myſtica quam moralis in qua fundatur ratio ſacrificii Miſſæ, ſufficienter ſalvatur in ſola conſecratione utriuſque ſpeciei: de Myſtica patet, quia hoc ſacrificium, ut ſic, ſignificat mortem & paſſionem Chriſti, quæ ſufficienter repræſentatur per conſecrationem utriuſque ſpeciei, quatenus nimirum Corpus & ſanguis Chriſti ſeorſim conſtituuntur vi verborum, quamvis ſint ſimul per concomitantiam. De morali quoque ſignificatione patet, quia ut ſic eſt inſtitutum, ad recognoſcendum ſupremum Dei dominium & noſtram ſubjectionem, quod optimè repræſentatur per ſolam conſecrationem.

Dices, ſumptio ſtrictiſſimo jure præcipitur, adeo ut ſi contingat Sacerdotem mori poſt conſecrationem, ſacrificium debeat perfici per alium, eſto non jejunum; quod aliunde non contingit, niſi quia Eccleſia exiſtimat ſumptionem pertinere ad eſſentiam Sacrificii.

Reſp. negando ſubſumptum, ſed idcirco jure divino præcipitur ſumptio, quia Deus vult ut publicus miniſter ſit particeps ſacrificii juxta Apoſtolum 1. ad Corinth. 20. & ut fideles per ſumptionem ſacerdotis, declarent ſeſe conſentire ſacrificio. Porro quod ſumptio non ſit de eſſentia ſacrificii in genere, patet in Sacrificio Veteris legis, quod appellatur Holocauſtum, quod totum comburebatur.

Petes, quid ſi aranea incideret in calicem, an deberet alius calix conſecrari.

Reſp. aff. quia jure divino requiritur ſumptio utriuſque ſpeciei in ſacrificio Miſſæ.

Petes an Sacerdos renovans Hoſtiam in remonſtrantia, poſſit ſumere antiquam, & novam imponere remonſtrantiæ.

Reſp. negativè, ſed neceſſario

Digitized by Google

rio debet ſumere novam hoſtiam, in eodem ſacrificio conſecratam, idque jure divino eapropter ſacerdos volens renovare ſacramentum in remonſtrantia, debet duas hoſtias conſecrare, & unam illarum ſumere cum antiqua.

Dices ita ſe habet conſecratio ad Sacrificium Miſſæ, ut Incarnatio ad ſacrificium crucis, ſed Incarnatio non eſt pars eſſentialis ſacrificii crucis, ergo nec conſecratio ſacrificii Miſſæ.

Reſp. negando ſubſumptum, quia Incarnatio ſeſe habuit per modum præparationis materiæ reſpectu ſacrificii crucis: conſecratio vero eſt ipſa actio ſacrificandi; eapropter hoc argumentum optimè procederet, ſi Chriſtus in hoc ſacrificio eſſet res oblata per modum materiæ, actioni ſacrificii præſuppoſitæ, prout erant animalia viva in veteri lege; nunc vero Chriſtus eſt res oblata per modum termini, qui ex ſacrificatione reſultat; neque enim ſola actione, qua res aliqua deſtruitur, poſſumus proteſtari ſupremum Dei in nos dominium, ſed etiam, actione qua res aliqua quodammodo ad honorem Dei producitur & de novo conſtituitur, nam actio libera alicujus rei productiva, non eſt minus idonea ad ſignificandum divinum dominium ſuper nos, quam actio deſtructiva quæ proinde adhoc ſignificandum poteſt inſtitui, præſertim à Deo, cujus eſt determinare, quibus actionibus debeat coli; neque enim verum eſt, quod mutatio rei oblatæ, in ſacrificio debeat eſſe deſtructiva, quandoquidem prout ex dictis patet, poſſit eſſe poſitiva; quamvis enim ſubjectum communius dicatur immutari, dum tranſit ab una forma ad aliam, tamen hoc ratione mutationis non requiritur; cum & id dicatur mutari, quod per modum termini aliter ſeſe habet poſt, quam ante, v.g. tranſeundo de non eſſe ad eſſe: cum ergo corpus Chriſti, ſecundum certam reproductionem non habuerit eſſe ante conſecrationem, poteſt dici mutari ſecundum hanc reproductionem.

Petes an conſecratio nequeat ſeparari à ſacrificatione.

Reſp. Affirmat. prout patet dum ſolum fit conſecratio unius ſpeciei; in quâ non intervenit ſacrificatio, quia ratio ſacrificii Miſſæ eſſentialiter involvit myſticam mactationem, per quam repræſentatur ſacrificium Crucis, dum in eo Corpus Chriſti, quantum eſt ex vi verborum, repræſentatur tamquam ſeparatum à ſanguine.

Porro ſi quæſtio intelligatur de conſecratione utriuſque ſpeciei, an ſcilicet illa differat à ſacrificatione.

Reſp. negative; nec refert quod quis ex errore poſſit intendere conſecrare & non ſacrificare; nam eo ipſo quo abſolute, & efficaciter intendit conſecrare, implicitè quoque intendit ſacrificare: ſicuti & qui intendit conferre ſacramentum, implicite intendit conferre effectum Sacramenti.

Dices in die Paraſceves offertur verum ſacrificium ſine conſecratione, ergo conſecratio non eſt de eſſentia ſacrificii Miſſæ.

Reſp. negando aſſumptum, ſed tantum ſumitur ſacramentum pridie conſecratum: ideo vero illo die non offertur ſacrificium incruentum, eoquod illa die ſit oblatum ſacrificium crucis cruentum; eo modo quo in veteri lege, eo die quo ſummus Sacerdos ſemel intrabat in ſancta ſanctorum, inferiores ſacerdotes non ſacrificabant.

Quando ergo ipſo die Paraſceves appellatur ſacrificium, illud tunc ſumitur non pro actione ſacrificandi, ſed pro re oblatâ.

Dices ad eſſentiam ſacrificii requiritur oblatio, prout patet ex definitione ſacrificii in genere; ſed conſecratio non eſt oblatio; ergo ratio ſacrificii Miſſæ non conſiſtit in ſolâ conſecratione.

Reſp. negando ſubſumptum, eſto enim conſecratio non ſit formaliter oblatio, eſt tamen talis in actu exercito, & aparte rei, eo modo quo, licet conſecratio utriuſque ſpeciei non ſit formaliter ſacrificatio, eſt tamen talis à parte rei.

Dices ſi ſacrificium Miſſæ eſſentialiter perficiatur in ſola conſecratione, jam illa ſola fiet perfecta oblatio pro vivis & defunctis, & per conſequens tunc ſolum habebit omnem effectum ex opere operato; quod tamen ex eo apparet falſum, eoquod poſt conſecrationem fiat commemoratio pro defunctis.

Reſp. negando conſequentiam; nam ſicuti verbalis oblatio quæ fit poſt conſecrationem nihil immutat circa rem oblatam, ſed tantum eſt extrinſeca & verbalis teſtificatio qua Eccleſia conſentit in oblationem à Chriſto in conſecratione factam; ſic illa commemoratio quæ poſt conſecrationem fit tam pro vivis quam pro defunctis, non eſt niſi extrinſeca deprecatio Eccleſiæ; quæ nullatenus eſt de eſſentia Sacrificii.

Petes, an ergo conſecratio utriuſ-

Digitized by Google

utriuſque ſpeciei ſit de eſſentia ſacrificii Miſſæ.

Conſecratio utriuſque ſpecie, eſt de eſſentia Sacrificii,

Reſp. affirm. ita quidem, ut niſi utraque ſpecies conſecretur, neque ſit verum ſacrificium, neque detur ullus fructus ſacrificii; & hoc ideo, quia ſacrificium Miſſæ debet eſſe expreſſa repræſentatio ſacrificii cruenti juxta illud Luc. 22. hoc facite in meam commemorationem, quæ repræſentatio non ſubeſt, niſi utraque ſpecies conſecretur. Verum quidem eſt quod conſecratio unius ſpeciei, aliquo uſque ſaltem repræſentet ſacrificium crucis, ſed valde confusè & imperfectè, ita ut potius illa repræſentatio per conſequentiam colligatur, quam ſignificetur vi verborum.

Probatur ſecundo; quia ſi ad eſſentiam ſacrificii Miſſæ ſufficeret conſecratio unius ſpeciei, ſequetur duplex eſſe ſacrificium novæ legis.

Ex quo collige neque Eccleſiam, neque Pontificem, poſſe diſpenſare ut Miſſæ ſacrificium perficiatur in una ſpecie; quia ſicuti non poteſt mutare eſſentialia Sacramentorum, ita neque ipſius ſacrificii.

Dices Innocentius 8. Pontifex Max. diſpenſavit cum Norwegis, ut ſine vino conſecrarent, ſub una ſpecie, eoquod ob immenſa frigora in illis regionibus, vinum ibidem ſtatim aceſcat, prout refert Volateranus lib. 7. Geographiæ.

Reſp. hanc narrationem carere omni proſus probabilitate, quippe quæ contineat apertam hæreſim, nam de fide certum eſt vinum de vite eſſe materiam conſecrationis calicis.

Dices, eccleſia ſubinde de ſacrificio Miſſæ loquitur in plurali, ut dum ait, ſancta & illibata ſacrificia, idque propter pluralitatem ſpecierum, ergo in unaquaque illarum reperitur tota ratio ſacramenti.

Reſp. negando conſequentiam; neque enim eſt eadem ratio ſacrificii, quæ ſacramenti, eoquod ſacrificium debeat expreſsè repræſentare Chriſti Paſſionem quod non debet ſacramentum.

Dices Chriſtus poſt paſſionem ſolum conſecravit panem, dum illum diſtribuit duobus diſcipulis euntibus in Emaus.

Reſp. id eſſe verum, ſed id factum eſſe per poteſtatem excellentiæ Chriſti Domini, qui non alligatur determinato modo ſacrificandi ſicut nos. Ex his collige non licere paſtori conſecrare Panem ſine vino, ut ægro periculosè ægrotanti ſubminiſtret viaticum, quia hujuſmodi æger,

tunc excuſatur ab obligatione divini præcepti ob defectum Sacramenti.

Collige ſecundo non licere Sacerdoti, qui primo conſecravit majorem Hoſtiam, denuo in Miſſa eadem conſecrare minores hoſtias, quas fuerat oblitus conſecrare; & hoc ideo, quia numquam eſt licitum conſecrare ſine ſacrificatione, quæ non ſubeſt in conſecratione unius ſolius ſpeciei.

Petes, quid faciet paſtor qui per errorem ſolum panem conſecravit, & vinum ſine ſcandalo populi adſtantis nequeat adferri.

Reſp. eum equidem debere curare adferri vinum, illudque conſecrare: nam falſum eſt quod aſſumitur, ſcilicet populum inde ſcandaliſatum iri: & certe quod ſi tale ſubeſſet, poſſet populus facile edoceri de veritate, quâ præmiſsâ, ſi perſeveraret, eſſet potius acceptum quam datum ſcandalum.

Adde quod ſi ſemel ejuſmodi porta aperiretur, ſacerdotes frequenter judicarent ſe poſſe conſecrare panem ſine vino, quod cederet in gravem hujus ſacrificii irreverentiam.

Petes, quid ſi poſt conſecrationem panis immineat Sacerdoti periculum vitæ, an poſſet Sacrificium relinquere imperfectum.

Reſp. caſum iſtum moraliter loquendo, vix poſſe accidere, eo quod calix citiſſimè poſſit conſecrare & ſumi.

Quale ſit Sacrificium Miſſæ.

SUpra diximus in lege Moſaica fuiſſe varia ſacrificiorum genera, & ſignanter latreuticum, Euchariſticum, impetratorium & propritiatorium. Hinc quæritur, quale ex his ſit ſacrificium Miſſæ.

Hæretici noſtri temporis quamvis facile concedant, in Eccleſia dari aliquod ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, nam & ſic ſuam Cœnam intitulant, attamen pertinaciter negant dari aliquod in eccleſia ſacrificium propitiatorium, aut impetratorium: contra quos Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. canone 3. pronuntiat, tamquam de fide hæc verba. Si quis dixerit „ Miſſæ Sacrificium tantum eſſe, „ laudis, aut gratiarum actionis, „ aut nudam commemorationem „ ſacrificii in cruce peracti, non „ autem propriatorium; vel ſo- „ lum prodeſſe ſumenti; neque „ pro vivis & defunctis, pro pec- „ catis, pœnis, ſatisfactionibus, & „ aliis neceſſitatibus offerri debe- „ re; anathema ſit. eodem per- „ tinent canon. 4. & 5.

Pro-

Probatur hæc veritas ſecundo ex figuris hujus ſacrificii, ſive ex ſacrificiis veteris legis, quæ non obſtante infinito valore ſacrificii crucis, jam inde ab origine mundi, ſuam vim & efficaciam habentis fuerunt propitiatoria & impetratoria, prout patet Levit, 4. & 7. item Machabæorum 2. cap. 12. idque non tantum pro vivis, ſed etiam pro defunctis.

3. Probatur hæc veritas ex omnibus antiquis liturgiis Jacobi, Clementis, Baſilii, Chryſoſtomi, Ambroſii &c. in quibus oblationis pro vivis & defunctis fit mentio: ex quo conſtat hunc ritum offerendi Sacrificium pro defunctis ab Apoſtolis fuiſſe profectum; nam Jacobus qui edidit illam liturgiam fuit Apoſtolus. Accedit authoritas Sanctorum Patrum & Conciliorum. Idem enim ſtatuunt Conc. Cartaghin. III. cap. 29. & IV. cap. 79. Braccarenſe I. cap. 19. Tertullianus lib. de Corona Militis, S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis.

Ritus offerendi Sacrificium pro mortuis ab Apoſtolis traditus.

Idem confirmatur ex generali regula S. Auguſtini quam tradit lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. dum docet certiſſimè credendum id ex Apoſtolica traditione deſcendere quod in omni Eccleſia ſemper ſervatum & retentum eſt. Accedit quod olim Aërius velut hæreticus damnatus ſit ut teſtatur S Epiphanius in ſua Anacephaleoſi, eò quod negaret pro mortuis Sacrificium eſſe offerendum.

Dico 2. Sacrificium Miſſæ non tantùm eſt propitiatorium & impetratorium, ſed inſuper latreuticum & Euchariſticum ut oſtendit Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. ubi ait noſtrum Sacrificium complecti omnia bona quæ per Sacrificia tam legis naturæ quam Moſaïcæ fuerunt ſignificata. Quod pulchrè docet S. Leo ſerm. 8. de Paſſione Domini his verbis, ,, Carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante omnes ,, differentias hoſtiarum una cor,,poris & ſanguinis ſui implet ,, oblatione;,, quia ſcilicet omnes effectus quos obtinebant vetera Sacrificia longe excellentius hoc noſtrum Sacrificium ſortitur: nam Deus longè excellentius & melius per noſtrum Sacrificium, à nobis colitur & agnoſcitur tamquam omnium Dominus, quam per antiqua holocauſta. 2. Per illud longè perfectius gratias agimus pro beneficiis acceptis. 3. Per illud longè efficacius nova beneficia impetramus. 4. Per illud Sacrificium peccata etiam ingentia dimittuntur ut loquitur Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2.

Sacrificium Miſſæ eſt Euchariſtiam.

Digitized by Google

Dices, rationes latreutici, propitiatorii, impetratorii & Euchariſtici, ſunt diverſæ; ergo nequeunt competere uni & eidem Sacrificio.

Reſp. neg. conſequentiam; nam eſto ſint diverſæ, non ſunt tamen repugnantes, adeoque poſſunt competere eidem.

DUBIUM VI.
Quinam ſint Offerentes.

RESP. dico paſſim à Doctoribus in Sacrificio diſtingui tres offerentes, nempe Chriſtum, Sacerdotem & Eccleſiam ſeu congregationem fidelium.

Porro quod Chriſtus Dominus ſit principalis offerens in Sacrificio Miſſæ probatur 1. ex Scriptura quæ Pſalmo 101. appellat eum ſacerdotem in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Chriſtus principalis offerens.

2. Probatur ex verbis conſecrationis quæ Sacerdos profert in perſona Chriſti. Eapropter Concil. Florent. de Sacram. ait, „Sacerdos in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum.„ Ita quoque Apoſtolus ad Hæbr. 7. Chriſtum appellat, *Sacerdotem in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*, quia ſcilicet perpetuo miniſterio Sacerdotum, ſub ſpeciebus panis & vini, offert hoc Sacrificium. Et hoc ſenſu diſtinguit Apoſtolus veterem legem à nova, nempe quod in illa plures eſſent ſacerdotes offerentes, quorum unus alteri ſuccedebat: in nova verò lege ſit unus tantum Sacerdos qui nullos habet ſucceſſores, ſed ſolùm Vicarios.

Et qua ratione Chriſtus ſit offerens.

Probatur 3. quia Chriſtus per ſuam humanitatem tamquam per principale & conjunctum inſtrumentum divinitati, immediatè concurrit ad tranſubſtantiationem, in qua continetur tota ratio Sacrificii, agendo ſcilicet ſupremum Dei cultorem & interceſſorem pro nobis, hoc ipſum Sacrificium Deo Patri repræſentando in memoriam ſuæ Paſſionis ut hominibus propitietur.

4. Sicuti Sacrificium Miſſæ eſt mundum ex parte rei oblatæ, ita quoque debet eſſe tale ex parte primarii offerentis: nam illud eſt diſcrimen inter Sacramenta legis veteris & novæ, quod illa poterant eſſe polluta tam ex parte rei oblatæ, quam ex parte offerentis; noſtrum autem Sacrificium ex omni parte debeat eſſe mundum: porro quod miniſtri ſecundarii quandoque ſint immundi non obeſt Sacrificio noſtro, ſicuti donatio eleëmoſynæ manet munda & bona data à Do-

à Domino mundo & bono, eſto detur per manus famuli immundi.

Petes, quo ſenſu Chriſtus dicatur principalis offerens in Sacrificio Miſſæ.

Reſp. hoc, quia ſacerdos offert & conſecrat in perſona ipſius quod enim famulus facit, id Dominus moraliter cenſetur facere dum ex ejus mandato id facit.

Porro Chriſtus non dicitur principalis offerens quia Sacrificium Miſſæ inſtituit, aut quia efficacia Sacrificii fundatur in ejus meritis, quia & Sacrificia Moyſaïca habuerunt vim & efficaciam ſuam ex meritis Chriſti, quorum tamen non fuit principalis offerens.

Secundarius offerens eſt Sacerdos ritè ordinatus.

Dico 2. miniſter publicus, adeoque perſona ſecundariò offerens, eſt ſolus ſacerdos ritè ordinatus: cum enim ſacerdos & Sacrificium ſint correlativa, nemo dicitur ſacerdos niſi reſpectu Sacrificii, & nullum poteſt eſſe Sacrificium niſi fiat à ſacerdote offerente tamquam miniſtro publico ad hoc deputato.

Probatur hoc ipſum ex Conc. Trid. ſeſſ. 22, cap. 1. ubi ſic ait, „Chriſtus ſecundum ordinem „Melchiſedech ſe in æternum „conſtitutum declarans, corpus „& ſanguinem ſuum ſub „ſpeciebus panis & vini Deo „Patri obtulit, ac ſub earundem „rerum ſymbolis, Apoſtolis, „quos tunc novi teſtamenti „ſacerdos conſtituebat, ut ſumerent, „tradidit, & iiſdem, eorumque „in ſacerdotio ſucceſſoribus „ut offerrent per hæc verba, „*hoc facite in meam commemorationem*, „uti ſemper Eccleſia „Catholica intellexit & „docuit.

Idque ex Chriſti inſtitutione.

Ultima ratio deſumitur à Chriſti inſtitutione à quâ, eſſentia hujus Sacramenti dependet; porro teſtis hujus inſtitutionis partim eſt Scriptura, partim uſus Eccleſiæ, partim univerſalis traditio.

Excommunicatus &c. validè ſed non licitè conſecrat.

Adeo ut omnis ſacerdos ritè ordinatus ſive hæreticus, ſive Schiſmaticus, ſive excommunicatus, ſive ſuſpenſus, ſive degradatus validè hoc Sacramentum conficiat: cujus ratio eſt quia poteſtas Sacrificandi competit ſacerdoti ratione characteris ſacerdotalis; qui, cum ſit indelebilis, manet quoque in hæreticis excommunicatis, & à corpore Eccleſiæ præciſis. Ut ſacerdos tamen licitè conſecret, non poteſt aliquâ cenſurâ eſſe innodatus, aut aliquo peccato mortali eſſe obnoxius; & debet habere omnes conditiones requiſitas tam ex parte corporis quam ex parte animæ.

Petes,

Digitized by Google

Poſſint plures eandem Hoſtiam conſecrare.

Petes, an plures ſacerdotes poſſint ſimul validè & licitè conſecrare eandem hoſtiam.

Reſp. affirmativè; quod patet ex praxi Eccleſiæ: nam in ordinatione Epiſcoporum, plures Epiſcopi, in ordinatione ſacerdotum plures ſacerdotes ſimul cum Epiſcopo eandem hoſtiam ſolent conſecrare: porro ad vitandum hoc caſu omne periculum ſacrilegii.

Qualiter plures ſimul conſecrantes intentionem formare debeant.

Notandum pro praxi, quod & novis ſacerdotibus eſt inculcandum, ut habeant intentionem conſecrandi ſimul cum Epiſcopo, non verò ante Epiſcopum; ne alioqui Epiſcopus, qui principaliter miſſam celebrat nihil conſecret: vel certè habeant intentionem ſub diſtinctione, ſcilicet vel cum Epiſcopo conſecrandi, vel hæc verba materialiter tantùm proferendi.

Porro hic notandum Sacerdotem quadruplici nomine hoc Sacrificium offerre; 1. ut dictum eſt, nomine Chriſti tamquam principalis offerentis, à cujus meritis procedit omnis ſacrificii valor. 2. nomine Eccleſiæ, cui ſatisfactionum ſuarum Chriſtus commiſit diſpenſationem. 3. nomine proprio, quatenus libera voluntate hoc ſacrificium offert, & fructum illius ex opere operato aliis applicat. 4. nomine fidelium adſtantium qui & aliquo modo concurrunt ad ſacrificium miſſæ: eapropter in memento miſſæ ait Sacerdos „ & „ omnium circumſtantium pro „ quibus tibi offerimus, vel qui „ tibi offerunt.

Sacrificium à malo Sacerdote valet ex opere operato.

Petes an Sacrificium Miſſæ celebratum à Sacerdote in peccato mortali ſit validum, & conferat ſuum effectum ex opere operato.

Reſp. Affirmat. & ratio eſt; quia, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 21. ſacrificium hoc eſt oblatio munda tam ex parte primarii offerentis, quam ex parte rei oblatæ; quæ proinde nulla indignitate ſecundariorum offerentium inquinari poteſt: nam cum ejuſmodi fructus detur ex opere operato, datur independenter à probitate vel improbitate miniſtri.

An miſſa mali Sacerdotis æque proſit ac boni.

Petes, an ergo miſſa Sacerdotis mali tantum proſit quantum miſſa Sacerdotis boni.

Reſp. Affirm. quantùm eſt ex opere operato; ſecus verò quantum eſt ex opere operantis, ſecus quoque quantum eſt ex parte precum quas legit in miſſa: etenim quamvis illæ preces, ſi conſiderentur ut preces Eccleſiæ ſint ejuſdem valoris etiam prolatæ à malo miniſtro, nontamen ſunt quatenus ſunt preces particula-

culares ipſius miniſtri, quippe ut ſic, minimè meritoriæ.

Petes, an ergo Sacerdos, qui, accepto ſtipendio ratione miſſæ celebrandæ, eam celebrat in peccato mortali ſatisfaciat ſuæ obligationi, nec teneatur ad reſtitutionem.

Reſp. non teneri quia hujuſmodi miſſa quoad valorem ex opere operato, & quoad preces quas dicit nomine Eccleſiæ, æquivalet miſſæ boni Sacerdotis, quem fructum ſolùm tenetur applicare ad intentionem dantis ſtipendium, quamvis Sacrificium iſtud ipſi Sacerdoti non proſit, cum ponat obicem, & judicium ſibi manducet & bibat.

DUBIUM VII.

Pro quibus hoc Sacrificium poſſit offerri.

Pro quibus poſſit Sacrificium offerri.

NOtandum eſſe ſex vel ſeptem hominum genera de quibus quæſtio poteſt intelligi, an pro illis poſſit offerri ſacrificium. 1. beati. 2. damnati. 3. fideles defuncti, qui ſunt in purgatorio. 4. fideles vivi qui ſunt membra militantis Eccleſiæ. 5. fideles ab Eccleſia præciſi. 6. Infideles qui numquam fuerunt in Eccleſia.

Dico 1. licitum eſt hoc Sacrificium offerre pro omnibus fidelibus qui ſunt intra Eccleſiam ſive ſint juſti, ſive peccatores; & reipsà quotidie Sacrificium pro illis offertur, ut patet ex verbis Canonis in miſſa „ pro „ omnibus orthodoxis & Catholicæ fidei cultoribus. Et ratio eſt, quia Sacrificium eſt bonum aliquod commune relictum ipſi Eccleſiæ, cujus fructus per miniſtrum applicatur membris ejus.

Petes, an Sacerdos poſſit aliquem excludere ab hac generali oblatione.

Reſp. negativè, quia faceret contra communem uſum & intentionem Eccleſiæ; & ſi palàm faceret, eſſet ſcandaloſum; & ſi occultè, eſſet ſignum occulti odii.

Qualiter valeat oblatum pro peccatoribus.

Petes, an fidelibus in mortali conſtitutis proſit ſacrificium.

Reſp. nequaquam quoad ſatisfactionem; poteſt tamen prodeſſe quoad impetrationem auxilii prævenientis, & præſervantis ne in peccatis moriantur.

Sacrificium quo ſenſu offeratur in honorem S.S.

Petes an ſit licitum celebrare miſſas in honorem Sanctorum.

Reſp. Sacrificium primariò & per ſe eſſe inſtitutum ad colendum Deum, non autem ad colendos Sanctos: & proindè Soli Deo propriè offerimus Sacrificium, non autem Sanctis: hinc S. Auguſt. lib. 8. de Civit.

Digitized by Google

Dei cap. 7. ait „ nos martyri„bus non conſtruimus templa, „ ſacerdotes, ſacra, & ſacrificia, „ quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus „ : nihilominus tamenpoteſt ſacrificium ſecundariò offerri ad cultùm & honorem ſanctorum: nimirum dum in ſacrificio miſſæ agimus Deo gratias pro beneficiis Sanctis collatis, quod pertinet ad honorem Sanctorum.

Non poteſt pro damnatis offerri.

Dico 2. non poteſt offerri Sacrificium pro damnatis in inferno, nequidem quatenus eſt propitiatorium vel impetratorium; quia nec pœna nec culpa illis remitti poteſt; nec quidquam poteſt pro illis impetrari quod culpam aut pœnam poſſit mitigare.

Dices S. Auguſt. in Enchir. cap. 110. ait „ quibus autem „ proſunt ſuffragia, aut ad hoc „ proſunt ut plena ſit remiſſio, aut certè ut tolerabilior ſit „ damnatio.

Reſp. S. Auguſt. loqui de iis qui ſunt in purgatorio; & damnationem vocare ſupplicium ad quod ſunt damnati: quod patet, nam eodem capite docet, iis, qui ſunt damnati ſacrificium non prodeſſe.

Neque illis aliquo modo prodeſt ſi offeratur.

Dices; Damaſcenus in Orat. de defunctis refert de Trajano Imperatore & Falconilla, quod ex inferno ſint liberati per orationes S. Gregorii, & Theclæ: additque ex hiſtoria Palladii S. Maccario aliquando percunctanti cranium aridum cujuſdam Idololatræ an eis prodeſſent viventium preces, reſponſum fuiſſe à cranio „ quando pro „ mortuis offers preces, nos inte„rim aliquod levamē ſuſcipimus.

Reſp. hæc omnia quæ refert S. Joannes Damaſcenus, ſalvâ reverentiâ tanti Patris, paſſim à Theologis haberi fabuloſa: & fieri poteſt ut S. Joannes Damaſcenus, quamvis alioqui doctus & prudens, iſtis narrationibus facilè fidem habuerit, neque de veritate earum inveſtiganda ſollicitus fuerit.

Dices, Eccleſia in miſſa defunctorum orat pro damnatis, dum ſic loquitur „ libera eos de „ pœna inferni, & de profundo „ lacu, de ore Leonis, ne abſorbeat ex eas tartarus.

Reſp. neg. aſſumptum: & Dico Eccleſiam ibidem repræſentare animas quaſi adhuc in corpore exiſtentes & jamjam migraturas ex corpore, & pro eis ſub illo ſtatu, orare.

Pro exiſtentibus in purgatorio utiliſſimè offertur.

Petes an Sacrificium proſit exiſtentibus in purgatorio.

Reſp. Affirmat. idque plurimùm, tum ad pœnarum mitigationem, tum ad illarum ſolutionem:

Digitized by Google

nem : quod eſt de fide ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 3. & probatur ex 2. Machab. cap. 12. ubi Judas juſſit offerri ſacrificium pro cæſis in bello: & additur, *Sancta ergo & ſalubris eſt oratio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur* : hoc ipſum confirmatur ex omnibus liturgiis, in quibus expreſsè oratur pro defunctis. Ex quo intelligimus Eccleſiam ſemper in Sacrificio miſſæ oraſſe pro defunctis, eſſeque traditionem Apoſtolicam ut ait S. Chryſoſtomus hom 68. ad populum. Idem docent plurima Concilia & S.S. Patres: imò, ut diximus, eſt antiqua hæreſis Aërii aſſerentis non eſſe pro defunctis offerendum ſacrificium.

Probatur ratione, quia ſacrificium eſt bonum aliquod commune totius Eccleſiæ; ſed bonum commune debet eſſe tale ut poſſit diſtribui omnibus membris, illiſque prodeſſe ſi indigeant; ergo fructus ejus etiam poteſt pervenire ad fideles in purgatorio, quia illi ſunt vera & viva membra Eccleſiæ, illi copulata Fide, Spe, & Charitate; & maximè egent alieno auxilio.

Miſſa oblata pro certa anima illi, non Tota difficultas eſt quomodo ſacrificium miſſæ proſit animabus in purgatorio; & an effectus particularis, qui per ſacrificium confertur, illi, pro quo offertur, proſit infallibiliter & ex opere operato : an verò tantùm proſit per modum impetrationis. *infallibiliter prodeſt.*

Sed dependet hoc ab acceptatione Dei. Ad id reſpondent Melchior Canus, item Dominicus Soto, inſuper Cajetanus opuſculo 1. tract. 16. negativè; & ajunt ſacrificium non habere effectum infallibilem reſpectu animæ pro qua offertur, ſed illum pendere ab acceptatione divina; docentque ſacrificium tantùm prodeſſe illis animabus defunctis quæ in hac vita particulariter meruerunt ut ſacrificium illis prodeſſet; illas autem hoc particulariter meruiſſe, quæ multùm in vita fuerunt ſollicitæ ad ſatisfaciendum, tam pro peccatis propriis quam alienis, & habuerunt ſpecialem devotionem ad claves Eccleſiæ, & conatæ ſunt pro ſuo poſſe ſuffragari fidelibus defunctis : quæ doctrina fundatur in S. Auguſt. qui in Enchirid. cap. 110. ſic ait „ neque negandum „ eſt defunctorum animas pietate „ ſuorum viventium relevari, „ cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur vel eleëmoſynæ fiunt in Eccleſia; ſed hæc „ eis proſunt, qui, cum viverent, „ hæc, ſibi ut poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt „: idem habet lib. 18. de Civitate Dei, & lib. 6. Confeſſ. *Quibus animabus proſint vivorum ſuffragia.*

Digitized by Google

Dices eodem merito quo ejuſmodi fideles animæ meruerunt ſibi vitam æternam quandoque exhibendam, etiam meruerunt Sanctorum communione juvari.

Reſp. negando aſſumptum quia vita æterna eſt præmium eſſentiale, quod fundatur in ſolo ſtatu gratiæ; remiſſio verò pœnæ temporalis eſt præmium accidentale quod non fundatur in ſolo ſtatu gratiæ, ſed inſuper in diſpoſitionibus ſupra enumeratis;ut ex S. Auguſtino probavimus.

Petes quid ſi Sacerdos celebret miſſam pro anima defuncta exiſtente in purgatorio quæ ſecundùm antedicta non eſt capax fructus ſacrificii, cuinam iſte cedet.

Reſp. cui Deo viſum fuerit, quippe cum ille maneat in acceptatione Dei.

Petes an ſit licitum offerre ſacrificium pro Cathecumenis. Antequam reſpondeatur.

An & qualiter Sacrificium poſſit offerri pro infidelibus.

Notandum, ſacrificium poſſe ſpectari duobus modis. 1. prout eſt actus virtutis, & prout valet ex opere operantis; ſicut cœtera virtutum opera quæ fiunt ab homine juſto cum debitis circumſtantiis ſunt meritoria, ſatisfactoria, & impetratoria. 2. ſpectari poteſt prout offertur in perſona Chriſti, ex ejus meritis vim habens independenter à probitate miniſtri: priori modo ſpectatum, licitum erit illud applicare cathecumeno tam quoad vim impetratoriam quàm ſatisfactoriam, pro ut & alia virtutum opera: & hoc modo oblata ſunt apud Judæos ſacrificia pro ſalute Darii & filiorum ejus, ut patet Eſdræ 1. cap. 6. Item pro ſalute Heliodori Mach. 2. cap. 3. quippe cum hoc neque ex natura rei, neque ex Eccleſiæ prohibitione ſit illicitum. Si verò Sacrificium ſpectetur ſecundo modo, non licet illud offerre pro Cathecumenis: eò quod hoc modo ſpectatum ſit bonum quoddam commune relictum Eccleſiæ pro ſuis membris quæ per baptiſmum ſunt illi incorporata.

Petes, an non ſit licitum ſacerdoti pro Cathecumenis offerre preces Eccleſiæ quæ dicuntur in Miſſa.

Reſp. affirmativè; quia nullo Eccleſiæ præcepto id eſt prohibitum, & inſuper ex variis Patribus patet id olim fuiſſe practicatum: unde & Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. ait, *obſecro primùm omnium, fieri obſecrationes pro omnibus hominibus: pro Regibus &c.*

Præterea licitum eſt offerre Sacrificium pro Cathecumenis ſub

ſub ratione Sacrificii, ſaltem quoad vim impetrandi, eò quod hoc modo poſſit prodeſſe omnibus qui adhuc ſunt in via ut convertantur: unde quoque pro infidelibus & Ethnicis qui numquam fuerunt in Eccleſia, ut ſunt Turcæ, Mauri, Judæi, &c. licitum eſt offerre Sacrificium quod illis proſit per modum impetrationis, & ad impetrandas gratias prævenientes quibus moveantur & convertantur: & ita S. Clemens lib. 8. conſtit. cap. 18. docet Apoſtolos obtuliſſe Sacrificium pro regibus ſui temporis qui erant gentiles: unde & licitum foret hoc tempore fundare aliquam Capellaniam cum onere celebrandi quotidie pro converſione infidelium.

Non licet Sacrificium offerre pro excōmunicatis etiam toleratis.

Petes, an licitum ſit offerre Sacrificium pro excommunicatis.

Reſp. excommunicatos alios eſſe toleratos, alios non toleratos; pro quorum nullo licitum eſt ſacerdoti tamquam publico miniſtro directè offerre Sacrificii fructum aut applicare Eccleſiæ preces: quod patet ex cap. *nobis* de ſentent. excommun. in ſexto, ubi Eccleſia eos privat communibus ſuffragiis: nam quamvis poſt Concilium Conſtantienſe poſſint fideles converſari cum excommunicatis toleratis quales ſunt qui nec nominatim ſunt denuntiati, nec publici Clericorum percuſſores, tamen per hoc Eccleſia non intendit ejuſmodi excommunicatis toleratis præſtare ullum favorem: ac proinde non vult eis applicatas eſſe preces à ſe inſtitutas, aut applicatum Sacrificii fructum.

Licet tamen hoc indirectè.

Indirectè tamen pro quibuſcumque excommunicatis poterit à ſacerdote tamquam publico miniſtro licitè offerri Sacrificium; ſcilicet illud directè offerendo pro bono Eccleſiæ, pro hæreſum extirpatione, pro fidei exaltatione: nam ſic indirectè orat pro eorum converſione.

2. Poterit ejuſmodi ſacerdos pro hujuſmodi excommunicatis orare, ſcilicet ut privata perſona, repræſentando Deo hoc Sacrificium per modum impetrationis pro hujus vel illius hæretici converſione: ratio eſt quia hoc nullo jure eſt prohibitum & per ſe eſt valde pium: unde nec dubitandum quin licitum ſit ſacerdoti in memento pro illis orare & fructum qui poteſt provenire per modum impetrationis, vel ſatisfactionis ex opere operantis, illis applicare.

Digitized by Google

DUBIUM VIII.

Qui ſint effectus Sacrificii Miſſæ.

Duplex effectus Sacrificii unus ex opere operantis, alius ex opere operato.

ITerum hîc prænotandum Sacrificium Miſſæ ex ſuo genere eſſe opus virtutis; & proinde ſi offeratur cum debitis circumſtantiis à ſacerdote juſto habere eoſdem effectus ex opere operantis quos habet quodlibet opus meritorium; ſcilicet vim merendi de condigno pro ſe, & vim impetrandi & ſatisfaciendi pro aliis. Prout verò illud procedit à Chriſto tamquam principali offerente, quamvis non ſit de novo meritorium aut ſatisfactorium ex opere operantis, eò quod Chriſtus non ſit modo in ſtatu merendi aut ſatisfaciendi: attamen ut ſic eſt impetratorium; eo quod Chriſtus adhuc modo ſit in ſtatu orandi & impetrandi, ut dicitur ad Hebr. 7. *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Dico 1. hoc Sacrificium quà tale, nimirum quatenus eſt externum ſignum ordinatum ad Dei cultum, ex vi ſuæ inſtitutionis & promiſſionis Chriſti habet aliquem effectum ex opere operato, qui datur independenter à merito & ſanctitate tam ſacerdotis offerentis quam ejus pro quo offertur; ut patet ex Conc. Trident. ſeſſ. 22 cap. ubi ait „ hoc ſacrificium habere ſingularem vim & efficaciam applicandi aliquem fructum dominicæ paſſionis. Porro hæc applicatio includit cauſalitatem ex opere operato; nam ſi tantùm haberet illam vim ex opere operantis, non ſuperaret ex hac parte Sacrificia Moyſaica. 2. quia fructus ille non pendet à bonitate miniſtri, dicente Trid. loco citato. „ hæc eſt oblatio munda „ quæ nullâ iniquitate aut malitiâ offerentis inquinari poteſt.

Notandum quod præter vim cauſandi ex opere operantis & ex opere operato, Sacrificium Miſſæ habeat inſuper aliam vim à duobus illis diſtinctam; ſcilicet ex natura ſua vim impetrandi, non tamen infallibilem, prout patebit ex effectibus ſequentibus. Quibus præmiſſis.

Qualiter cauſet remiſſionem peccatorum mortalium.

Dico 2. quinque potiſſimum effectus habet Sacrificium miſſæ; quorum primus eſt remiſſio peccatorùm mortalium quo ad culpam; quem effectum tamen non habet immediatè ex ſe, neque ex opere operato, prout baptiſmus & pœnitentia, ſed ſolùm mediatè & per modum impetrationis, quatenus ſcilicet Deus intuitu hujus ſacrificii con-

confert auxilia gratiæ actualis quibus peccator excitatur vel ad actum perfectæ contritionis eliciendum, vel ad abſolutionem in Sacramento pœnitentiæ obtinendam; cujus effectus expreſsè meminit Conc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. ubi de hoc Sacrificio agens ait, „ hujus oblatione „ placcatus Dominus, gratiam „ & donum pœnitentiæ concedens, crimina etiam ingentia „ dimittit.

Porro quod effectus hic non detur infallibiliter, patet experientiâ, cum ſæpe pro gravibus peccatoribus hoc ſacrificium offeratur qui ejuſmodi gratiam pœnitendi non percipiunt: unde hic effectus quandoque tantum datur juxta beneplacitum divinæ bonitatis.

Dices in Conc. Trid. loco ci- „ tato dicitur per hoc ſacramen- „ tum fieri, ut „ ſi cum vero corde „ & rectâ fide cum metu & reve- „ rentia, contriti & pœnitentes ad „ eum accedamus, miſericordiam „ conſequamur & gratiam inve- „ niamus in auxilio opportuno.

Non cauſat illum infallibiliter ex opere operato.

Reſp. admittendo verba Conc. Trid. ſed neque illa indicare infallibilem effectum ex ſe, ſed solùm ex hypoteſi, ſuppoſitâ nimirum efficaci contritione.

Porro quod ſacrificium miſſæ non habeat ex ſe vim delendi peccatum mortale, patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. in prœmio, ubi ait „ quod omnis vera juſtitia vel incipit, vel cæpta augetur, vel amiſſa reparatur per Sacramenta; ergo non per ſacrificium.

Præterea ſequeretur neque baptiſmum, neque Sacramentum pœnitentiæ eſſe reſpectivè neceſſarium inquinatis peccato originali vel relapſis: nam quando duo aliqua media per ſe ſunt inſtituta ad eundem finem, neutrum illorum eſt determinatè neceſſarium ad finis illius conſecutionem.

Dices, varii Patres inter quos Alexander I. in Epiſt. Decretali, Joannes Damaſcenus lib. 4 de fide docent per ſacrificium miſſæ deleri peccata mortalia. Hoc ipſum confirmatur ex forma calicis in qua dicitur *qui pro vobis, & pro multis, effundetur in remiſſionem peccatorum.*

Reſp. ejuſmodi Patres intelligendos eſſe quod culpa mortalis per ſacrificium miſſæ deleatur mediatè, & per modum impetrationis; quatenus nimirum ratione ſacrificii dantur varia auxilia gratiæ prævenientis, quibus excitatur in nobis ſpiritus contritionis & pœnitentiæ, per quem obtinemus remiſſionem pec-

peccatorum mortalium; quo ſenſu quoque ait Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2. per hoc ſacrificium ingentia crimina remitti. Et ex his habes quid reſpondendum ad objectionem ex forma calicis.

Vti nec remiſſionem peccatorum venialium.

Secundus effectus ſacrificii miſſæ eſt remiſſio peccati venialis, non ita tamen quaſi hic effectus conferatur immediatè & infallibiliter ex opere operato, ſed ſolum per modum impetrationis; quatenus nimirum vi ſacrificii confertur ſpeciale auxilium ad eliciendum perfectum actum amoris aut contritionis qui habeat oppoſitionem cum peccato veniali, adeoque per quem peccatum veniale remittatur: quod autem hunc effectum non habeat immediatè & ex opere operato, patet, quia nullum, peccatum, quantumvis parvũ, poteſt remitti ſine voluntaria ejus retractatione & averſione quæ fit per pœnitentiam.

Nec etiam immediatè confert augmentum gratiæ habitualis.

Tertius effectus ſacrificii miſſæ eſt augmentum gratiæ ſanctificantis; quem quoque non confert immediatè & infallibiliter, quia nullum ejuſmodi divinæ promiſſionis exſtat veſtigium, ſed ſolum mediatè & per modum impetrationis, quatenùs intuitu ſacrificii miſſæ tribuit auxilium ad eliciendos actus meritorios augmenti gratiæ.

Vti nec bona temporalia.

Quartus effectus eſt collatio quorumcumque etiam bonorum temporalium, ut ſanitatis corporis, ſerenitatis aëris, concordiæ Principum Chriſtianorum, liberationis à quibuſcumque malis tam corporalibus quam ſpiritualibus; prout patet tam ex Canone miſſæ, quam ex praxi & conſuetudine uniuerſalis Eccleſiæ, quæ offert ſacrificia pro talibus. & hinc Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. ait hoc ſacrificium non ſolum offerri pro peccatis, ſed etiam pro aliis neceſſitatibus.

Sed illos effectus confert ſolum remotè & impetratoriè.

Porro ad hæc obtinenda non habet ſacrificium miſſæ vim ex opere operato, ſed ſolum per modum impetrationis; neque infallibiliter, ſed ſolum conditionatè, ſi nimirum conducat ad ſalutem, & juxta divinæ providentiæ diſpoſitionem: nec mirùm quod hujuſmodi bona obtineri poſſint per ſacrificium miſſæ, quia & hæc obtineri poterant per ſacrificia veteris legis: præterea oratio ſe extendere poteſt ad ejuſmodi bona obtinenda, quatenus ad ſalutem conducunt; ſed ſacrificium eſt perfectiſſima oratio, quæ tam ratione rei oblatæ, quam principalis offerentis, poteſt Deum movere ad illa obtinenda.

Petes, an ad obtinendum effectum

Digitized by Google

fectum per modum impetrationis vi ſacrificii prærequiratur baptiſmus.

Reſp. negat. quia ſatis conſtat ex antedictis hoc ſacrificium poſſe offerri pro Cathecumenis & non baptizatis, ad conſequendum aliquem effectum ſpiritualem.

Valet tamen ex opere operato ad remiſſionē pœnarũ.

Quintus & præcipuus effectus Sacrificii Miſſæ eſt remiſſio pœnæ temporalis reſtantis pro peccatis remiſſis; & hic datur immediatè, infallibiliter, & ex opere operato, per applicationem meritorum & ſatisfactionum Chriſti factam per hoc ſacrificium: quod probatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. ubi ait quod ſalutaris virtus Sacrificii Crucis, in remiſſionem peccatorum quæ quotidie à nobis committuntur, per hoc Sacrificium nobis applicetur: & cap. 2. ait quod; cruentæ oblationis fructus per hoc uberrime percipiantur: & addit, „quare „non ſolum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in „Chriſto, necdum ad plenum „purgatis, ritè juxta Apoſtolorum traditionem offertur: ubi licet Trident. plures ſimul effectus recenſeat qui dantur ſolum per modum impetrationis, quod tamen hic detur ex opere operato, fundamentum habet, partim ex communi ſenſu univerſalis Eccleſiæ, partim ex forma ordinationis ſacerdotis, quâ datur illi poteſtas ſacrificium offerendi pro vivis & defunctis; quod ſignum eſt quod is, pro quo offertur, ſacrificii fructum poſſit percipere.

Vt quis illum effectum percipiat vi ſacrificii, debet eſſe in ſtatu gratiæ.

Petes, quænam diſpoſitio requiratur in ſubjecto ad hunc effectum obtinendum.

Reſp. ſtatus gratiæ: ratio eſt quia pœna temporalis pro peccato debita non remittitur niſi prius remittatur culpa; eò quod remiſſio pœnæ ſit beneficium amicorum, nec extendatur ad inimicos: unde neceſſe etiam eſt ut illa peccata venialia remiſſa ſint quorum pœna temporalis per ſacrificium miſſæ remittitur; multoque magis ut affectus ejuſmodi peccatorum venialium abſit, quo durante illa remitti non poſſunt.

Petes, quando effectus ſatisfactionis pro pœna peccatis remiſſis debita fuit impeditus per obicem, an ille, recedente obice, conferatur.

R. neg. quia id eſt ſingulare privilegium Sacramentorum quod ſine fundamento nequit extendi ad ſacrificium miſſæ: & certè cum ſacrificium miſſæ oblatum

pro homine juſto qui ſatisfactione non eget, illi non reſervet fructum ſatisfactionis pro tempore quo poſtmodum egebit, multò minus reſervabit hunc fructum peccatoribus pro tempore quo reſipiſcent.

Effectus ille major in melius diſpoſitò.

Petes an effectus miſſæ creſcat ex meliori diſpoſitione recipientis.

Reſp. Affirm. nec in hoc apparet diverſitas inter effectum Sacramentorum & Sacrificii quo ad applicationem ſatisfactionum Chriſti, cum uterque detur ex opere operato: inſuper ad effectùm qui datur per modum impetrationis, cæteris paribus ille qui eſt melius diſpoſitus eſt aptior ut quod pro illo petitur, impetretur.

Petes quot ſint partes ſeu portiones in quas dividitur hic ultimus effectus ſacrificii miſſæ qui confertur ex opere operato & vocatur remiſſio pœnæ temporalis peccatis remiſſis debitæ.

Tres ſunt portiones illius effectus.

Reſp. ex communi Doctorum ſententia illum dividi in tres portiones: & prima quidem vocatur generaliſſima, hæcque eſt quæ eſt communis omnibus fidelibus baptizatis non excommunicatis, & exiſtentibus in ſtatu gratiæ: nam è qualibet miſſa quæ in Eccleſia celebratur, exiſtens in ſtatu gratiæ aliquam ſemper portionem accipit majorem aut minorem juxta cujuſque diſpoſitionem, & juxta plures titulos quos habet ad majorem portionem recipiendam; ſiquidem cæteris paribus ille magis debet eſſe particeps ſacrificii qui actu illi præſens eſt quàm qui abeſt; & qui inſervit quam qui non inſervit, eò quod plus illi cooperetur: quod confirmatur ex verbis Canonis ubi dicitur „memento Domine omnium circumſtantium quorum tibi fides cognita eſt & nota devotio: veroſimile quoque eſt majorem devotionem plurimùm conferre ad majorem illum fructum ex opere operato & vi hujus portionis percipiendum.

Una generaliſſima, & quibus illa cedat.

Secunda eſt ſpecialis portio, quæ particulariter obtingit illis pro quibus ſacrificium offertur & applicatur; quæ probatur ex communi fidelium ſenſu; qui alioquin fruſtra eſſent ſolliciti de miſſis particularibus pro ſe offerendis, niſi ſcirent particularem fructum ſibi ex illis competere.

Alia ſpecialis.

Tertia portio eſt ſpecialiſſima, hæcque debetur ſoli Sacerdoti celebranti, quam & aliis poteſt applicare dum vult. Porro hæ tres portiones conceduntur vivis infallibiliter & ex ope-

Tertia ſpecialiſſima.

re

re operato ſuppoſito ſtatu gratiæ, & remoto peccati obice, & affectu ad peccatum veniale, cujus pœna dimittenda eſt.

Dixi, *vivis*, quia quomodo concedantur defunctis in purgatorio ſupra enarravimus.

Dices, ſi quilibet fideles ex quolibet miſſæ ſacrificio aliquam portionem fructus illius percipiat, neceſſe erit omnem pœnam pro peccatis reſtantem continuò omnibus dimitti.

Reſp. neg. conſequentiam: partim quia plures ponunt obicem, partim quia portio illa eſt intenſive finita.

DUBIUM IX.

An Sacrificium Miſſæ ſit infiniti valoris adeoque pro multis oblatum æquè proſit ſingulis ac ſi pro uno ſolo offeretur.

PRæmittendum quod valor Sacrificii diſtinguatur ab effectu Sacrificii; nam valor ſignificat moralem dignitatem & exſtimationem, item vim impetrandi, & ſatisfaciendi, quam habet Sacrificium tam ex parte offerentis quam ex parte rei oblatæ. Effectus verò eſt id quod de facto datur intuitu illius moralis dignitatis.

Porro valor poteſt dupliciter intelligi eſſe infinitus, nimirum intenſive & extenſivè. Infinitus intenſivè vocatur ille qui parit effectum infinitum: extenſivè verò infinitus vocatur qui non tot perſonis prodeſt quin adhuc poſſit prodeſſe pluribus.

Dico 1. ſi ſacrificium miſſæ ſpectetur tam ex parte primarii offerentis quam rei oblatæ, ſic eſt infiniti valoris: ratio eſt quia primarius offerens, item res oblata eſt Christus; ſed Chriſtus eſt infiniti valoris & dignitatis. *Sacrificium qua ratione ſit infiniti valoris.*

Dico 2. ſi Sacrificium Miſſæ ſpectetur quatenus offertur in perſona Eccleſiæ, ſic eſt valoris finiti, utpote qui fundatur in ſanctitate Eccleſiæ, quæ eſt finita. *Et qua ratione ſolum finiti.*

Dico 3. Sacrificii valor prout offertur à miniſtro ſacerdote eſt finitus tam in ratione meriti quam ſatisfactionis, quia perſona, à qua offertur, eſt finiti valoris tam in ratione merendi quam ſatisfaciendi.

Dices res oblata in hoc Sacrificio ſemper eſt infiniti valoris; ergo & oblatio qualemcumque offerentem reſpiciat.

Reſp. neg. conſequentiam, neque enim valor actionis tam creſcit ex ratione objecti circa quod verſatur, quam ex digni-

Digitized by Google

tate perſonæ operantis à qua procedit : quod patet exemplo Chriſti, cujus actiones, etſi verſarentur circa objectum finitum, erant tamen valoris infiniti, eò quod procederent à perſona infinitæ dignitatis : ita quoque actus virtutum theologicarum fidei, ſpei, & charitatis, ſunt valoris finiti, eſto verſentur circa Deum ut objectum infinitum.

Effectus Sacrificii eſt finiti valoris.

Dico 4. effectus Sacrificii miſſæ tam ex opere operato quam per modum impetrationis eſt ſimpliciter finitus : cujus ratio potiſſimum peti debet ex Chriſti voluntate & inſtitutione divinæ providentiæ conformi. Porro hæc Chriſti voluntas innoteſcit nobis ex praxi & conſuetudine univerſali Eccleſiæ, quæ approbat pro una & eadem cauſa ſæpius offerri ſacrificium miſſæ : patet hoc ipſum quoque ex pluralitate miſſarum quæ pro defunctis offeruntur; ac proinde Eccleſia ſentit non ſemper uno ſacrificio deleri omnes pœnas temporales ex peccato relictas, adeoque Sacrificium non habere effectum infinitum : alioqui damnanda eſſet Eccleſiæ conſuetudo, qua Sacerdotes uni ſpecialiter illum applicant, & non omnibus ſimul Eccleſiæ membris; nam ſi Sacrificium omnibus ſimul æquè poſſet prodeſſe ac ſingulis, obligarentur Sacerdotes, ſaltem ex charitate, pro omnibus fidelibus æqualiter ſacrificium offerre; quin imo ſequeretur uno Sacrificio poſſe totum purgatorium evacuari. Ex quibus colligitur quod Sacrificium pro multis oblatum non æquè proſit ſingulis ac ſi offerretur pro uno ſolo.

Sacrificium pro multis oblatum non æque ſingulis prodeſt, ac pro uno ſolo oblatum.

Dices, limitationem effectus quò ad intenſionem non neceſſariò ſequitur limitatio effectus quo ad extenſionem : ſic enim in quibuſdam cauſis phyſicis videmus quod licet intrinſecâ virtute ſint finitæ, ſimul tamen uno & eodem tempore poſſint æqualiter agere in plura objecta ſibi applicata; prout videre eſt in candela, quæ æqualiter illuminat hominem, ſive ille ſolus ſit, ſive cum multis : ſimiliter in igne, qui æquè calefacit decem homines ac unum; ſimiliter in voce, quæ æqualiter auditur à centum, ac ab uno : hoc ipſum quoque patet in cauſis moralibus; ſic enim Sacerdos unâ conſecratione tam valide conſecrat centum hoſtias, quam unam; ergo ex eo quod fructus ſacrificii miſſæ ſit intrinſecè finitus, non ſequitur eum debere pariter eſſe extrinſeçè finitum.

Reſp. hæc argumenta oſtendere ſacrificium miſſæ ſic quidem

dem potuiſſe inſtitui, non tamen perſuadent ita factum eſſe; neque enim ab iis quæ pendent à voluntate alterius ducitur ſolidum argumentum ab uno ſimili ad aliud. Præterea ratio diverſitatis eſt quod cauſa naturalis producat effectum ſuum ex determinatione naturæ juxta diſpoſitionem ſubjecti: unde concomitantia plurium objectorum quæ ſimul reperiuntur in eadem ſphæra activitatis, non obeſt quo minus unumquodque eorum juxta diſpoſitionem ſuam recipiat effectum perfectiorem: Porro Sacrificium cauſat effectum ſuum ad beneplacitum ejus qui illud ita inſtituit, ut oblatum pro pluribus non æquè proſit ſingulis ac ſi pro uno ſolo eſſet oblatum: quod patet ex praxi Eccleſiæ, quæ eſt fidelis interpres inſtitutionis Chriſti, quæque nobis inſinuat quod Chriſtus unâ conſecratione plures quoque hoſtias ſimul voluerit poſſe conſecrari: quare in ſimilibus poſitivis non valet argumentum à ſimili.

Et eapropter Sacrificium miſſæ potius venit aſſimilandum nummo aureo vel argenteo, qui, ſi ſolvatur pro multis, minus valebit ſingulis, quam ſi pro uno ſolo ſolveretur: & eapropter cum ex ſua inſtitutione habeat vim ſatisfactoriam, & adinſtar chirographi quod pluris valet ſi pro uno ſolo detur quam ſi pro pluribus.

Ex quibus concluditur ſi Sacerdos pro duabus animabus Sacrificium offerat, ſingulis minorem pœnam remiſſum iri, quam ſi offerat pro una ſola.

Quod etiam verum eſt de effectu per modum impetrationis.

Petes an idem dicendum ſit de effectu Sacrificii qui datur per modum impetrationis, quod ſcilicet oblatum pro multis non tantum proſit ſingulis per modum impetrationis quam pro uno ſolo.

Reſp. Affirmativ. & hoc ideo quia Sacrificium finito modo applicat meritum Paſſionis Chriſti in ordine ad impetrandum.

Oratio facta pro pluribus minus valet pro ſingulis, quam ſi pro uno ſolo fiat.

Dices, oratio fuſa pro pluribus æquè valet ſingulis quo ad impetrationem, ac ſi eſſet pro uno ſolo fuſa; & opus bonum æquè eſt impetratorium & ſatisfactorium oblatum pro multis ac oblatum pro uno.

Reſp. neg. aſſumptum: & ratio eſt quia hæc omnia in ſua eſſentia ſunt finita; ac proinde cum illa habeant limitatam virtutem, quo magis diffuſa ſunt in plura, eo minora ſunt ad ſingula.

Porro quod oratio ſit minus efficax fuſa pro pluribus quam pro uno, inde manifeſtè patet,

Digitized by Google

quod facilius obtineatur ab aliquo Principe per orationem aliqua gratia pro uno, quam pro pluribus; facilius enim ex decem reis ad mortem condemnatis obtinetur remiſſio pro uno, quam pro pluribus.

Oppoſitũ tamen etiam probabile eſt.

Non deſunt tamen graves authores qui aſſerunt Sacrificium, quoad vim impetrandi, pro pluribus oblatum, æquè prodeſſe ſingulis, acſi pro uno ſolo eſſet oblatum; qui pariformiter ratiocinantur de oratione, ſcilicet illam non minus valere ſi pro pluribus fundatur, quam ſi pro uno ſolo; dummodo tamen cætera ſint paria, ſcilicet ut pari devotionis affectu oretur pro multis quam ſi pro uno ſolo.

Porro rationem diverſitatis allegant inter fructum ex opere operato, & fructum per modum impetrationis, quod hic poſterior innitatur ſolum divinæ miſericordiæ, & liberalitati; prior vero inſuper innitatur divinæ promiſſioni.

Petes, an effectus qui per Sacrificium datur per modum impetrationis pendeat à bonitate aut ſanctitate miniſtri.

Miſſa boni Sacerdotis qua ratione melior quã mali.

Reſp. negativè; neque enim ille datur ex opere operantis, ſed neque etiam ex opere operato, ſed ex alio capite; ſcilicet per modum impetrationis, quæ fundatur tam in excellentia primarii offerentis, quam in dignitate rei oblatæ: quamquam tamen plurimum conducat ad citius impetrandum id quod per Sacrificium petitur, ſi miniſter ſanctior ſit, & devotior: quod patet à ſimili; ſic enim videmus in humanis quod quamvis petitio Regis Hiſpaniarum v.g. plurimum ſoleat valere apud Papam, eſto legatus Regis ſit inviſus: ſi tamen ipſe legatus ſit etiam Pontifici gratus & acceptus, facilius certè impetrabit id quod nomine ſui Regis petit: & ex hoc capite miſſa boni & devoti ſacerdotis longe eſt utilior quam ſacerdotis mali & indevoti. Idem proportionaliter dicendum eſt de orationibus quæ fiunt in Miſſa nomine Eccleſiæ, ſcilicet quod tantò ſint efficaciores ad impetrandum, quantò miniſter ſanctior eſt & magis devotus.

Accipere ſtipendium ut pro perſona certa Miſſam legat, nõ poteſt alteri fructum miſſæ applicare.

Ex dictis collige non licere ſacerdoti fructum Sacrificii alicui ex juſtitia debitum alteri applicare; vel pro una miſſa, plura ſtipendia accipere; quippe qui fraudabit dantem juſtum ſtipendium magno fructu ſibi ex juſtitia debito. Eò quod inter ſtipendium dantem, & recipientem, ſit obligatio ex juſtitia commutativa ipſi danti applicandi omnem

nem

Digitized by Google

nem fructum ex opere operato qui illi poteſt applicari: & certè ſi poſſet ſacerdos pro una Miſſa plura ſtipendia accipere, hoc falſo innixus fundamento quod fructus Sacrificii ex opere operato ſit extrinſecè infinitus, poſſet quoque mille ſtipendia pro una Miſſa accipere; quia non eſt major ratio de mille quam de duobus: & eapropter ejuſmodi ſententia, hoc aſſerens licere, eſt prorſus improbabilis, impia, ſcandaloſa; & maximam animis hominum erga ſacerdotes ingereret ſordidæ cupiditatis & avaritiæ ſuſpicionem, quapropter ab Urbano VIII. Pontifice Maximo eſt cenſurata & prohibita.

Et contraria praxis eſt ab Vrbano VIII. damnata

Petes, an Sacerdos pro una Miſſa accipiens duplex ſtipendium excuſari poſſet à mortali.

Reſp. negativè; nec refert quoad ratione modicæ pecuniæ v. g. octo aſſium non obligetur ſub mortali ad reſtitutionem; obligatur tamen ratione promiſſionis in re gravi ſub mortali pro illo ſolo celebrare à quo, ut pro ſe ſolo celebret, juſtum ſtipendium accepit.

DUBIUM X.

Ad quem ſpectet applicare fructum Sacrificii Miſſæ.

Reſp. ad Sacerdotem celebrantem: ratio eſt quia poteſtas applicandi fundatur in poteſtate offerendi, quam ſolus, habet ſacerdos. Confirmatur, quia publicum bonum quale eſt fructus Sacrificii Miſſæ, debet per publicum miniſtrum, qualis eſt ſolus ſacerdos, applicari, & adminiſtrari.

Applicatio fructus Sacrificii dependet ab intentione ſolius miniſtri.

Petes, an inferior v. g. ſacerdos religioſus poſſit validè, quamvis illicitè, applicare Sacrificium Miſſæ contra voluntatem ſuperioris.

Reſp. affirmativè; quia miniſter Sacrificii ita ſe habet ad Sacrificium, ſicuti miniſter Sacramenti ad Sacramentum; ſed miniſter Sacramenti illud validè applicat & confert contra voluntatem ſuperioris, ut v. g. ſi Epiſcopus inhibeat Paſtori ne baptizet aut conſecret, ſi tamen baptizet aut conſecret, validè baptizat aut conſecrat; ergo & miniſter Sacrificii illud validè applicat contra voluntatem ſuperioris. Quod probatur ulterius quia ſacerdos non ſubditur quoad eſſe validum voluntati ſuperioris in iis, quæ agit ex poteſtate

Sacerdos religioſus validè applicat fructum Miſſæ, et ſi à Prælato prohibitus.

teſtate à Chriſto accepta; ſed ſacerdos accepit à Chriſto poteſtatem offerendi Sacrificium pro vivis & defunctis; ergo. Hoc ipſum quoque videmus in humanis; ſic enim ſi quis à Rege immediatè accepit poteſtatem gubernandi abſolutè aliquam civitatem, in ejus executione impediri non poteſt à ſuperiore Regi ſubordinato.

Petes, an ſacerdos qui nulli applicavit Sacrificium, poſſit, illo abſoluto, poſtea alicui applicare.

Qui dũ celebrat non habet intentionem applicandi fructum non poteſt poſtea illum applicare.

Reſp. negativè; quia fructus Sacrificii non pendet immediatè à voluntate ſacerdotis, ſed mediante Sacrificio tamquam cauſâ: & eapropter quando Sacrificium non eſt amplius in poteſtate ſacerdotis, nec ejus fructus erit in ipſius poteſtate; nam ſicuti poteſtas applicandi fundatur in poteſtate conſecrandi, ita actualis applicatio in actuali conſecratione: & eapropter illi, in cujus poteſtate non eſt amplius conſecratio, non eſt etiam conſecrationis applicatio.

Ex quo infer, quod ſacerdos qui celebravit & interim nulli fructum Sacrificii applicavit ſive per oblivionem ſive alio modo, non poſſit poſtea fructum Sacrificii illius applicare illi à quo accipit eleëmoſynam ut celebret ad ſuam intentionem; eò quod non ſit inpoteſtate ſacerdotis ſuſpendere fructum Sacrificii.

Fructus talis ſacrificii cedit ipſi Sacerdoti.

Petes, cuinam in hoc caſu ejuſmodi Sacrificium proderit.

Reſp. ipſi ſacerdoti celebranti ſi careat obice; nam quando celebrat & nulli applicat, cenſetur implicitè ſibi velle applicare.

Ad applicationem fructus, ſufficit intentio præterita non retractata.

Petes, an qui hodie obligatur Sacrificium Miſſæ pro aliquo celebrare, ſatisfaciat obligationi ſuæ, ſi heſternâ die voluerit applicare.

Reſp. affirmativè; dummodo habuerit voluntatem abſolutam ex tunc applicandi, quæ ante applicationem non ſit revocata.

Dices, voluntas illa eſt hodie tantum habitualis, utpote heſternâ die elicita & per ſomnum interrupta; ſed ad applicandum Sacrificii fructum tam requiritur intentio actualis vel virtualis, quam ad confectionem Sacramenti; ergo.

Reſp. negando ſubſumptum; & ratio diſparitatis eſt quia voluntas applicandi Sacrificium non concurrit tamquam illius cauſa, eò quod poſſit ſubſiſtere Sacrificiũ ſine ejus applicatione; voluntas verò ſeu intentio conficiendi Sacramentum ad illud concurrit tamquam illius cauſa, quæ proinde vel actualiter vel virtualiter debet exiſtere.

Petes,

Digitized by Google

An qui hodie miſſam legis poſſit applicare illam ei qui poſtea dabit ſtipendium.

Petes an ſacerdos hodie ſine ulla obligatione celebrans non poſſit applicare fructum Sacrificii illi quem Deus novit daturum illi craſtinâ die ſtipendium, quod eſt petere an quis non poſſit miſſam anticipare cum intentione applicandi fructum illi qui craſtina die illi daturus eſt eleëmoſynam.

Reſp. per ſe loquendo negat. neque hujuſmodi modus agendi ullatenus in praxi eſt approbandus, utpote ſapiens avaritiam, & avertens homines ab eleëmoſynis intuitu celebrationis miſſarum inpoſterum elargiendis: Etenim quiſnam fidelis eſſet contentus qui traderet Sacerdoti ſtipendium quinquaginta miſſarum, & ſacerdos illi diceret, applico tibi 50. miſſas quas aliàs celebravi? Præterea ejuſmodi praxis eſt fraudulenta & injuſta, quippe cum ſacerdos exponat ſe manifeſto periculo dantem eleëmoſynam privandi fructu iſtius ſacrificii ante oblati, utpote qui tunc forſitan erat in peccato mortali, & conſequenter incapax; aut qui tunc non egebat ſatisfactione quâ modò indiget.

Dixi, *per ſe loquendo*, quia ſi Sacerdos hodie celebret pro defuncto pro quo quis craſtinâ die illi certò curabit fieri ſacrum, licitè accipiet ſtipendium miſſæ anticipatæ, quia nimirum ejuſmodi defunctus fuit capax fructûs ſacrificii dum fuit oblatum: unde nec malè per ſe loquendo facit ſacerdos qui obligatus in hebdomada ter celebrare pro defunctis, anticipatè legit tres illas miſſas; nam is adinſtar boni & ſolliciti debitoris perſolvit quod debet, anticipatè: præterea hujuſmodi defunctus citiùs gaudebit fructibus illorum ſacrificiorum, quàm ſi dilata fuiſſent in tempus ſequens.

Dixi iterum *per ſe loquendo*, quia ſi contrarium ſpecialiter exprimatur in fundatione, non poſſunt illæ miſſæ anticipatè perſolvi, ſed mens fundatoris eſt adinſtar legis adimplenda: ut v. g. ſi in fundatione exprimatur quod nulla trium miſſarum in hebdomada prætermittatur.

Nota hic, Sacerdotem obligatum pro aliquo celebrare optimè facturum ſi applicationem ſuam aliquo modo multiplicet v. g. dum celebrat quis pro defuncto, conſultum eſt intendere ut Sacrificium illud proſit alteri, ſi vel defunctus non ſit capax, vel non indigeat, vel ut proſit alicui tertio, ſi ſecundus nec ſit capax nec indigeat; cumque defunctus tantùm indigeat relaxatione pœnæ, poterit Sacrificium quo ad

Praxis pro formanda intentione applicandi fructum miſſæ.

ad alios effectus, v. g. quo ad gratias obtinendas aut alia bona ſine diſpendio aliis applicari. Idem proportionaliter faciendum eſt dum quis celebrat pro vivis, ut videlicet ſi ille non ſit capax fructûs, vel non indigeat, applicetur alicui alteri ſub prædicta conditione.

Porro cùm hoc ſacrificium miſſæ omnium aliorum Sacrificiorum proprietates in ſe eminenter complectatur, quippe cum ſit latreuticum, Euchariſticum, impetratorium, & propitiatorium, multùm conducet ad devotionem Sacerdotis ſi ille juxta has omnes qualitates illud conetur applicare: v. g. quatenus latreuticum, illud offerendo ad proteſtandum ſupremum Dei dominium & noſtram ſubjectionem: rurſum, offerendo per illud ad illum finem Deo Patri, unigeniti filii ſui humilitatem, manſuetudinem, obedientiam, patientiam, aliaque virtutum opera quæ in hoc victimæ ſtatu exhibet.

2. Quatenus Euchariſticum, illud offerendo ad gratias divinæ majeſtati agendas pro omnibus beneficiis collatis. 1. Sacratiſſimæ Chriſti humanitati. B. B. Virginis integritati, dein pro omnibus beneficiis collatis omnibus ſanctis, ac præcipuè pro ineffabili redemptionis humanæ per incarnationem Verbi, & amariſſimæ paſſionis beneficio; prout & pro eo quod in S. S. Euchariſtiæ Sacramento magnus ille Dominus ſub vilibus ſpeciebus nobis in hac noſtra peregrinatione dignetur jugiter eſſe præſens.

3. Quatenus impetratorium, illud offerendo ad poſtulanda quæcumque beneficia tam corporalia quam ſpiritualia quatenus ad Dei gloriam, noſtram proximique ſalutem poſſunt conducere; item ad deprecanda quæcumque mala, vel de facto nos vexantia, vel pro futuro impendentia.

4. Quatenus propitiatorium, illud offerendo ad placandum divinam majeſtatem pro tot tantiſq; peccatis quæ quotidie committuntur, & condignam ſatisfactionem pro illis exhibendam.

DVBIVM XI.

An & quale ſtipendium Sacerdos poſſit accipere pro celebratione miſſæ.

Licitum pro celebratione miſſarum accipere ſtipendium.

CErtum eſt Sacerdotem poſſe pro celebratione miſſæ ſtipendium accipere, dicente Salvatore Matth. 10. *dignus eſt operarius mercede ſua*: cui ſuffragatur

gatur Apoſtolus 1. ad Cor. 9. *qui altari deſervit de altari participat.* Hoc ipſum dictat ratio naturalis quòd qui alterius opem deſiderat, ipſi debeat ſuſtentationem.

Dices, Sacerdos accepto ſtipendio obligatur ex juſtitia legere ſacrum; ſed is nequit obligari ex juſtitia ſine pacto, quod apparet ſimoniacum, utpote quo datur temporale pro ſpirituali.

Illud tamen non, datur tamquam pretium rei ſpiritualis.

Reſp. negando ſecundam partem ſubſumpti, non enim datur ibi temporale pro ſpirituali tamquam pretium operis ſpiritualis præſtiti, ſi enim hoc fieret, verè eſſet ſimoniacum; ſed ut adminiculum ex natura rei neceſſarium ad ſpiritualem adminiſtrationem; quippe cum nemo poſſit ſpirituale adminiſtrare niſi ſuſtentetur ſecundùm ſuum ſtatum.

Sed tamquam debitum ad ſuſtentationem.

Dices ſicuti Sacramenta, ſic & ſacrificia debent gratis adminiſtrari, dicente Apoſtolis Chriſto *gratis accepiſtis, gratis date*; ſed ſacrificium non adminiſtratur gratis ſi ex juſtitia miniſtro debeatur ſtipendium.

Reſp. negando ſubſumptum; ideo enim dicuntur Sacramenta prout & ſacrificia gratis adminiſtrari, quia nihil exigi poteſt tamquam illorum pretium; & tamen ut hoc gratis præſtent debent habere neceſſariam ſuſtentationem à populo.

Petes, an ergo Sacerdos poſſet abſque peccato ſtipendium miſſæ deducere in pactum antequam celebret.

Reſp. per ſe loquendo Affirmat. quandoquidem illud non exigat tamquam pretium miniſterii ſacri, ſed ſolùm vel pro ſua ſuſtentatione, vel labore extrinſeco, vel obligatione celebrandi in loco diſtanti; quæ ſunt pretio æſtimabilia: & hâc ratione poſt miſſæ celebrationem poteſt renitentem perſolvere ſtipendium cogere, ſi opus ſit, viâ juris.

Cavendum ſacerdotibus ne pro miſſis legendis paciſcantur.

Omnimodè tamen optandum foret ut ſacerdotes à ſimilibus pactis abſtinerent, eò quod hæc ſpeciem quamdam negotiationis, & animi nimiùm vili lucro inhiantis apud plebeios præ ſe ferant: quod ſi tamē de his velit paciſci, expreſsè debet ſignificare ſe non pro ſua functione ſacra, ſed pro neceſſaria ſuſtentatione tantùm, exigere; idque ad præcavendum ſcandalum.

Petes quodnam cenſendum ſit ſtipendium unius miſſæ.

Quodnam cenſeri debeat juſtum ſtipendium celebrantium.

Reſp. id quod ab Epiſcopo aut alio ſuperiore poteſtatem habente eſt taxatum; nam, ſicuti pretia rerum publicâ auctoritate taxantur, ita quoque hoc ſtipendium taxari poteſt.

Digitized by Google

Porro ſi hoc non ſit lege Epiſcopali taxatum, tunc illud cenſetur juſtum quod communi prudentum & piorum hominum judicio pro tali habetur, & ab hominibus timoratis dari ſolet: etenim eſto illud ſtipendium non ſit pretium rei, ejus tamen juſtitia non poteſt aptiùs conſtitui, quam ex proportione ad juſtum pretium alicujus rei; neque enim committi debet privatæ cujuſque voluntati ut pro ſuo arbitrio ſtipendium quis exigat.

Porro hæc eſt diſtinctio inter ſtipendium lege ſuperioris taxatum, & inter ſtipendium vulgare, quod ſcilicet habetur tale ab hominibus timoratis, quòd primum conſiſtat in indiviſibili, ita ut majus ſine injuſtitia exigi nequeat; aliud verò habeat ſuam latitudinem: ſicuti enim in vulgari rerum pretio datur ſummum, medium, & infimum, ita quoque in hoc ſtipendio vulgari datur ſummum medium & infimum: quamquam Sacerdotes meminiſſe debeant numquam ſummum ſtipendium petere, ne populum ſcandalizent; quippe qui inde putet omnia ſacra pretio eſſe venalia: attamen mirum eſt ſtipendia Mechanicorum opificum, Advocatorum, Conſiliariorum, quotidie excreſcere & augeri, Sacerdotes autem diminutâ ſtipe cogi velut mendicare.

Optandum ut Sacerdotum Stipendia ab Episcopis regulantur.

Eapropter valde optandum eſſet ut Epiſcopi in ſuis reſpectivè diœceſibus attentâ perſonarum, regionis, pecuniæ abundantiâ, maturèque perpenſis aliarum rerum circumſtantiis, ſtipendia miſſarum determinarent, atque taxarent, ad evitandam confuſionem quæ quotidie ſuboritur in eccleſia Dei defectu ejuſmodi taxæ.

Vt stipendia pro miſsis cenſeantur justa non debent ſufficere ad totam ſustentationem.

Petes an ad juſtum ejuſmodi ſtipendium conſtituendum debeat attendi quàm multis ſacerdos egeat ad honeſtam ſui ſuſtentationem.

Reſp. neg. ſed illud ita debere conſtitui ut ſaltem attingat honeſtam ſuſtentationis partem; ad quod non debet attendi indigentia unius vel alterius, ſed ſpectari debet quantum in tali diœceſi neceſſarium ſit ad honeſtam ſuſtentationis partem.

Dico, *partem*, quia cum Sacerdos ex ſuo gradu ad multa alia munia ſpiritualia deputetur, recta ratio non videtur permittere ut deputetur integra ſuſtentatio pro miſſæ celebratione.

Qui ſtipendium accepit pro certo numero miſſarum, te-

Petes an ſacerdos qui recepit plura ſtipendia juſto minora pro celebrando v. g. uno trigeſimo, poſſit illa ſtipendia reducere ad juſtam taxam minuendo pro-

Digitized by Google

netur illas omnes legere.

proportionaliter ſacrorum numerum ſi promiſerit ſe 30. miſſas dicturum.

Reſp. neg. ſed tenetur ſtare promiſſis, & ſuæ imprudentiæ imputare debet minorem eleëmoſynam quam accepit; ſiquidem cenſetur ceſſiſſe juri ſuo ad petendam majorem eleëmoſynam: quæ etiam prohibetur illi per decretum Vrbani VIII quod incipit, *cum ſæpè*, ubi Pontifex ſub obteſtatione divini judicii præcipit abſolutè tot miſſas celebrari quot fuerint promiſſæ, quamvis ſtipendia fuerint juſto minora.

Licet ſtipendium eſſet minus juſto.

Petes an Paſtor qui ſuſcepit miſſam celebrandam cum eleëmoſyna medii pataconis poſſit curare illam celebrari per Cappellanum retentâ ſibi medietate eleëmoſynæ.

Qui ſtipendium amplum accepit pro miſſa, illud totum debet dare eam legenti.

Reſp. neg. id enim avaritiam ſapit, & damnabile lucrum; quod ea propter ſtrictè inhibuit Vrbanus decreto ſupra citato.

Petes, quid ſi Paſtor ejuſmodi ſtipendium vi extorſerit.

Reſp. tunc quoque peccabit contra juſtitiam excedendo taxam à ſuperiore taxatam, & obligabitur ad reſtitutionem.

Cur potius quàm beneficiatus

Dices beneficiatus habens beneficium 400. florenorum cum onere ſex miſſarum licitè curat illa celebrari per alium pro 150. flor. retentis ſibi adhuc 250.; ergo & Paſtor, accepto medio patacone pro eleemoſyna poterit ſibi quoque retinere medietatem ſtipendii.

omnes fructus deſervitori,

Reſp. negando conſequentiam, quia beneficiatus eſt Dominus ſui beneficii: Paſtor verò talis, tantùm diſpenſator.

Petes quid ſi Sacerdos accipiat duplex ſtipendium à duobus, ab uno ad celebrandam miſſam pro impetranda ſanitate, ab altero verò ad celebrandam miſſam in ſatisfactionem peccatorum ſuorum, an ſatisfaciat legendo unam miſſam & applicando uni fructum ſacrificii quatenus impetratorium, & alteri quatenus propitiatorium.

Reſp. negat. quia manifeſtè defraudat tradentes ſtipendium, eò quod quilibet ſtipendium tradens cenſeatur petere applicari ſibi totum ſacrificii fructum, qui tradentibus ſtipem ſolet concedi.

Obligatus celebrare in certo loco, an inſuper accipere poſſit ſtipendium pro applicatione intentionis.

Petes an Sacerdos qui ſolùm obligatur celebrare certo loco, & eo titulo ſtipendium recipit, poſſit inſuper aliud accipere ab eo qui petit ſibi applicari fructum ſacrificii.

Reſp. Affirm. quia in tali caſu ſacerdos imponit ſibi duas obligationes quibus poteſt ſimul ſatisfacere, & pro quibus

poteſt

DUBIUM XII.

An ſacerdos ſit obligatus ſub mortali aliquando celebrare, & quoties.

Licitum Sacerdoti quotidie celebrare.

SUppono 1. per ſe loquendo non ſolùm eſſe licitum, ſed & valde laudabile & meritorium quotidie cum debita diſpoſitione & reverentia celebrare.

Quod probatur 1. ex celebri & famoſa illa venerabilis Bedæ ſententia in cap. 2. Act. Apoſt. ubi ſic ait „Sacerdos legitimè „non impeditus, celebrare prætermittens, quantum in ſe eſt „privat B. Trinitatem laude & „gloriâ; angelos lætitiâ; peccatores veniâ; juſtos ſubſidio „& gratia; in purgatorio exiſtentes ſubſidio & refrigerio; „Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficio; & ſe ipſum medicinæ „remedio.

Hoc ipſum probant exempla Sanctorum: ſic enim S. Andreas, prout in ejus paſſione legitur, Tyranno reſpondit, quotidie immolo agnum immaculatum. Eſtque mos ille quotidie celebrandi divinitus approbatus in S. Caſſio Epiſcopo Narnienſi, cui divinitus dictum eſt, prout refertur à S. Gregorio hom. 37. in Euang. „age quod agis, operare quod operaris, non ceſſet „manus tua, non ceſſet pes tuus. Ab hac tamen conſuetudine excipitur, feria 6. paraſceves: conſuetudo verò non celebrandi Sabbatho Sancto exolevit contraria conſuetudine: quare & licebit illo die celebrare, prout multò magis feriá quintâ cœnæ Domini. His ſuppoſitis.

Sacerdotes ex Chriſti præcepto obligantur ad celebrandum.

Dico 1. quilibet ſacerdos vi ſuæ ordinationis obligatur aliquando celebrare: quod probatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. ubi, poſteaquam enarravit quomodo Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini in ultima cœna obtulit Deo Patri, ſubdit, „ſub earundem rerum ſymbolis, „Apoſtolis, quos tunc Novi „Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit; & iiſdem eorumque in „ſacerdotio ſucceſſoribus, ut „offerrent, præcepit per hæc „verba, *hoc facite in meam commemorationem*; ſed omnes & ſinguli ſacerdotes ſunt Apoſtolorum in ſacerdotio ſucceſſores; ergo ad omnes & ſingulos hoc præceptum dirigitur; quod, cum ſit in materia gravi, obligat ſub peccato mortali.

Hoc ipſum confirmatur ex cap. *dolentes* ubi inter alia peccata quorundam ſacerdotum, enumeratur etiam hoc, quod ſcilicet aliqui

Digitized by Google

populi quam ad ea ad quæ populus præciſè obligatur ſcilicet ad utilitatem gregis ſui & ad bonum ſpirituale ſuorum ſubditorum per media communia, ſequitur quod debitum paſtoralis officii cùm obliget ad procurandum ut ſui fideles ſubditi etiam in hebdomada non fraudentur Sacrificio à Chriſto inſtituto ad Eccleſiæ & fidelium utilitatem.

Petes, an parochi illis diebus quibus obligantur celebrare in parochia, obligentur etiam ſubditis ſuis applicare fructum Sacrificij.

Quoties teneantur applicare fructum ſubditis.

Reſp. & dico, certum eſſe paſtorem quandoque eſſe obligatum pro ovibus ſuis Sacrificium offerre, illiſque fructum Sacrificii applicare: quod aſſerit Conc. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. dum ait, „ cum præcepto „ divino mandatum ſit omnibus „ quibus animarum cura com„ miſſa eſt, oves ſuas agnoſce„ re, pro his Sacrificium offer„ re &c.„ Præterea quia Paſtor, non tantùm accipit ſuſtentationem à ſubditis ſuis pro aliis miniſteriis, ſed etiam pro miſſis quandoque illis applicandis.

Quia tamen divino præcepto determinatum non eſt, prout neque Eccleſiaſtico, quoties aut quibus diebus parochus obli getur Sacrificium Miſſæ ſubditis applicare, obligabitur id ipſum facere juxta judicium prudentum & timoratorum; qui cenſent parochum ad minus ſingulis diebus dominicis & feſtis obligatum eſſe Sacrificii fructum ſubditis applicare. Quod confirmatur ex Concilio Provinciali Mediolan. 1. in quo prohibetur parochis ne diebus dominicis, & feſtivis, item tribus ferialibus cujuſvis hebdomadæ diebus ſuſcipiant aliud onus miſſarum celebrandarum: per quod tacitè inſinuat illas miſſas ſubditis debere applicari.

Petes, an ſacerdos qui titulo ſui beneficii obligatur ad miſſam quotidianam poſſit ſingulis hebdomadibus unam omittere.

An obligatus vi beneficii quotidie celebrare, non poſſit quandoque omittere.

Reſp. id pendere à fundatione & fundatoris intentione: ſi enim fundator in fundatione ſua exprimat ut beneficiatus quotidie celebret per ſe vel per ſubſtitutum tunc hujuſmodi beneficiatus non poterit ullã miſſam in hebdomada prætermittere, eò quod non ſit licitum recedere à mente fundatoris claris verbis expreſſa. Quod ſi verò electa ſit Cappellani induſtria, ita ut fundator exprimat illum debere quotidie per ſe celebrare, tunc poterit ſemel in hebdomada unam miſſam prætermittere ratio eſt quia obli-

gatio miſſæ quotidianæ taliter Cappellano impoſita, intelligitur ſalvâ decentiâ & honeſtate, id eſt ſalva conſcientiâ & reverentiâ Sacramento debitâ; alioquin enim quandoque obligaretur ad illicitum.

Petes, an ejuſmodi beneficiatus eo die quo illi eſt liberum ſemel in hebdomada miſſam omittere, poſſit accepto ſtipendio illo die pro alio celebrare, vel pro ſe; vel ſolâ recreationis causâ à miſſa abſtinere.

Reſp. negativè, quia tunc neque conſcientia ſacerdotis, neque Sacramenti reverentia poſtulant ut applicet alteri miſſam: ac eapropter ſi velit eo die celebrare debet fructum Sacrificii fundatori applicare.

Quid ſi talis per morbum non celebraverit, an teneatur ſupplere.

Petes, an ſacerdos qui ob contractum morbum non potuit onus miſſæ quotidianæ aliquamdiu implere, teneatur miſſas illas vel poſtmo, dum recuperare, vel per ſacerdotem ſubſtitutum ad ratam temporis curare celebrari.

Reſp. ubi in aliqua Diœceſi deſuper extat particularis aliqua conſuetudo, aut Epiſcopale decretum, illud eſt ſervandum: ubi verò tale non extat, tunc opus eſt diſtinctione, vel enim infirmitas eſt brevis v. g. unius menſis: vel eſt longa, ut puta 2. 3. aut 4. menſium: ſi infirmitas ſit brevis, tunc non tenetur ſacra interea omiſſa recuperare; eò quod ipſe non ſit deterioris conditionis quàm unus famulus; ſed famulo uno menſe ægrotanti rationabiliter non detrahitur ſtipendium; ergo neque ejuſmodi Sacerdoti ægrotanti: præterea non eſt credibile fundatorem tam ſtrictè ſacerdotem pro tantillo infirmitatis tempore velle obligare ad illa recuperanda: præſertim cum Conc. Trid. concedat parochis facultatem ſingulis annis ſpatio duorum menſium ſe ex legitima cauſa abſentandi à parochia, abſque eo quod teneantur ad aliquam reſtitutionem.

Porro ſi infirmitas ſit longa, ſacerdos ægrotus obligabitur onera miſſarum curare ſuppleri per alium: ratio eſt, quia beneficiatus tenetur voluntatem fundatoris ad amuſſim obſervare, idque ex implicito pacto.

DUBIUM XIII.

An ſacerdos poſſit celebrare miſſam quam vult.

Sacerdos regulariter obligatur legere miſſam de tempore occurrente.

RESp. conſulendum eſſe cuilibet Sacerdoti pro ſua devotione celebranti, ut celebret miſſam concordantem cum officio illius diei; eò quod conſentaneum ſit ut ſeſe accommodet rubricis & ritibus miſſalis: qui tamen non peccabit ſi exiſtente ratio-

rationabili cauſâ legat pro devotione ſua aliam miſſam privatam: quia bulla Pii V. in qua præcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ ut rubricæ miſſalis ſerventur, ex communi praxi & conſuetudine Eccleſiæ quoad miſſas privatas, ſubſiſtente cauſâ juſtâ; non cenſetur obligare ſub peccato.

Quidnam is qui obligatur ad votivas, aut pro defunctis poſſit legere propriam

Petes an Sacerdos qui, vel ex fundatione, vel ratione accepti ſtipendii, obligatur legere miſſas determinatas v. g. de Beata vel de Spiritu S. &c. poſſit legere miſſam illo die occurrentem.

Reſp. ejuſmodi, per ſe loquendo, infideliter agere non ſtando promiſſis: quòd ſi tamen ex juſta cauſa aliam miſſam celebret, ut puta, ſi in illum diem incidat ſolemnitas alicujus ſancti de quo celebratur feſtum ſimplex, ſemiduplex, aut duplex, poterit celebrare miſſam illius diei: etſi enim v. g. miſſa de Requiem, quam ſacerdos tenetur legere, magis defuncto proſit quam alia, ſi miſſa ſpectetur quoad preces ab Eccleſia inſtitutas, tamen ſi conſideretur ut ſacrificium, æqualiter prodeſt: & defectus miſſæ expetitæ compenſatur devotione & interceſſione illius Sancti in cujus honorem miſſa celebratur.

Addo reprehendendos eſſe illos Sacerdotes qui ad inordinatam devotionem laicorum omittunt miſſas cum officio concordantes, quippe qui ſe potiùs accommodare debent rationabili Eccleſiæ intentioni, quàm irrationabili laicorum devotioni.

An qui tricenarium ſuſcepit obligetur quotidie & de requiem legere.

Petes an is qui ſuſcepit celebrandum trigeſimum obligetur ſingulis diebus miſſas legere de Requiem.

Reſp. negativè, illis præſertim diebus quibus in Eccleſia celebratur feſtum ſolemne: unde nequidē qui ſuſcepit obligationem legendi 30. miſſas S. Gregorii pro defunctis, tenetur ſingulas recitare de requiem, præſertim occurrente feſto in Eccleſia: prout neque neceſſè eſt ut illæ legantur conſequenter ſine ulla interruptione; quia obligatio celebrandæ miſſæ ſemper intelligitur ſalvâ decentiâ & honeſtate.

Petes an ſit damnandus uſus 30. miſſarum S. Gregorii.

Reſp. neg. dummodo nullæ vel circumſtantiæ vanæ, vel cæremoniæ exoticæ admiſceantur.

Obligatus ad certum locum, an ſatisfaciat alibi celebrando?

Petes an is qui ex fundatione vel contractu obligatur celebrare in certa Eccleſia, vel certo altari, poſſit ſine peccato in alia Eccleſia aut alio altari celebrare: ſimiliter an Sacerdos obligatus celebrare in privilegiato, ſatisfaciat

Digitized by Google

ciat ſuæ obligationi celebrando in alio altari applicando defuncto indulgentiam plenariam quam aſſequitur ratione medaliæ benedictæ.

Reſp. ad 1. ſtandum eſſe voluntati fundatoris, adeoque per ſe loquendo peccabit mortaliter, ſæpiùs alibi celebrans; quia facit contra obligationem in re gravi; non tamen tenebitur ad reſtitutionem, quia quamvis peccet alibi celebrando, non tamen privat fundatorem fructu ſacrificii.

Quod ſi tamen ex juſta cauſa alio loco celebret, ut puta quia Epiſcopus diſpenſavit, aut quia Eccleſia eſt violata, diruta; aut interdicto ſubjecta, non peccabit; quia hæc tunc cenſetur interpretativa voluntas fundatoris.

Qui ſtipendium accipit in altari privilegiato, peccat alibi legendo.

Ad 2. Reſp. neg. quia imprimis talis infideliter agit non ſervans pactum, tum quia tutius eſt privilegium altaris quam numiſmatis, de quo ſæpiùs dubitari poteſt an ſit benedictum, eò quod circa numiſmata fiat magna deceptio: nam peregrini qui Romæ aſſiſtunt emunt multa numiſmata ante portas Eccleſiarum & cum Pontifex per plateas tranſit aut vadit ad Eccleſiam, exponunt ſua numiſmata, putantes quod quando ille dat benedictionem, uti dare ſolet, ea eſſe benedicta, & indulgentias illis eſſe annexas, quæ proinde tamquam à Pontifice benedicta referunt ad has partes: præterea plùs prodeſt miſſa celebrata in altari privilegiato, quàm brevis aliqua oratio privilegio imaginis aut numiſmatis præmunita.

Petes an expediat alicui dum vivit, quod ſibi faciat celebrari exequias & officium defunctorum.

Reſp. neg. quia preces illæ quæ in miſſa dicuntur, nimis impropriè vivis applicantur, nec modus ille conſonat ritui ab Eccleſia Romana præſcripto: inſuper fructus miſſæ impetratorius quo divina beneficia vel auxilia viventibus neceſſaria petuntur, meliùs provenit ipſis ex miſſis quæ pro hujuſmodi neceſſitatibus ſunt inſtitutæ quàm ex miſſis defunctorum.

Differens celebrare miſſas pro quibus ſe obligavit quàm graviter peccat.

Petes quomodo peccet Sacerdos qui pro miſſis accepit anticipatè multa ſtipendia, quas notabili tempore differt celebrare.

Reſp. per ſe loquendo mortaliter, quia exponit ſe periculo graviter damnificandi illos, quibus ſacrificium debet applicare: nam ſi miſſæ debeant legi pro defunctis, eſt cauſa graviſſimarum

rum pœnarũ quas animæ interea patiuntur quamdiu Sacrificium miſſę differtur & quibus fuiſſent reſervatæ, ſi ſuo tempore prius oblatum fuiſſet: quod ſi verò legi debeant pro vivis, fieri poteſt quod illi poſtmodum ſint incapaces fructûs ſacrificii, qui antea illius erant capaces. Præterea quandoque curantur fieri miſſæ ad impetrandum à Deo aliquod particulare beneficium V. G. ſanitatem pro infirmo, qui interea quo miſſa differtur, quandoque moritur; & quamvis hujuſmodi ſacrificium proſit defuncto quoad ſatisfactionem, nullatenus tamen quoad impetrationem.

Qualiter poſſit licitè Sacerdos miſſarum plurimarum legendarum onus ſuſcipere.

Petes, an ergo non poſſint nova miſſarum onera ſuſcipi antequam antiqua ſint adimpleta.

Reſp. Affirm. dummodo intra modicum tempus omnibus poſſit ſatisfieri; aut tribuens eleẽmoſynam pro talibus miſſis ſciat impedimentum & conſentiat.

Sed Petes quot onera miſſarum poſſit Sacerdos à fidelibus accipere.

Reſpondent Authores aliqui 50. aut ad ſummum 60. addo & ego 100. ſi tribuens miſſarum ſtipendium in dilationem conſentiat.

An, & quando licitum miſſas anticipare.

Petes quid cenſendum ſit de anticipatione miſſarum v. g. an Sacerdos qui ratione beneficii ter in hebdomada tenetur celebrare, aut etiam ratione ſtipendii accepti, ſed causâ negotiorum non poteſt in hac hebdomada hoc præſtare, an poſſit illas anticipare.

Reſp. vel miſſa jubetur celebrari pro defunctis, vel pro vivis; ſi pro defunctis omnimodè præſtat illam anticipare, quia anticipata ſolutio ſemper eſt laudanda, & anima illa citiùs liberabitur à pœna purgatorii: quod ſi verò miſſa debeat celebrari pro vivis, nullatenus tunc eſt anticipanda, eò quod Sacrificium pro vivis oblatum ſæpe offeratur in illum finem ut Deus ſuccurrat præſentibus neceſſitatibus, corporalibus vel ſpiritualibus; ſæpe etiam offeratur pro ſatisfactione pœnæ peccatis remiſſis debitæ; quibus intentionibus per miſſam anticipatam ſæpe non ſatisfiet, eò quod tunc vel necdum adſit neceſſitas, vel ille pro quo offertur tunc vel non egeat ſatisfactione, vel certè non ſit illius capax.

Petes, an Sacerdos obligetur in die feſto ſub mortali celebrare dum non eſt aliud ſacrum quod ipſe poſſet audire.

Reſp. Affirm. dummodo nul-

Digitized by Google

lium ſubſit impedimentum celebrandi, nam Sacerdos obligatur tunc ſacrum audire, quod facere poteſt ſi velit celebrare.

Petes an Sacerdos extra diem nativitatis Dominicæ poſſit pluries in die celebrare.

Quando & quo jure licitum plures miſſas eodem die ab eodem dici.

Reſp. id neque jure divino neque naturali eſſe inhibitum, cum legatur S. Leo Papa ſeptem vel octo miſſas in die celebraſſe. Attamen hoc eſt prohibitum jure canonico: & quamvis excipiantur diverſi caſus, ut ſi in die feſto veniant peregrini miſſam audituri, aut ad Eccleſiam accedat vir illuſtris miſſam auditurus, omnes tamen illi abierunt in diſſuetudinem ob multiplicationem Sacerdotum; & ſolùm in hiſce provinciis uſu receptum eſt ut quis bis celebret eodem die, præviâ tamen Epiſcopi diſpenſatione, quando quis præficitur duabus eccleſiis pauperibus, dummodo tamen ſacerdos maneat jejunus,

DVBIVM XIV.

Quâ horâ ſit licitum miſſam celebrare.

Tempus intra quod licitum miſſas legere regulariter eſt ab

DIco 1. regulariter non eſſe licitum miſſam inchoare ante auroram, ut patet ex Eccleſiæ conſuetudine, & ex miſſalis regulis: ratio myſtica ejus eſt, quia in miſſâ offertur Chriſtus, qui eſt *candor lucis æternæ*: ratio verò litteralis eſt, quia ante auroram ſolent homines minùs eſſe diſpoſiti ad opus tam ſanctum.

auroræ uſque ad meridiem.

Porro aurora eſt lux ſolis incipiens apparere ſupra noſtrum horizontem; quod ordinariè contingit ſeſquihora ante ſolis ortum; à quo tempore licitum eſt miſſam celebrare & Euchariſtiam ſumere; quinimo in regionibus ſeptentrionalibus in quibus hiemales dies ſunt breviſſimi, prout apud nos, licitum tum eſt citiùs miſſam celebrare introductâ univerſali conſuetudine contra communem Eccleſiæ ordinationem; nam Sacerdotes in Belgio ſolent multis horis ante auroram celebrare, maximè in hieme, dum ſol non oritur niſi circa octavam.

Petes quamdiu ſit licitum celebrare miſſam.

Reſp. regulariter uſque ad meridiem, ſeu uſque ad duodecimam; quod probatur ex ritibus miſſalis, in quibus habetur miſſas privatas eſſe dicendas ab aurora uſque ad meridiem: & ita obtinet conſuetudo quæ habet vim legis.

Porro quia meridies non definitur termino indiviſibili, ſed venit moraliter conſideranda, idcirco

Digitized by Google

Idcirco non ita oportet angi. Imo in feſto ſolemniori quo ſacrum ſolemne prorogatur quandoque ferè uſque ad primam, licitum erit etiam poſt duodecimam inchoare miſſam privatam, eò quod quamdiu durat ſolemne ſacrum, cenſeatur adhuc tempus idoneum ad miſſam celebrandam.

An ſit peccatum miſſam legere non lecto matutino & laudibus

Petes quale peccatum ſit, legere ſacrum ante matutinum & laudes.

Reſp. ſi nulla ſubſit juſta cauſa, communi Doctorum ſententiâ eſt ſaltem aliquod peccatum veniale: quod probatur ex miſſali romano de ritibus miſſæ: quod autem non ſit mortale, patet, quia nullo jure vel conſuetudine, ad mortale obligante, id poteſt probari: neque ulla videtur connexio inter horas & miſſam, ratione cujus quis hunc ordinem pervertens ce nſeretur peccati mortalis reus: quinimo ſi ſubſit juſta cauſa legendi miſſam ante matutinum & laudes non erit ullum peccatum.

DUBIUM XV.

Quo loco miſſa ſit celebranda.

Iure communi Miſſa dici debet

RESP. miſſa jure communi, celebrari debet in Eccleſia ab Epiſcopo conſecrata aut ſaltem benedicta (conſecratur verò ab Epiſcopo adhibito chriſmate, benedicitur verò etiam à Sacerdote ſimplici abſque chriſmate ex conceſſione Epiſcopi.) idque ſub gravi peccato: quod patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. de obſervandis in celebratione miſſæ: ratio hujus dependet ab inſtitutione Eccleſiæ, quæ hac in re rationem habuit reverentiæ & honoris S. S. Sacramenti, & fidelium devotionis: & ea propter ibidem dicitur „ne patiantur Epiſcopi privatis in domibus, atque omnino extra eccleſiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab iiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus aut regularibus quibuſcumque peragi.

in Eccleſiis aut oratoriis.

Petes, an ergo poſt Concilium Trid. non poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in domo privata, etiam in loco ubi Trident. eſt publicatum? priuſquam reſpondeamus.

Nota: quod ante Trid. liceret Sacerdoti celebrare in quacumque domo privata ſuper altari portatili, idque de conſenſu Epiſcopi: quod modo prohibet Conc. Trid. ſeſſ. 22. de obſerv. in celebr. miſſæ; ſcilicet ne Epiſcopi permittant celebrari extra Eccleſiam & Oratoria divino cul-

Digitized by Google

cultui dedicata : unde adhuc modo poſſunt Epiſcopi concedere licentiam celebrandi in domo privata in oratorio ibidem permanenter divino cultui dedicato : quod eſt extra controverſiam.

Sed hic quæſtio movetur an non poſſit Epiſcopus concedere licentiam celebrandi in domo privata extra hujuſmodi oratorium permanenter divino cultui dedicatum. v. g. in cubiculo aut aula pro certo tempore v. g. durante morbo viri nobilis &c.

Licitum eſt ex conceſſione Epiſcopi celebrare in domo privata.

Reſp. id apud Epiſcopos Belgii eſſe in praxi receptum, quod in caſu neceſſitatis ejuſmodi licentiam pro tempore concedant, in quo tamen non contrariantur Concilio Tridentino, nam reſtrictio à Trid. loco ſupra citato facta, tantùm ſervit ad tollendos abuſus ortos ex continuis licentiis abſque neceſſitate datis celebrandi in domibus privatis : & eapropter exiſtente neceſſitate, Epiſcopi poſſunt adhuc modò ejuſmodi licentiam concedere.

Porro prædicta neceſſitas non debet eſſe abſoluta ſed ſufficit moralis, ut puta, quia attentis attendendis fidelium devotio, aut ſalus animarum hoc requirunt : Et ita diebus dominicis & feſtivis celebratur in caſtris in aliquo tentorio, ut milites ſe per Euchariſtiæ Sacramentum præparare poſſint ad conflictum : ita quoque ſi Sacellum aliquod non poſſit capere populi multitudinem extra illud poteſt erigi tentorium, & ibidem celebrari in altari portatili de Epiſcopi conſenſu. Eandem licentiam poteſt concedere Epiſcopus quando adeſt rationabilis cauſa ob quam viro aut fœminæ nobili non eſt licitus egreſſus ex domo, dummodo cauſa illa notabili tempore duret : quinimo in caſu neceſſitatis, ubi conſenſus Epiſcopi haberi nequit licebit celebrare ſub dio in altari portatili prout patet ex cap. *concedimus* de conſecr. diſt. 1.

Petes an privilegia regularibus conceſſa ut ſine Epiſcopi licentia poſſint cum altari portatili celebrare extra locum ſacrum ſint per Conc. Trid. revocata.

Reſp. Affirm. idque expreſsè ſeſſ. 22. de obſerv. in celebr. nam Trid. ibidem in fine ſubdit, ut non obſtantibus privilegiis Epiſcopi compellant religioſos ne hujuſmodi facultatibus utantur, quibus proinde, Epiſcopo contradicente uti, non poſſunt.

Petes, an ſit licitum celebrare miſſam in mari.

An licitum in navibus

Reſp. id non eſſe contra jus divinum naturale, quod ſolùm

exigit

in mari celebrare exigit debitam in celebrando reverentiam: poteſt enim in navibus reverenter ſatis, & decenter miſſa celebrari, ut experientia patefecit: unde ab Hiſpanis & Luſitanis id modò deducitur in praxim, ſcilicet ut ceſſante periculo, in mari celebrent: uſus autem & experientia plurium annorum oſtendit ſine ullo periculo ibidem celebrari poſſe: nam adeſſe ſolet ſecundus Sacerdos qui poſt conſecrationem calicem manu tenet, ne cadat aut moveatur, quo periculum irreverentiæ & effuſionis omnimodè caveatur: præterea non ita ſubitò ſurit tempeſtas ut non priùs miſſa finiri queat; à peritis enim navarchis illa ordinariè prævidetur: eapropter accedente Epiſcopi licentiâ poterit miſſa in mari celebrari.

Dices, narrant Naucleri triremibus ſuis ſulcantes littora Italiæ, Pontificem nolle eis hujuſmodi licentiam impertiri.

Reſp. id eſſe verum, quia illæ rationes non militant pro triremibus, quæ pro grandioribus illis navigiis in mari militant; neque enim triremes ad hoc ſunt ita aptæ prout naves grandiores: præterea triremes cum frequenter accedant ad terram, non ita hiſce indigent, eo quod nautæ poſſint in terra miſſam audire.

DUBIUM XV.

Quale peccatum ſit celebrare in eccleſia violata. Et quotupliciter illa violetur.

DIco 1. Eccleſia ſex modis violatur 1. per homicidium voluntarium, injurioſum & mortale: quod patet ex cap. *ſi motum* de conſecrat Eccleſiæ. *Eccleſia ſex modis poteſt violari.*

Eapropter; non violatur Eccleſia ſi quis aliquem in ea caſualiter occidat, aut in defenſionem propriæ vitæ, vel ſi amens quempiam in ea occidat: Præterea non violatur eccleſia ſi cauſa homicidii ſit data extra Eccleſiam, mors verò contingat in Eccleſia, nam ut eccleſia per homicidium violetur, debet illud in ea contingere; ut patet ex textibus cit. *Primo per homicidium voluntarium illicitum.*

2. violatur Eccleſia per ſanguinis effuſionem: quod patet ex can. *eccleſiis* de conſecrat diſt. 1. porro ut eccleſia hoc modo violetur, requiritur effuſio ſanguinis mortaliter injurioſa: & eapropter non violabitur Eccleſia ſi unus puer alterum in naribus percutiat in templo cum notabili ſanguinis effuſione, eò quod dicta effuſio non cenſeatur mortaliter injurioſa: quòd ſi tamen Epiſcopo, aut Sacerdoti impingatur alapa in eccleſia unde ſanguis *2. Per injurioſam ſanguinis effuſionem.*

Digitized by Google

guis profluit illa cenſebitur violata, eſto ille in pavimentum non deflueret, ſed exciperetur ſudario; quinimo violatur eccleſia ſi quis in ea grave vulnus accipiat, quamvis extra eccleſiam priùs cruorem emittat.

3. Per illicitam ſeminis emiſſionem.

3. Violatur Eccleſia per emiſſionem ſeminis; ut patet Can. *Eccleſiis.* ad quod requiritur ut illa emiſſio ſit peccatum mortale, fiatque intra templum: & eapropter non ſufficit eam fieri in turri, ſacriſtia, aut loco templo contiguo: porro ſufficit quælibet mortalis emiſſio ſive per pollutionem, ſive per fornicationem, ſive per actum conjugalem mortaliter illicitum, & ſacrilegum. Ex quo collige quod dum conjuges tempore belli coguntur diù ſimul manere in eccleſia cum periculo incontinentiæ, templum non pollui ſi actum conjugalem in eo exerceant; eò quod per hujuſmodi actum tunc non cenſeatur templo irrogari injuria, neque præſumendum ſit eccleſiam obligare conjuges in talibus circumſtantiis ad abſtinendum à tali actu cum periculo incontinentiæ, quando adeſt hujuſmodi neceſſitas: quamvis hæc rariſſimè urgeat in templo, nam in Eccleſia communiter ſunt adhærentia cubicula, vel ſacriſtia, vel turris, ad ejuſmodi effectum, quæ non veniunt nomine loci ſacri.

4. Si in ea ſepeliatur excommunicatus.

4. Violatur eccleſia ſi excommunicatus in ea ſepeliatur ut patet ex Cap. *conſuluiſti* de conſecr. eccleſiæ: quæ conſtitutio hoc tempore debet intelligi juxta moderationem Concilii Conſtantienſis, ut ſcilicet ſit excommunicatus vitandus, nempe vel nominatim excommunicatus, vel notorius percuſſor clerici: Idque conformiter dicendum de cœmiterio, ſcilicet quòd violetur per ſepulturam excommunicati vitandi; non verò ſi in ea ſepeliatur excommunicatus toleratus: nam ſicuti ejuſmodi toleratos non tenemur vitare in vita, ita nec illos tenemur ab Eccleſiaſtica ſepultura repellere, ita ſcilicet ut per eorum ſepulturam violetur Eccleſia aut cœmiterium.

Petes, an per exercitium hæreticæ religionis in ea exercitum violetur Eccleſia vel altare.

Reſp. negativè: priùs tamen quam in tali Eccleſia Miſſæ Sacrificium celebretur, viſitari debet ab Epiſcopo aut ejus delegato qui videat, an altaria non ſint confracta, dein Eccleſiam & altaria aſpergendo aqua benedicta ſimplici benedictione reconciliet, vel alteri reconciliandam

dam committet: qui inſuper poteſt concedere ut ante viſitationem in hujuſmodi Eccleſia celebretur cum altari portatili.

5. Si ſepeliatur in ea non baptizatus.

5. Violatur Eccleſia ſi aliquis non baptizatus in ea ſepeliatur: prout conſtat ex Canon. *Eccleſia* de Conſecrat. diſt. 1.

6. Per deſtructionem.

6. Violatur Eccleſia ſi major pars parietum Eccleſiæ ſimul deſtruatur, ſecus verò ſi ſucceſſivè tantùm; quod collige ex cap. *ligneis* de Conſecrat. Eccleſiæ.

Petes, an ſolæ Eccleſiæ ab Epiſcopo conſecratæ his ſex modis violentur.

Vt Eccleſia per aliquid iſtorum violetur debet eſſe factum publicū.

Reſp. negativè ſed etiam illæ quæ ſolùm ſunt benedictæ. Porro ut Eccleſia aliquo ex his modis cenſeatur violata requiritur ut factum ſit publicum, prout colligitur ex cap. *ſignificaſti* de adulteriis: eapropter niſi publicè conſtet de homicidio in Eccleſia perpetrato, item de ſanguinis, aut ſeminis emiſſione, item de ſepultura infidelis, aut excommunicati, non cenſebitur Eccleſia violata: ſufficit tamen cauſam violationis innoteſcere notorietate facti vel juris, nec ad hoc requiritur ſententia criminis declaratoria, prout ex communi Epiſcoporum praxi patet.

Violatâ Eccleſiâ cœmiterium eſt violatum non contra.

Porro violatâ Eccleſiâ aliquo ex iſtis ſex modis cenſetur quoque violatum cœmiterum; prout patet ex Cap. *unico* de Conſecrat. non tamen econtra violato cœmiterio cenſetur violata Eccleſia.

Petes, per quæ debet reconciliari Eccleſia violata.

Eccleſia violata per quem poſſit reconciliari.

Reſp. ſi Eccleſia vel cœmiterium, ſint ſolùm benedicta, reconciliari poſſunt per ſimplicem ſacerdotem cum aqua benedicta communi, ut habetur Cap. *ſi Eccleſia* de Conſecrat. & Rituale Romanum præſcribens hujus reconciliationis ritum, requirit aſpergillum de herba Hyſſopo factum; ejuſmodi tamen ſimplex ſacerdos nequit eccleſiam ſic reconciliare ſine licentia Epiſcopi aut ejus Vicarii.

Ritus reconciliādi Eccleſiam.

Quod ſi verò templum ſit ab Epiſcopo conſecratum, item & cœmiterium, reconciliari debet per Epiſcopum proprium, vel alium de ejus licentia; idque cum aqua cineri immixta, quem ipſe vel alius Epiſcopus benedixerit, ut habetur cap. *aqua* de conſecrat. Eccleſiæ: poteſt tamen, inquit Rituale Romanum, ſimplex ſacerdos ex privilegio Sedis Apoſtolicæ Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam reconciliare; & tunc utatur ritu in Pontificali præſcripto, cum aqua ad hunc uſum ab Epiſcopo benedicta.

Petes, an ergo Epiſcopus in Belgio nequeat ſimplici ſacerdoti concedere hanc licentiam recon-

Digitized by Google

reconciliandi templum violatum quod erat ab Epiſcopo conſecratum.

Poteſt reconciliari per ſimplicē ſacerdotem ex conceſſione Epiſcopi, licet fuerit conſecrata.

Reſp. affirmativè; quia ſic habet praxis in hiſce provinciis, idque non contradicente Pontifice: unde conſuetudo hac in parte juri communi ex tacito Pontificis conſenſu derogavit: & certè cum jam Regulares poſſint ex privilegio Papæ templum vel altare poſt conſecrationem pollutum reconciliare cum aqua, cui vinum ac cinis ſimul admiſcetur, per Epiſcopum benedicta, vel etiam per Prælatum Regularem ſi Epiſcopus longè diſtet, quàm indignum foret ſi non poſſet ipſemet Epiſcopus hoc alicui ſimplici ſacerdoti concedere.

Petes, an per Miſſæ celebrationem bonâ fide factam in Eccleſia violata, illa reconcilietur.

Non recōciliatur Eccleſia per celebrationem Miſſæ.

Reſp. negativè quia alioquin templum nondum conſecratum aut benedictum ſi in eo ſemel bonâ fide Miſſa celebraretur, non egeret alia conſecratione aut benedictione: nam ſi Miſſæ dignitas æquivaleat reconciliationi, æquivalebit quoque conſecrationi: eapropter quia tam Eccleſiæ violatio quàm ejus reconciliatio eſt jure canonico introducta, ita ut non violetur Eccleſia niſi per cauſas ab eo deſignatas, ita nec reconciliabitur niſi per ritus ab eo præſcriptos.

Poteſt Miſſa celebrari in Eccleſia violata, ex conceſſione Epiſcopi.

Porrò nullus Canon Juris Canonici tribuit Miſſæ vim reconciliandi templum violatum. Præterea Epiſcopus vel ejus Vicarius dare poſſunt facultatem celebrandi in Eccleſia violata donec reconcilietur; nam ſi poſſint ex cauſa dare licentiam celebrandi in loco non ſacro, etiam poterunt eandem dare in loco non reconciliato: per cujus tamen Miſſæ celebrationem non ſupponitur Eccleſia propterea reconciliata.

Petes, quid faciet ſacerdos ſi ipſo celebrante violetur Eccleſia.

Reſp. ſi violetur ante inchoatum Canonem, relinquatur Miſſa: ſi verò poſt Canonem, perficiatur, idque juxta Rubricas Miſſalis.

Petes, quale peccatum ſit celebrare in Eccleſia violata.

Reſp. mortale ob tranſgreſſionem præcepti Eccleſiaſtici in materia gravi: quæ prohibitio eſt ab Eccleſia introducta ob reverentiam SS. Sacram. debitam.

DUBIUM XVI.

An & quæ loca gaudeant immunitate Eccleſiaſtica.

Immunitas Eccleſiaſtica

PRænotandum 1. Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 20. de Reform. affirmare immunitatem

eſt ex Dei ordinatione. tatem Eccleſiaſticam locorum ſacrorum, perſonarumque Eccleſiaſticarum, Dei ordinatione & conſtitutionibus Canonicis fuiſſe conſtitutam.

Prænotandum 2. hæc duo in rigore non eſſe eadem immunitas Eccleſiaſtica, & libertas Eccleſiaſtica; nam illa eſt privilegium exemptionis conceſſum loco ſacro, hoc verò eſt privilegium exemptionis conceſſum perſonis.

Quibus locis competat illa immunitas. Porro hæc immunitas Eccleſiaſtica competit 1. cuivis Eccleſiæ non ſolùm conſecratæ, ſed & benedictæ; prout decernitur Cap. *Eccleſiæ* de immunitate: quinimo hujuſmodi privilegium competit eccleſiæ ſolùm Epiſcopi authoritate deſtinatæ ad Dei cultum, eſto nec conſecratæ nec benedictæ; eò quod materia immunitatis ſit favorabilis, adeoque extendenda. Nomine eccleſiæ verò non venit ſola eccleſiæ fabrica, ſed & hujuſmodi eccleſiæ confinia uſque ad 40. paſſus ſi ſit eccleſia metropolitana, ſi vero ſit minor eccleſia, ad paſſus 30.

2. Competit quoque immunitas hæc omnibus monaſteriis ſeu domibus Regularium, comprehendendo ſub iis etiam earum hortos.

3. Competit hæc hoſpitali, Epiſcopi authoritate fundato, quo eodem titulo competit etiam Seminario, Epiſcopi authoritate erecto; nam & illud eſt locus pius & religioſus.

4. Competit hæc immunitas palatio Epiſcopali, dummodo id non diſtet ab eccleſia cathedrali ultra 40 paſſus; porro paſſus continet quinque pedes, pes verò 15. digitos.

5. Hæc immunitas competit cuicumque oratorio, authoritate Papæ vel Epiſcopi, conſtituto, & divino cultui permanenter dicato.

Petes, quinam delinquentes confugientes ad eccleſiam aut ad alia prædicta loca ſacra, gaudeant immunitate eccleſiaſticâ, ut ex iis extrahi non poſſint. *Delinquentes exiſtentes in locis ſacris gaudent aſylo.*

Reſp. omnes, exceptis illis quos Gregorius XIV. excipit in bulla ſua, quæ incipit, *Cum alias nonnulli*: ejuſmodi autem delinquentes, ſcilicet qui non gaudent immunitate eccleſiaſtica, expreſſi in prædicta bulla ſunt hi ſequentes. *Exceptis publicis latronibus, &c.*

1. Publici latrones, id eſt qui in publicis viis extra urbem publicè deprædantur. *Aſſaſſinis, proditoribus. Hæreticis &c.*

2. Graſſatores viarum, nempe qui vias obſident, & deprædantur in urbe.

3. Depopulatores agrorum, qui

qui ſcilicet alienos agros diripiunt ac devaſtant.

4. Qui homicidia aut membrorum mutilationes in ipſis aut eccleſiis, aut eccleſiarum cœmiteriis committere non verentur: in qua tamen materia, utpote odioſâ, non comprehenduntur mandantes.

5. Qui proditoriè, id eſt per inſidias proximum occidunt.

6. Aſſaſſini, qui ſcilicet conducti certo pretio aliquem incautum & nihil tale cogitantem occidunt.

7. Hæreticus.

8. Subditus, reus læſæ majeſtatis in perſonam ſui Principis.

Hinc collige alios quoſcumque delinquentes & ad eccleſiam confugientes gaudere immunitate eccleſiaſticâ: prout patet ex bulla Greg. XIV. in qua enumerati caſus ſolùm excipiuntur: exceptio verò firmat regulam in caſibus non exceptis: & eapropter qualeſcumque debitores, blaſphemi, adulteri, fures, perjuri, confugientes ad eccleſiam aut loca ſacra gaudent immunitate eccleſiaſt. eò quod eorum crimina non excipiantur in bulla Gregoriana prætacta.

Tales tamen non poſſunt à Iudice ſæculari extrahi

Petes, quid faciendum dum delinquens fugit ad eccleſiam, & expoſcitur à Judice ſæculari, an debeat illi tradi ſaltem in caſibus in bulla expreſſis.

ex loco ſacro ſine concurſu poteſtatis Eccleſiaſtica.

Reſp. Affirm. antequam tamen tradatur, aliqua ſunt obſervanda 1. ut ab Epiſcopo aut ejus Officiali obtineatur licentia reum extrahendi 2. ut ille non ſtatim ac captus eſt tradatur poteſtati laicæ, ſed exſpectetur donec negotio maturè examinato certò & evidenter conſtet Epiſcopo de crimine patrato, quod non gaudeat immunitate eccleſiaſtica: & eapropter non ſufficit illud cognoſcere per præſumptiones & conjecturas; quia lex requirens probationem intelligitur de probatione plena & vera, tum quia Pontifex id in bulla ſua expreſsè requirit.

Et quænam a b illa in hoc obſervanda ſint.

Petes an ſufficiat quod hoc conſtet Epiſcopo per proceſſum factum à poteſtate laica.

Reſp. neg. nam ille exhibetur in propria cauſa, adeoque debet haberi ſuſpectus: & eapropter Epiſcopus debet novas probationes recipere, & cum in re magni momenti agat judicialiter, par eſt ut ſervet formam & ſolemnitates juris.

Si Iudex Laicus contra faciat excommunicatur ipſo facto.

Petes quam pœnam incurrit violator immunitatis eccleſiaſticæ per extractionem delinquentis ex loco ſacro.

Reſp. excommunicationis ipſo facto, ut patet ex bulla Gregor. XIV. in qua dicitur: „qui contra noſtræ conſtitutionis

„nis tenorem attentare præ-
„ſumpſerit, declaramus eum
„ipſo facto cenſuras & pœnas &c. hujus autem cenſuræ abſolutio reſervatur Papæ, ut patet ex Decreto S. congregationis ſub Clemente VIII. deſuper edito.

DUBIUM XVII.

An ad celebrandum requiratur altare ab Epiſcopo conſecratum.

Non niſi in altari lapideo ſacrificare licet. RESP. Affirm. idque ſub peccato mortali. quod probatur ex Cap. *altare* de conſecrat. diſt. 1. porro etſi altare ab initio non fuerit lapideum, ſed ligneum, tamen à Sylveſtro Pontifice decretum eſt ut deinceps non niſi lapideum fieret, eſſetque ab Epiſcopo conſecratum.

Duplex autem diſtinguitur altare, unum portatile ſeu mobile, aliud fixum ſeu immobile: *Licitum eſt celebrare in altari portatili.* & in ordine ad celebrandam miſſam nihil refert quale ſit illud an portatile an fixum: proinde quod dici ſolet neminem uti poſſe altari portatili ſine privilegio, id intelligendum venit quòd eo uti non poſſit extra eccleſiam conſecratam vel benedictam: nam in eccleſia conſecrata vel benedicta poteſt quilibet uti altari portatili.

Petes quantæ magnitudinis debeat eſſe altare portatile.

Reſp. tantæ ut commodè poſſit capere pedem calicis & patenam ſine periculo cadendi. *Quale illud eſſe debeat.*

Petes quandonam perdatur conſecratio altaris portatilis.

Reſp. tunc quando ita frangitur ut in nulla parte fracti lapidis commodè poſſit collocari calix & hoſtia: & eapropter ſi una pars fracti lapidis maneat ſufficientis quantitatis: pro illis duobus ponendis, hæc retinebit conſecrationem: neque enim conſecratio requirit certam figuram in materia conſecrata; ſed tantùm ſufficientem magnitudinem: unde nec illud amittit conſecrationem per amotionem à ligno cui includitur, quia id nullo jure ſtatutum eſt, & plura ligno non incluſa conſervantur. *Quando amittat conſecrationem.*

Petes an ſine fractione poſſit amitti conſecratio altaris.

Altare fixum quando amittat conſecrationem. Reſp. quod attinet ad fixum, illud multis modis amittere conſecrationem: & quidem lapis ipſe ſeu menſa amittit conſecrationem non ſolùm per fractionem, ſed etiam per ſeparationem à reliqua ſtructura altaris: nam ipſa conſecratio tunc propriè ineſt ipſi conjunctioni lapidis ſuperioris ſeu menſæ cum inferiori ſtructurâ: quòd ſi tamen menſa altaris ſeorſim conſecraretur

tur & poſtea ſtructuræ imponetur, non amitteret conſecrationẽ per amotionem à ſtructura, eò quod tunc ſtructura inferior non communicet in conſecratione.

Petes quid ſi altare fixum per modum unius cum inferiori ſtructura ſit conſecratum, & aliquid ex inferiori ſtructura tollatur, an altare amittat conſecrationem.

Reſp. negat. niſi amotio illa eſſet tanta ut inferior ſtructura non ampliùs eſſet ſufficiens ad ſuſtinendam menſam altaris.

Petes an altaris conſecratio requirat reliquias Sanctorum ſepulchro incluſas.

Reſp. quamvis olim præceptum fuerit apponendi reliquias in conſecratione altaris fixi, jam tamen per conſuetudinem contrariam illud ceſſavit, eò quod in tanta templorum altariumque multitudine certæ & indubitatæ reliquiæ haberi nequeant. attamen optandum eſt ut Eccleſiæ Præſules non omittant antiquam illam conſuetudinem ſanctorum reliquias in eis reponendi, eò quod non bene poſſint verificari verba illa Sacerdotis altare aſcendentis „ oramus te Domine per „ merita Sanctorum tuorum „ quorum reliquiæ hic ſunt &c. quamquã illarum præſentia nullatenus ſit neceſſaria ad ſubſtantiam conſecrationis: & ea propter neque altare portatile, neque fixum per fractionem ſepulchri aut ſigilli amittit conſecrationem: eò quod neque ſigillum, neque ſepulchrum ſint de eſſentia conſecrationis.

Petes, quis debeat eſſe ſitus altaris.

Reſp. mos quidem antiquus fuit ut reſpiceret orientem: quod tamen modò non pertinet ad neceſſitatem præcepti, ſed ſolum ad melius eſſe, ubi id commodè fieri poteſt.

Petes, quis debeat eſſe ornatus altaris pro celebratione Miſſæ.

Quale debeat eſſe paramentum altaris.

Reſp. 1. requiruntur tres mappæ præter corporale ut præſcribunt Pius V. in ſuo Miſſali, Clemens VIII. in Rubricis Miſſæ generalibus, ubi ait, „ altare „ operiatur tribus mappis ſeu „ Tobaliis ab Epiſcopo vel alio „ habente poteſtatem benedictis „ ſuperiori ſaltem oblonga quæ „ uſque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus vel una „ duplicata; hæcque Rubrica non eſt conſilii tantum, ſed præcepti.

Porro quod hujuſmodi mappæ debeant eſſe benedictæ, patet quia ſic expreſsè præſcribit Miſſale, quamvis in neceſſitate cum aliæ non habentur, mappæ laicorum poſſent haberi, quæ

tamen

Digitized by Google

tamen poſtmodum non poſſent amplius uſibus prophanis deſervire.

Præterea requiritur corporale, repræſentans ſyndonem quâ Chriſti corpus in ſepulchro fuit involutum; quod proinde debet eſſe mundum & lineum, conſecratum ab Epiſcopo, vel alio poteſtatem habente: ut habetur Cap. *Conſulto* de Conſecrat. diſt. 1.: idem ſit judicium de palla quâ calix operitur, quæ quidem quoad externam partem poteſt eſſe ſerica & auro obducta, attamen quo ad partem interiorem, quâ calicem reſpicit debet eſſe linea, & ab Epiſcopo aut alio poteſtatem habente benedicta, quia ſic præſcribit Miſſale, cujus proinde omiſſio eſt ex genere ſuo peccatum mortale.

3. Requiritur purificatorium ad abſtergendum calicem; quod pariter debet eſſe benedictum, idque ob myſterii reverentiam & puritatem: præſcribitur autem Miſſali forma benedictionis, quę eſt eadem cum benedictione mapparum altaris: & certè cum mappæ altaris debeant eſſe benedictæ, quæ tamen minus propinquè Euchariſtiam attingunt, multo magis debent benedici purificatoria, quæ illam proximè contingunt.

Prohibetur autem jure Canonico ne corporalia vel à ſacratis Deo Virginibus attingantur, Cap. *Sacratas* diſt. 23. niſi poſtquam à Sacerdote vel Diacono leviter fuerint lota.

Porro ſacerdotes in corporalibus maximam munditiam curare debent, in qua procuranda quidam ſunt negligentiſſimi, habentes ſudaria vel mantilia corporalibus nitidiora: qui certe à peccato mortali excuſari non poſſunt ſi in tantum ea per continuum uſum ſinant ſordeſcere ut nauſeam & horrorem pariant aſpicienti: nec eſt quod ſe excuſent ob Eccleſiæ paupertatem, cum nitor hic modico pretio comparari queat.

4. Requiritur in altari lumen, idque ſub peccato mortali; ut habetur Cap. *Ultimo* de celebrat Miſſæ, idque tum in ſignum lætitiæ, tum ad ſignificandum quod Chriſtus ſit lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ob quem eundem finem etiam ardet lampas ubi ſervatur Euchariſtia, aut dum defertur ad infirmos. Et quamvis in rigore præcepti una candela ſufficiat, conſuetudo tamen obtinet ut accendantur duæ, eſtque hæc univerſalis Eccleſiæ conſuetudo ut ſint ex cera, quam approbat Rubrica Miſſalis; & eapropter celebrare Miſſam cum lumine

Digitized by Google

ſæuacio putat Suarez eſſe peccatum mortale.

5. Requiritur crux in altari; nam Rubricæ Miſſalis ſæpe præſcribunt caput cruci, ſuper altare collocatæ, ſæpe eſſe inclinandum: hinc ejus omiſſio magnam continet irreverentiam; & ſi ſit voluntaria, non excuſat a mortali: nec refert quod in jure non præcipiatur, quia univerſalis Eccleſiæ conſuetudo eſt adinſtar legis.

6. Requiritur liber, ſeu miſſale, idque ſub mortali, quia in re tam gravi, nemo debet ita fidere ſuæ memoriæ, cum periculo errandi, quod prudenter ſemper eſt formidandum: nam etiamſi Sacerdos miſſam fortè memoriâ teneat, tamen poſſet facilè labi, & quidquam omittere, præſertim in Canone.

DUBIUM XIX.

De vaſis ad celebrationem miſſæ neceſſariis:

Quæ vaſa ad Sacrificium Miſſæ neceſſaria.

AD celebrationem miſſæ requiritur calix, cum patena: ut patet ex Can. *vaſa* de celebrat. diſt. 1. Porro calix myſticè ſignificat ſepulchrum, & patena lapidem ſuperpoſitum.

Petes ex qua materia debeant hæc duo eſſe confecta.

Reſp. vel ex auro, vel ex argento, vel ut minus ex ſtanno; ut habetur Can. *ut calix*: & eapropter nullo modo licitum eſt celebrare in calice alterius materiæ v. g. ex plumbo, aurichalco, ære, aut ligno. Quidem cap. *vaſa* ſupra citato, habetur quòd olim Sacerdotes aurei celebrarent calicibus ligneis, nunc econtra Sacerdotes lignei celebrent calicibus aureis: attamen meritò eccleſia calices ex ſimili materia prohibuit: ex ligno quidem, quia, cum illud ſit poroſum, facilè imbiberet Chriſti ſanguinem, ex ære etiam, plumbo, aut aurichalco, eò quod hæc ob vini efficaciam facilè æruginem contrahant, quæ vomitum cauſat: ex vitro quoque, ob ejus fragilitatem.

Et ex qua materia debeant eſſe confecta.

Petes, an totus calix debeat eſſe ex auro, argento, vel ſtanno.

Reſp. negat. ſed ſufficit cuppam eſſe ex ejuſmodi materia: & eapropter pes poteſt eſſe ex ære, plumbo vel aurichalco, conſuetudine id permittente, eò quod ſola cuppa deſerviat ad uſum Sacramenti.

Porro quamvis calix poſſit eſſe ex ſtanno, communiter tamen ſolet eſſe ex argento deaurato; ad quem habendum allaborare debet quilibet Sacerdos, eò quod reverentia divini numinis poſtulet, ut ſacrificium iſtud in ma-

Digitized by Google

materia maximè pretioſa miniſtremus: & eapropter ſi quiſpiam teſtamento ſuo leget Eccleſiæ calicem, nihil addendo, non ſatisfaciet hæres tradendo ſtanneum, ſed debebit dare argenteum, eò quod calix ſit communiter talis.

Petes an hujuſmodi calix debeat eſſe conſecratus, ſimiliter patena.

Calix & paterna debet eſſe conſecratus.

Reſp. Affirm. & quidem unctione Chriſmatis: prout habetur Cap. Unico de ſacra unctione.

Petes quamdiu duret hujuſmodi conſecratio.

Quibus modis amittatur illa conſecratio.

Reſp. quamdiu vaſa manent integra: & eapropter amittitur hæc diverſis modis: & 1. quidem ſi calix notabiliter frangatur, & amittat formam ad convenientem miniſterii uſum.

2. Quando calix de novo interiùs deauratur quoad illam ſuperficiem quæ tangit ſanguinem Chriſti, ſiquidem conſecratio calicis fit præcipuè ob contactum Corporis Chriſti: unde factâ novâ deauratione, contactus ſanguinis Chriſti non fit in parte conſecrata, cùm aurum ſuperadditum, quod ipſum immediatè contingit, non ſit conſecratum.

Dices calix conſecratus non amittit conſecrationem per amiſſionem deaurationis; ergo nec ille indiget nova conſecratione accedente deauratione; cùm principale tradat ſe ſecundarium.

Reſp. in hac materia non debere ſpectari principale ex quantitate materiæ, ſed potiùs ex uſu rei conſecratæ: ita ut illud hic cenſeatur principale, quod proximè eſt inſtitutum ad tangendum & continendum corpus & ſanguinem Chriſti, quod eſt ſuperficies illa deaurata.

Petes an calix ſimiliter amittat conſecrationem ad aliquot ictus à fabro inflictos.

Reſp. negativè.

Dices corporale lotum & iterum dealbatum, item Eccleſia per novam dealbationem parietum, non amittunt conſecrationem; ergo nec calix per novam deaurationem.

Reſp. neg. conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt quod illa albedo in parietibus templi ſit quid acceſſorium: unde non eſt mirum ſi acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis: in noſtro verò caſu deauratio calicis eſt quid principale; unde non poteſt ſequi naturam acceſſorii.

Petes an amittatur conſecratio calicis ſi cuppa ſeparetur à pede.

Reſp. calicem duobus modis poſſe

Per quid calix amittat conſecrationem. poſſe confici 1. ut ſit tornatilis, cujus proinde cuppa à pede ſine fractione ſeparari poteſt & iterum conjungi. 2. Ut ſit fixus, cujus nimirum cuppa nequit à pede ſeparari ſine fractione.

Si cuppa ſeparetur à pede in calice tornatili, non amittitur conſecratio: & hoc ideo quia tunc conſecratio cadit in ſolam cuppam quæ per ſe ſola eſt neceſſaria ad continendum ſanguinem; ſi verò ſecundo modo, id eſt in calice fixo cuppa ſeparetur à pede, tunc amittitur conſecratio; eò quod hoc totum, ſcilicet pes ſimul cum cuppa, fuerint conſecrata per modum unius, eo modo quo diximus altare amittere conſecrationem ſi lapis removeatur à reliqua ſtructura.

Petes, quid ſi ſacerdos bonâ fide celebret in calice & patena non conſecratis, an illa eò ipſo erunt conſecrata.

Calix non cenſetur conſecratus per hoc quod in eo miſſa ſit celebrata. Reſp. negativè, nam ſicuti diximus per Miſſæ celebrationem bonâ fide factam in Eccleſia non conſecrata, illam non conſecrari, ita pariformiter hic dicimus per conſecrationem bonâ fide factam in calice non conſecrato, ipſum non conſecrari; nam ſicuti conſecratio calicis & profanatio Jure Canonico eſt introducta, ita ut ille non profaneturniſi per cauſas à jure canonico de deſignatas, ita nec conſecratur calix niſi per ritus ab Eccleſia præſcriptos: idem dicendum de quibuſvis veſtibus non benedictis, quæ per hoc quod bonâ fide aſſumantur ad celebrationem Miſſæ non propterea eò ipſo benedicuntur, nam cum benedictio veſtium ſacrarum ſit ab Eccleſia introducta deſignatis ad hoc certis ritibus & verbis, per perſonas determinatas adhibendis, ad hæc validè conſecranda & benedicenda quamdiu ejuſmodi ritus & verba per perſonas determinatas ad hoc non adhibentur, illa nec erunt conſecrata nec benedicta.

Verum quidem eſt calicem & patenam per contactum corporis Chriſti acquirere moralem aliquam dignitatem ob quam illi debeatur ſpecialis aliqua veneratio, ſed tamen per hoc non acquirit conſecrationem quam Eccleſia requirit.

Petes an pixis in qua ſervatur corpus Dominicum: item media luna in remonſtrantia, debeant eſſe conſecr. ſeu benedicta.

Reſp. Affirm. quia tam Pontificale quam miſſale Clementis VIII. ſpecialem pixidis apponunt benedictionem; & rubrica miſſalis ſic ait „ ſi conſecra„turus eſt plures hoſtias pro „communione facienda, locet

eas

„ eas ſuper corporale, vel in ali„quo calice vel vaſe mundo „ conſecrato : & certè quidquid ſit de probabilitate oppoſitæ ſententiæ , valde decens eſt pixidem & ſemilunam benedici antequam Euchariſtiā recipiant.

DUBIUM XX.

Quot & quæ veſtes Sacerdoti neceſſariæ ſint ad celebrandum.

RESP. & Dico ex conſuetudine univerſalis Eccleſiæ ſex veſtes cuilibet Sacerdoti eſſe neceſſarias ad celebrandum, ſcilicet, amictum, albam, cingulum, manipulum, ſtolam, planetam: de quibus cap. *veſtimenta* de Conſecrat. diſt. 1. ubi dicitur, veſtimenta Eccleſiæ, quibus Domino miniſtratur, & ſacra debent eſſe & honeſta.

Veſtes debent eſſe benedictæ.

Petes, an omnes hæ veſtes debeant eſſe benedictæ.

Quando amittatur illa benedictio.

Reſp. Affirm. ut patet ex cap. *veſtimenta* cit. Porro perit illarum benedictio quando ita franguntur aut diſſolvuntur ut amittatur earum figura , nec ampliùs aptæ ſint ad uſum ad quem antea fuerant deſtinatæ : & ita perit benedictio albæ, dum manica ſeparatur ab illa ; perit benedictio ſtolæ, ſi illa dividatur in duas partes : perit benedictio planetæ, ſi anterior pars ſeparetur à poſteriori : quod ſi verò veſtium forma remaneat , licèt ad reparationem earum addatur materia quædam non benedicta, non propterea benedictionem amittunt , ſed acceſſorium ſequitur ſuum principale.

Petes an cingulum debeat eſſe benedictum.

Reſp. Affirm. quia jus Canonicum in præfato Capite *veſtimenta* , jubet generaliter omnes veſtes ſacras benedici : & in miſſali ſeu Pontificali Romano habetur ſpecies benedictionis cinguli, quod proinde eget benedictione ſi ita frangatur ut nulla ejus pars ſufficiat ad cingendum : quod ſi verò aliqua ſufficiat , illa cenſetur adhuc benedicta, adeoque adhuc poterit uſurpari.

Petes , quid agendum cum hiſce veſtibus, quæ ita corrumpuntur ut nequeant ſuis uſibus ampliùs deſervire.

Reſp. non poſſe converti ad uſus profanos, ut habetur cap. *veſtimenta*, quod quoque dicendum venit de corporalibus & pallis : idem dicendum eſt de materia templorum v. g. lapidibus & lignis, dum illa diruuntur : ut patet ex Cap. *ligna* de conſecrat. ubi dicitur „illa vel ad aliam Ec„cleſiam eſſe applicanda vel igne „ comburenda : veroſimile tamen

Digitized by Google

men eſt ea, ſublatâ formâ, in uſus prophanos poſſe converti, quia tunc deſinunt eſſe benedicta: & ita vaſa argentea, ut calices, patenæ &c. in certis caſibus, quos attigit S. Ambroſius 2. offic Cap. 28. poſtquam confracta ſunt & ferro aut igne tranſmutata, vendi poſſunt ad ſuſtentationem pauperum.

Petes quare ejuſmodi veſtimenta adhibentur ad miſſæ ſacrificium.

Cur ad celebrationem Miſſæ adhibeantur veſtes.

Reſp. ad ſignificandum quòd Sacrificium miſſæ non ſit actio vulgaris, ſed ſacra, & ad divinum cultum deputata.

Petes quid ſpecialiter ſignificent ſex veſtimenta, quibus Sacerdos celebrans induitur.

Quid illæ veſtes ſignificent.

Reſp. quodlibet iſtorum habere duas myſticas ſignificationes, unam in ordine ad Chriſti paſſionem, alteram in ordine ad mores ſacerdotis: & ita *Amictus* in ordine ad Chriſti paſſionem ſignificat linteum quo Judæi faciem Chriſti velaverunt, dicentes Matth. 26. *Prophetiza nobis Chriſte quis eſt qui te percuſſit*: ille verò in ordine ad mores ſignificat fidem & ſpem quibus ſacerdos debet eſſe præmunitus ad offerendum tantum myſterium: & eapropter amictum imponens capiti, dicit „ impone Domine capiti meo galeam „ ſalutis.

Amictus.

Alba.

Alba, in ordine ad Chriſti paſſionem, ſignificat albam quâ Herodes, Chriſtum induens irriſit; in ordine verò ad mores, ſignificat omnimodam munditiam corporis & animæ, adeoque totam hominis juſtitiam: & hinc ſacerdos illam induens, orat „ dealba me Domine & munda cor meum: & eapropter alba tegit totum hominem.

Cingulum.

Cingulum, in ordine ad Chriſti paſſionem ſignificat funes & vincula quibus Chriſtus ligatus eſt in horto; in ordine ad mores ſignificat carnis continentiam & caſtitatem: & eapropter ſacerdos ſe cingens ait, „ præcinge „ me Domine cingulo puritatis,„ Addunt aliqui, per cingulum, quo Alba reſtringitur ne ſupra pedes defluat, ſignificari prudentiam & diſcretionem cujus defectu virtutes ſunt vitia.

Manipulus.

Manipulus, in ordine ad Chriſti paſſionem, ſignificat vincula quibus Chriſtus ad columnam eſt alligatus: in ordine verò ad mores, ſignificat cordis compunctionem & pœnitentiam, quam ſacerdos ad altare deferre debet: unde & orat, „ merear Domine „ portare manipulum fletûs & doloris.

Stola.

Stola, ſignificat funem illum & ligamen quo Chriſtus vinctus fuit dum duceretur ut crucifigeretur:

Digitized by Google

retur: in ordine verò ad mores ſignificat jugum Domini, ſeu obedientiam, quà per Chriſtum collocamur in eo ſtatu, quem per inobedientiam primi parentis amiſimus: & eapropter ſacerdos ſeſe eâ induens orat „redde mihi Domine ſtolam immortalitatis, quam perdidi in „prævaricatione primi parentis.

Planeta. *Planeta*, ſeu caſula, in ordine ad Chriſti paſſionem ſignificat veſtem coccineam, quâ Chriſtus per ludibrium fuit indutus à militibus illum illudentibus, & dicentibus, *Ave Rex Judæorum*: in ordine verò ad mores ſignificat charitatem & jugum amoris, quod omnibus virtutibus debet ſupereminere.

Obligantur Sacerdotes ſcire ſignificationes illarum veſtium.

Petes, an ſacerdos debeat ſcire ſignificationes harum veſtium

Reſp. affirmativè; nam ſicuti turpe reputatur & probroſum, ſi artifex ignoret ſignificationem inſtrumentotum ſuæ artis, ita multò ignominioſius reputatur, ſi ſacerdos ignoret ſignificationes veſtium, myſteria, & cæremonias ſacrificii miſſæ, circa quas continuò verſatur, quas, ſi Sacerdotes ſcirent, majori cum reverentiâ & reſpectu, illa ſacra tractarent.

Grave peccatum, Sacerdotum negligentia circa munditiem veſtium ſacrarum.

Porro cum ſit præceptum naturale ut ſancta ſanctè tractentur, maximè curandum eſt ut hæ veſtes non ſint ſordidæ nec lacerae: & eapropter ſi tanta cura adhiberi debet ut ſint benedictæ, non minor profectò adhiberi debet ut ſint mundæ, tantoque ſacrificio non indecentes. Unde nec à gravi peccato excuſari poſſunt, qui immundis hujuſmodi veſtibus utuntur: etenim ſi quis in propria menſa nollet uti hujuſmodi ſordidis linteis, quomodo id non verecundabitur in menſa Dei ſui: & ſi vir honeſtus putaret gravem ſibi injuriam irrogari, ſi ad menſam vocatus ſordida ei mappa, & immundum mantile daretur, qualem injuriam non irrogabit Sacerdos Deo ſuo, cui audet inſervire ſordidis, laceriſque veſtimentis.

Peccat mortaliter celebrans ſcienter ſine aliqua illarum veſtium.

Petes an peccet mortaliter qui ſine his veſtibus ſacrum celebrat.

Reſp. Affirmativè etiamſi una tantùm voluntariè eſſet omiſſa: idque ob reverentiam tanto Sacramento debitam, & antiquam univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, quæ habet vim legis.

Nec hoc licet ad vitandam mortem à Tyranno intentatam.

Petes, quid ſi Tyrannus cogeret Sacerdotem celebrare ſine ullis veſtibus, ſub comminatione mortis.

Reſp. ejuſmodi Sacerdoti mortem potiùs eſſe oppetendam quàm Tyranno obſequendum, quia cenſetur ad hoc cogere in contemptum fidei & religionis Catholicæ.

Petes

Digitized by Google

Nec etiam ad adminiſtrandum ægro viaticum,

Petes quid ſi infirmus in articulo mortis conſtitutus debeat accipere viaticum, & deſint hoſtiæ conſecratæ, an poſſet Sacerdos celebrare, ſi deſit ſtola vel manipulus.

Reſp. negativè quia in tali caſu præceptum communicandi ægrotum non obligat, eò quod deſit illi copia communicandi defectu hoſtiæ: nec refert quod ejuſmodi communio futura ſit ægroto utilis, quia reverentia S. S. Sacramento debita eſt præferenda ſpirituali utilitati infirmi, præſertim quæ compenſari poteſt communione ſpirituali.

Induens veſtes ſacras, tenetur ſub mortali dicere orationes preſcriptas.

Petes, quale peccatum ſit prætermittere orationes quas miſſale præſcribit, dum ſacerdos ſacris veſtibus induitur.

Reſp. mortale, partim quia Pius V, juſſit ſervari ritus & cæremonias miſſalis, & inter cæteras ut orationes ſingulæ pro ſingulis veſtibus dicerentur, partim quia immemorialis univerſalis Eccleſiæ conſuetudo, quæ habet vim legis, ad hoc obligat.

Petes quale peccatum ſit celebrare capite cooperto vel cum capillis fictitiis.

Reſp. per ſe loquendo, mortale; patet ex Cap. *nullus Epiſcopus* de Conſecrat. diſt. 1. ubi dicitur „ nullus Epiſcopus, aut Presby- „ ter, aut Diaconus ad miſſarum „ ſolemnia cum baculo introire, „aut velato capite altari Dei aſſi- „ ſtere præſumat; &, ſi temerè „ præſumpſerit, communione „ privetur.

Peccat, ſine diſpenſatione miſſam celebrans tecto capite.

Dixi, *per ſe loquendo*, quia ex legitima cauſa, qualis eſt decrepita ſenectus, corporis debilitas, regionis frigiditas, id licebit ſine peccato, præviâ diſpenſatione: porro illa diſpenſatio ſpectat ad ſummum Pontificem, ita hoc ſtatuente Urbano VIII. in miſſali à ſe reformato; ubi ſic ait „ nemo audeat uti pileolo „ in celebratione miſſarum ſine „ expreſſa licentia ſedis apoſto- „ licæ, non obſtante quacum- „ que contrariâ conſuetudine.

In caſu tamen particulari dum cauſa eſſet evidens, & neceſſitas manifeſta, nec daretur recurſus ad ſedem Apoſtolicam, nec ad Epiſcopum, poſſet aliquando Sacerdos ſic celebrare, ſine præviâ diſpenſatione, dummodo abſit contemptus & ſcandalum; ſiquidem neceſſitas non habet legem, nec requiritur diſpenſatio in caſu quo lex manifeſtè non obligat.

Porro quando Pontifex in hoc diſpenſat, expreſsè excipit ut hoc non fiat à conſecratione uſque ad communionem, eò quod hoc cedat in gravem injuriam quod ſervus aſſiſtat Domino ſuo capite

pite cooperto: nec refert quod in Polonia ſacerdotes hiemali tempore celebrare ſoleant cooperto capite, quia id fit ibidem ſine ſcandalo, ſecundum morem patriæ hactenus ab Eccleſia toleratum.

DUBIUM XXI.

An & qualis miniſter requiratur ad celebrationem Miſſæ.

Celebrāti debet aſſiſtere miniſter.

QUod ad celebrandum requiratur miniſter, patet ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine: prout quoque ex Jure Canonico Cap. *Propoſuit*: de filiis presbyterorum, juxta illud S. Laurentii ad Sixtum Pontificem „tu numquam ſine miniſtro Sacrificium offerre conſueveras:„ Et quamvis Soter ſtatuerit ut duo eſſent miniſtri, ut patet ex Can. *Quoque*, de Conſecrat. diſt. 1. idque ob majorem S. S. Sacramenti reverentiam, illud tamen ſtatutum univerſali nunc Eccleſiæ conſuetudine abrogatum eſt, quæ unum ſolum aſſumpſit miniſtrum in miſſis privatis; idque ob multitudinem ſacerdotum, qui ſæpe cogerentur abſtinere à Sacrificio Miſſæ ſi cogerentur habere duos miniſtros.

Dices, ſacerdos frequenter in miſſa loquitur in numero plurali, ut dum ait, *Dominus vobiſcum*, *Orate fratres* &c. ergo alloquitur plures.

Reſp. id eſſe verum, ſed ſacerdos tunc non ſolùm alloquitur ſuum miniſtrum, ſed in illo totā Eccleſiam, cui apprecatur pacem

Petes, an ejuſmodi miniſter debeat eſſe maſculus.

Non licet fœminæ miniſtrare Miſſæ.

Reſp. affirm. nec poteſt eſſe fœmina; Prob. ex Cap. 1. de Cohabit: Cleric. & mulierum: ubi dicitur, „prohibendum quoque eſt ut nulla fœmina ad altare præſumat accedere, aut presbytero miniſtrare.„ Ratio hujus inhibitionis eſt periculum, indecentia, & reverentia S. S. Sacramento debita: & ea propter graves authores aſſerunt in neceſſitate potiùs eſſe celebrandum ſine miniſtro, quàm quòd fœmina miniſtraret: & idcirco abuſus eſt minimè tolerandus ab Epiſcopis, repugnans communi torrenti Doctorum, piorum & timoratorum ſacerdotum praxi, quod Beguinæ & Moniales quibuſdam in locis miniſtrent ſacerdoti ad altare.

Tolerandum tamen aliquo modo eſt, quod ubi maſculus haberi non poteſt, ut mulier præſertim velata, ex loco remotiori, ſacerdoti reſpondeat in miſſa privata: ſed nullo modo permittendum ut appropinquet altari, vinum & aquam calici infundendo,

Digitized by Google

fundendo, aut librum circumferendo.

DUBIUM XXII.

An Miſſa quo ad omnes cærimonias & ritus fuerit eodem ſemper modo in Eccleſia celebrata.

PRænotandum 1. ſicuti in rebus phyſicis præter ipſam rei ſubſtantiam inveniuntur quædam accidentia quæ ſubſtantiam accidentaliter afficiunt & exornant; ita quoque in Sacrificio Miſſæ, præter ſubſtantiam, hactenus explicatam, inveniuntur certæ quædam cærimoniæ & ritus partim conſiſtentes in verbis, partim in actionibus externis; quæ quamvis ad ſubſtantiam Sacrificii non pertineant, eam tamen multùm exornant.

Ritus & cærimoniæ Miſſæ, antiquiſſimi. Supponendum 2. ritum Eccleſiæ in celebratione Miſſæ eſſe antiquiſſimum: nam S. Dionyſius Areopagita qui vixit tempore S. Pauli in libro de Hierarchia Eccleſ. complurium ejuſmodi cærimoniarum meminit: prout & S. Jacobus 1. Epiſcopus Hieroſolymitanus, ut habetur de Conſecrat. diſt. 1. plurium etiam meminit S. Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 6. item Cyrillus Hieroſol. Cathec. Myſtag. 5. qui ibidem totum ferè Sacrificii ritum præſertim Canonis deſcribit: idem fecit S. Baſilius Epiſcopus Cæſarien. Quinimo S. Gregorius libro 7. Epiſtol. epiſt. 63. Apoſtolos, poſt recitationem Orationis Dominicæ Sacram Hoſtiam conſecraſſe refert, & deinde ab ipſis, eorumque ſucceſſoribus, ut narravimus, plures ſacros ritus fuiſſe ſuperadditos, partim ad devotionem fidelium, partim ob reverentiam tanto Sacramento debitam, populique inſtructionem, partim quoque in gratiarum actionem: unde hæc Apoſtoli ſententia 1. ad Timoth. 2. *obſecro primùm omnium fieri obſecrationes*, à S. Auguſtino & S. Thoma 2.2. quæſt. 83. art. 17. accipitur de publicis Eccleſiæ precibus, quas ſacerdos dicit ad altare.

Præſertim verba Canonis. Porro quamvis in particulari non conſtet per quem vel quando hæc vel illa cærimonia ſit addita, tamen ſinguli ritus ſunt valde antiqui, præſertim verba omnia quæ continentur in Canone, ſic appellatò, quia præſcriptam verborum formam continet; quâ tanquam regulâ, in conficiendo myſterio eſt utendum.

S. Iſidorus lib. 1. de Officiis cap. 15. ait ordinem Miſſæ primò à S. Petro eſſe inſtitutum nempe

nempe quoad ſui initium, cui dein diverſi Pontifices diverſa addiderunt, idque uſque ad S. Gregorium magnum, qui fuit ultimus eorum qui in Canone aliquid addiderunt. Quin & inde colligi poteſt Canonis antiquitas, quòd in eo nulla fiat mentio Confeſſorum, ſed ſolùm martyrum; cujus rationem allegat Innocentius III. lib. 3. de miſſa cap. 10. quod Canon priùs fuerit conditus, quàm Eccleſia memoriam Confeſſorum celebrare inciperet.

Peccatum eſt ex genere ſuo mortale omittere vel addere ad ritum miſſa præſcriptum.

Petes an Sacerdos ſub peccato mortali ex genere ſuo, obligetur nihil addere vel omittere in iis quæ ſpectant ad miſſæ celebrationem.

Reſp. Affirmat. quod probatur 1. ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis & vitandis in celebrat. miſſæ, ubi generaliter præcipit hoc Sacrificium peragi ut decet.

2. Probatur ex verbis Pii V. in principio miſſalis, ubi ſic ait, „ mandantes, & ſtrictè omnibus „ & ſingulis, in virtute ſanctæ „ obedientiæ præcipientes, ut „ miſſam juxta ritum, modum, „ ac normam, quæ per miſſale à „ nobis nunc traditur, decantent „ ac legant.

Porro cum hæc res ſit gravis, utpote plurimùm ſpectans ad divinum cultum, jure optimo omiſſio ejus vel commiſſio contra illam eſt peccatum ex genere ſuo mortale: quod tamen ob levitatem materiæ ſæpe erit tantùm veniale: hinc ſi omittatur pars miſſæ notabilis v. g. epiſtola, Euangelium &c. erit peccatum mortale; quia hæ ſunt partes veluti principales miſſæ; ſecus tamen ſi omittatur *Gloria in excelſis*, vel *Credo*, aut aliqua ex orationibus dum plures ſunt dicendæ.

Veniale tamen eſſe poteſt & parvitate materia.

Materia quantitas non tam ex verbis quam ſignificatione hic expendenda.

Dices Euangelium ſæpe habet pauciora verba quam *gloria in excelſis*.

Reſp. id eſſe verum, ſed gravitas non ſumitur hic à quantitate verborum, ut in horis Canonicis, ſed à qualitate: unde & omiſſio alicujus cærimoniæ, quamvis in ſe parvæ, attamen gravioris ſignificationis, ut omiſſio mixtionis aquæ cum vino, vel omiſſio fractionis hoſtiæ ad *Agnus Dei*, vel omiſſio mixtionis particulæ ſpecierum panis cum ſanguine in calice, eſt peccatum mortale.

Petes, quare potiùs Sacerdos qui ex inconſideratione omiſit in horis canonicis unum vel alterum Pſalmum, illum debet repetere, quàm miniſter qui ex ſimili inconſideratione omiſit aliquid accidentale in miſſa.

Digitized by Google

An qui in miſſa omiſit aliquid, teneatur repetere.

Reſp. quia de priori habetur præceptum, non verò de poſteriori: quinimo in rubricis miſſalis expreſsè habetur, ſi valde probabiliter dubitet, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam, ſaltem ſub tacita conditione; ſi autem non ſit de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat ulteriùs. Quamvis autem omiſſio eorum quæ habentur in Canone facilè ſit mortalis, non tamen eſt probanda eorum ſententia qui omiſſionem voluntariam unius verbi cenſent eſſe mortale; eò quod non minùs in illo quam in aliis poſſit dari parvitas materiæ.

Petes, an ſi Sacerdos pro ſua devotione addat aliquas preces, non animo addendi novum ritum, ſed ut perſona privata: an peccet.

Reſp. Affirmat. idque contra præceptum Pii V. non tamen peccabit mortaliter, eò quod materia ſit levis.

Quædam Eccleſiæ licitè quædam feſta celebrant, particularibus officiis etſi non approbatu à Pontifice

Aliquæ Eccleſiæ Belgicæ inter quas Metropolitana Mechlinienſis colunt ab antiquo aliqua peculiaria Sanctorum feſta, quorum vel aſſervant pretioſa pignora, vel quorum intercedentibus meritis impetrarunt aliqua beneficia: colunt inquam illa cum particularibus officiis ad normam quidem Breviarii Romani in ordinem redactis & tamen à ſancta ſede non approbatis.

Quæritur an illæ hac in parte non contraveniant decreto Pii V. breviario Romano præfixo, & ſupra citato.

Reſp. negativè quia ſummus Pontifex condens aliquam generalem legem, prout hæc eſt, non intendit per illam derogare ſtatutis & piis conſuetudinibus particularium Eccleſiarum, niſi horum in particulari mentionem faciat: prout neque dum Pontifex tempore Jubilæi, vel extra, concedit regularibus poteſtatem abſolvendi à cenſuris & reſervatis, per hoc cenſetur illis concedere poteſtatem abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis; quippe cujus juri non cenſetur velle derogare, niſi illius expreſsè mentionem faciat: nam ſicuti in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veroſimiliter eſt negaturus, ita nec in generali prohibitione veniunt ea quæ quis in particulari veroſimiliter non eſſet prohibiturus.

Petes, an Sacerdos paſſim ex incuria negligens cæremonias miſſæ, peccet mortaliter.

Geſtus indecori in celebrante ſunt grave peccatum.

Reſp. Affirm. quia facit contra præceptum in materia gravi: & inſuper quia ejuſmodi negligentia continet interpretativum contemptum; multò tamen

gra-

graviùs peccat Sacerdos qui non tantùm cæremonias debitas negligit, ſed inſuper more hiſtorionum pro libitu ſuo has vel ilias geſticulationes efformat: prout proh dolor! complures Sacerdotes videmus, & lugemus, qui in ipſo tremendo miſſæ Sacrificio, geſtibus ſuis & actionibus ridiculis magis apparent hiſtriones quam Sacerdotes, non ſine graviſſima S. S. Sacramenti injuria.

DUBIUM ULTIMUM.

Quomodo occurrendum defectibus in miſſa Sacrificio occurrentibus.

PRænotandum ejuſmodi defectus poſſe contingere vel circa ſubſtantialia ſacrificii miſſæ, qualia ſunt materia, forma, & intentio miniſtri: vel circa accidentalia. 2. ejuſmodi defectus contingere poſſe, vel ante celebrationem, vel in ipſa miſſa ante conſecrationem, vel poſt conſecrationem.

Celebrans advertens defectum circa ſubſtantiam debet illum ſupplere.

Dico 1. defectus circa ſubſtantialia, quamprimum cognoſcitur, debet ſuppleri, ſive deprehendatur ante conſecrationem ſive poſt conſecrationem: ratio eſt quia alioquin non ſubſiſteret ſubſtantia Sacrificii.

Ex hoc principio deducitur quod, ſi Sacerdos advertat pro vino infuſam eſſe aquam, aut acetum, aut hoſtiam non eſſe triticeam aut materiam eſſe dubiam, debeat quamprimum certam apponere: ratio eſt quia obligatur ex præcepto divino ſacrificium perficere, quod non poteſt facere niſi ſuppleatur hujuſmodi defectus.

Et quomodo hoc præſtare debeat.

Porro in modo procedendi ſic ſe geret Sacerdos: v.g. ſi poſt ſumptionem hoſtiæ advertat materiam fuiſſe invalidam aut dubiam, ſumat certam, fiatque conſecratio incipiendo ab illis verbis, *qui pridie quam pateretur*, uſque ad finem conſecrationis panis: quo facto Sacerdos pergat in miſſa, & poſt communionem utriuſque ſpeciei ſumat materiam illam dubiam, ſuper qua pronuntiaverat verba, ante ablutionem.

Idem proportionaliter fiat de vino, ſi videlicet poſt conſecrationem advertat vel illud fuiſſe acetum aut aquam, aut meritò dubitet an ſit vinum quod conſecravit: ſumat inquam materiam certam, fiatque conſecratio incipiendo ab illis verbis, *ſimili modo poſtquam cœnatum eſt &c.* deinde materiam dubiam ponat in vaſe ſeparato, illamque ſumat poſt communionem utriuſque ſpeciei.

Quid agendum ſi in ſumptione ſpecierum advertatur defectus materiæ.

Petes quid ſi factâ conſecratione panis, & ſumpto calice, advertat Sacerdos in ipſa ſumptione ſe conſecraſſe aquam, an poterit illam deglutire.

Reſp. Affirm. quia ſine ſcandalo non poterit illam ex ore ejicere; & præceptum divinum de perficiendo ſacrificio illum magis obligat quam eccleſiaſticum de ſumendo jejunè. Modus verò quem adhibebit in conſecratione vini hic erit: accedet ad cornu altaris quaſi accepturus purificationem, dein poſito vino in calice aquâ mixto, accedet ad medium altaris, ibique conſecrabit, incipiendo ab illis verbis *ſimili modo poſtquam cœnatum eſt* &c. idque faciet ſine elevatione calicis, quem deinde reverenter ſumet: quod ſi aliud vinum abſolutè haberi nequeat, perficiet Sacerdos Sacrificium in unicâ ſpecie: nam præceptum divinum conſecrandi ſub utraque ſpecie non obligat ad impoſſibile.

Petes quid ſi poſt conſecrationem utriuſque ſpeciei Sacerdos advertat hoſtiam non eſſe legitimam materiam, an eo caſu debebit repetere conſecrationem utriuſque ſpeciei an verò ſufficiet conſecrare novum panem.

Reſp. ſufficere ut de novo alia hoſtia conſecretur: eſto enim aliqui putent repetendam eſſe conſecrationem utriuſque ſpeciei, putantes ordinem rerum, quæ conſecrantur, eſſe ſacrificio eſſentialem: veroſimiliùs tamen eſt hunc ordinem minimè eſſe Sacrificio eſſentialem; eò quòd illud ſolùm requirat ut myſticè repræſentetur victima ſine ſanguine: quod fit vi verborum in fine conſecrationis utriuſque ſpeciei, quæcumque tandem præcedat: nec refert quod ſine ſacrilegio, procedendo mòdo ordinario, non poſſit conſecrari vinum ante panem, quia multa ſine ſacrilegio fieri non poſſunt ſi procedatur modo ordinario antequam acciderit defectus, quæ tamen, ſuppoſito defectu, fieri poſſunt abſque ullo peccato.

Petes, quid ſi defectus in utraque materia acciderit iſque advertatur poſt conſecrationem, quid faciendum.

Reſp. ſi ſpectemus rationem ſacrificii nihil eſt neceſſariò ſupplendum; eo quod Sacrificium ſit nullum: nihilominus tamen quia Sacerdos in altari exiſtens non debet diſcedere niſi ſacrificaverit, tenebitur adhibere ea quæ neceſſaria ſunt ad ſacrificandum: & eapropter in hiſce anguſtiis conſtitutus aſſumet aliam hoſtiam, & aliud vinum, fa-

Digitized by Google

facietque conſectationem incipiendo ab illis verbis, *qui pridie quam pateretur* uſque ad finem, dummodo tamen adhuc ſit jejunus.

Quid agendum ſi defectus commiſſus ſit contra accidentalia ſolum.

Petes, ſi acciderit defectus tantùm circa accidentalia: ut ſi v. g. Sacerdos advertat poſt conſecrationem calicis non fuiſſe appoſitam aquam, aut hoſtiam eſſe fractam.

Reſp. tunc nihil tenebitur ſupplere, ſed ſi ejuſmodi error ex negligentia commiſſus ſit, oportet pœnitere & deſuper dolere: alioquin enim repetitio accidentalium illorum que omiſſa ſunt in ſacrificio debito tempore & ordine, facta extra illum ordinem & tempus potiùs impedit ipſiùs Sacrificii ſplendorem, ob quem ſunt inſtituta: ut ſi v. g. Sacerdos qui omiſit *Gloria in excelſis* vel *Credo*, illa poſtmodùm vellet repetere. Quòd ſi tamen ante conſecrationem advertat hoſtiam eſſe fractam, aut aquam non fuiſſe vino mixtam, obligabitur aliam hoſtiam accipere, & aquam vino miſcere.

Item, quid ſi animal venenoſum inciderit in calicem.

Petes quid faciendum ſit ſi animal venenoſum ceciderit in calicem.

Reſp. ſi id accidat ante conſecrationem, tunc aliud vinum eſt aſſumendum, & conſecrandum: ſi verò poſt conſecrationem & Sacerdos nequeat ſumere ſine periculo vitæ, tunc illæ ſpecies vini collocabuntur in alio vaſe in tabernaculo, & linteo vel ſtuppa exſiccabuntur; quæ exſiccata comburentur, & cineres in piſcinam projicientur: Porro aliud vinum mittetur in calicem, idque aquâ mixtum conſecrabitur ut ſupra. Pari modo ſi caſu contingat ut ægrotus evomat ſpecies, illæ ſervandæ ſunt donec corrumpantur; & combuſta materia in piſcinam projiciatur.

Aut hoſtia conſecrata in terram ceciderit.

Petes quid faciendum quando hoſtia cadit in terram aut ſuper tapetem.

Reſp. tunc locus debet radi lavari, & mundari; & raſura & lotura debent mitti in piſcinam: quod ſi ſanguis caſu decidat, debet abſorberi aut lingi quantum fieri poteſt, & locus deinde radi & lavari; & raſura cum lotura in piſcinam mitti: quod ſi cadat in linteum, illud ſimiliter debet lavari, & lotura in piſcinam mitti.

Petes quid ſi conſtet Sacerdoti ſe non legitimè pronuntiaſſe formam conſecrationis.

Reſp. debere illam repetere; nec ſufficiet repetere verbum omiſſum, quando tantum tempus effluxit ut poſitâ repetitione verbi omiſſi non ſubſiſtat integra

Digitized by Google

gra ſignificatio formæ : idem faciendum erit ſi ſacerdos prudenter & cum fundamento dubitet ſe formam protuliſſe, tunc enim illa repetenda erit ſub conditione.

Quid ſi dubitet Sacerdos an formam debitè protulerit?

Petes quid ſi Sacerdos poſtea non recordetur an conſecraverit nec ne: an debebit repetere conſecrationem iſtius ſpeciei cujus non recordatur.

Reſp. negativè niſi gravem habeat rationem dubitandi, & præſertim ſi communiter ſit ſollicitus ad formam conſecrationis bene proferendam. Quod bene notandum pro ſcrupuloſis.

Petes an Sacerdos omittens aliqua quæ non ſunt de ſubſtantia graviter peccet.

Reſp. attendendam eſſe gravitatem materiæ, vel levitatem; & ſecundum illam judicandum.

Petes an Sacerdos miſſam inchoatam poſſit abrumpere.

Reſp. per ſe loquendo negativè: nam ſicuti graviter peccat Sacerdos qui notabilem miſſæ partem voluntariè omittit, ita quoque graviter peccat qui partes Sacrificii notabiliter interrumpit, ita ut poſitâ interruptione non videatur idem Sacrificium.

An & quando liceat miſſam interrumpere.

Dixi, *per ſe loquendo*, quia poſitâ juſtâ cauſâ poterit Sacerdos illud per accidens interrumpere, ut v. g. ſi baptizandus ſit infans conſtitutus in articulo mortis, quem mater peperit ſub miſſa, cui non poteſt ſuccurri niſi per Sacerdotem celebrantem.

Petes quid ſi poſt conſecrationem utriuſque ſpeciei immediatè timeatur incurſus hoſtilis quid facturus ſit Sacerdos:

Reſp. eum non debere relinquere ſacrificium miſſæ imperfectum; unde prætermiſſis intermediis procedet ad ſumptionem utriuſque ſpeciei.

RECOLLECTIO.

QUanta cura adhibenda ſit ut Sacrificium miſſæ omni religione, cultu, ac veneratione celebretur, quivis facilè exiſtimare poterit qui cogitat eum maledictum in ſacris litteris vocari qui facit opus Dei negligenter. Quod ſi fatemur, idque neceſſariò, nullum aliud opus adeo ſanctum ac divinum à Chriſti fidelibus tractari poſſe quam hoc ipſum tremendum

Digitized by Google

mendum ſacrificium quo vivifica illa hoſtia, quâ Deo Patri reconciliati ſumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur, ſatis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe ut quantâ maximâ fieri poteſt cordis munditiâ, puritate, exteriori interiorique devotione, ac pietatis ſpecie peragatur. *Hæc Conc. Trid. ſeſſ. 22.* Quæ verba, mi Lector, opto ut animo intus recollecto hìc nonnihil rumines, & quanta ſit Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero virginis, filius Dei quotidie incarnatur, diligenter expendas: & ſimul uberrimis lacbrymis defleas, quod, ob aliquorum Sacerdotum incuriam, neglectum, & malam vitam hæc ſacroſancta myſteria tam indecorè & irreverenter tractentur, ut illi ipſi Sacerdotes qui tractant, non videantur habere fidem aut affectum erga Deum ſibi præſentem: tantâ enim levitate, tam incredibili feſtinatione, tantâ diſtractione, tam ſordidis tamque vilibus paramentis ab aliquibus ſacrificium peragitur, ut contemptum impiis, lacbrymas verò piis id intuentibus exprimant. Hæc obſecro moveant, ad tales defectus, quantum in te erit, ſupplendos, teque moneant quantâ cum veneratione hæc ſancta myſteria à te ſint tractanda, in quibus Chriſtus Dei filius, cum omni meritorum ſuorum theſauro quotidiè immolatur: quod, ut penitiùs intelligas cogita, quod, ſi ſimul jungerentur omnes actus amoris, quibus omnes ſancti jam inde à mundi exordio uſque in finem arſerunt & adhuc ardebunt: inſuper ſimul jungerentur omnia tormenta tot Sanctorum, Apoſtolorum & martyrum, qui heroica fortitudine, ſanguinem ſuum pro Chriſto abundanter fuderunt, accumularentur quoque ſimul omnes virtutes Patriarcharum, Prophetarum, item jejunia, vigiliæ & orationes Confeſſorum Monachorum, uti & Sanctarum virginum: non tam perfectam laudem

& honorem Dei hæc omnia ſimul juncta, complecterentur, quam vel una ſola miſſa, etiam à pauperrimo Sacerdote celebrata, ita nimirum ut hæc omnia ſimul in unum collecta, minimè exæquent honorem, cultum, & reverentiam quæ ſupremo Deo, per unius miſſæ Sacrificium exhibetur: & ratio eſt quia in qualibet miſſa Chriſtus eſt offerens, & id quod offertur, adeoque tam ex parte rei oblatæ, quàm ex parte principalis offerentis hoc Sacrificium eſt infinitæ dignitatis, laudis, & gratiarum actionis, omnia verò ſanctorum opera, ſimul etiam collecta, ſunt tantùm finiti valoris & dignitatis.

Ex quibus perſpicuè, o Sacerdos, colligere potes; nihil te Deo Patri offerre poſſe optabilius, ſive ad exhibendas laudes, ſive ad agendas gratias, ſive ad impetrandam indulgentiam pro peccatis; quam hoc corporis & ſanguinis Chriſti Sacroſanctum myſterium: ad quod, ut te ritè ſemper diſponas, clama frequenter ad Dominum, & dic, Deus qui de indignis, dignos; de immundis, mundos, de peccatoribus, juſtos facis; munda cor & corpus meum ab omni ſorde & fœditate peccati, meque dignum ſacris altaribus fac miniſtrum, & rogo ut per eum ſit tibi acceptabile meum votum, qui ſe tibi obtulit in Sacrificium Jeſus Chriſtus Dominus noſter, Amen.

TRA-

TRACTATUS V.

De Pœnitentia.

Pœnitẽtia varia acceptio.

UT ab ipſo nomine exordiamur; *Pœnitentia*, juxta S. Auſtinum lib. de vera & falſa Pœnit. cap. 19. derivatur à *Pœna*; ita ut pœnitere, idem ſit quod pœnam tenere; & pœnitentia, idem ſit quod pœnæ tenentia.

Juxta hoc nominis etymon, pœnitentia apud Theologos & SS. Patres triplex habet ſignificatum: & 1. quidem accipitur pro virtute pœnitentiæ. 2. Pro Sacramento Pœnitentiæ. 3. Pro ritu Eccleſiaſtico publicæ pœnitentiæ. De quibus ſingulatim agemus: & primò quidem de pœnitentia prout eſt virtus; eò quod ratio virtutis ſit prior ipſo Sacramento Pœnitentiæ, Sacramentum enim Pœnitentiæ demum in lege nova à Chriſto Domino eſt inſtitutum: & ex illo tempore cœpit eſſe ad ſalutem relapſis neceſſarium; virtus autem pœnitentiæ non tantùm in lege nova, ſed etiam in moſaycâ & naturali fuit neceſſaria ad ſalutem.

De Virtute Pœnitentiæ,

QUÆSTIO I.

An Pœnitentia ſit virtus.

Seu

An habitus inclinans ad agendam Pœnitentiam de peccatis, ſit virtus.

DIco 1. aliqua pœnitentia eſt virtus, ſaltem imperfecta: quod probatur, quia præcepta divinæ legis non dantur, niſi de actibus virtutum; ſed de actibus pœnitentiæ datur divinum præceptum, ut Matth. 4. ubi dicitur, *Pœnitentiam agite*, Luc. 13. *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis* &c. Ergo aliqua pœnitentia eſt virtus. *Pœnitẽtia eſt virtus.*

Probatur 2. quia deteſtari aliena peccata, in judice aut ſuperiore in ſubditos juriſdictionem habente, eſt actus virtutis; ergo deteſtari propria peccata, multò magis erit actus virtutis.

Præterea velle conſervare jus Dei illæſum, & reparare læ-

Digitized by Google

ſum eſt actus virtutis Chriſtianæ; ſed hoc facit pœnitentia; ergo.

Dices, nulla virtus primariò verſatur circa odium, ſeu mali deteſtationem; ſed pœnitentia verſatur primariò circa mali deteſtationem; ergo &c.

Primariò verſatur circa bonum.

Reſp. aſſumptum eſſe verum, quia odium mali ſemper oritur ex amore boni oppoſiti, adeoque quælibet virtus verſatur primariò circa bonum; ſecundariò verò circa malum illi oppoſitum: ita ut amor boni & odium mali oppoſiti proveniant ab eodem habitu: ac proinde negandum eſt ſubſumptum: & dicendum, habitum pœnitentiæ per ſe primò ferri in bonum, quatenus ſcilicet vult ſervare jus Dei illæſum, qualiter etiam fuit in ſtatu Innocentiæ; quamvis aliquis ejus actus, qui eſt pœnitere, peccatum præſupponat.

Secundariò circa malum illi bono oppoſitum.

Dices, dolor de peccato commiſſo, qui eſt actus pœnitentiæ, eſt planè inutilis; nam id quod factum eſt, infectum fieri nequit; ergo ille non poteſt eſſe actus virtutis.

Dolor de peccatis, qui eſt actus pœnitentiæ quomodo utilis.

Reſp. negando aſſumptum: nam etiamſi dolor ille ſit inefficax & inutilis hoc ſenſu, ut faciat peccatum non eſſe commiſſum quod commiſſum eſt (neque etiam ad hoc dirigitur) attamen dolor ille eſt utilis ad peccatum delendum, omnem ejus maculam tollendam, atque ad illud in futurum præcavendum.

Dices, pœnitentia eſt dolor ſeu triſtitia de peccato commiſſo, ſed triſtitia non eſt virtus, ſed potiùs paſſio animi.

Dolor in appetitu ſenſitivo non eſt actus elicitus pœnitentiæ.

Reſp. duplicem eſſe triſtitiam, unam in appetitu ſenſitivo, alteram in rationali ſeu voluntate: prior non eſt virtus ſed paſſio; poſterior verò eſt virtus ſaltem imperfecta, quatenus eſt conformis rectæ rationi: nihilominus ipſa actualis triſtitia in appetitu ſenſitivo, erit actus imperatus virtutis pœnitentiæ, quando ab illa nonnumquam imperatur.

Poteſt tamen ab illa imperari.

Dico 2. non omnis pœnitentia eſt virtus, nequidem imperfecta: nam cum peccatum, quod eſt objectum materiale pœnitentiæ, poſſit ſpectari ſub diverſis rationibus, nimirum vel quatenus repugnat divinæ bonitati, vel quatenus eſt cauſativum infamiæ, morborum, pœnarum, aut damni alicujus temporalis, poterit aliquis de peccato dolere ſub aliqua illarum rationum, quæ cum illo ſit compatibilis, ita nimirum ut peccatum ſub hac ratione conſideratum, adhuc ſecundùm ſe placeat, & ejuſmodi pœnitentia non eſt virtus: talis fuit pœniten-

Non omnis dolor de peccatis eſt actus virtutis pœnitentiæ.

Digitized by Google

pœnitentia Antiochi Machab. 2. Item Judæ Matth. 27.

Pœnitentia eſt virtus ſpecialis. Petes, an pœnitentia ſit virtus ſpecialis.

Reſp. affirmat.; quia virtus illa quæ pro objecto formali habet ſpecialem rationem honeſtatis, eſt virtus ſpecialis: nam ab objecto formali ſumitur diſtinctio ſpecifica virtutis; ſed talem habet pœnitentia, quatenus nimirum ſpeciale ejus munus eſt ſervare jus Dei illæſum, & illud læſum reparare: quæ ratio formalis non eſt communis aliis virtutib. Pro cujus explicatione. *Quodnam ſit objectum ejus formale.*

Notandum Deum habere jus ſupremi dominii in omnes homines, ratione cujus quilibet debet obedire ejus voluntati, adeoque jus illius ſervare illæſum; quod contingit violari per quodlibet peccatum mortale, quatenus per illud ipſe Deus contemnitur, dum creatura præfertur ſuo creatori: & eatenus Deo debetur reparatio, pro illata injuria; quæ cum efficaciter reparari non poſſit, ſaltem compenſari debet affectu doloroſo de peccato commiſſo, confeſſione culpæ & petitione veniæ.

Dices, omni virtuti competit pœnitere, eò quod ejuſdem virtutis ſit proſequi bonum & deteſtari malum illi oppoſitum; ergo pœnitentia non eſt virtus ſpecialis.

Reſp. negandò conſequentiam; peccatum enim, ratione mali, poteſt ſpectari ſub diverſis rationibus: & 1. quidem prout repugnat honeſtati virtutis oppoſitæ ut v. g. ebrietas ſpectari poteſt ſecundùm naturalem ſuam deformitatem, per quam opponitur temperantiæ. 2. Secundùm deformitatem aliquam generalem, quæ ſit communis omni peccato: ut v. g. quod Deum ſummè bonum offendat: porro ob unamquamque illarum rationum poſſumus de eo dolere ſeu pœnitere; & quidem ſi dolor ſit de peccato quatenus eſt contra bonitatem virtutis oppoſitæ, tunc non erit actus alicujus virtutis ſpecialis, ſed illius cujus perfectioni ſeu honeſtati peccatum opponitur; nam ex eodem habitu quo fertur quis in bonum ex eodem deteſtatur malum illi contrarium. Quod ſi dolor eliciatur de peccato ſecundùm aliquam rationem genericam, tunc erit actus illius virtutis, ex cujus motivo èlicietur: & ita dolor de peccato, quatenus repugnat infinitæ Dei bonitati, pertinet ad virtutem charitatis, quippe quæ hominem inclinat ad amorem ſummi boni. Quod ſi verò eliciatur dolor de peccato, quatenus per illud jus Dei læditur, idque ad illud reparandum, tunc *Quâ ratione dolere de peccato ſpectet ad quamlibet virtutem.*

Digitized by Google

erit actus virtutis ſpecialis, eò quod hæc ratio formalis nulli alteri virtuti competat.

Dices, jus Dei læſum reparare, prout & habere intentionem ſatisfaciendi pro injuria Deo illata, ſpectant ad virtutem juſtitiæ, adeoque pœnitentia erit virtus juſtitiæ.

Pœnitere non eſt actus proprius juſtitiæ.

Reſp. negando antecedens, ſive id intelligatur de juſtitia commutativa ſive de diſtributiva: nam quod ſpectat ad juſtitiam commutativam, proprius ejus actus eſt reddere unicuique debitum ad æqualitatem; adeoque ubi non poteſt dari vera æqualitas, non poteſt intervenire vera juſtitia commutativa; prout contingit inter hominem & Deum, cui ille non poteſt ſatisfacere pro offenſa ad æqualitatem: ex eodem capite docet S. Thomas, pietatem erga parentes, obſervantiam erga ſuperiores, religionem erga Deum propriè non ſpectare ad virtutem juſtitiæ commutativæ; eò quod illæ virtutes in retribuendo debito, deficiant ab æqualitate: nam neque homo præſtat Deo æqualem honorem illi debitum, nec Filius Patri, nec ſubditus ſuperiori. Præterea in juſtitia commutativa debet reperiri datum & acceptum, inter quæ duo ponatur æqualitas, quæ æqualitas dati & accepti inter Deum & hominem non reperitur, prout neque inter patrem & filium, ſubditum & ſuperiores quà tales; eò quod omnia bona hominis ſint Dei, item omnia bona filii ſint patris.

Porro ſi aſſumptum intelligatur de juſtitia diſtributiva, patet pœnitentiam non ſpectare ad illam, eò quod proprium officium iſtius virtutis ſit deſtribuere bona communia in plures perſonas, ſervata proportione geometricâ;id eſt, ut eadem ſit proportio inter bona, quæ diſtribuuntur, quæ eſt inter conditiones perſonarum quibus illa diſtribuuntur: nam hoc intereſt inter juſtitiam commutativam & diſtributivam, quod illa ſpectet conditionem rei ad rem, ut ei reddat æquale; hæc verò conditionem perſonæ:v.g ſitne doctus vel indoctus, dives an pauper, idque ut ſecuudùm ejus proportionem fiat diſtributio: unde qualem proportionem habent perſonæ inter ſe quoad conditiones requiſitas, talem quoque debent habere bona quæ diſtribuuntur. Porro virtus pœnitentiæ nec diſtribuit bona communia in plures perſonas; nec attendit æqualitatem geometricam aut arithmeticam, ſed ſolùm æqualitatem ſatisfactionis

In quo differant juſtitia commutativa & diſtributiva.

ſeu

Digitized by Google

Pœnitentia virtus aliquo modo ſpectet ad juſtitiam. ſeu compenſationis ad offenſam, quantùm fieri poteſt; ac eapropter pœnitentia aliquo modo revocari poteſt ad juſtitiam tamquam pars ejus potentialis, eò quod aliquo uſque ad juſtitiam ſpectet jus Dei illæſum conſervare, & læſum reparare, quod eſt officium pœnitentiæ; ita quoque pœnitentia revocari poteſt ad virtutem religionis, quatenus diſponit hominem, illumque inclinat ad reddendum debitum Deo cultum, quocumque titulo illi competat ſive creationis, ſeu gubernationis, ſeu beneficii accepti.

Ex dictis concluditur, quod, ſi pœnitentia ut virtus accipiatur quatenus verſatur circa peccatum quatenus illud opponitur particulari virtuti, ſicut luxuria caſtitati, ſic non diſtinguatur à ſingulis virtutibus, eò quod ejuſdem virtutis ſit proſequi bonum, & deteſtari malum ei oppoſitum, idque ob unam & eandem rationem formalem. Quod ſi verò pœnitentia accipiatur quatenus verſatur circa peccatum prout repugnat ſummæ Dei bonitati, ſic non diſtinguitur à charitate: quod ſi verò accipiatur prout verſatur circa peccacatum quatenus per illud jus Dei læditur, ita ut actus ejus ſit compenſare injuriam Deo illatam ſic erit virtus ſpecialis.

Virtus pœnitentia qualiter diſtinguatur à Charitate. Dices reparatio iſtius injuriæ fit potiſſimum per dolorem conceptum ob Deum ſummè bonum offenſum; nam hic ſolus tendit ad deſtruendum peccatum, ergo illa reparatio injuriæ ut ſic, erit actus charitatis.

Reſp. negando conſequent. ſiquidem aliud eſt voluntas reparandi injuriam, aliud verò actus quo hæc reparatur, nec hæc duo neceſſariò procedunt ex motivo ejuſdem virtutis; nam poſſunt virtutes ſibi invicem imperare in ordine ad obtinendum proprium ſuum finem, & ita virtus caſtitatis imperat orationem, ut impetret caſtitatem; & econtra religio imperat caſtitatem ut Deum meliùs colat: ita ſimiliter voluntas compenſandi injuriam Deo per peccatum illatam, quæ eſt actus virtutis ſpecialis pœnitentiæ, imperat dolorem de peccato, prout repugnat ſummæ Dei bonitati, quæ eſt actus virtutis charitatis.

DUBIUM I.

Quid Pœnitentia prout eſt virtus ſpecialis.

S. Auguſtinus Epiſt. 128. ad Seleucianum Pœnitentiam hoc modo deſcribit „eſt bonorum & humilium fidelium „pœna quotidiana, in qua pe-

ctora

„ ctora contundimus, dicentes, „ dimitte nobis debita noſtra.

S. Gregorius Hom. 34. in Euang. ait „Pœnitentia eſt præ„ terita mala plangere, & plan„ genda iterum non committere.

Quid virtus Pœnitentia.

Propriè loquendo pœnitentia prout eſt virtus ſpecialis, eſt virtus nos inclinans ad jus, quod Deus habet ad honorem ſuum, illæſum ſervandum, ne illud per peccatum violetur; & ad illud per peccatum læſum, per debitam compenſationem reparandum.

Qui ejus actus.

Ex qua definitione patet virtutem pœnitentiæ habere varios actus; alios quidem per modum proſecutionis, quales ſunt, honorem divinum velle ſervare illæſum; deſuper gaudere; deſiderare ut ab aliis ſervetur illæſus &c. alios verò per modum fugæ, prout ſunt odium & deteſtatio peccati, quatenus per illud honor Dei læditur; dolor de peccato perpetrato, & necdum remiſſo; voluntas compenſandi injuriam, Deo per peccatum illatam &c.

Poteſt illa virtus eſſe in iis qui non habent peccatum.

Petes, an quicùmque habet virtutem pœnitentiæ debeat fuiſſe peccator.

Reſp. neg. quod patet ex definitione; quia primarius actus virtutis pœnitentiæ eſt jus Dei velle conſervare illæſum; qui decet etiam maximè ſanctos; adeoque ille non tantùm fuit in Sanctis & B. Virgine, ſed etiam in Chriſto.

Verum tamen eſt quod hæc virtus, ſecundùm aliquem ſuum actum, qui eſt pœnitere, non ſit niſi in peccatoribus, eò quod pœnitere non ſit aliud quàm de propriis ſuis peccatis dolere ob Deum offenſum.

Petes, an ejuſmodi actus pœnitentiæ requirat aliquem dolorem in appetitu ſenſitivo.

Dolor in appetitu ſenſitivo an & qualiter ſit actus pœnitentiæ.

Reſp. negativè, eò quod dolor appetitus ſenſitivi ſæpe non ſit in noſtra poteſtate, ſed ſequatur temperiem & conſtitutionem corporis. 2. quia appetitus non poteſt exiſtimare injuriam Deo illatam, eò quod phantaſia illam non cognoſcat, adeoque de ea illata non poteſt dolere: quandoque tamen dolor iſte appetitus ſenſitivi poterit eſſe actus imperatus hujus virtutis; ſiquidem experimur quod quandoque ex intenſo dolore voluntatis, appetitus quoque ſenſitivus moveatur ad ſuo modo dolendum: nec refert quod ille non attingat Deum ſub ratione boni alicujus entis ſpiritualis; quia equidem ille attingit eum craſſiori ſuo modo ſub ratione rei corporeæ: nam experimur quod dum de Deo vel de

quacumque alia re ſpirituali cogitamus, quod phantaſia ſtatim ſuo modo efformet imaginem illius: & eapropter dum voluntas dolet de peccato ut offensâ Dei, ſæpe etiam pars inferior naturaliter movetur ad dolendum ob eandem injuriam corporali modo à phantaſia apprehenſam; idque, ut diximus in Tract. 9. de Actibus Humanis, ob naturalem ſympathiam duarum iſtarum potentiarum, quæ, quia reſident in eadem animæ eſſentia, actus unius redundat in alteram. Hoc tamen bene notandum quod dolor ille ſeu motus partis inferioris neque requiratur ad perfectam pœnitentiam, neque ſemper ſit ſignum perfectæ pœnitentiæ; quippe qui ſæpius oritur ex naturali complexione excitante ad ſimilem motum, etiam illos, qui verè de peccatis ſuis non dolent.

QUÆSTIO II.

De eſſentia pœnitentiæ.

Pœnitentia nomine in ſcriptura non intelligitur ordinariè virtus

NOmine pœnitentiæ in hac quæſtione non intelligimus habitum illum ſpecialem virtutis pœnitentiæ, de qua ſuperiori Dubio, ſed perfectam contritionem, de qua intelligenda venit S. Scriptura, & S. S. Patres dum nos ad pœnitentiam hortantur, eamque modis omnibus neceſſariam prædicant, ut dum dicitur Ezech 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vitâ vivet, & non morietur.* Item Matth. 4. *pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et Luc. 13. *niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Actor. 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum.*

ſpecialis pœnitentia.

Sed contritionis perfectæ actum.

Quibus omnibus & ſimilibus locis non agit Scriptura S. de pœnitentia quatenus eſt virtus ſpecialis, quia hæc neque ad juſtificationem eſt neceſſaria, neque ad illam obtinendam ſufficit; ſed agit de contritione perfecta quæ animam per modum diſpoſitionis ſanctificat; adeoque loquitur de actu pœnitentiæ perfectæ, quæ eſt cum Deo reconciliativa. Nam ad illum finem hortatur nos Scriptura ad pœnitentiam, ut nos Deo reconciliemus, quod fit per contritionem, non verò per proprium actum hujus virtutis ſpecialis.

Qui eſt elicitus à charitate & imperatus à virtute pœnitentia.

Porro quamvis contritio perfecta eliciatur à charitate, optimè tamen appellatur pœnitentia, quia imperatur à virtute pœnitentiæ ſpecialis: ex eo enim quod illa intendat compenſare injuriam Deo illatam per peccatum,

tum, aſſumit contritionem, tamquam medium ad deſtruendum peccatum, & ſic compenſandum injuriam Deo per peccatum illatam.

Petes quo ordine actus veræ pœnitentiæ ſeu contritionis in peccatore gignatur.

Reſp. illo à Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. deſcripto: ubi ait „ diſponuntur autem ad ipſam „ juſtitiam, dum excitati divinâ „ gratiâ & adjuti, fidem ex au„ ditu concipientes, liberè mo„ ventur in Deum, credentes „ vera eſſe, quæ divinitus reve„ lata & promiſſa ſunt: atque „ illud imprimis, à Deo juſtifica„ ri impium per gratiam ejus, per „ redemptionem, quæ eſt in „ Chriſto Jeſu: & dum pecca„ tores ſe eſſe intelligentes, à „ divinæ juſtitiæ timore, quo „ utiliter concutiuntur, ad con„ ſiderandam Dei miſericordiam „ ſe convertendo, in ſpem eri„ guntur, fidentes Deum ſibi „ propter Chriſtum propitium „ fore, illumque, tamquam omnis „ juſtitiæ fontem, deligere inci„ piunt: ac propterea moven„ tur adverſus peccata per odium „ aliquod & deteſtationem, hoc „ eſt per eam pœnitentiam, quam „ ante baptiſmum agi oportet.

Ordo & ſeries actuum quibus ad contritionem devenitur ordinariè.

Quibus quidem verbis, quinque actus prærequiſiti ad veram pœnitentiam enumerantur: quorum primus eſt excitatio divinæ gratiæ, ſeu ſupernaturalis Dei operatio convertentis cor, juxta id Thren. ult. *Converte nos Domine, & ad te convertemur.* 2. Eſt actus fidei. 3. Eſt actus timoris ſervilis. 4 Eſt actus ſpei. 5. Eſt actus charitatis, cui virtualiter ineſt actus timoris filialis, ex quo proximè exoritur actus pœnitentiæ ſeu contritionis.

Petes, an dicto loco Conc. Trid. dum dicitur „ Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt,„ intelligi debeat dilectio amoris concupiſcentiæ.

Reſp. negativè: quia amor concupiſcentiæ naturâ ſuâ prior eſt ſpe, qui proinde ex illa non oritur, ſed potius illam cauſat.

Petes an omnes illi actus à Concilio recenſiti eodem ordine & formaliter in omni juſtificatione peccatoris adulti debeant intervenire.

Non ſemper omnes illi actus præcedunt contritionem.

Reſp. neg. quia Conc. Trid. ibidem tantùm voluit deſcribere communem modum & ordinem juſtificationis; vel voluit diſtinctè enumerare omnes actus, qui in juſtificatione poſſunt intervenire, licet non ſemper interveniant; neque enim peccatores in ſe formaliter ſemper experiuntur ejuſmodi actus.

Petes

Digitized by Google

Quo ſenſu dicatur timor eſſe principium pœnitentiæ.

Petes quo ſenſu S. Thom. dicat principium pœnitentiæ eſſe ex timore, cùm conc. Trid. loco citato præponat motionem Dei per ſuam gratiam & illi ſubjungat fidem.

Reſp. quia timor ille eſt primus inter actus voluntatis, ad quos illa ſemetipſam movet. Unde, eſto actus intellectûs, quo voluntas Deo prævenienti conſentit, ſit prior; ad illum tamen voluntas non movet ſemetipſam aliquo alio priori motu hunc actum imperante, ſed illum tantùm elicit.

Timor ſervilis eſt principium ſolum remotum pœnitentiæ.

Dices timor ſervilis non excludit voluntatem peccandi: nam ut ait S. Aug. conc. 23. in Pſalmum 118. „vivit peccandi voluntas, quæ tunc apparet in „opere, quando ſperatur impunitas; „ ergo ille non poteſt eſſe principium pœnitentiæ.

Reſp. negando conſequentiam: ſiquidem timor ille eſt cauſa impulſiva, & principium illius remotum, licet non proximum & totale.

Petes an ſaltem neceſſariò ad agendam pœnitentiam & eliciendam contritionem, debeat in peccatore intervenire timor ſervilis.

Reſp. negat. nam fieri poteſt, ut quis, ſine metu damnationis, utpote de ea non cogitans, ex ſola conſideratione divinæ bonitatis convertatur & pœniteat: prout ex Scriptura S. apparet contigiſſe S.S. Paulo & Magdalenæ: unde dum diximus ex S. Thomâ pœnitentiam remotè oriri ex timore ſervili, & perfici per timorem filialem, id intelligimus de communi & ordinario modo juſtificationis peccatoris: & hoc ideo, quia Deus, qui ſuaviter diſponit omnia, convenienter rerum naturis, peccatores delectationibus corporalibus aſſuetos, ut plurimum permittit trahi timore pœnarum; qui tamen in eo non ſiſtant: ut patet ex cap. cit. Concilii Trid. ſed ultimatè perveniunt uſque ad timorem filialem ſeu charitatem; à qua, tamquam proximo principio imperante, emanat pœnitentia ſeu contritio: cujus ulterior ratio eſt, quia non datur pœnitentia ex ſe ſufficiens ad reconciliationem, niſi quis doleat de peccato propter Deum ſummè bonum offenſum: adeoque oriatur ex affectu benevolentiæ: prout patet in humanis; unde mulier quæ adulterando maritum offendit, ſi tantùm doleat eò quod ſibi infamam cauſaverit, non meretur reconciliationem; quippe cum hæc non ſit aliud quam benevolentiæ recuperatio; de qua,

Contritio proximè oritur ex timore filiali.

Digitized by Google

dicta mulier non cogitat.

Petes, an pœnitentia orta ex timore ſervili ſit bona.

Reſp. Affirm. ſi oriatur ex illa tamquam cauſâ impulſivâ; habet tamen defectum ſi oriatur ex illa tamquam motivo totali.

Petes, an pœnitentia ſit prior aliis virtutibus.

Quem ordinem habeat virtus pœnitentiæ ad alias virtutes.

Reſp. negat. ſaltem prioritate temporis: nam juxta communem Theologorum ſententiam habitus ſupernaturales virtutum, ſi tales dentur, ſimul infunduntur; neque etiam prioritate naturæ, quia pœnitentia ad minus præſupponit fidem & ſpem, eò quod nemo inclinetur ad pœnitentiam niſi ex ſpe veniæ obtinendæ ab eo, quem offendit; prout illa quoque præſupponit charitatem; eò quod hæc reſpiciat Deum ſub priori ratione, quam pœnitentia; nam reſpicit illum ut in ſe ſummum bonum, pœnitentia verò illum ſolùm reſpicit præſuppoſito peccato ut offenſum, ob quod illi debetur compenſatio; quæ ratio oritur ex priori ratione: nam idcirco Deo fit injuria per peccatum, quia ipſe eſt ſummum bonum quod peccando contemnitur. Illud tamen verum eſt quod actus pœnitentiæ plerumque ſit prior actibus virtutum moralium, quia recta ratio dictat ut peccator prius de ſuo peccato per pœnitentiam reconcilietur, quam aliis virtutum actibus incumbat, eò quod ſine hac reconciliatione, quivis virtutum actus, quantumvis maximus, nihil proſit.

DUBIUM I.

Quid ſit Contritio.

Unde cōtritio dicatur.

CONtritio quantum ad nominis etymologiam ſic appellatur per metaphoram deſumptam a rebus materialibus; ſiquidem conterere in materialibus eſt rem duram in partes minutas confringere: & caproper hæc vox. *Contritio*, per metaphoram tranſlata ad ſpiritualia, ſignificat actum illum quo cor humanum, planè obduratum, ac Deo per peccatum reſiſtens, emollitur atque conteritur: hinc ſicuti videmus corpora quædam dura; ut lapides, ligna, &c. ab agente fortiore comminui, & in pulveres redigi: ita quoque videmus aliquando peccatores, quantumvis obduratos, paulatim potentiſſimâ Dei gratiâ præventos, emolliri, omnemque peccati affectum deponere, ſeque ad obedientiam Deo in omnibus paratos exhibere; & corda eorum, antea ſaxis duriora, fieri mollia, ad inſtar ceræ.

Porro

Digitized by Google

Porro hujus metaphoræ uſus eſt valde frequens in Scriptura Sacra; unde David Pſalmo 50. ait, *cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Et Pſalm. 146. *qui ſanat contritos corde.* A qua etymologia procedendo ad definitionem contritionis.

Definitio contritionis. Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. definit eam hoc modo „ Contritio, eſt animi dolor ac „ deteſtatio de peccato commiſ„ ſo cum propoſito non peccan„ di de cætero. „ Quæ concidit cum hac, eſt animi dolor de peccato commiſſo propter Deum ſummè dilectum, cum propoſito non peccandi de cætero.

Petes, an contritio ſit eſſentialiter dolor animi, an vero deteſtatio ſeu diſplicentia peccatorum commiſſorum.

Contritio formaliter eſt dolor, non autem diſplicentia de peccatis. Reſp. eſſe eſſentialiter dolorem: quia pœnitere formaliter eſt dolere. 2. Quia in beatis eſt deteſtatio peccatorum commiſſorum, non tamen contritio ſeu dolor, cum ſint illius incapaces. Quia tamen dolor nequit eſſe ſine deteſtatione mali de quo doletur; (nam ſicuti ex amore alicujus boni, ſi præſens ſit, naſcitur gaudium, ita ex odio mali, ſi illud præſens ſit, oritur diſplicentia) ideo Conc. Trid. utriuſque meminit in definitione contritionis.

Petes, quare in definitione dicitur, *animi dolor.*

Reſp. ut ſignificetur ſubjectum illius; & ſciatur non eſſe dolorem ſeu paſſionem appetitûs ſenſitivi, ſed rationalis: Et quamvis ex redundantia partis ſuperioris oriatur nonnumquam paſſio illa in appetitu ſenſitivo, quæ dicitur dolor, quæ in tantùm eſt laudabilis in quantùm imperatur à recta voluntate, illa tamen ad veram contritionem non eſt neceſſaria, eò quod non ſit in poteſtate hominis peccata deteſtantis ejuſmodi dolorem, dum vult, in appetitu ſuo ſentivo excitare.

Petes, quomodo deteſtatio diſtinguatur ab ipſo dolore peccati.

Reſp. ſicut cauſa à ſuo ex effectu; nam deteſtatio eſt ipſa diſplicentia ſeu odium mali, ex quo oritur triſtitia ſeu dolor, eo modo, quo ex amore boni oritur gaudium. *In quo illa duo diſtinguantur.*

Petes, quomodo in hac definitione accipiatur peccatum.

Reſp. univerſaliter & formaliter; ita ut ſenſus ſit de quocumque peccato mortali, idque quatenus eſt actus repugnans ſummæ Dei bonitati. Ex quo ſequitur, quod ſicuti nequit unum peccatum mortale remitti ſine alio, ita quoque quod nemo

 poſſit

Digitized by Google

„ juſto fit juſtus & ex inimico „ Dei, amicus.

Probatur 5. quia nemo prudens arbitrabitur famulum rectè diſpoſitum ad impetrandam amicitiam heri ſui quem offendit, qui hoc modo peteret veniam: Doleo Domine quod te offenderim eò quod timeam à te puniri, cæterum de interiori tua erga me diſplicentia & injuria tibi facta non curo; ergo ſimiliter nemo prudens arbitrabitur peccatorem verè pœnitere de peccato ſuo qui ſub ſimili forma ſeſe habet erga Deum.

Denique probatur ex communi definitione contritionis quæ ſic ſe habet, Eſt dolor de peccato commiſſio cum propoſito non peccandi de cætero.

Dices Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4 ait „ attritionem quæ „ communiter concipitur vel ex „ conſideratione turpitudinis „ peccati vel ex gehennæ & „ pœnarũ metu, juſtificare pecca„ torem cum Sacramento pœni„ tentiæ, „ cum tamẽ hæc non oriatur ex amore Dei ſuper omnia.

Voluntas peccandi non excluditur ſine Dei amore ſuper omnia.

Reſp. neg. aſſumptum; nam ut hæc ſufficiat, requirit concilium dicto loco ut excludat voluntatem peccandi, quæ excludi non poteſt ſine amore Dei ſuper omnia: Præterea Conc. Trid nuſquam dicit ejuſmodi attritionem oriri ex ſolo pœnarum aut gehennæ metu.

Dices, ſi contritio eſſet actus charitatis, ſequeretur illam non poſſe elici ab habente habitum charitatis: quod tamen falſum eſt; nam peccator, qui tamen necdum eſt in charitate, illam poteſt elicere præventus divinâ gratiâ.

Reſp. actum dilectionis Dei ſuper omnia, & contritionem ex illa natam, poſſe elici ab homine cum auxilio ſupernaturali ſupplente habitum charitatis; adeoque etiam ab homine nondum juſtificato.

Petes, an contritio ſemper debeat elici ex formali amore Dei ſuper omnia; an verò nonnumquam ſufficiat virtualis.

Ad contritionem non ſemper requiritur formalis & reflexus Dei amor.

Reſp. nonnumquam ſufficere virtualem: quia experimur in nobis quod poſſimus terri per modum odii & deteſtationis in peccatum, quamvis formaliter non eliciamus aliquem poſitivum actum amoris Dei ſuper omnia: neque enim quidquam vetat quo minus poſſimus nobis repreſentare peccatum ut ſummè repugnans divinæ bonitati, quamvis actu expreſſo non cogitemus Deum ſuper omnia amandum. Ex quo patet quod amor Dei ſuper omnia virtualiter in ipſa contritione contineatur: nam

cum

Digitized by Google

eum hæc feratur in peccatum per modum odii & deteſtationis adeoque feratur in peccatum ſub eadem ratione formali ſub qua amor fertur in Deum, manifeſtum eſt amorem Dei ſuper omnia virtualiter in illa contineri: quod inde ulterius patet; quia, ut adhuc ſupra diximus, odium mali ſemper oritur ex amore boni iſti malo oppoſiti: & eapropter peccator eo ipſo quo deteſtatur peccatum tamquam repugnans ſummæ Dei bonitati, facit hoc ex amore Dei ſummè dilecti, utpote ex eodem motivo.

Dolor ex ſolo metu pœnarum oritur ex amore boni proprii.

Ex quo fundamento ſequitur; quod, ſi quis deteſtetur aliquod peccatum ſolum ob metum gehennæ, quod dolor iſte tantum oriatur ex amore boni creati, quo pœna gehennæ privat; quod bonum creatum, ſicuti & ejus amor, non poteſt rectificare voluntatem; eò quod per illum amorem peccator ſeſe non convertat ad Deum, ſed ultimatè ſiſtat in ſemetipſo, & in commodo ſuo proprio, nempe ut ſibi bene ſit.

Ad contritionem requiritur propoſitum vitandi peccata.

Petes, an propoſitum peccandi de cætero, quod includitur in contritione, debeat eſſe expreſſum & formale: an vero ſufficiat virtuale & implicitum.

Reſp. cum dinſtinctione: & dico, ſi peccata intellectui objiciatur ut impoſterum vitanda, tunc requiritur propoſitum expreſſum & formale: nam moraliter loquendo non poteſt eſſe vera contritio niſi quis velit vitam ſuam emendare, adeoque peccata ſua impoſterum vitare; eodem modo ſicuti ſi Deus menti objiciatur ut hic & nunc amandus, neceſſariò ejuſmodi amor eſt hic & nunc eliciendus, ut peccator dolens de peccatis, cenſeatur habere veram contritionem: amor autem Dei ſuper omnia nequit intelligi ſine propoſito ſervandi omnia Dei mandata ſi illa menti objiciantur: neque enim præſumi poteſt aliquem diligere Deum ſuper omnia, qui habens actualem memoriam peccati contra Deum commiſſi, non ſtatim aliquo actu moveatur ad ejuſmodi peccatum deteſtandum; nam ſi amor ſit verus, erit efficax; adeoque movebit voluntatem ad dolendum de eo quod amato diſplicet, ejuſque amicitiam diſſolvit.

An & quandonam illud debeat eſſe expreſſum & formale.

Quod confirmatur, quia inter homines ut filius v. g. reconcilietur patri, non ſufficit ſi doleat de injuria patri illata, ſed inſuper requiritur ut proponat illam non amplius inferre: & eapropter primùm quod filio, lumine naturæ dictante, occurrit faciendum poſt oſtenſum

ſum dolorem, eſt, ut dicat, non faciam ampliùs: quod ſi ſponte non dicat, ad hoc pœnis & virgis adigitur; ergo ſimiliter ratio noſtra naturalis inſtructa lumine fidei dictat ad reconciliationem cum Deo requiri propoſitum non ampliùs peccandi, ſi nempe peccata occurrant ut impoſterum vitanda: ſiquidem, ut ex dictis patet, hoc propoſitum eſt unum ex illis quæ perſonam offenſam inducunt ad ignoſcendum delinquenti.

Sufficit quandoque virtuale tantùm propoſitum.

Quod ſi tamen ejuſmodi cogitatio, qua peccata repræſentantur tamquam hic & nunc vitanda, non occurrat, tunc ſufficit propoſitum virtuale, incluſum in ſerio dolore peccatorum: ut v. g. ſi quis ſit occupatus in examinanda vita præterita, eaque deteſtanda, vel in excitando ſe in amore Dei ſuper omnia, & aliud non cogitet.

Quod probatur: quia quando peccator non habet memoriam peccati mortalis à ſe commiſſi, tunc ad illius remiſſionem ſufficit dolor virtualis incluſus in actu amoris Dei ſuper omnia; eò quod tunc ſit impoſſibilis actualis diſplicentia de illis peccatis, de quibus non eſt actualis recordatio; ergo ſimiliter quando peccata non occurrunt ut impoſterum vitanda, ſufficit propoſitum virtuale, incluſum in ſerio dolore de peccatis: nam ſi quandoque ſufficiat pœnitentia virtualis, cur etiam quandoque non ſufficiet propoſitum virtuale? Præterea contritio non accipit vim juſtificandi præcisè ex propoſito emendationis, ſed ex eo quod perfectè repugnet peccato, quatenus opponitur ſummæ Dei bonitati.

Cur ad validitatem Sacramenti potiùs requiratur expreſſus dolor, quàm expreſſum propoſitum.

Dices Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. eodem modo requirit propoſitum impoſterum cavendi peccata, ſicut requirit dolorem; ſed ad Sacramentum pœnitentiæ requirit dolorem formalem & expreſſum; ergo ſimiliter requirit expreſſum propoſitum.

Reſp. neg. conſequentiam: cujus ratio eſt, quia quandoque poteſt reperiri vera & formalis contritio ſine hoc expreſſo propoſito; nempe quando peccata non occurrunt ut impoſterum vitanda, ut ſupra diximus: Sacramentum verò pœnitentiæ ſubſiſtere non poteſt, ſine expreſſo dolore, eò quod ad conficienda Sacramenta, requiratur illa materia, quam Chriſtus inſtituit; qui pro Sacramento pœnitentiæ inſtituit dolorem formalem: ut conſtat tam ex Conc. Flor. quam Trid. quæ dum aſſignant partes eſſentiales hujus Sacramenti, aſſignant dolorem formalem.

Digitized by Google

Inſuper ſi ſufficeret dolor virtualis pro Sacramento pœnitentiæ, ſufficeret quoque vinum virtuale & panis virtualis, pro Sacramento Euchariſtiæ; ſed hoc eſt falſum ergo.

Petes, an ergo nullus virtualis dolor ſufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ.

Dolor de peccatis duobus modis dici poteſt eſſe virtualis.

Reſp. dolorem dupliciter denominari virtualem 1. ut ſit ille qui actu tranſit, ſed manet adhuc virtute: & talis ſufficit ad Sacramentum pœnitentiæ: cum enim illud Sacramentum ſit compoſitum morale, ſufficit inter ejus partes conjunctio moralis: unde dum quis mane examinans conſcientiam elicit contritionem cum propoſito peccata ſua confitendi, valida erit confeſſio aliquot horis poſt inſtituta, ex vi doloris ante habiti, eſto quis tunc nullum contritionis actum eliciat.

Et quo ſenſu dolor virtualis ſufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ.

2. Amor Dei ſuper omnia appellatur virtualis dolor, eò quod is qui amat Deum ſuper omnia, deteſtetur omne mortale quod diſplicet objecto ſuper omnia amato, & talis virtualis contritio non ſufficit; eò quod non ſit talis materia quam Chriſtus inſtituit, & quam S. S. Patres requirunt ad Sacramenti valorem.

Quod ſi quis tamen in mortali exiſtens accedat, ad Sacramentum pœnitentiæ, cum ſolo actu amoris Dei ſuper omnia, idque bonâ fide, poterit excuſari à mortali; qui tamen non ſuſcipiet Sacramentum pœnitentiæ.

Petes an ut quis habeat ſerium propoſitum impoſterum vitandi peccata, requiratur ut poſitivè judicet ſe non ampliùs peccaturum.

Ut quis habeat verum propoſitum non requiritur ut judicet ſe nunquã ampliùs peccaturum.

Reſp. negat. ſed ſufficit quod verè proponat, quantum in ſe eſt, illa impoſterum vitare; qui actus bene poteſt conſiſtere cum judicio probabili, quod reincidet: & ideo peccator qui ob inveteratam peccandi conſuetudinem, timet ſe denuo paſſurum recidivam, poteſt legitimè diſponi ad abſolutionem, dummodo habeat efficax emendationis propoſitum.

Petes, an votum ſeu propoſitum confitendi, & ſatisfaciendi, ſit neceſſarium ad veram contritionem.

Reſp. contritionem dupliciter poſſe ſpectari, & primò quidem prout exercebatur in lege naturæ, & veteri. 2. Prout de facto exercetur in lege nova & gratiæ: priori modo illa non continebat in ſe ejuſmodi propoſitum confitendi & ſatisfaciendi: ſecus verò ſi ſpectetur ſecundo modo: prout patet ex Conc. Trid.

Ad contritionem in l. n. requiritur propoſitum confitendi

Digitized by Google

& ſatisfaciendi, non ſic in lege veteri.

Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi dicitur „ quod contritio in homine „ lapſo poſt baptiſmum ita de„ mum præparat ad remiſſionem „ peccatorum, ſi cum fiducia di„ vinæ miſericordiæ, & voto „ præſtandi reliqua ſit conjun„ cta „ : & infra dicitur, contritionem includere votum Sacramenti ſuſcipiendi. Hinc plerique Doctores particulas ſupra recenſitas, nempe *cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi*, paſſim addunt in definitione Contritionis, eò quod definiant contritionem prout de facto in nova lege exercetur.

Motivum contritionis poteſt eſſe quodlibet Dei attributum, cui peccatum repugnat.

Petes, an eſſet actus contritionis ſi quis doleret de peccato quatenus eſt contra Dei juſtitiam, immutabilitatem, aut quodvis aliud attributum.

Reſp. Affirmat. quia, niſi ſit quæſtio de nomine, eſto objectum formale charitatis, ex quo elicitur contritio, ſit Dei bonitas, tamen per illam debet intelligi quælibet Dei perfectio, ſeu quodlibet ejus attributum, utpote cum quodlibet reddat Deum propter ſe, & ſuper omnia amabilem.

DUBIUM III.

De diverſis gradibus amoris Dei ex quibus oritur dolor de peccatis.

PRæmittendum, varios divini amoris ſeu charitatis gradus a S. S. Patribus aſſignari, præſertim à S. Auguſtino; ſecundùm quem, imprimis alia eſt charitas inchoata, alia provecta, alia perfecta.

Varii gradus charitatis a ſtualis.

Charitas inchoata ſecundùm ipſum, inchoata juſtitia eſt, charitas provecta, provecta juſtitia eſt, charitas magna, magna juſtitia eſt, perfecta charitas perfecta juſtitia eſt, ut ait lib. de natura & grat. cap. 70.

Qui rurſus Tr. 5. in Ep. Joan. dividit charitatem in natam, nutritam, adultam, robuſtam & perfectam: ſic enim ibidem ait „ numquid mox ut naſcitur charitas, prorſus perfecta eſt? ut „ perficiatur naſcitur; cum fuerit „ nata, nutritur; cum fuerit nu„ trita, roboratur; cum fuerit „ roborata, perficitur; cum ad „ perfectionem venerit, quid „ erit? *mihi vivere Chriſtus eſt & mori lucrum.* „ Item, *optabam diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.*

Præterea idem S. Aug. dividit charitatem, ſeu amorem Dei ſuper omni, in afficientem & ef-

Digitized by Google

cientem, id eſt in eam quæ in ſolo affectu talis eſt, & in illam quæ viribus & affectu etiam talis eſt: de qua diviſione lib. de gratia & lib. arbitr. ſic ait „qui vult facere „ Dei mandatum, & non poteſt, „ jam quidem habet voluntatem „ bonam, ſed adhuc parvam & „ invalidam : poterit autem „ cum magnam habuerit & ro- „ buſtam. Quando enim Mar- „ tyres magna illa mandata fece- „ runt, magnâ utique voluntate, „ hoc eſt magnâ charitate fece- „ runt : de qua charitate ipſe „ Dominus ait *majorem, hâc, chari-* „ *tatem nemo habet, quam ut animam* „ *ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* „ Illam nondum habebat Apo- „ ſtolus Petrus, quando timore „ ter Dominum negavit : & ta- „ men, quamvis parva & imper- „ fecta, non deerat quando dice- „ bat Domino, *animam meam pro* „ *te ponam*; putabat ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat „ qui item lib. 8. Confeſſ. cap. 5. ſic ait „ vo- „ luntas nova, quæ mihi eſſe cœ- „ perat, ut te gratis colerem, „ fruique te vellem, Deus, ſola „ certa jucunditas, nondum erat „ idonea ad ſuperandam priorem, „ vetuſtate roboratam.

Quid charitas afficiens, & efficiens. Ex quibus colligitur quod illa ſit dilectio Dei ſuper omnia afficiens ſeu ſolo affectu, quâ Dei mandatis per omnia volumus obedire, & mori, potiùs quàm illa prævaricari, quamvis tentationum ſuperandarum vires necdum ſuppetant, qualem habebat S. Petrus in ultima cœna cum ſponderet Domino, ſe in carcerem & mortem iturum: ſed quàm debilis, infirma, & ſine viribus illa fuerit, patuit paulò poſt ex interrogatione unius ancillæ, ad cujus vocem ipſe Dominum ſuum negavit.

Denique dividitur charitas in perfectam & imperfectam: perfecta eſt quæ patienter vivit & delectabiliter moritur, ut ait S. Auguſt. & quæ ſe ſolâ, excludit omnem illum inordinatum affectum, quo quis inhæret creaturæ; cujus vox eſt *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti.* Imperfecta eſt illa quæ non eſt talis.

DUBIUM IV.

An quævis Contritio, ex quocumque divini amoris gradu elicita, habeat conjunctam remiſſionem peccatorum, extra Sacramentum Pœnitentiæ.

Sententia quorundam aſſerentium quemli- RESP. ſic multos ſentire, nempe quòd, quandocumque adeſt vera contritio, eo ipſo remittantur peccata, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ: & ajunt

Digitized by Google

bet Dei amorem juſtificare, etiam extra Sacramentum.

aiunt hanc ſententiam ita eſſe certam, ut oppoſitam exiſtiment parum tutam: & hi quidem tam latè accipiunt charitatem perfectam, ut omnem dolorem de peccatis, elicitum propter Deum ſummè dilectum, eſto etiam maximè remiſſum, appellent charitate perfectum: unde Vaſquez diſp. 152. cap. 1. in 3. Partem ait, totam Scholam Theologorum ex verbis Ezechielis cap. 18. indubitanter credidiſſe, illam contritionem ſufficere, ad remiſſionem peccatorum, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ. Quo præmiſſo.

Dolor de peccatis ex ſolo amore concupiſcentiæ non ſufficit ad juſtificationem.

Dico 1. dolor ortus ex ſolo amore concupiſcentiæ nequidē cum Sacramento ſufficit ad juſtificationem: ratio eſt quia per illum non convertimus nos ultimatè ad Deum, ſed ad nosmetipſos, aut ad proprium commodum v. g. dolendo de peccatis ut per hoc evadamus malum pœnæ; cum tamen verus amoris ordo poſtulet omnia ultimatè referri in Deum: inſuper quia ejuſmodi dolor ad ſummum eſt actus ſpei quo ad ſubſtantiam, cum quo nihil vetat poſſe conſiſtere aliquod peccatum mortale; prout & cum ipſa ſpe.

Non omnis dolor ex amore Dei procedens, ſufficit cum Sacramento, ad juſtificationem.

Dico 2. non omnis dolor de peccatis ortus ex amore Dei propter ſe, ſufficit cum Sacramento Pœnitentiæ, qualis eſt dolor inefficax ortus ex amore complacentiæ erga Deum; qualem in Tract. de Gratia diximus frequenter habere peccatores, qui nonnumquam Deo piè & benè afficiuntur, ita ut non poſſint perferre blaſphemias, perjuria, aut alias injurias Deo illatas; qui interim ſtabiliter hærent in cæno luxuriæ, aut alio quocumque peccato mortali.

Contritio ex amore Dei ſuper omnia, non ſemper juſtificat, extra Sacramentum.

Dico 3. non quævis vera contritio, orta ex amore Dei ſuper omnia, ſemper habet conjunctam remiſſionem peccatorum, extra Sacramentum Pœnitentiæ.

Quod probatur 1. ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. in quo Concilium agnoſcit veram contritionem, attamen imperfectam, quæ per ſe nequit juſtificare ſine Sacramento.

Probatur 2. quia Magdalena, quantumvis multùm contrita, non priùs accepit veniam ſuorum peccatorum, quàm dum audivit *remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.*

Probatur 3. quicumque pœnitet ſicut oportet, eſt verè contritus; ſed peccator per Dei gratiam poteſt pœnitere prout oportet, & quidem priùs tempore quam juſtificetur; ergo poteſt eſſe contritus, & non habere remiſſionem peccatorum: quod

 patet

Digitized by Google

patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 3. ubi ſic ait „ Si quis dixe- „ rit ſine prævenienti Spiritus S. inſpiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.

4. Cathecumeni diſponuntur ad baptiſmum, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. dum Deum, tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata, per odium aliquod aut deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet; qui proinde tunc habent contritionem, & tamen non juſtificantur, niſi ut ait Trid. cap. 7. mediante baptiſmo..

5. Quia S. Paulus in admirabili ſua converſione, fuit verè contritus - & tamen non tunc, ſed poſtmodum in baptiſmo, conſecutus eſt remiſſionem ſuorum peccatorum: prout patet Actor. 22. ubi dicitur illi. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.*

6. Ex S. Auguſt. Epiſt. 180. ubi loquens de populo Sacramenta petente tempore perſecutionis hoſtilis, ſic ait, „ Si mini- „ ſtri deſint, quantum exitium „ ſequitur eos qui de illo ſæcu- „ lo, vel non regenerati exeunt, vel ligati „: quæ certe compaſſio videtur ſuperflua, ſi contritio ordinariè habeat conjunctam remiſſionem peccatorum extra Sacramentum; cum tamen ibidem loquatur de hominibus baptiſmum petentibus inſtanter, & ante illum ſuſceptum defunctis.

Eodem modo loquitur S Leo magnus Papa, Epiſt. 91. dum ait „ non eſt neceſſe nos eorum „ qui ſic obierunt, merita actus- " que diſcutere, cum Dominus " Deus ipſe, cujus judicia ne- " queunt comprehendi, quod Sa- " cerdotale miniſterium implere " non potuit, ſuæ juſtitiæ reſerva- " verit; ita poteſtatem ſuam ti- " meri volens, ut hic error omni- " bus proſit, & quod quibuſdam " tepidis aut negligentibus acci- " dit nemo non metuat; multùm " enim utile & neceſſarium eſt " ut peccatorum reatus, ante ul- " timum diem, ſacerdotali ſup- " plicatione ſolvatur.

7. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. & 11. ubi teſtatur hoc habere eccleſiaſticam conſuetudinem, ut nemo ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione, habitâ copia Confeſſarii ad S. Euchariſtiam accedat: quod proinde

proinde ſentit, pœnitentem ordinariè non conſequi remiſſionem peccatorum, ante ſacramentalem abſolutionem: nam ſi ordinariè id fieret, non malè faceret is qui ſentiens magnum contritionis motum, abſque confeſſione S. Euchariſtiam ſuſciperet.

8. Ex ſtatutis Eccleſiæ Attrebatenſis Tit. de Pœnit. quæ ſic habent ,, ubi neceſſitas, non ,, contemptus, excludit confeſſio- ,, nem ſufficiet ſola contritio ad ,, expiationem peccati ...... aliàs ,, verò contritio non ſufficeret, ex ,, quo poſt contritionē haberetur ,, tempus opportunū confitendi.

9 Ex Catechiſmo Rom. qui docet, eſſe pauciſſimos, qui per contritionem, ante ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ, peccatorum ſuorum veniam conſequantur.

Huc denique faciunt omnia argumenta quibus probatur neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ.

Dices, contritio eſt actus charitatis; ſed charitas non conſiſtit cum peccato mortali, ergo nec contritio.

Reſp. diſtinguendo aſſumptum: & dico duplicem eſſe charitatem; unam nempe habitualem, alteram actualem; prima facit formaliter amicum Dei, nec ſecum compatitur peccatum mortale; poſterior verò eſt actus voluntatis quo Deus diligitur ſuper omnia; qui poteſt conſiſtere cum peccato mortali; ut patet exemplo Magdalenæ ante dicto, & ſequitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 9. ubi ait ,, Quod Deus amorem ſui priùs inſpirat ut poſtea juſtificationis gratiam infundat ,, : porro contritio in peccatore eſt actus *charitatis* actualis. non verò habitualis.

Inſuper Patres Conc. Trid. teſte Card. Pallavicino lib. 8. cap. 14. hiſt. Conc. Trid. agnoſcunt charitatem non juſtificantem, cap. 6. ſeſſ. 6. ſcilicet illam quæ diſpoſitivè ſolum concurrit ad juſtificationem: aliam verò juſtitiam, quæ ſcilicet ſit habitualis, ſitque ipſa forma juſtitiæ.

Dices Scriptura S. Ezechiel. 18. ait; *impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit.* 2. Nathan quamprimum advertit in Davide contritionem, dixit, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.

Reſp. ad primum: & Dico quod impietas non nocebit peccatori contrito; quia, licet peccata necdum ſint illi remiſſa, tamen ad eorum remiſſionem eſt propinqua diſpoſitio, quæ & ſupplet defectum Sacramenti ſi ſic moriatur. Ad ſecundum dico id quod accidit Davidi, non accidere omnibus.

Dices,

Digitized by Google

Dices, Conc. Trid permittit Sacerdotem, exiſtentem in peccato mortali, celebrare præviâ contritione, dum deeſt copia Confeſſarii; ergo ſupponit juſtificatum per contritionem.

Reſp. negando conſequentiam: ſed per hoc ſolùm declarat quod ejuſmodi peccator excuſetur à novo peccato, dum celebrat: quamquam & dici poſſet, quod per S. communionem junctam cum contritione, tunc juſtificetur, & Euchariſtia tunc per accidens conferat primam gratiam.

Dices dantur ſæpe indulgentiæ iis qui ſunt contriti; ergo Eccleſia ſupponit contritionem remittere peccata ante confeſſionem.

Reſp. negando conſequentiam nam opus ad indulgentiam lucrandam requiſitum, poteſt fieri à pœnitente necdum reconciliato, dummodo reconcilietur fiatque amicus Dei pro eo tempore quo indulgentia debet percipi.

DUBIUM V.

An contritio charitate perfecta, ſemper extra Sacramentum juſtificet.

AD evitandas omnes contentiones quæ quandoque inſtituuntur magis ſuper diverſa acceptione vocum quàm rerum.

Quid intelligendum per contritionem charitate perfectam.

Prænotare oportet Contritionem charitate perfectam à diverſis diverſimodè accipi: aliqui enim talem appellant eam omnem quæ eſt eſſentialiter talis; ſive omnem contritionem, utpote elicitam ex amore Dei ſuper omnia dilecti. Alii verò, quibuscum & nos ſentimus, illam ſolam contritionem appellant charitate perfectam, quæ oritur ex amore Dei perfecto; ille verò talis eſt quem quis habens, ut ait S. Auguſt. patienter vivit, & delectabiliter moritur; & quo in ſe extinguit omnem affixivum affectum creaturarum.

Porro quomodò ſucceſſivè & per gradus ad ejuſmodi perfectum amorem aſcendatur, pulchrè demonſtrat S. Aug. Tract. 5. in Epiſt. S. Joann. hiſce verbis „numquid mox ut naſcitur charitas, jam perfecta eſt; ut perficiatur, naſcitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? *mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* talem perfectam charitatem habuerunt S. S. Martyres, inquit S. Auguſt. lib. de nat. & grat. cap. 70. qui cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis

ſuis vicerunt hunc mundum, talem charitatem habebat Apoſtolus ad Roman. 9. cum diceret: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia, an fames* &c. Qualem necdum habebat S. Petrus, dum Joannis 13. diceret. *Etiamſi oportuerit me mori tecum, te non negabo*: Quod ex effectu patuit, dum ad vilis ancillæ vocem, idque ex amore proprio, Deum ſuum negavit. Quibus præſuppoſitis.

Dico 1. contritio charitate perfecta priori modo, nullatenus ſemper extra Sacramentum Pœnitentiæ juſtificat, prout fuſè & latè probavimus Dubio præcedenti.

Dico 2. contritio charitate perfecta ſecundo modo, ſemper extra Sacramentum Pœnitentiæ juſtificat.

Quanā contritio charitate perfecta, ſemper juſtificet, ante Sacramentum.

Probatur 1. quia Synodus Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. diſertè affirmat dari contritionem charitate perfectam quæ hominem juſtificat priuſquam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur: ſed hoc intelligi non poteſt de contritione perfecta priori modo & latè ſumpta; quia expreſsè dicit perfectionem illam non omni contritioni competere, cum tamen omnis amorem Dei ſuper omnia includat, ſaltem affectu, ſi non effectu; ergo hoc intelligi debet de charitate perfecta, hoc ſecundo modo ſumpta.

Quinā amor Dei ſuper omnia ſit charitas perfecta.

Probatur 2. ex S. Auguſt. qui comment. in Pſalm. 6. prout & aliis locis, diſtinguit duplicem cordis converſionem ad Deum, ſeu contritionem; unam ſcilicet quæ animam eruit ab omni affixiva rerum cupiditate; & hanc ſolam vocat converſionem perfectam, quamque ait oriri ex perfecta charitate, dum Tract. 9. ſuper Epiſt. Joann. ſic ait, „perfecta charitas perfectam facit „juſtitiam, & non habet quare „timeat, imo habet quare deſideret, ut tranſeat iniquitas „& veniat regnum Dei„: quouſque anima ad iſtum gradum contritionis non pervenerit, quamvis gemebunda & plangens ad remiſſionem peccatorum acceſſerit, illam tamen nondum obtinet.

Probatur 3. ex Catechiſmo Concil. Trid. parte 2. cap. 5. in hæc verba, „ut concedamus „contritione peccata deleri, quis „ignorat illam adeo vehementem, acrem, intenſam eſſe „oportere, ut doloris acerbitas „cum ſcelerum magnitudine „adæquari conferrique poſſit: „at, cum pauci ad hunc gradum „perveniunt, fiebat etiam ut à „pauciſſimis hac via peccatorum

„ venia ſperanda eſſet: quare „ neceſſe fuit ut clementiſſimus „ Dominus faciliori ratione „ communi hominum ſaluti con- „ ſuleret, quod quidem admi- „ rabili conſilio fecit, cum cla- „ ves regni cæleſtis, Eccleſiæ „ tradidit.

Probatur 4. quia Pius V. diverſos articulos damnavit, aſſerentes perfectam contritionem ſine peccatorum remiſſione poſſe conſiſtere, & inter cæteros, hos duos, „ charitas perfecta & „ ſyncera quæ eſt ex corde pu- „ ro & conſcientiâ bonâ & fide „ non fictâ, tam in Cathecume- „ nis quam peccatoribus, poteſt „ eſſe ſine remiſſione peccato- „ rum. „ Item hunc „ charitas „ illa, quæ eſt plenitudo legis „ non eſt ſemper conjuncta cum „ remiſſione peccatorum.

Probatur 5. ex omnibus Scripturis quæ peccatori ex toto corde ſe convertenti promittunt remiſſionem peccatorum, prout habetur Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro* &c. Item Deut. 4 *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.*

Probatur 6. quia contritio charitate perfecta per ſe habuit vim remittendi peccata in veteri lege, quippè cum adultis tunc nullum aliud ſupereſſet medium conſequendi peccatorum remiſſionem; ergo & eadem habet hanc vim in nova lege.

Petes, an hujuſmodi contritio charitate perfecta etiam juſtificet peccatorem dum ſubeſt commoditas ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.

Contritio perfecta juſtificat abſque Sacramento etiam dum illud haberi poteſt.

Reſp. affirmativè; & probatur ex rationibus ſupra allegatis.

Dices, Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4 ait, „ ipſam reconcilia- „ tionem contritioni ſine Sacra- „ menti voto non eſſe adſcriben- „ dam, „ ſed qui non ſuſcipit Sacramentum dum poteſt non cenſetur habere illius votum.

Non tamen juſtificat ſine voto Sacramenti.

Reſp negando ſubſumptum, ſufficit enim quod ejuſmodi votum ſeu deſiderium habeat eo tempore, quo obligatur Sacramentum ſuſcipere; quod ſi quis tunc negligat, non juſtificabitur per contritionem, quippe qui hoc ipſo peccabit. Adeoque tali caſu non habebit veram contritionem.

Petes, an contritio imperfecta ſe ſola extra ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ quandoque juſtificet.

Contritio imperfecta juſtificat quandoque ſine Sacramento.

Reſp. affirmativè; & quidem quod id præſtet in mortis articulo, communis eſt Eccleſiæ ſenſus, Deo per miſericordiam ſuam ſupplente defectum Sacramenti:

menti: unde Innocentius III. interrogatus ſuper quodam, ſine Baptiſmo defuncto, qui tamen in fide Eccleſiæ & confeſſione nominis Chriſti perſeveraverat, an eſſet ab Originali culpa ſolutus & cæleſtis gloriæ gaudia adeptus? Reſpondit affirmativè; Ita quoque loquitur S. Bernardus in Medit. cap. 9. „ſi forte „peccator verè pœniteat, ſed „interveniente articulo neceſſitatis, ad confeſſionem venire „non poſſit, confidenter credere debemus quod ſummus ſacerdos ſuppleat in eo, quod „mortalis non potuit.

In caſu neceſſitatis.

Interim tamen diverſi antiqui Patres in hoc puncto hæſitarunt: unde & illud reliquerunt Dei judicio, nihil certi audentes definire, inter quos S. Leo Epiſt. 19. ſic ait, „non neceſſe eſt nos eorum qui ſic obierunt, merita „actuſque diſcutere; cum Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, „quod ſacerdotale miniſterium „implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit; ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut „hic terror omnibus proſit, & „quod quibuſdam tepidis aut „negligentibus accidit, nemo „non metuat; multum enim „utile ac neceſſarium eſt ut peccatorum reatus ante ultimum „diem, ſacerdotali ſupplicatione „ſolvatur.

Ex quo colligitur quantopere Paſtores debeant eſſe ſolliciti tam pro ſe, quam pro ſubditis, ne ſine ſuſceptione Sacramentorum ex hac vita emigrent.

Petes, an extra mortis articulum contritio imperfecta nonnumquam juſtificet.

Et etiam extra caſum periculi mortis.

Reſp. affirmativè; ſic enim in veteri lege David cum imperfecta contritione putatur fuiſſe juſtificatus: item Maria Magdalena, Latro in Cruce, Cornelius Centurio, & alii, Deo hoc illis privilegium largiente qui non alligatur Sacramentis.

Dices Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 4. docet ſine Sacramento Pœnitentiæ contritionem imperfectam non poſſe perducere peccatorem ad juſtificationem.

Reſp. id eſſe verum ordinariè & per ſe loquendo; cum quo bene conſiſtit hoc poſſe per accidens fieri, Deo diſpenſante.

DUBIUM VI.

An dolor ſufficiens & requiſitus ad remiſſionem peccatorum ſit ſola contritio præcedens ex amore Dei ſuper omnia.

Dolor requiſitus

Reſp. affirmativè; probatur 1. ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap 6.

& ſuffi-cient ad remiſſionem peccatorum, debet eſſe ex amore Dei ſuper omnia dilecti.

cap. 6. ubi agens de dolore requiſito ad baptiſmum, ait, illum debere procedere ex amore Dei tamquā omnis juſtitiæ fontis, ſive ex amore Dei ſuper omnia; quippe qui debeat excludere voluntatem peccandi: quod ſi talis dolor requiratur ad impetrandam gratiam baptiſmi, multò magis ille requiretur ad conſequendam remiſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ; quia longè major debet eſſe pœnitentia poſt baptiſmum ſuſcepta, quam ante: ut docet Conc. Tridt. ſeſſ. 14. c. 2. dicens ,, per baptiſmum Chriſtum in- ,, duentes, nova prorſus in il- ,, lo efficimur creatura, plenam & ,, integram peccatorum omnium ,, remiſſionem conſequentes: ad ,, quam tamen novitatem & in- ,, tegritatem per Sacramentum ,, Pœnitentiæ, ſine magnis no- ,, ſtris fletibus & laboribus, di- ,, vinâ id exigente juſtitiâ, per- ,, venire nequaquam poſſumus: ,, ut meritò pœnitentia laborioſus ,, quidam baptiſmus à SS. Patri- ,, bus dictus fuerit.

Voluntas peccandi non excluditur niſi per amorem Dei ſuper omnia.

Probatur 2. ex alio loco Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ad Sacramentum Pœnitentiæ requirit dolorem excludentem voluntatem peccandi; quæ voluntas non poteſt excludi ſine amore Dei ſuper omnia; & conſequenter ſine vera contritione.

Subſumptum probatur ex S. Auguſt. lib. 2. contra adverſarium legis & Proph. c. 7. ubi ait, ,, deſiderium peccandi non ex- ,, tinguitur niſi contrario deſide- ,, rio rectè faciendi. ,, Quod non habetur ſine amore juſtitiæ; quippe cum illud requirat fidem per dilectionem operantem. Fundamentum illius eſt, quod omne odium ſeu diſplicentia mali, ut ſupra diximus, fundetur in amore boni oppoſiti: ac eapropter diſplicentia peccati, ut peccatum eſt, ſeu ut eſt offenſa divinæ bonitatis, oritur ex amore divinæ bonitatis.

Non poteſt haberi odiū peccati ut eſt offenſa Dei niſi ex amore Dei.

Probatur 3. ex eodem cap. 4. Concil. Trident. ſeſſ. 14. ubi ait, ,, contritio, quæ primum locum ,, inter dictos pœnitentis actus ,, habet, animi dolor ac dete- ,, ſtatio eſt, de peccato commiſ- ,, ſo, cum propoſito non pec- ,, candi de cætero: ,, & addit, ,, fuit autem quovis tempore, ad ,, impetrandam veniam peccato- ,, rum, hic contritionis motus ne- ,, ceſſarius; ,, ergo & nunc quoque eſt neceſſarius in Sacramento Pœnitentiæ.

Probatur 4. ex S. Auguſtin. ſerm. 7. de diverſis, dicente, ,, pœnitentiam certam non fa- ,, cit niſi amor Dei, & odium ,, peccati.

Pro-

d by Google

Probatur 5. ex S. Thoma 3. parte quæſt. 86. art. 3. ubi expreſsè, ad rationem veræ pœnitentiæ requirit, quod peccatum debeat diſplicere, quia eſt contra Deum ſummè dilectum.

Voluntas non convertit ſe ad Deũ ſine charitate.

Probatur 6. quia per quodlibet peccatum mortale peccator ſeſe omnimodè avertit à Deo tamquam ultimo ſuo fine, ad creaturam tamquam ad ultimum finem; ſed hæc averſio à Deo tolli non poteſt niſi per converſionem ad Deum; quæ converſio ad Deum cum diſplicentia peccati non eſt aliud quam contritio; ergo. Probatur ſubſumptum, quia ſi converſio fiat ad aliquid aliud, erit vana in ordine ad juſtificationem, eò quod *in Chriſto Jeſu ſola fides valeat, quæ per dilectionem operatur*, pro ut habetur ad Galat. cap. 5.

7. Vera pœnitentia averſatur peccatum prout eſt offenſa Dei; ſed in illa diſplicentia peccati prout eſt offenſa Dei, includitur inſeparabiliter amor Dei ſuper omnia; ergo vera pœnitentia debet eſſe contritio. Quod confirmatur, quia diſplicentia peccati prout eſt offenſa Dei, non eſt aliud, quam deteſtatio illius quatenus opponitur ſummæ Dei bonitati.

8. Quia ſoli peccatori ſeſe ad Deum *ex toto corde* convertenti, promittitur peccatorum remiſſio, ut patet ex pluribus S. Scripturæ locis, ſignanter Ezech. 18. & Deut. 4. porro qui ſolùm ſerviliter eſt contritus, non convertit ſe ad Deum, ſed ad ſe ipſum, utpote ſiſtens in ſemetipſo, quia ut ante dictum eſt, timor ſervilis oritur ex amore proprio. Ergo.

Dices, Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. ait, „eam attritionem, „quæ, vel ex turpitudinis pec„cati conſideratione, vel ex ge„hennæ & pœnarum metu con„cipitur, eſſe cum Sacramen„to pœnitentiæ ſufficientem „ad remiſſionem peccatorum;„ ergo non requiritur contritio.

Concil. Trident. non docet attritionem ſervilem ſufficere cum Sacramento juſtificationi.

Reſp. negando conſequentiam; & pro majori claritate Notare debent Tyrones Theologi, ne alioqui per vocem, *attritio*, decipiantur, duplicem eſſe attritionem, unam ſcilicet ſervilem, alteram filialem, quæ vocatur contritio imperfecta: Prima oritur ex puro metu pœnarum; Secunda vero oritur ex amore initiali, ſcilicet ex amore Dei ſuper omnia, juncto ſimul metu pœnarum tamquam causâ impulſivâ. Attritio ſervilis nullatenus ſufficit ad remiſſionem peccatorum, in Sacramento Pœnitentiæ, eò quod non excludat

 volun-

Digitized by Google

voluntatem peccandi, prout hoc latè deduximus in materia de Actibus Humanis, tract 6. q 2. dub. 2. Altera vero attritio quæ adjunctum habet motivum timoris eſt veri nominis contritio, ſed imperfecta; & hæc ſufficit cum Sacramento Pœnitentiæ, utpote excludens voluntatem peccandi: & de hac loquitur Conc. Trid. dum ait, „ illam ſufficere „ cum Sacramento Pœnitentiæ.

Quod confirmatur, quia idem Conc. cap. 6. ſeſſ. 14. „ tradit „ pœnitentem non debere adeo „ de ſua ipſius fide blandiri, ut „ etiamſi nulla ei adſit contritio, „ putet tamen ſe propter ſolam „ ſuam fidem verè & abſolutè „ coram Deo eſſe abſolutum. Ex quo ſequitur quod ſi deſit contritio, vel ſacerdoti voluntas abſolvendi, abſolutio erit nulla.

Sed requirit veram contritionem.

„ Præterea dicto cap. 4. ſeſſ. 14. „ dicitur, hunc contritionis motum (de quo toto illo capite „ egit) omni tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuiſſe neceſſarium, qui „ & talis fuit, ut eo utiliter „ concuſſi Ninivitæ ad Jonæ „ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, „ & miſericordiam à Deo impetrarunt: „ qui dolor profectò non potuit fuiſſe attritio ſervilis, cum ille ſe ſolo numquā ſufficerit extra Sacramentum Pœnitentiæ, ad remiſſionem peccatorum obtinendam, concedentibus id ipſum adverſariis: & eapropter Concil. toto illo capite agit de dolore qui ſit vera contritio, quam in initio capitis definit eſſe dolorem animi ac deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero; & hanc contritionem ait, aliquando eſſe charitate perfectam ante ſuſceptionem Sacramenti, hominemque Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, hoc ipſo indicans ſæpè illam non eſſe charitate perfectam ante Sacramenti ſuſceptionem: quod ob aliam cauſam non dixit niſi quia datur veri nominis & eſſentiæ contritio, quæ tamen non niſi cum Sacramento ad remiſſionem peccatorum ſufficit: & quæ illa eſt? ſcilicet quam Concilium ibidem vocat contritionem imperfectam; non quaſi non ſit ejuſdem eſſentiæ cum perfecta contritione, nam quidquid ad veram contritionem requiritur, nempe animi dolor de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero, maniſeſte quoque ad hanc attritionem requirit, dum vult ut voluntatem peccandi excludat, quam nequit

Digitized by Google

quit excludere attritio ſervilis, quippè cum hæc non doleat de peccato ſub ratione peccati, ſed quatenus eſt cauſa dolorum & miſeriarum; & eapropter non tam dolet de peeccato quã de doloribus & pœnis infernalibus ex peccato conſequentibus: nam hoc potiſſimum odio habetur, hoc vitatur, propter quod aliquid aliud vitas, aut odio habes, juxta hoc *propter, quod unumquodque eſt tale ipſum eſt magis tale*: & eapropter ratio formalis ſeu motivum deteſtationis vel doloris peccati, potiſſimum apud Deum attenditur & ponderatur. Nec mirum, nam manente affectu erga aliquam rem, poſſumus illam nihilominus ſub alia ratione odiſſe & deteſtari: quâ ratione dicit S. Auguſtinus de illis qui pridie jejunant, ituri poſtridie ad lautum aliquod prandium, ne ventrem viles cibi præoccupent, & ita illum nequeant pretioſis cibis replere: & quid Auguſtinus de his? audi illum in Pſal. 86. „ magnum opus, Chriſtia" num opus, jejunium; noli cito " laudare, quære cauſam; nego" tiumventris agitur, non religio" nis „ Itaque ſicut talis non tam amat jejunium quam ventrem; ita dolens de peccato purè ob metum gehennæ, non tam dolet de peccato quam pœnâ, & quamvis deteſtari peccatum propter pœnam non ſit abſolutè malum, quandoquidem pœna infligatur à Deo ad fugiendum peccatum; tamen ita deteſtari peccatum propter pœnam, ut magis diſpliceat pœna quam malum culpæ, eſt maximum peccatum, eò quod ſit maximè inordinatum. Eapropter veraciter dixit idem S. Auguſtinus Epiſt. 144. " qui gehennam metuit, non " peccare metuit, ſed ardere: „ nec quidquam vetat quin dolor de peccato ob purum metum gehennæ, poſſit conſiſtere cum peccati dilectione; eò quod eandem rem, ut ſupra diximus, ſub diverſis rationibus poſſimus & odiſſe & diligere: prout patet in fure, qui metu patibuli fugit alienum equum, aut vaccam, quam tamen appetit, & in ſtudioſo, metu virgarum fugiente cibum vetitum, quem tamen diligit.

Ex his judicet æquus & cordatus lector an attritio ſervilis poſſit excludere voluntatem peccandi, ſitque diſpoſitio ſufficiens in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, quæ oritur ex amore ſui ipſius, & non ex amore Dei, quæque non eſt majoris pretii apud Deum quam motivum ex quo oritur, ſcilicet amor integritatis proprii corporis

Digitized by Google

corporis, qui proinde voluntatem à Deo per peccatum averſum, non convertit ad Deum, ſed potiùs ad ſe convertit & ad proprium commodum.

Dolor de peccatis metu gehennæ, poteſt eſſe naturalis actus.

Ex quo collige; quod, eſto quis non ſolùm aliqua, ſed & omnia peccata vitare proponeret, quia per fidem novit hæc, Deo vindice, infamiam, paupertatem, dolores corporis, quin & pœnas infernales cauſare; collige, inquam, dolorem iſtum, eſto ex prævia fide oriatur, non pluris valere apud Deum, quàm amorem ſui ipſius, quo quis nempe ſine infamia, ſine paupertate, ſine doloribus in hac vita vivere concupiſcit: neque enim eapropter affectus eſt ſtatim ſupernaturalis, quia fides proponit illius objectum: nam & hæretici Mahometani, aut gentiles qui aliquando fide Catholicâ imbuti infernum crediderunt, à qua modo apoſtatarunt, eodem pœnarum infernalium metu terrentur, quia eodem morbo amoris proprii laborant: & ſanè ſi pœnæ inferni oculis cernerentur, prout quandoque ab aliquibus viſas narrant hiſtoriæ, eodem prorſus modo voluntas illorum eas metueret, nempe ex motivo amoris proprii.

Periculoſa in praxi opinio aſſerens attritionem ſervilem ſufficere ad Sacr. Pœnit.

Ex his omnibus, prout & ex illis quæ fusè in materia de Actibus Humanis tract. 8. quæſt. 2. dub. 2. deduximus, licet inferre quam ſit periculoſa in praxi oppoſita ſententia, aſſerens attritionem ſervilem ſufficere cum Sacramento pœnitentiæ, quantumcumque appelletur probabilis, quandoquidem probabilitas in materia Sacramentorum nequeat ſupplere defectum qui timetur, prout neque ignorantia aut bona fides defectum contritionis quam Sacramentum forſan exigit ut ſit validum. Quare, ſicuti, ſi de virtute alicujus medicinæ inter medicos agitetur quæſtio, & ſententia aſſerens talem medicinam eſſe utilem ad morbum curandum ſit probabilior, illâ tamen uti non licet relictâ medicinâ certâ: ita neque licitum eſt in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, adhibere attritionem merè ſervilem, probabiliter tantùm ſufficientem relictâ contritione certò ſufficiente. Sed in hac materia, ſi in ulla alia eſt inſiſtendum dicto S. Auguſtini, *tene certum, linque incertum.*

Neque verum eſt quod aliqui, neſcio quâ temeritate, audent aſſerere, poſt Concil. Trident. eſſe certum, ejuſmodi attritionem ſervilem ſufficere cum Sacramento, ad remiſſionem peccatorum

nam

nam ſic eſſet improbabile veram contritionem requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ, quod tamen aſſerunt non ſolùm plures Doctores antiqui, ſed & plures Neoterici; ita ut Germanus Philalethes in opuſculo ſuo de contritione recenſeat ad ipſum ſentientes 27. Doctores qui interfuerunt Concilio Trid. prout adhuc 75. alios qui poſt Concil. Trid. ſcripſerunt. Taceo adhuc modo totam fere Sorbonam Pariſienſem, prout & facultatem Theologicam Lovanienſem huic ſententiæ ſubſcribere, qui proinde omnes in unum collecti, hanc ſententiam, ut minus reddunt probabilem; ergo falſum eſt quod oppoſita ſit certa.

Dices, ſi ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur vera contritio, plures conſcientiæ turbabuntur, quia quomodocumque quis de peccatis ſuis doleat, ſemper poterit dubitare an habeat veram contritionem.

Doctrina requirens contritionem non reddit conſcientias anxias.

Reſp. quicumque adhibuit moralem diligentiam ſecundùm ſuam conditionem, ſeque bonâ fide excitare conatus eſt ad veram contritionem, cum divina gratia poſſe eſſe quietum, nec anxiè debere ex hac parte confeſſiones præteritas repetere, niſi ei moraliter conſtiterit dolorem in præcedentibus confeſſionibus non fuiſſe ſufficientem.

DUBIUM VII.

Quantus debeat eſſe dolor contritionis.

Dolor de peccatis poteſt eſſe tam in appetitu ſenſitivo quam in voluntate.

Antequam ad quæſtionem propoſitam reſpondeamus, Prænotare oportet duplicem eſſe dolorem, nempe appetitus ſenſitivi, & rationalis ſive voluntatis. Prior potiſſimùm excitatur ex vehementia objecti ſenſibilis, ſubinde quoque oritur ex magnitudine doloris exiſtentis in voluntate & redundantis in ſenſum; non ſemper tamen excitatur ille ex imperio voluntatis; eò quod appetitus non deſpoticè, ſed politicè obediat voluntati: ex quo contingit quod quis interdum optet & conetur validis lachrymis peccata commiſſa deflere & maneat ſaxo durior: quod contingit hoc modo, quia phantaſia nequit pro tali tempore peccata commiſſa ut cauſam triſtitiæ apprehendere, neque corpus pro eo tempore eſt diſpoſitum ad motionem illius affectus: econtra verò v. g. phantaſia apprehendit mortem Patris, Matris, Fratris, aut Sororis tamquam cauſam triſtitiæ; idcirco ſuper iis ſummè luget etiam cum lachrymis, quas tamen ob commiſſa peccata ſæpe emittere non poteſt: & eapropter

Dolor ſenſibilis non ſemper ſequitur contritionem

Et quare.

Digitized by Google

eapropter hic dolor appetitus ſenſitivi non eſt abſolutè neceſſarius ad remiſſionem peccatorum; quamquam tamen pœnitentes monendi ſint ut conentur hunc excitare.

2. Prænotere oportet dolorem dupliciter appellari ſummum, ſcilicet intenſivè, & appretiativè proportionaliter ad amorem ex quo oritur.

Amor alius intenſive, alius appretiative ſummus.

Amor intenſivè ſummus eſt ille qui à voluntate elicitur, maximo quo poteſt conatu; idque vel abſolutè, vel prout eſt adjuta divinâ gratiâ.

Amor verò appretiativè ſummus eſt iſte quo aliquid amamus tamquam ſummum bonum, plus illud æſtimantes quam omnia alia bona; ita ſcilicet ut mallemus quodvis aliud bonum amittere quàm illud: & hâc ratione Deus eſt à nobis appretiativè ſummè diligendus.

Ita & dolor.

Quæ diſtinctio proportionaliter venit applicanda dolori: nimirum ut ille appellandus ſit intenſivè ſummus, qui intenſivè tantus eſt ut amplius augeri non poſſit: ille verò ſit appretiativè ſummus qui eſt de re tamquam ſummo malo: ita ſcilicet ut mallet quis quodlibet aliud malum pati quàm illud ſubire. Et eapropter ſicuti amor appretiativè ſummus tendit in objectum quatenus eſt ſummum bonum, ita dolor appretiativè ſummus fugit & deteſtatur objectum tamquam ſummè malum: & hinc inter intenſionem actus & appretiationem hæc eſt diſtinctio, quòd illa ſe teneat ex parte ſubjecti, & deſumitur ex gradibus quibus formæ intenduntur: appretiatio verò deſumitur ex parte objecti, quod judicio rationis appretiatur ſeu ęſtimatur ſuper omnia doloris vel amoris objecta. Quibus præſup.

Contritio debet eſſe dolor appretiative ſummus.

Dico 1. contritio debet eſſe dolor appretiativè ſummus: hoc eſt debet eſſe de peccato tamquam de ſummo malo: ita ut quis illud ſuper omnia mala deteſtetur & ita ut mallet quodvis bonum amittere & quodvis malum pati quàm Deum mortaliter offendere.

Probatur 1. quia ut dicit S. Auguſt. & paſſim Theologi deteſtatio mali oritur ex amore boni oppoſiti, adeoque dolor mali fundatur in amore boni oppoſiti: ex quo ſequitur quòd quantò aliquid magis diligitur, tantò magis deteſtetur malum illi oppoſitum: v.g. quantò quis magis diligit ſanitatem, tantò magis exhorreſcit ęgritudinem illi contrariam: ita pariformiter cum Deum tamquam ultimum finem ſupernaturalem ſuper omnia obligemur

obligemur diligere, illi magis quam ulli bono creato inhærendo, ſequitur quod ejus oppoſitum, nempe peccatum, ſuper omnia mala deteſtari obligemur, parati potiùs quæcumque alia mala pati, quàm ejuſmodi malum culpæ committere.

Petes, an ad faciendam hanc appretiationem obligetur pœnitens facere expreſſam comparationem inter mala culpæ & mala pœnæ, deſcendendo ad particularia, cogitando ſecum & volvendo v.g. malo perdere vitam, famam, officium, dignitatem & alia bona temporalia, item Patrem & Matrem, aut aliud quodlibet mihi chariſſimum, quàm adhuc ſemel Deum per peccatum mortale offendere.

Vt cenſeatur talis non debet fieri expreſſa cõparatio ad alia mala.

Reſp. negativè; ſed ſufficit ut in genere & virtualiter peccata ſua deteſtetur ſuper omne deteſtabile: nam etſi talis dolor non pertingat ad perfectionem contritionis, poterit tamen eſſe imperfecta contritio, quæ ſufficit cum Sacramento Pœnitentiæ.

Quinimo conſultum eſt, ut homines fragiliores & infirmiores ab ejuſmodi comparationibus abſtineant, ne illis obveniat aliqua occaſio peccati, neque Confeſſarius prudenter ejuſmodi hominibus tales comparationes proponere poſſet, eò quod hoc ſit illos exponere evidenti periculo peccandi abſque neceſſitate: Quorum ratio eſt quia ſicuti delectabilia magis movent dum deſcenditur ad particularia in individuo conſideranda; ita pariformiter mala pœnæ in particulari conſiderata, majorem dolorem & horrorem ſolent incutere, quàm conſiderata in communi, poſſetque interdum contingere quòd quis in communi paratus eſſet omnia tormenta perferre quàm Deum mortaliter offendere, qui tamen ſi ei hæc mala & tormenta in particulari& individuo proponerentur, forſitan mutaret animum & vacillaret ſicque mortaliter peccaret: nec hoc mirum, ſiquidem fieri poſſet, quòd pœnitens deſcendendo in particulari ad cogitanda mala pœnæ, illa magis æſtimaret quàm ipſum peccatum, adeoque præeligeret peccare quàm illa ſubire.

Petes, an ſi pœnitens, occurrente ejuſmodi comparatione v. g. an potius pœna patibuli, ignis, aut amiſſionis omnium bonorum, item perpetuæ incarcerationis eſſet perferenda, vel Deus mortaliter offendendus voluntariè hæſitaret, an eſſet abſolvendus.

Reſp. negativè; ſiquidem in ejuſmodi circumſtantiis non poſſet

Quid de dubitante, aut timente quod in caſu particulari peccatũ non vitaret præ aliis malis.

ſet dici habere firmum & efficax propoſitum vitandi peccatum; ſecus dicendum ſi tantum modo timeret ne oblatâ occaſione peccati non eſſet futurus tam conſtans, ut neglectis pœnis, illas vellet potius voluntariè ſubire quàm Deum mortaliter offendere; nam cum firmiſſima voluntate Deum non offendendi, poteſt conſiſtere formido de oppoſito, propter naturæ fragilitatem aut inveteratam peccandi conſuetudinem, non ſic voluntaria hæſitatio aut dubitatio.

Petes, quomodo ſe geret pœnitens dum tales comparationes occurrunt.

Reſp. vel tenetur quodlibet malum pœnæ occurrens potius eligere quàm committere mortale peccatum, vel certè debet rejectâ tali comparatione peccatum abſolutè deteſtari.

Hoc tamen hic ſcire oportet, quod quicumque actu habet veram contritionem de peccatis ſuis, ita debeat eſſe conſtitutus animo, ut ſi tales comparationes occurrerent; præeligeret potius quodlibet malum pœnæ in particulari occurrens perpeti, quàm Deum mortaliter offendere: ac proinde in animabus verè piis Chriſtianâ fortitudine præditis, benéque mortificatis; expedit ejuſmodi comparationes ſæpe facere, quibus ſeſe ad ardentiſſimum Dei amorem magis accendant atque inflamment.

Contritio debet eſſe dolor etiã intenſive ſummus.

Dico 2. contritio non tantùm debet eſſe dolor de peccatis appretiativè ſummus, ſed & intenſive: prout reſolvit Adrianus in 4. quæſt. 2. de Pœnitent. Alenſis in 4. quæſt. 7. Bonaventura in 4. diſt. 16. Durandus in 4. diſt. 17. & alii.

Probatur 1. ex Scriptura Sacra, quæ in diverſis locis requirit totum hominis conatum ad contritionem: ita enim loquitur Deuter. 4. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris eum.* Item Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Michææ 4. *Satage Filia Sion, quaſi parturiens.* Iſaiæ 59. *Rugiamus quaſi urſæ omnes & quaſi columbæ meditantes gemamus.*

2. Matth. 10. *Qui amat Patrem aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Et qui amat Filium aut Filiam pluſquam me, non eſt me dignus.* Qui autem amat creaturam amore intenſiori quàm creatorem, amat illam pluſquam creatorem; & conſequenter non eſt dignus Deo.

3. Quia inordinatum eſt ut voluntas rationalis intenſiori amore feratur in creaturam quàm in creatorem, & conſequenter intenſius oderit malum pœnæ quam

quam culpæ; eo modo quo inordinatum eſt quòd caro concupiſcat adverſus ſpiritum & pars inferior reluctetur ſuperiori.

4. Quia quandocumque vero & caſto amore diligitur aliqua creatura, debet illa tunc diligi non propter ſe ſed propter Deum, adeoque magis intenſivè Deus quam creatura; nam quælibet creatura inſervit nobis adinſtar ſcalæ quâ perveniamus ad creatorem, adeoque adinſtar medii ad finem: idcirco ſicut inordinatum eſt intenſiùs diligere media quam finem: (nam juxta axioma Philoſophicum: propter quod unumquodque eſt tale, ipſum debet eſſe magis tale) ita quoque inordinatum eſt intenſiùs diligere creaturam quam creatorem, & conſequenter malum, intenſiùs dolere de malo pœnæ quam de malo culpæ.

Dices, intenſio contritionis nequit cognoſci, ergo non poteſt percipi, antecedens probatur: quia quilibet experitur ſe non moveri ad intenſius dolendum de peccatis ex cognitione intenſionis in actu contritionis futuro.

Reſp. neg. ante. quod enim intenſio alicujus actus poſſit cognoſci inde probatur quia hæc auget bonitatem vel malitiam ipſius actus, quod non fieret ſi non poſſet cognoſci. Verum quidem eſt quod intenſio actus non ſit nobis cognita per modum objecti, aut quoad gradum particularem, ſed per modum actûs, & quoad ipſum totum, quod, ſicuti ſufficit ad augendum ipſius bonitatem vel malitiam, ita quoque ſatis eſt ut poſſit præcipi.

Dices, poteſt quis implere præceptum fidei, item ſpei licet non toto conatu in Deum credat vel ſperet; ergo & poterit de peccatis conteri, eſto non intenſivè ſummum dolorem de peccatis habeat.

Reſp. negando conſequentiam; neque enim in poſitivis valet argumentum à ſimili; ſed potiùs in illis attendenda venit voluntas legiſlatoris, qui in uno ita potiùs diſpoſuit quàm in alio.

Dices, ſi requiratur contritio ſummè intenſa, ſemper erimus anxii & dubii an elicuerimus dolorem ſufficientem, adeoque numquam erimus liberi à ſcrupulis.

Reſp. negando conſequentiam; nam ſicuti, dum ordinatè diligitur creatura propter Deum, eo ipſo intenſiùs illum amamus quam creaturam juxta axioma ſupra tactum, ita quoque dum deteſtamur peccatum ob Deum ſummè bonum offenſum, eo ipſo præſumere debemus nos intenſiùs

Digitized by Google

tenſius dolere de peccato quam de ullo malo pœnæ.

Dices, intenſio doloris oritur ex vehementia objecti; ſed objectum ſenſibile magis movet voluntatem quàm ſpirituale, quod oſtendi poteſt in matre, quę quandoque vehementiùs dolet de parvulo ſuo mortuo quàm de peccato mortali quo Deum offendit; ergo.

Reſp. concedendo antecedens, de dolore ſenſibili, qui ſubjectatur in appetitu ſenſitivo: quod tamen non eſt neceſſariò verum de dolore exiſtente in voluntate: quamvis enim appetitus ſenſitivus & rationalis ſint duæ potentiæ colligatæ & radicatæ in eadem anima; & eapropter appetitus rationalis ſæpe ſequatur impetum appetitus ſenſitivi; non tamen id neceſſariò fit, quandoquidem voluntas poſſit reſiſtere paſſionibus appetitus ſenſitivi.

Petes, an ſit neceſſè quod contritio duret certo tempore.

Contritio ut ſit vera, non requirit durationem temporis.

Reſp. negativè, quia poteſt quis in inſtanti juſtificari, docetque Scriptura Deum illis ignoſcere, qui conteruntur de peccatis ſuis, non factâ mentione alicujus determinati temporis. Quod pulchrè docet S. Leo Magnus epiſt. 91. dum ait, „ miſericordiæ Dei nec menſuras „ poſſumus ponere nec tempora „ definire, apud quem nullas patitur moras vera converſio.

Petes, an de uno peccato oporteat magis conteri quàm de alio.

Contritio de graviori peccato debet eſſe major quàm de leviori.

Reſp. affirmativè, ſicut enim peccatum collatum cum malis pœnæ, eſt ſuper omnia illa magis deteſtabile, ita ſi unum peccatum conferatur cum altero, tunc majus peccatum erit magis deteſtandum, tam appretiativè quàm intenſivè; eò quod illud ſit majus malum: & propterea quando quis ſimul conteritur de pluribus peccatis, implicitè ſemper magis dolet de graviori quam de minori; eò quod contritio feratur in peccata ſecundum cujuſque naturam & eſſentiam.

Dices, in ſummo non datur majus aut minus; ſed omne peccatum mortale eſt appretiativè ſummè deteſtabile; ergo.

Reſp. omne peccatum mortale eſſe ſummè deteſtabile ſuper omnia mala pœnæ, prout ſpectatur in ratione peccati, non tamen ſic facta comparatione ad aliud peccatum; eò quod, ut jam diximus, unum ſit alio magis deteſtabile.

DU-

DUBIUM VIII.

An de ſingulis peccatis mortalibus requiratur ſingularis Contritio.

Tripliciter poteſt dolor dici de omnibus peccatis elici.

PRænotandum tripliciter eli ci poſſe contritionem ſuper peccatis mortalibus. 1. Excitando ſingularem dolorem de ſingulis peccatis, illa in particulari recogitando. 2. excitando unum dolorem univerſalem, qui ſolus ſe extendat ad omnia peccata mortalia in particulari recogitata. 3. Excitando unum dolorem generalem de peccatis in confuſo & in genere recogitatis.

Non debent elici tot contritiones quot ſunt peccata cõmiſſa.

Dico 1. numquam fuit neceſſè multiplicare numerum contritionum ſecundùm numerum peccatorum: quod eſt dicere, numquam fuit neceſsè de ſingulis peccatis ſingulos elicere dolores, nequidem loquendo de contritione requiſita ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Hoc tamen utile eſt.

Dico 2. tutiſſimum tamen eſt & ſaluberrimum conſilium de ſingulis peccatis mortalibus, dum illa memoriæ occurrunt, ſingulares elicare contritiones (niſi fortè hinc inde per accidens aliquid obeſt) cujus ratio eſt, quia cum peccator ex ſingulis peccatis ſingulares acceperit delectationes, æquum eſt ut ex ſingulis quoque particulares accipiat dolores, & de ſe tot Deo offerat holocauſta, quot in ſe admiſit peccatorum oblectamenta: attamen hoc non eſt in præcepto, quippe quod ex nullo Sacræ Scripturæ loco, SS. Patrum aut Conciliorum decretis colligi poſſit, neque ullâ ratione probari; quinimo hoc eſſet quandoque impoſſibile, ut v. g. ſi meretrix aliqua pœnitens in extremo vitæ conſtituta, eſſet impudicis & innumeris propemodum flagitiis onerata, quæ modico temporis ſpatio, quod habet, non poſſet elicere tot contritiones, quot peccata commiſit: quinimo ejuſmodi meretrici non expediret ejuſmodi fœditates minutatim mente revolvere ob periculum novi conſenſus: & ideo ſupra addidi, *niſi quid per accidens obſtaret.* Quæ concluſio venit intelligenda tam de contritione prout eſt actus virtutis pœnitentiæ, quàm prout eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Unica contritio valet ad remiſſionem multorũ peccatorum.

Dico 3. una efficax & formalis contritio ſufficit ad remiſſionem etiam mille peccatorum mortalium, dummodo ſeſe ad omnia illa ſine exceptione extendat: nam quamvis illa ſit formaliter una, eſt tamen virtute totuplex, quot ſunt peccata commiſſa.

Pro-

Digitized by Google

Et ad ſingula ſe virtualiter extendit.

Probatur quia in omni contritione involvitur eſſentialiter amor Dei ſuper omnia; ille autem cum omnibus peccatis mortalibus æqualem habet oppoſitionem, & cum omnibus eſt incompoſſibilis, intelligendo nempe de affectu peccati mortalis. Quia ut ante dictum eſt, aliquis actualis amor Dei ſuper omnia bene conſiſtit cum reatu peccati mortalis.

Petes, an ſit præmittendum examen conſcientiæ ad ejuſmodi contritionem eliciendam.

Non eſt ad illam abſolutè neceſſarium ut omnia & ſingula peccata ſint recogitata.

Reſp. id quidem eſſe utiliſſimum omnibus ex animo pœnitere volentibus: nam in particulari conſtat hominem magis moveri ſibi in particulari repræſentando ſingulorum peccatorum ſpecies & eorum numerum, quàm peccata ſolummodo in confuſo recogitando: quinimo dolor de peccatis in genere tantùm & in confuſo conceptus, ſæpe non eſt efficax: quod inde colligitur, quia quando homo deſcendit ad particularia, tunc nullo modo ob delectationem vel commodum illis annexum ab illis avelli poteſt, prout patet in iis qui modis injuſtis & uſurariis ſibi compararunt magnas divitias: prout quoque in libidinoſis & ebrioſis, &c.

Nihilominus tamen ſpectando rei naturam ejuſmodi examen non eſt neceſſariò præmittendum; eò quod ſtatus peccati in confuſo repræſentatus ſit ſufficiens ut moveat hominem ad contritionem: & ita in mortis articulo, quando perfectior peccatorum notitia haberi non poteſt, ejuſmodi pœnitenti taliter contrito poteſt impendi abſolutio.

Id tamē requiritur ordinariè.

Dixi, *ſpectatâ reinaturâ*, quia quatenus contritio tamquam pars ordinatur ad Sacramentum Pœnitentiæ, neceſſariò requiritur, ut peccator omnia ſua peccata quoad numerum & ſpeciem recogitet, illaque ſic recogitata deteſtetur, non quidem de ſingulis eliciendo ſingularem dolorem, ſed unum qui ſe extendat ad omnia.

Petes, an hujuſmodi contritio debeat elici ex intentione confitendi.

Reſp. affirmatiuè quia alioqui non eſſet pars Sacramenti; cum enim non ſit pars naturalis, ex natura ſua ordinata ad confeſſionem & abſolutionem, ſolùm poteſt cenſeri pars Sacramenti, ſi per intentionem pœnitentis ad alias partes referatur.

Petes, an ſi quis poſt acceptam abſolutionem adhuc recordetur alicujus peccati mortalis non

non confeſſi, quod denuo confitetur, an teneatur iterum elicere novum actum contritionis tamquam partem hujus Sacramenti.

Oblitus alicujus pec. mort. illius poſtea recordatus confitens an debeat novam illius cõtritionem elicere.

Reſp. expedire quidem ut ita fiat, non tamen eſſe neceſſarium; eò quod dolor in priori confeſſione habitus adhuc perſeveret; quique quoad hoc peccatum non fuit pars prioris Sacramenti utpote per nullam confeſſionem factus ſenſibilis: nam illa ſola contritio eſt pars Sacramenti quæ per confeſſionem fit ſenſibilis.

Petes, quid cenſendum de pœnitente dolente quod non doleat.

An habeat veram contritionem qui dolet ſe non dolere ſatis de peccatis.

Reſp. ſpeculativè loquendo talem perſonam non eſſe ſufficienter diſpoſitam ad abſolutionem; eò quod dolor de defectu doloris non ſit dolor de peccatis; practicè tamen, & attentâ perſonæ conditione ſi ſit timoratæ conſcientiæ, ejuſmodi dolor in tali perſona eſt ſignum veri & legitimi doloris: ita enim ſæpe loqui ſolent perſonæ teneræ conſcientiæ, dum magnum dolorem ſenſibilem non percipiunt de peccatis; qui tamen non eſt neceſſarius, quippe in quo non conſiſtat contritio.

Petes, an contritio debeat confeſſionem præcedere.

Contritio ſaltem naturâ debet præcedere confeſſionem

Reſp. affirmativè; non quidem tempore, ſed naturâ: quia ut valeat confeſſio, debet illa eſſe doloroſa ſeu ſignum doloris interni per quod contritio illa fiat ſenſibilis; quod confeſſio non habet ex ſe, cum ex ſe ſit nuda peccatorum narratio; ſed quatenus procedit ex illo dolore interno tamquam causâ adeoque ex eò quod dolorem ſignificet, habet quod ſit illius effectus.

Petes, quid ergo dicendum de praxi Confeſſariorum qui poſtquam pœnitens enarravit omnia ſua peccata ſolent illum excitare ad eorum deteſtationem & dolorem, quo habito, illum abſolvunt.

Reſp. ut praxis hæc valeat non ſufficere ut pœnitens concipiat contritionem de peccatis ſuis, ſed inſuper requiri ut ſaltem virtualiter confeſſionem ſuam repetat v. g. dicendo ſe dolere de omnibus peccatis confeſſis, nam ibi tunc invenitur confuſa ſaltem & generalis confeſſio eorum omnium peccatorum, quæ ante peccatum ſunt recenſita, procedens ex contritione jam excitatâ, adeoque ſi quis modo tantùm contritionem eliceret, cum confeſſio præcedens non fuerit illius ſignum, contritio non erit ſenſibilis, adeoque invalidum Sacramentum: ac propterea cum

Digitized by Google

ſæpe contingat pœnitentes eo tempore quo peccata ſua ſacerdoti enumerant, non eſſe contritos, conſultiſſimum erit ut confeſſarius ante abſolutionem non tantum faciat illos elicere verum actum contritionis, ſed & inſuper faciat repetere confeſſionem in confuſo, curando ut doleat de omnibus ſuis peccatis modo in confeſſione expoſitis.

Petes, quid ſi pœnitens mane quo conſcientiam ſuam examinat, de peccatis commiſſis ſincerè doleat cum propoſito inſtituendi confeſſionem, an valebit abſolutio, ſi ille poſt horam aut alteram confiteatur, nullo ampliùs excitato dolore, eò quod illius non recordetur.

Reſp. affirmativè; eò quod dolor præcedens, cujus virtute facta eſt confeſſio, cenſeatur virtualiter perſeverare.

Petes, an una eademque contritio in Sacramento Pœnitentiæ concurrat per modum partis & per modum diſpoſitionis.

Reſp. affirmativè; & quatenus habet rationem partis, concurrit effectivè & adinſtar cauſæ inſtrumentalis ad remiſſionem peccatorum; prout verò habet rationem diſpoſitionis, concurrit diſpoſitivè ad Sacramentum Pœnitentiæ.

DUBIUM IX.

An exſiet præceptum contritionis eliciendæ.

PRænotandum, contritionem peccatori adulto non tantùm eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti, ſed & medii; poſterius patet ex Luc. 13. *Si pœnitentiam non geritis omnes ſimul peribitis*, & ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi dicitur: „ fuit autem hic „ contritionis motus, quovis tem„ pore, ad impetrandam veniam „ peccatorum neceſſarius. *Contritio neceſſaria adultis peccatoribus neceſſitate medii.*

Prius prob: quia de omni actu qui eſt in noſtra poteſtate, quique eſt neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii, exſtat præceptum: nam ſicuti quiſque obligatur ſalutem ſuam quærere, ita quoque omnia media quæ ad illam ſunt neceſſaria, inter quæ eſt contritio: porro hoc præceptum contritionis eſt poſitivum divinum connaturale ordini divinæ gratiæ, ſicuti etiam ſunt præcepta fidei ſpei & charitatis: & eapropter ſicuti jus naturæ, illuſtratum lumine fidei dictat Deum ſuper omnia debere diligi; ita quoque dictat quod ſi illum offenderimus, debeamus allaborare ut illi reconciliemur, quod fit per contritionem. *Item neceſſitate præcepti.*

Eſt itaque hoc præceptum naturale,

turale; ita tamen ut aliquam Dei ordinationem præerequirat ſcilicet qua Deus exigit contritionem, ut peccatum homini remitttatur: ex quo colligitur contritionem ſe ſola non eſſe expulſivam peccati, neque ultimam diſpoſitionem ad gratiam, ſed mediante Dei voluntate & ordinatione, ſine qua hunc effectum non conſequeretur.

Ex præcepto naturali tenetur peccator ad contritionem.

Petes, ex cujus virtutis motivo profluat hoc præceptum contritionis.

Reſp. ex motivo charitatis, quæ ſicuti poſtulat ut Deum ſuper omnia diligamus, ita quoque exigit ut ſi illum offenderimus ejuſque amicitiam diſſolverimus, illi reconciliemur.

Nec malè quoque dicetur illud inſuper profluere ex motivo ſpecialis virtutis pœnitentiæ, quatenus dictat jus Dei per peccatum violatum debere reſarciri, præſertim ſi Deus aliquâ noſtrâ ſatisfactione ſit contentus; conſtat autem illum eſſe contentum contritione, non autem aliqua ſatisfactione inferiori; quippe cum exigat ſatisfactionem reconciliativam, qualis eſt ſola contritio formalis & interdum virtualis.

DUBIUM X.

Quandonam obliget præceptum contritionis.

Quia controverſia ſuper hoc puncto inter Doctores non eſt parvi momenti, idcirco maturiùs venit hæc enucleanda.

Obligatur peccato conteri ſtatim poſt commiſſum peccatum.

Dico ergo 1. quilibet peccator poſt commiſſum peccatum mortale, tenetur ſtatim, id eſt prima data opportunitate ſe ſe ad Deum per contritionem convertere, quam ſi omittat, peccabit venialiter vel mortaliter pro ratione majoris vel minoris dilationis: tunc autem videtur adeſſe opportunitas, quando peccata memoriæ occurrunt, ſive id fiat per internam inſpirationem ſive per externam adhortationem, & homo ſibi præſens poteſt vacare actui pœnitentiæ.

Probatur hæc ſententia.

1. Ex Scriptura Sacra ut Eccleſiaſticus. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te*: dicere autem verba illa conſilium tantùm & non præceptum continere (ut aliqui volunt) quid eſt aliud quam torquere Scripturam S. in alienam prorſus ſenſum contra clariſſima verba.

 Pro-

Digitized by Google

Probatur 2. quia eſſe in ſtatu peccati mortalis eſt graviſſimum animi malum Deo maximè exoſum; ergo velle in hoc ſtatu permanere, & nolle conteri eſt grave peccatum.

Probatur 3. nam qui manet in ſtatu peccati mortalis, exponit ſe periculo denuo mortaliter peccandi; nam unum peccatum trahit poſt ſe aliud, ſicut anſa anſam: & hinc bene ait S. Gregorius, „ peccatum quod cito per „ pœnitentiam non deletur, „ pondere ſuo ad aliud trahit.

Probatur 4. quia reconciliatio facienda homini offenſo non eſt procraſtinanda; ergo multò minus illa quæ debetur Deo: quia qui Principem graviter offendit & detrectat illi reconciliari dum commodè poteſt, cenſetur illum interpretativè contemnere, & ita quoq; hæc reconciliationis omiſſio a Princip. accipitur. Ergo &c

Huc pertinet illud Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum & vade priùs reconciliari fratri tuo.*

Probatur 5. quia qui proximum gravi aliquâ injuriâ affecit in bonis famæ vel fortunæ, tenetur, quam primum poteſt, reſtituere, ergo & ille qui injuria affecit Deum per peccatum tenetur jus ejus violatum quamprimum reſarcire.

Probatur 6. quia ſicuti quis ſtatim obligatur deponere odium proximi, ita quoque peccator ſtatim obligatur deponere affectum peccati.

Ex quibus patet, quod quò peccator diutius hæret in aliquo peccato, eò graviùs peccet: unde & hujuſmodi voluntaria permanentia in peccato, eſt circumſtantia notabiliter aggravans adeoq; in confeſſione explicanda.

Porro hæc doctrina eſt à Paſtoribus populo ſeriò inculcanda, idque tam ob periculum recidivæ in gravia peccata, obdurationis & cæcitatis imminentis his qui in cæno peccatorum ſuorum commorantur, & hærent; quàm ob Diaboli & inimicorum noſtrorum de noſtra perditione ſollicitudinem, inſuper ob periculum repentinæ & improviſæ mortis.

Petes, an ergo committat ſpeciale peccatum, qui poſt peccatum patratum ſtatim non conteritur. *An ſit ſpeciale peccatum non ſtatim conteri.*

Reſp. quantum ad praxim attinet, parum referre an ejuſmodi contritionis omiſſio ſit ſpeciale peccatum, an verò circumſtantia aggravans, ſufficit enim eſſe peccatum & conſequenter eſſe fugiendum; perinde enim eſt ſive quis

Digitized by Google

quis damnetur ob ſpeciale peccatum, vel ob idem continuatum.

Quãdonam ſpecialiter obliget præceptum contritionis.

Dico 2. peccator obligatur etiam quandoque ſub novo & ſpeciali peccato elicere contritionem: & quidem certum eſt ejuſmodi præceptum affirmativum eliciendi contritionem, per ſe obligare in periculo mortis, prout & in periculo amentiæ, quia ſi umquam obligetur homo ſaluti ſuæ conſulere, ſeque Deo per contritionem reconciliare, obligabitur tunc: proinde ſi contritionem omittat, ſpeciale peccatum impœnitentiæ contrahet, conſiſtens in omiſſione pœnitendi tempore præcepto: ita quoque obligabit ejuſmodi præceptum contritionis, inſtante vel durante gravi aliquâ calamitate communi v. g. furoris bellici, peſtilentiæ, caritatis annonæ; ut patet exemplo Ninivitarum. Et probatur ratione, quia in tali caſu apparet juſta neceſſitas, ob quam membra debent eſſe ſollicita, tam pro ſe, quàm pro ſuo corpore: & inſuper quia apparet interpretativus contemptus, videre flagella pro peccatis inflicta, & ſuper his non pœnitere.

Ita quoque peccator obligatur contritionem elicere inſtante periculo mortis ſpiritualis, ut v.g. dum imminet gravis perſecutio, aut gravis aliqua tentatio, ut hæreſeos, luxuriæ &c. in qua ſpeciale Dei auxilium requiritur, ad ejuſmodi tentationem ſuperandam; quamquam aliqui dicant præceptum contritionis in hoc caſu non obligare per ſe, ſed ſolùm per accidens, nempe ex præcepto iſtius virtutis quæ in tali tentatione impetitur, quæ tunc cenſetur imperare ad aſſumendam contritionem, tamquam medium neceſſarium ad finem ſuum proprium obtinendum.

Idem cenſent dum eſt adminiſtrandum aliquod Sacramentum, & miniſter eſt in ſtatu peccati mortalis: tunc enim præceptum reverenter adminiſtrandi Sacramentum obligat miniſtrum ad adhibendam contritionem, tamquam medium neceſſarium ad finem illius conſequendum, qui eſt Sacramentum reverenter adminiſtrare: & quidem rectè ſecundùm ſpeculationem, attamen pro praxi perinde eſt qualiter præceptum contritionis obliget an per ſe an per accidens.

4. Præceptum contritionis eliciendæ obligat diebus dominicis & feſtivis; ſiquidem illis diebus oportet vacare cultui divino: quod facere nequit peccator niſi priùs de peccatis ſuis doluerit,

luerit, quia illis diebus præcipitur ſanctificatio feſti, quæ non conſiſtit in nuda abſtinentia ab operibus ſervilibus, ſed ſimul inſuper in ſanctitate & munditia interiori, quæ ſine contritione à peccatore obtineri non poteſt; eodem modo quo dum præcipitur lectio horarum Canonicarum, ſimul præcipitur attentio interna; aut dum præcipitur communio paſchalis, ſimul præcipitur reverentialis illius Sacramenti ſuſceptio: & eapropter ſicuti beneficiatus non ſatisfacit præcepto lectionis horarum, cum voluntaria diſtractione interna, neque præcepto communionis paſchalis ſatisfit per communionem ſacrilegam; ita neque ſatiſfit præcepto de ſanctificando feſto per nudam vacationem ab operibus ſervilibus & externam auditionem Miſſæ, ſed inſuper requiritur ſanctificatio interior.

Petes, an præceptum contritionis obliget ſub peccato ſpecie diſtincto, quoties peccata memoriæ occurrunt.

An teneatur conteri de peccatis quoties eorũ recordatur.

Reſp. peccata dupliciter poſſe memoriæ occurrere, ut puta ſpeculativè & practicè: ſpeculativè quidem dum de illis cogitamus ut naturam eorum indagemus, ut dum Confeſſarius illa indagat ad reſolutionem deſuper faciendam: practicè verò dum peccatum occurrit memoriæ cum aliqua ſuggeſtione interna, & periculo interioris complacentiæ; quo caſu elici debet actus contritionis, ad præcavendum periculum conſenſus: quod ſi adſit, poterit mens diſtrahi ad alia, & ejuſmodi cogitatio excuti.

Petes, an juſtificatus per Sacramentum Pœnitentiæ obligetur denuo elicere contritionem de peccatis quorum remiſſionem obtinuit.

Reſp. per ſe loquendo negativè, quia obtento fine ceſſant media.

Petes, an idem dicendum ſit de peccatore juſtificato per amorem Dei ſuper omnia, an ſcilicet is obligetur conteri de peccatis ubi illa memoriæ occurrunt.

Reſp. Affir. nam ſicuti remanet obligatio in peccatore, peccata aliqua occulta, quæ per ignorantiam invincibilem omiſit ſubjicere clavibus, poſtquam illa poſtmodum memoriæ occurrunt; ita quoque tenetur conteri de peccatis, eſto per amorem Dei ſuper omnia remiſſis: alioquin enim nemo cenſetur habere virtualem dolorem de peccatis ſi illa formaliter non deteſtetur ubi memoriæ occurrunt; quandoquidem illa tunc teneatur ſubjicere clavibus.

Porro

Porro quia nonnumquam arbitramur nos ſufficienter ſuper peccatis noſtris pœnituiſſe, cum tamen dolor à parte rei fuerit ſolùm naturalis & inſufficiens, hinc recordemur iſtius quod habetur Eccl. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.*

Petes an ergo expediat continuo de peccatis dolere.

Reſp. Affir: intelligendo de dolore voluntatis, quia cum ejuſmodi dolor ſit actus virtutis, non poteſt in eo dari aliquid ſuperflui: præterea quantumvis peccatori peccata ſint remiſſa, remanet tamen ſemper in eo aliquid quod ſit motivum ſufficiens doloris: nam eſto per pœnitentiam ſit reverſus ad Dei gratiam, numquam tamen recuperavit innocentiam baptiſmalem, neque de obtenta remiſſione peccatorum debet eſſe ſecurus, cum nemo ſciat an amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum reſerventur incerta.

DUBIUM XI.

An peccatum veniale remitti poſſit ſine Contritione.

Remiſſio venialiū eſt effectus divinæ gratiæ.

SUpponendum 1. remiſſionem peccati venialis eſſe opus divinæ gratiæ, nec poſſe viribus naturæ comparari. Quod probatur 1. ex oratione dominica in qua de quotidianis maximè peccatis (ut paſſim exponunt SS. Patres) orantes dicimus *dimitte nobis debita noſtra*: quod S. Aug. Tract. 51. ſuper Joann. ad illa verba, *qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet*, confirmat, intelligens hoc de peccatis venialibus Quod & probatur ex Concilio Arauſic. Canone 22. & 24. ubi dicitur ,, nihil quod ad pietatem & vitam æternam confert nos poſſe obtinere, ſine beneficio divinæ gratiæ; ſed remiſſio peccati venialis confert ad vitam æternam, ergo non poteſt obtineri ſine beneficio divinæ gratiæ.

Remiſſio venialiū ſupponit gratiam habitualem.

Supponendum 2. remiſſionem peccati venialis ſupponere in ſubjecto ſuo gratiam ſanctificantem, vel quæ datur quando homo juſtificatur, vel quæ ante infuerat: ratio eſt quia opus peccatoris nullum habet valorem ad promerendum de condigno & ex juſtitia remiſſionem peccati venialis: nam ut ait Eccleſiaſticus, *dona iniquorum non probat altiſſimus* & Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*: neque habet ejuſmodi valorem ex gratia & liberalitate Dei, quia illius in Scriptura S. nulla exſtat promiſſio. Quibus ſuppoſitis.

Dico 1.

Digitized by Google

Peccatū veniale non remittitur ſine pœnitentia.

Dico 1. peccatum veniale remitti non poteſt ſine pœnitentia aut contritione. Quod probatur 1. ex Scriptura S. quæ paſſim ad remiſſionem peccatorum, abſtrahendo à mortalibus aut venialibus, requirit pœnitentiam ſeu contritionem: & ita Apoc. 2. Spiritus Sanctus imperat quibuſdam Epiſcopis agere pœnitentiam ob quædam commiſſa peccata; quam ni peragant, minatur vindictam.

Probatur 2. ex S. Auguſtin. Ep. 48. in qua ait, „ne quem„quam putas ab errore ad verita„tem, vel à quocumque ſive par„vo ſive magno peccato, ad cor„rectionem, ſine pœnitentia „poſſe tranſire.

Probatur 3. ratione quia per peccatum veniale voluntas hominis inordinatè convertitur ad creaturam, cui proinde iſtud nequit remitti, quamdiu affectu inordinato illi creaturæ inhæret, eò quod manente causâ maneat effectus: & eapropter ad remiſſionem venialis, requiritur voluntatis averſio ab ejuſmodi creatura ſeu retractatio prioris voluntatis, quæ non fit niſi per actum pœnitentiæ ſeu contritionis, eò quod cum quocumque alio actu peccatum veniale ſit compatibile.

Qua & qualis contritio requiratur ad remiſſionē venialiū.

Petes, qualis debeat eſſe pœnitentia ſeu contritio requiſita ad remiſſionem peccati venialis, an formalis, an virtualis; an verò ſufficiat habitualis.

Reſp. ad remiſſionem venialium in Sacramento Pœnitentiæ requiri dolorem formalem, quippe qui ſit pars Sacramenti Pœnitentiæ; extra Sacramentum verò ſæpe ſufficit pœnitentia virtualis, ſcilicet actus charitatis, quæ ſit ejuſdem naturæ & conditionis, ut ſi ejuſmodi peccata venialia memoriæ occurrerent, illa propter Deum voluntas deteſtaretur; nam per ejuſmodi actum voluntas ſufficienter avertitur à creatura, ad quam per peccatum veniale ſeſe inordinatè converterat: præterea ad remiſſionem peccatorum mortalium interdum ſufficit pœnitentia virtualis, nempe quando illa non occurrunt memoriæ; ergo multò magis hæc quandoque ſufficiet ad remiſſionem venialium; quotieſcumque tamen peccata venialia memoriæ occurrunt, tunc ad illorum remiſſionem requiritur pœnitentia ſeu contritio formalis; numquam tamen ad illorum remiſſionem ſufficit pœnitentia habitualis, quæ habetur per habitum charitatis, quia ille habitus ſecum compatitur peccatum veniale.

Petes, quomodo per actum contri-

Digitized by Google

contritionis ſeu pœnitentiæ deleatur peccatum veniale extra Sacramentum an formaliter, an diſpoſitivè.

Quomodo peccati macula per contritionē deleatur.

Pro majori intelligentia hujus quæſiti, ſcire oportet, quodlibet peccatum ſive mortale ſive veniale poſt ſe relinquere in anima aliquam maculam; & quidem peccatum mortale poſt ſe relinquit duas maculas, quarum prima conſiſtit in totali averſione à Deo, & converſione ad creaturam; & hæc formaliter tollitur per actum contritionis, vel quandoque per actum dilectionis Dei ſuper omnia; non verò diſpoſitivè, meritoriè, aut ſatisfactoriè: nam ſicuti albedo & nigredo ſunt formæ oppoſitæ ſe invicem à ſubjecto expellentes, ita quoque averſio à Deo & converſio ad creaturam. Secunda verò peccati mortalis macula conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis, quæ diſpoſitivè tollitur per contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia, formaliter verò tollitur per infuſionem gratiæ ſanctificantis; nam privatio formaliter tollitur per formam oppoſitam. Macula autem peccati venialis, conſiſtens in inordinata converſione ad creaturam, tollitur formaliter per actum contritionis vel amoris Dei ſuper omnia, meritoriè verò per opus meritorium hominis juſti; nam qui poteſt mereri finem, poteſt mereri media ad illum neceſſaria; ſed juſtus poteſt de condigno mereri vitam æternam; ergo & remiſſionem peccatorum venialium; non quidem immediatè, ſed mediatè; merendo ſcilicet auxilia gratiæ actualis, quibus moveatur ad contritionem de venialibus.

Petes, an per attritionem tollatur peccatum veniale.

Attritio ſervilis non eſt diſpoſitio ſufficiens ad delendum pec. veniale.

Reſp. ſi quæſtio intelligatur de attritione ſervili, nequaquam per illam tollitur peccatum veniale, ſive cum Sacramento, ſive extra Sacramentum. Quod non in Sacramento, patet, quia ſola contritio, ad minus imperfecta, quæ & attritio filialis poteſt appellari, eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, ut patet ex ſupradictis. Non extra Sacramentum etiam, quia qui dolet de peccato veniali dumtaxat ob illius turpitudinem, aut ob pœnam quam meretur, non dolet de illo in ordine ad reconciliationem, quippe cum non doleat ob Deum ſummè bonum offenſum, ſed ob pœnam: ac eapropter non dolet de peccato, ſed potiùs de effectu peccati: & ideo non eſt juſta compenſatio quam adfert quoad offenſam contra Deum commiſſam.

Digitized by Google

Dices, contritio ſufficit ad delendum peccatum mortale; ergo attritio ſufficit ad delendum veniale: nam ſicuti voluntas peccati mortalis ſufficienter retractatur per contritionem, ita voluntas peccati venialis ſufficienter retractatur per attritionem.

Reſp. concedendo totum, ſi intelligatur attritio filialis, quam Concil. Trid. appellat contritionem imperfectam: quod ſi verò intelligatur attritio ſervilis, tunc negatur conſequentia, cujus ratio eſt, quia per peccatum veniale Deus aliquo modo offenditur: Unde illud tolli non poteſt niſi tollatur hæc Dei offenſa; quæ per attritionem purè ſervilem tolli non poteſt, eò quod homo per illam ſeſe non convertat ad Deum, ſed ad pœnam vel ignominiam quam timet.

Sufficit tamen contritio imperfecta etiã ſine Sacramento.

Porro quod ad remiſſionem peccati venialis ſufficiat contritio imperfecta ſeu attritio filialis, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, patet; quia non eſt credibile, Deum exigere æqualem reconciliationem pro peccato veniali & mortali, ſed paulò minorem pro veniali: quod confirmatur ex humanis v. g. exemplo Principis, aut Patrisfamilias, qui non tantam exigit reconciliationem à filio vel amico, qui illum tantùm leviter offendit, idque ſalvâ amicitiâ, quantam exiget ab eo, qui illum enormiter offendit cum læſione amicitiæ.

Et hoc ipſum dictat recta ratio naturalis, quod compenſatio, quæ fit pro injuria illata debeat illi commenſurari: unde cum tam per peccatum mortale quàm veniale Deus offendatur, de utroque oportet dolere quatenus eſt Dei offenſa; cum hoc tamen diſcrimine, quod, quia offenſa peccati mortalis eſt gravior, idcirco de illa magis dolendum ſit; quia verò offenſa peccati venialis eſt levior, idcirco minus de eo dolendum.

Per unũ actum contritionis non delentur omnia venialia.

Petes, an peccatum veniale poſſit remitti per quamlibet contritionem, aut per quemlibet charitatis actum, ſi peccatum veniale non occurrat memoriæ.

Reſp. negativè, neque enim omnis actus contritionis ſufficiens pro delendis mortalibus, eſt eo ipſo ſufficiens pro remittendis venialibus.

Dices, peccatum mortale eſt majus malum quàm peccatum veniale; ſed actus ſufficiens ad tollendum majus malum eſt ſufficiens ad tollendum minus malum, juxta vulgatum axioma. *Qui poteſt majus, poteſt minus.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. axioma illud tantùm verum eſt, quando minus eſt ſubordinatum majori, ejuſdemque cum illo ſpeciei: & eapropter non ſequitur: Petrus poteſt docere Theologiam, quod majus eſt; ergo poteſt docere agriculturam, quod minus eſt: & rurſum Paulus poteſt agere advocatum quod majus eſt; ergo poteſt agere ſutorem quod minus eſt: & ita neque in noſtro caſu ſequitur: contritio ſufficit ad delendum peccatum mortale; ergo & illa ſufficit ad delendum peccatum veniale, quia peccatum mortale & veniale ſunt diverſæ ſpeciei.

Quæ contritio requiratur ad remiſſionem peccati venialis.

Petes, quænam ergo contritio eſt ſufficiens ad remiſſionem peccati venialis, & quænam inſufficiens.

Reſp. illa ſufficit, quæ perfectam cum peccato veniali habet oppoſitionem, qualis eſt quæ oritur ex voluntate Deum nullatenus in minimo offendendi, quin potiùs ei etiam in minimo placendi: illa verò contritio quæ ſolum dolet de peccato quia illud eſt gravis Dei offenſa diſſolvens ipſius amicitiam, nullatenus ſufficit ad remiſſionem venialis, eò quod compatiatur ſecum affectum erga peccatum veniale: quod inde patet, eò quod talis contritionis motus nullam habeat oppoſitionem cum peccato veniali, quod eſt tantùm levis Dei offenſa.

Per contritionẽ deleri poteſt unũ veniale non deletis ſimul aliis

Petes, an quando per actum contritionis deletur unum peccatum veniale, deleantur etiam omnia.

Reſp. id aliquando accidere, ſed non ſemper; tunc autem contingit, quando contritio illa eſt univerſalis extendens ſe ad omnia venialia, ita ut cum omnibus habeat oppoſitionem.

Porro quando contritio tantùm habet oppoſitionem cum uno veniali & non cum altero, tunc tantùm delet illud cum quo habet oppoſitionem: unde qui doleret de omnibus venialibus uſque ad minimam Dei offenſam, aut in tantum amaret Deum ſuper omnia, ut hic actus amoris virtualiter contineret deteſtationem omnium venialium, ita ſcilicet ut ſi occurreret etiam minimum veniale, illud propter Deum ſummè bonum deteſtaretur, conſequeretur remiſſionem omnium venialium.

Cur contritionis actus potius ſe extendat ad omnia mortalia quam ad omnia venialia

Dices, actus contritionis, item actus amoris Dei ſuper omnia ſunt talis naturæ, ut, ſi unum mortale deteſtentur, deteſtentur neceſſariò omnia; ergo ſimiliter ſi hi deteſtentur unum veniale, deteſtabuntur omnia.

Reſp. negando conſequentiam; quia

quia cum omne mortale diſſolvat divinam amicitiam, inde fit quod opponatur actui contritionis aut charitatis: ac eapropter quando contritio deteſtatur unũ peccatum mortale, debet deteſtari omnia; peccatum verò veniale non opponitur actui contritionis aut charitatis: & inde fit quod poſſit unum deteſtari, etſi non deteſtetur aliud.

Petes, quare per quodlibet opus meritorium vitæ æternæ, non poſſit immediatè tolli peccatum veniale.

Non per quodlibet opus meritorium tollitur peccatum veniale.

Reſp. quia non omne tale opus involvit formalem vel virtualem diſplicentiam peccati venialis; unde nec cum omni peccato veniali habet oppoſitionem: quod inde patet, quia ſæpe concomitanter habet annexum peccatum veniale: unde S. Joannes quantumvis ardentiſſimè Deum amaret, tamen dicebat, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.*

Cur potius tale opus mereatur gloriam, quàm venialiũ remiſſionem.

Dices, opus meritorium meretur vitam æternam, quod majus eſt, ergo poteſt mereri remiſſionem venialium, quod minus eſt.

Reſp. negando conſequentiam; quia illud majus & minus ſunt diverſæ rationis: præterea omne opus meritorium ex Dei ordinatione deſtinatum eſt ad vitam æternam, non ſic ad remiſſionem peccatorum venialium.

Petes, quomodo & quando remittatur peccatum veniale cum quo quis moritur, uti dum aliqua anima pia quandoque ſubitò catharro, aut in ſomno morte opprimitur, aliquâ adhuc venialium maculâ conſperſa.

Peccatũ veniale cum quo juſtus moritur, quandonam remittatur

Reſp. per formalem actum pœnitentiæ promanantem ex perfecta Dei dilectione ſuper omnia, quam elicit ipſo inſtanti ſeparationis à corpore; ſiquidem illo inſtanti anima perfectè cognoſcit ſtatum ſuum, adeoque omnes culpas quibus eſt coinquinata, & quas novit Deo diſplicere: nec quidquam eſt ex parte voluntatis quod illam impediat; ergo illo eodem inſtanti dolet de illis peccatis, ob Deum ſumme bonum offenſum, quippe circa quem intenſiſſimo amoris actu tunc fertur: quod inde liquet, quia quando eſt magnum aliquod bonum quod differtur, & magnum aliquod malum quod timetur, tunc excitatur intenſum deſiderium illius conſequendi, & mali evadendi; ſed ejuſmodi animæ à corpore ſeparatæ imminet magnum malum, nempe pœna purgatorii, & hactenus impeditur à magno bono, ſcilicet à fruitione Dei; ergo protinus excitatur in illa ardentiſſimus amoris actus, erga ſummum

Digitized by Google

mum bonum, & conſequenter maximus dolor circa peccata quibus ſe illud offendiſſe cogitat.

Anima ſeparata non poteſt mereri remiſſionem venialium.

Dices, poſt hanc vitam nemo poteſt ampliùs mereri, ergo nec impetrare remiſſionem culpæ.

Reſp. negando conſequentiam: neque enim ejuſmodi actus contritionis habet rationem meriti, prout nec orationes Sanctorum in cælis, ſed juſtæ compenſationis, quâ poſitâ Deus culpam remittit.

In damnatis non remittuntur venialia.

Petes, an peccatum veniale poſſit remitti in inferno.

Reſp. negativè, quia culpæ remiſſio fieri nequit ſine retractatione voluntatis per contritionem, quam damnati non poſſunt elicere, quia non volunt, quippe qui in ſua malitia manent obſtinati.

Peccatū veniale hic non remittitur ſine infuſione gratiæ.

Petes, an numquam in hac vita remittatur peccatum veniale ſine infuſione gratiæ.

Reſp. probabiliter negativè, quia vel remittitur ſimul tempore cum mortali, & tunc clarum eſt non remitti ſine infuſione gratiæ: vel remittitur in homine juſto, extra vel intra Sacramentum Pœnitentiæ, per actum contritionis, qui in ipſo eſt meritorius augmenti gratiæ; jam autem multum probabile eſt quod ad ſingulos actus meritorios de condigno infundatur ſtatim augmentum gratiæ habitualis. Non tamen eſt verum, quod, quandocumque gratia habitualis homini infunditur, ſimul remittatur peccatum veniale; ſiquidem per quodlibet opus meritorium infunditur gratia habitualis, cum tamen per illud non ſemper remittatur peccatum veniale.

Non remittitur homini peccatori veniale manente mortali.

Petes, an in homine peccatore poſſit remitti peccatum veniale ſine mortali.

Reſp. negativè, quia indignus eſt veniâ qui, gravi peccato neglecto, deprecatur pro remiſſione peccati venialis, & petit veniam ab eo, cujus vult manere inimicus: & eapropter talis videtur Deum potiùs irridere.

2. Quia remiſſio peccati venialis eſt ſignum amicitiæ & reconciliationis; nullum autem opus peccatoris, quamdiu vult manere in peccato, eſt Deo acceptum ad reconciliationem, cum ſit opus inimici; quin imo Deus magis reſpicit ad perſonam, quàm ad ipſum opus ut patet Gen. 2. *Reſpexit Deus ad Abel & ad munera ejus*; ſiquidem bonitas perſonæ eſt quaſi forma ipſius operis: unde ſi perſona quædam nullius ſit apud Deum æſtimationis, conſequenter nec illius opus erit apud Deum ullius æſtimationis, ſaltem in ordine ut propter ipſum

Digitized by Google

ſum immediatè remittatur peccatum veniale.

Quomodo per Sacramẽtalia, peccata venialia remitti dicantur

Petes, quomodo peccata venialia remittantur per Sacramentalia, qualia ſunt aſperſio aquæ benedictæ, oratio Dominica, confeſſio generalis, benedictio Epiſcopalis, cera benedicta vulgo Agnus Dei, item benedictio Sacerdotalis, & aliæ actiones ſacræ.

Reſp. hæc & ſimilia non habere vim immediatè & ex opere operato remittendi peccata veniali, nam ſic non differrent à Sacramentis; præterea ſolus Deus eſt author gratiæ, & idcirco ipſe ſolus poteſt inſtituere talia ſigna ſenſibilia, quæ ex opere operato illam conferunt, Sacramentalia verò ſunt inſtituta ab Eccleſia: præterea peccatum venialia relinquit poſt ſe aliquam maculam in anima, quæ ſine immutatione voluntatis auferri non poteſt, ſolus autem Deus poteſt immutare voluntatem humanam juxta illud Proverb. 21. *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inflectet illud.*

Non remittuntur per illa ex opere operato.

Denique Eccleſia nihil impetrat niſi per ſuas preces, prout patet in conſecratione aquæ benedictæ, ceræ benedictæ, ſalis &c. ſed hæc nequit precibus ſuis infallibiliter applicare merita Chriſti exterioribus aliquibus ſignis, ad conferendum effectum remiſſionis peccatorum; ergo &c.

Itaque Sacramentalia aliquo modo cenſentur habere vim remittendi peccata venialia, ſcilicet mediatè & per modum impetrationis, quatenus nimirum Eccleſia ſuis precibus impetrat ejuſmodi Sacramentalibus gratias prævenientes, ad excitandum in nobis actum contritionis formalem vel virtualem, quo per Deum illa nobis remittantur: ejuſmodi tamen effectus non eſt infallibilis, quia non eſt fundatus in aliqua Dei promiſſione, ſed ſolùm in communi lege & efficacia orationis, quæ non ſemper ſortitur effectum.

Sed ſolũ impetratorie.

Dices, Eccleſia poteſt efficaciter applicare Chriſti merita, ad condonandas pœnas peccatis remiſſis debitas, prout patet in indulgentiis; ergo ſimiliter poteſt hæc applicare ad condonanda peccata,

Reſp. negando conſequentiam; & ratio diverſitatis eſt quod condonatio pœnæ non requirat interiorem immutationem voluntatis, ſicut condonatio culpæ, ſed ſolam extrinſecam condonationem.

Dices, ſi Sacramentalia ex opere operato non valeant ad remiſſionem peccatorum venialium

lium, ſed ſolùm per modum impetrationis fundatæ partim in precibus Eccleſiæ, quæ funduntur dum illa benedicuntur, partim in fide & devotione illis utentium; non erit ratio cur illis potiùs tribuetur effectus, quam piæ lectioni, concioni, vel imagini crucifixi, quæ objectivè nata ſunt in nobis quoque excitare contritionem.

Cur illa magis valeant ad illum effectum quàm alia bona opera.

Reſp. negando conſequentiam; & ratio eſt quod Sacramentalia eo modo quo fiunt, & quo ab Eccleſia ſunt inſtituta, habeant adjunctum explicitum vel implicitum dolorem; prout ſunt confeſſio generalis, tunſio pectoris, benedictio Epiſcopalis, Oratio Dominica: non ſic concio, lectio Sacra &c. Et eapropter ſi quis bonâ fide adhiberet aquam non benedictam, illa non eodem modo valebit quo aqua benedicta; nam, quamvis talis devotionis ſuæ fructum non perdet, tamen Eccleſiæ interceſſio illi non applicabitur.

Petes, quænam diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente aliquod Sacramentum, ut per illud ei remittantur peccata venialia.

Reſp. diſplicentia explicita vel implicita, procedens ex amore Dei, quæ, licet ſe ſolâ quandoque non ſit tanti fervoris ut remittat peccata venialia, accedente tamen Sacramento remittuntur; & quidem plura vel pauciora, prout illa diſplicent, & quo majori devotionis affectu Sacramentum ſuſcipitur.

DUBIUM XII.

An gratia & auxilium ad agendam Pænitentiam, ſeu ad excitandam Contritionem, omnibus ſemper ſit paratum ex parte Dei, adeoque an illud quovis tempore omnibus offerat?

Pœnitentia ſalutaris eſt effectus divinæ gratiæ.

DIco 1. de fide certum eſt pœnitentiam eſſe donum Dei; adeoque neminem poſſe reſurgere à peccato, ſeque ad Deum convertere ſine ſupernaturali Dei auxilio.

Probatur 1. ex Scriptura S. Pſalm. 40. in quo ait Propheta; *Sana animam meam quia peccavi tibi:* Qui certè, ſi ſe ipſum à peccato ſanare potuiſſet, id fruſtra à Deo petiviſſet: ac eapropter Apoſt. ad Gal. 2. ait, *Si per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*; ergo à pari, ſi per vires naturæ juſtitia, Chriſtus ſine cauſa mortuus eſt: unde idem Apoſto. 1. ad Cor. 6. ait, *Abluti eſtis, juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri:* Ita

Digitized by Google

Ita quoque Actorum 11. dicitur, *ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Et 2. ad Timoth 3. *ne quando Deus det illis pœnitentiam.* Denique probatur id ex Joan. 6. *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*: & infra *nemo poteſt venire ad me niſi fuerit ei datum à Patre meo*; ſed is qui agit veram pœnitentiam venit ad Deum; ergo.

Probatur 2. ex Concil. Arauſicano 2. canon. 7. „ Si quis per „ naturæ vigorem bonum ali- „ quod, quod ad ſalutem perti- „ net vitæ æternæ, cogitare ut „ expedit aut eligere ſive ſalu- „ tari, id eſt Euangelicæ prædi- „ cationi conſentire poſſe confir- „ mat, abſque illuminatione & „ inſpiratione Spiritus Sancti qui „ dat omnibus ſuavitatem in con- „ ſentiendo & credendo verita- „ tati, hæretico fallitur Spiritu, & canon. 14. „ nullus miſer de „ quantacumque miſeria libera- „ tur niſi qui Dei miſericordia „ prævenitur. „

His accedit Concil. Trident. ſeſſ. 6. canon. 3. „ ſi quis dixe- „ rit ſine prævenienti Spiritus S. „ inſpiratione, atque ejus adjuto- „ rio hominem credere, ſpera- „ re, diligere, aut pœnitere „ poſſe, ſicut oportet, ut ei ju- „ ſtificationis gratia conferatur, „ anathema ſit.

Probatur 3. ex S. Aug. qui lib. 2. de Peccat merit. cap. 18. ſic loquitur, „ Quoniam, quod „ à Deo nos avertimus, noſtrum „ eſt; & hæc eſt voluntas mala: „ quod verò ad Deum nos con- „ vertimus, niſi ipſo excitante „ & adjuvante non poſſumus; „ & hæc eſt voluntas bona. „ Item Epiſt. 106. ſic loquitur, „ natura humana, etſi in illa in- „ tegritate in qua condita eſt, per- „ maneret, nullo modo ſe ip- „ ſam, creatore ſuo non adju- „ vante, ſervaret; cum igitur „ ſine Dei gratia ſalutem non „ poſſit cuſtodire quam accepit; „ quomodo ſine Dei gratia po- „ teſt reparare quam perdidit.

His accedit Innocentius I. Papa apud S. Aug. Epiſt. 91. dicens, „ quotidiana præſtat ille reme- „ dia; quibus niſi freti confiſi- „ que nitamur, nullatenus hu- „ manos vincere poterimus erro- „ res, neceſſe eſt enim ut quo „ auxiliante vincimus, eo ite- „ rum non adjuvante vincamur. „ His ſuffragatur S. Thom. quæſt. 24. de Veritate dum ait, „ con- „ verſio hominis ad Deum fit „ quidem per liberum arbitrium; „ & ſecundùm hoc homini præ- „ cipitur, ut ſe ad Deum conver- „ tat; ſed liberum arbitrium ad „ Deum converti non poteſt niſi „ Deo ipſum ad ſe convertente. „

Dico

Digitized by Google

Non eſt fide certum pœnitentiæ donum omnibus peccatoribus ſemper concedi.

Dico 2. non eſt certum de fide hoc donum pœnitentiæ omnibus concedi, quia S. Auguſt. Epiſt. 106, & 107. recenſens geſta Synodi Dioſpolitanæ habitæ in Palæſtina contra Pelagium: & ſignanter recenſens duodecim articulos, quos ait ſe firmiter ſcire quod ad fidem Catholicam pertinent, inter illos enumerat hunc „ſcimus gratiam Dei non „omnibus hominibus dari; ſci-„mus eis quibus datur, miſeri-„cordiâ Dei gratuitò dari; ſci-„mus eis quibus non datur, ju-„ſto Dei judicio non dari: & ait hoc definitum eſſe in Synodo contra Pelagium.

Hoc ipſum probant preces Eccleſiæ, quæ in Litaniis omnium Sanctorum pro omnibus ſuis fidelibus ſic orat, „ut ad veram „pœnitentiam nos perducere „digneris:„ quæ profectò non eſſet à Deo petenda, ſi illa omnibus præſto eſſet.

Nec etiã fidei eſt quod illam gratiam omnibus ſemper Deus offerat.

Dico 3. multò minus eſt fide certum (quod tamen quidam Neotericus aſſerit) quod Deus gratiam veræ pœnitentiæ omnibus offerat, quam quilibet ad nutum liberâ voluntate poteſt acceptare: quia hic eſt error Fauſti Epiſcopi Regienſis, Caſſiani, Gennadii, & aliorum qui fermento Pelagiani dogmatis imbuti, utpote initium boni operis tribuentes arbitrio, & tamquam obtrectatores doctrinæ S. Auguſtini, partim à Gelaſio Papa Pontifice in Conc. 70. Epiſcoporum ſunt rejecti cum ſuis opuſculis, tamquam apocryphis, partim à SS. Proſpero & Fulgentio graviter ſunt reprehenſi; prout & paſſim à gravioribus Eccleſiæ Scriptoribus Bellarmino & aliis improbati. Econtra verò S. Auguſtini doctrina, huic adverſa, fuit approbata à Cæleſtino Pontifice in Epiſt. ad Epiſc. Galliæ: pro ut quoque ex S. Auguſtini Scriptis Conc. Arauſicani Canones contra ejuſmodi Pelagianas reliquias ſunt collecti.

Quin imò ex S. Scriptura manifeſtum eſt, non quemlibet impium habere ſemper paratum auxilium quo verè pœnitere, à peccato reſurgere, & reſipiſcere valeat: pro ut patet in Tyriis & Sydoniis, de quibus Salvator, ait, *Væ tibi Coroſaim væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, jam olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent*

Ex quibus patet eſſe certam apud Deum quamdam peccatorum menſuram, quâ impletâ, ſubtrahit ipſe gratuita ſuæ miſerationis auxilia: patet hoc ipſum in peccatoribus dormientibus

aut in furiam verſis, ſicque morientibus: ſimiliter in Ethnicis de quibus, quod habeant gratiam ſufficientem pœnitendi, dici nequit, cum teſte S. Auguſt. lib. de Prædeſt. SS. cap. 7. „ fi„ des prima detur ex qua cætera „ impetrantur. „ Hoc ipſum adhuc patet in peccatoribus excæcatis & obduratis, quibus auxilium illud, quo ſe ad Deum convertant, de facto non adeſt, quibus Deus non dedit cor intelligens, ſed tradidit illos in reprobum ſenſum, ſubtrahendo gratiæ ſuæ auxilia: & quid mirum quod Deus peccatori, ob vitæ ſuæ perditæ demerita, deneget auxilium pœnitendi, quandoquidem ille qui poſt baptiſmum ſemel tantùm peccavit mortaliter, eo ipſo mereatur ut gratiâ Dei, quam ſemel à ſe abjecit, æternum careat. Etenim ſi Deus injuſtitiæ culpandus non ſit, dùm parvulos in utero matris mortuos relinquit tranſire in damnationem, nullo eis communicato auxilio quo à peccato originali liberari valeant, cur cenſebitur injuſtus ſi abſque hujuſmodi auxilio relinquat illum qui originali peccato ſuperaddidit quamplurima actualia.

Qualiter præcepta Dei Dices, Deus præcipit omnibus peccatoribus ut agant pœnitentiam; qui ſi ſint auxilio gratiæ deſtituti, jam obligabuntur ad impoſſibile. *ſint poſſibilia homini non habenti gratiam.*

Reſp. negando conſequentiam; ſcilicet ejuſmodi peccatorem deſtitutum divinâ gratiâ obligari ad impoſſibile. Quia pœnitentiam agere poſſunt, ſicut & quodcumque aliud mandatum implere, non tantum illi qui de facto auxilia divinæ gratiæ acceperunt, ſed etiam quicumque illa auxilia de facto non habent, quamdiu adhuc ſunt in ſtatu vertibilitatis ad bonum & malum; quippe quibus ejuſmodi divinum auxilium poteſt communicari & ſæpe communicatur. Ac eapropter S. Thom. 22. quæſt. 2. art. 5. bene ait, „ ſi in „ poteſtate hominis eſſe dicatur „ aliquid excluſo auxilio divinæ „ gratiæ, ſic ad multa tenetur „ homo, ad quæ non poteſt ſi„ ne gratia reparante; ſicut ad di„ ligendum Deum & proximum „ ad credendum articulos fidei; „ ſed tamen hoc poteſt cum au„ xilio divinæ gratiæ, quod qui„ dem auxilium quibuſcumque „ datur miſericorditer datur; qui„ bus autem non datur ex juſtitia „ non datur in pœnam præceden„ tis, aut ſaltem originalis peccati.

Notandum quod obſervatio alicujus præcepti aliquo modo ſemper ſit homini poſſibilis; ſiquidem homo juſtus & in Dei gratia

gratia conſtitutus habet poteſtatem valde propinquam obſervandi Dei mandata; homo fidelis & peccator habet ſimilem poteſtatem, attamen minùs propinquam: homo infidelis qui invitatur ad fidei prædicationem habet & poteſtatem, attamen remotiorem; homo verò paganus, qui de fide aut Dei gratia nihil audivit, habet eandem poteſtatem, attamen remotiſſimam: dicitur enim ille adhuc poſſe, quia adhuc habet liberum arbitrium flexile ad bonum & malum, cui Deus adhuc poteſt dare gratiam ſuam, quâ fiat proximè potens ad præceptum ſervandum: neque enim impoſſibile dici debet quod in multis, ſimiliter affectis, probatur fuiſſe poſſibile, ſubſecutâ poſtmodum divinorum præceptorum exactâ obſervatione.

Hanc ſolutionem diverſis locis indicat S. Auguſtinus: & eapropter quamvis ipſe vehementer preſſus à Pelagianis, numquam tamen reſpondit cuique ſemper præſens adeſſe divinum auxilium ad adimplenda mandata; eò quod hæc reſponſio nullatenus conſonaret Sacris Scripturis: ita quoque S. Proſper in Reſponſione ad 6. object. vincent. „hoc, inquit, inter „malos homines & dæmones „eſt diſcrimen, quod hominibus etiam valde malis ſupereſt „ſi Deus miſereatur, miſeratio: „dæmonibus autem nulla eſt in „æternum ſervata converſio.

Præcepta Dei cur infideli aut obdurato homini ſint magis poſſibilia quã dæmoni.

Ubi notandum quod dicat, *Si Deus miſereatur*, non autem *ſi velint illo auxilio uti*, per quod ſatis, indicat auxilium illud non eſſe ita omnibus paratum, ut ejus uſus ſolum dependeat à libero hominis arbitrio: unde Conc. Trid ſeſſ. 6. cap. 11. ex S. Aug. lib. de Natura & Gratia cap. 13. ſic ait, „Deus impoſſibilia non „jubet, ſed jubendo monet & „facere quod poſſis, & petere „quod non poſſis, & adjuvat ut „poſſis.

Hoc ipſum quoque colligitur ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. ubi ait, *Unuſquiſque proprium donum habet à Deo; alius quidem ſic, alius verò ſic*; neque enim dictis verbis ſignificatur quemlibet hominem habere omnia dona.

Dices, homines frequenter monentur in Scriptura Sacra ut ſe ad Deum convertant, ad illum veniant &c. quod, cum fecerint, dicitur Deus ſe convertere ad illos: ita enim habetur Zach. 1. *convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Item Pſal. 8. *dilata os tuum & ego implebo illud.* Item Matth. 10. *venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &*

 ego

ego reficiam vos. Item Apocal. 3. *ſi quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Item Jac. 4. *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Item Iſaiæ 30. *exſpectat Dominus ut miſereatur veſtri*, ergo prima diſpoſitio & primus motus boni operis eſt à nobis ſolis: adeoque omnibus illis & ſimilibus Scripturis, Deus à nobis aliquam præparationem exigit, ut gratiam ſuam nobis largiatur.

Initium converſionis non eſt ex nobis, ſed ex Deo.

Reſp. negando conſequentiam; quia etiam monemur in Scriptura S. ſic orare, *Converte nos Deus ſalutaris noſter: Domine labia mea operies: trahe me poſt te: cor mundum crea in me Deus* &c. Idque ut oſtendat quod quando exigitur ab homine aliquod opus ad ſalutem pertinens, requiri ſimul & liberum arbitrium, & divinæ gratiæ auxilium: & idcirco quæ uno loco adſcribit libero arbitrio, alio adſcribit divinæ gratiæ: & hinc Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. ait, „cum dicitur, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, libertatis noſtræ admonemur: cum reſpondemus, *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, Dei gratia nos præveniri confitemur:„ ac eapropter uno loco monemur libertatis, & alio indigentiæ noſtræ, ſimulque inſtruimur à quo auxilium petere debeamus.

Porro quòd non tantùm in agenda vera pœnitentia, ſed & in quocumque opere bono, tam initium ejus, quam progreſſus, & conſummatio procedere debeat à divina gratia, eſt de fide, & patet ex Scripturis. Sic enim ad Philip. 1. dicitur, *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in finem Chriſti Jeſu*: & cap. 2. *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*; & Jac. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Et hoc eſt contra Maſſilienſes & Semi-Pelagianos; qui, etſi viderentur à doctrina Pelagii velle recedere, dicebant tamen, hominem viribus naturæ ſuæ, poſſe quærendo, petendo, pulſando, obtinere gratiam converſionis, adeoque ex ſe habere initium fidei, incrementum verò à Deo: prout patet ex Epiſt. SS. Hilarii & Proſperi ad S. Auguſtinum: item ex ipſo S. Auguſt. lib. de Prædeſt. SS. & dono perſeverantiæ.

Quod verò attinet ad illum Scripturæ locum Iſaiæ 30. *Exſpectat Dominus ut miſereatur veſtri*, fide certum eſt, Deum non expectare in opere bono conſenſum voluntatis noſtræ: ſic enim Concil. Arauſ. can. 4. definivit, „ſi quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram „Deum

Digitized by Google

„ Deum exſpectare contendit, „ non autem, ut etiam purgari „ velimus, per Sancti Spiritus „ infuſionem & inſpirationem „ in nos fieri confitetur, reſiſtit „ ipſi Spiritui S. per Salomonem „ dicenti *præparatur voluntas à Do-* „ *mino*, & Apoſtolo ſalubriter „ prædicanti, *Deus eſt qui operatur* „ *in vobis & velle & perficere pro bona* „ *voluntate.* „ Et eapropter exſpectatio, dicto loco metaphoricè & more humano tribuitur Deo, dum videlicet facit ea quæ exſpectantes facere ſolent: ſicuti denominatur patiens & longanimis, quando facit ea quæ homines patientes facere ſolent, ſcilicet dum differt punire ad tempus peccata commiſſa.

Ex quibus omnibus patet peccatorem non ſemper habere auxilium ſufficiens ad manum, ad agendam pœnitentiam; neque Deum ita illud ei omni tempore offerre, ut ſit proximè in ejus poteſtate illud omni tempore acceptare.

Dices, 1. ad Corinth. 7. ait Apoſtolus quod, *unuſquiſque proprium donum habeat à Deo, unus quidem ſic, alius verò ſic.*

Reſp. concedendo locum Apoſtoli: ex quo tamen non ſequitur, inquit Hugo Victorinus, omnes omnino homines habere aliqua dona & gratias à Deo; nam multi ſunt, inquit, quibus nihil collatum eſt unde ſalvari poſſint; ſed locus ille Apoſtoli agit de fidelibus, dicens aliquos habere donum caſtitatis virginalis, alios vidualis, alios conjugalis: porro ſicuti ex hoc loco non ſequitur quod vir conjugatus, ſi non habeat donum continentiæ conjugalis, & ſacerdos, ſi non habeat donum caſtitatis, ſimpliciter non obligentur reſpectivè ad illam ſervandam; ita nec ſequitur quod qui non habet gratiam pœnitendi, non obligetur ad pœnitentiam: nam, ut ſupra fusè probavimus, ad multa obligantur homines partim lege Dei, partim humanâ, partim privatâ quorum gratiam ſeu donum non habent, habere tamen poſſunt Deo donante, & habebunt ſi petant juxta id *petite & accipietis*, quamvis tamen ſine Dei gratia petere non poſſint.

DUBIUM XIII.

An peccatum mortale remitti poſſit ſine pœnitentia, ſeu ſine Contritione.

HÆretici moderni nullam pœnitentiam neceſſariam agnoſcunt, ad remiſſionem peccatorum, dicentes ſolam fidem ſufficere, quâ certò credant, Chriſtum pro peccatis pleniſſimè ſatisfeciſſe,

Digitized by Google

feciſſe, & quâ ſolâ omnia peccata condonantur: ita Calvinus lib. 3. inſtitut. cap. 3. Lutherus art. 11. & 12. apud Roffenſem.

Pœnitentia eſt neceſſaria tam neceſſitate medii quàm præcepti, ad remiſſionem peccatorum.

Contra quos fide certum eſt, loquendo de lege Dei ordinaria, pœntientiam ad remiſſionem peccatorum eſſe neceſſariam, idque tam neceſſitate medii quàm præcepti.

Quod probatur.

1. Ex Scriptura S. Lucæ 13. *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*: Et Act. 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm in remiſſionem peccatorum:* Et cap. 3. *pœnitemini & convertimini ut deleantur peccata veſtra.*

2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. ubi dicitur, „ fuit autem quovis „ tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus neceſſarius: „ & cap. 1. ejuſdem ſeſſ. „ fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe peccato aliquo mortali coinquinaſſent, quovis tempore, ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam qui Baptiſmi Sacramento ablui petiiſſent. „

3. Ratione quia qui actualiter peccat propria voluntate avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam: impoſſibile autem eſt, ut ait S. Thomas, quod averſio facta à Deo, per converſionem ad bonum commutabile, tolli poſſit aliter quàm per converſionem ad Deum. Neque refert quod talis converſio ad Deum non requiratur in infantibus, dum per baptiſmum juſtificantur, quia cum non illi peccaverint propriâ voluntate, non egent quoque retractatione propriæ voluntatis.

4. Quia in humanis videmus, quod ſi quis proximo injuriam intulerit, & deſuper nullum ſignum doloris oſtendat, quòd cenſeatur adhuc in tali mala voluntate perſiſtere.

Petes, an ejuſmodi pœnitentia debeat eſſe formalis, & expreſſa.

Debet eſſe formalis & expreſſa quando homo eſt conſcius peccati mortalis.

Reſp. affirmativè; loquendo de homine habente conſcientiam peccati mortalis; nam qui Deum mortaliter offendit, & illius recordatur, non verè illum diligit ſi actu non doleat de peccato commiſſo: nam charitas dictat, ut, qui Deum offendit, primò doleat ſe offendiſſe, ſi velit reconciliari. Porro loquendo de homine qui non habet conſcientiam peccati mortalis, ſed bonâ fide putat ſe eſſe in ſtatu gratiæ, cum tamen ſit in ſtatu peccati mortalis, poterit is juſtificari per actum charitatis, tamquam per pœnitentiam virtualem; eò quod

Digitized by Google

quod ejuſmodi actus extendat ſe ad odium & deteſtationem omnis peccati mortalis.

An poſſit Deus peccata mortalia remittere ſine ulla contritione.

Petes, an ſaltem per potentiam Dei abſolutam nequeat remitti peccatum mortale ſine ulla pœnitentia, idque vel per liberam Dei condonationem, vel per infuſionem gratiæ habitualis.

Antequam reſpondeatur.

Prænotandum. Tria ex actu peccati mortalis, poſtquam tranſiit, permanere; ſcilicet maculam, reatum, & pœnam. Quod attinet ad maculam, ſicuti corpus bene politum & nitidum ex contactu corporis immundi fœdatur & maculam contrahit, ſic anima affectu res immundas tangendo, id eſt amando, ſimilem in ſe maculam contrahit: duplex autem eſt peccati macula, quarum una conſiſtit in morali turpitudine relicta ex actu præterito non retractato, alia in privatione gratiæ habitualis. Prior oritur ex quovis peccato ſive mortali, ſive veniali; poſterior ex ſolo mortali: prior eſt cuilibet peccato propria: unde prout ſingula peccata actualia inter ſe ſunt diſtincta; ita quoque ſingulæ maculæ ex illis relictæ: ab hac prima macula peccator appellatur fur, homicida, mendax, adulter &c. non verò à poſteriori; quippe quæ nulli peccato ſpecialiter eſt propria, ſed æqualiter reperitur in quovis mortali. Quibus præmiſſis.

Duplex ex peccato mortali relinquitur macula.

Quod attinet ad priorem maculam, nulla apparet repugnantia, quo minus peccatum mortale tolli poſſit per liberam Dei condonationem, ſine aliquo contritionis motu: nam, cum ille ſolum diſpoſitivè tollat peccatum mortale, non erit Deo impoſſibile cauſare ejuſmodi effectum ſine prævia diſpoſitione, quam ipſe poterit ſupplere; eò magis, quòd poſt completum peccatum voluntas tantùm maneat habitualiter averſa à Deo, quæ averſio tolli poteſt ſine contritione formali vel virtuali: ut patet in parvulis, à quibus hæc per baptiſmum tollitur ſine ulla prævia pœnitentia formali vel virtuali. Præterea hæc averſio habitualis à Deo in peccatore non eſt realis, ſed merè moralis conſiſtens in æſtimatione hominum, prout patet in humanis, veluti dum quis affecit alterum injuria, cenſetur hæc moraliter permanere, donec pro ea ſit ſatisfactum, adeoque ſit condonata: ex quo patet ejuſmodi habitualem averſionem tolli poſſe per liberam Dei condonationem.

Porro quod attinet ad ſecundam

Digitized by Google

dam maculam conſiſtentem in privatione gratiæ habitualis, illa tolli non poteſt per ſolam extrinſecam Dei condonationem; eò quod privatio alicujus formæ tolli nequeat à ſubjecto niſi per informationem formæ oppoſitæ: prout patet in omnibus privativè oppoſitis: ac proinde hæc macula tolli nequit ſine infuſione gratiæ ſanctificantis cui privativè opponitur. Non apparet autem ulla repugnantia in eò quod Deus peccatori infundat gratiam habitualem, ſine motu actualis contritionis: adeoque de potentia abſoluta poteſt Deus remittere peccatum mortale hohomini, ſine ulla ejus pœnitentia actuali.

DUBIUM XIV.

An poſſit quem pænitere de uno peccato mortali, ſicut unum poſſit remitti non remiſſo alio.

Habens plura mortalia non poteſt vere conteri de uno & non de aliis.

RESp. negativè, quia in omnibus peccatis eſt eadem ratio dolendi & pœnitendi, ſcilicet offenſa Dei ſummè boni; adeoque dum quis dolet de uno, dolet quoque de alio; eo prorſus modo quo quis non poteſt diſcredere uni articulo fidei quin diſcredat omni, eò quod fides innitatur eidem auctoritati Dei obſcurè revelantis; quam ſi contemnat in uno articulo, cenſetur illam contemnere in omnibus. Præterea nullum peccatum remittitur ſine infuſione gratiæ habitualis; ſed illa excludit omne peccatum mortale, cum omni adverſetur: ergo unum remitti nequit ſine altero.

Dices, non tenetur quis de omnibus ſuis peccatis mortalibus ſimul dolere, quia præceptum contritionis eſt affirmativum, quod non obligat omni tempore; ergo poterit modò de uno dolere, & poſtmodum de altero.

Reſp. quidquid ſit de antecedente: negando conſequentiam, loquendo de dolore tendente ad reconciliationem cum Deo; qui, ut ſit legitimus, debet eſſe de omnibus, alioqui futurus invalidus & inſufficiens.

Dices, quando aliqua non ſunt neceſſariò ſimul juncta, poteſt unum tolli ſine alio; ſed peccata mortalia non ſunt neceſſariò ſimul juncta; ergo.

Reſp. eſto peccata mortalia non ſint neceſſariò ſimul quo ad converſionem ad bonum commutabile, ſunt tamen taliter conjuncta ex parte averſionis à Deo; & gratia juſtificans expellens unum, neceſſariò expellit omnia.

Dices,

Dices, peccata ſunt quædam debita, quæ dimiti nobis petimus in Oratione Dominica; ſed unum debitum remitti poteſt ſine altero; ergo & unum peccatum mortale remitti poteſt ſine altero.

Non poteſt unū peccatū mortale remitti alio non remiſſo.

Reſp. negando conſequentiam; etenim eſto ſubſumptum ſit verum quoad debitum juſtitiæ, nullatenus tamen verificari poteſt quoad debitum amicitiæ: & eapropter ſicuti in humanis videretur ridiculum petere ab aliquo veniam pro una offenſa, & non pro alia; idipſum quoque dicendum videtur de Deo.

DUBIUM XV.

An remiſſâ culpâ per contritionem, remittatur quoque reatus pœnæ unâ cum reliquiis peccatorum.

Remiſſo peccato mortali remittitur ſimul reatus pœna æterna.

RESp. duplicem eſſe reatum pœnæ, æternæ ſcilicet & temporalis. Porro quandocumque remittitur culpa mortalis, ſimul quoque remittitur reatus pœnæ æternæ: ratio eſt quia culpa mortalis non remittitur ſine infuſione gratiæ habitualis; ſed gratia habitualis conſtituit hominem dignum vitâ æterna; ergo per remiſſionem culpæ mortalis tollitur quoque reatus pœnæ æternæ; eò quod nemo poſſit eſſe dignus ſimul vitâ æternâ & pœnâ æterna. Quod ad reatum pœnæ temporalis peccato debitæ ſpectat, ille non ſemper tollitur condonatâ culpâ: quod eſt de fide, definitum in Concil. Trid. ſeſſ. 14. can. 14. his verbis, „ ſi quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa „ remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non „ eſſe aliam quàm fidem quâ apprehendunt Chriſtum pro eis „ ſatisfeciſſe, anathema ſit. „ Quia verò hæc remanens pœna temporalis eſt fundamentum indulgentiarum, ſatisfactionis Sacramentalis, & purgatorii, idcirco hæreticis noſtris omnimodè eſt odioſa.

Peccato dimiſſo quoad reatum ſæpe remanet reatus pœna temporalis ſolvenda hic vel in purgatorio.

Porro dupliciter intelligi poteſt poſt remiſſam culpam remanere pœnam temporalem; ſcilicet quæ ſolvenda ſit in hac vita, vel futura: priorem adhuc aliquouſque concedunt hæretici, ſcilicet quod Deus quandoque immittat pœnas temporales ad emendationem in futurum, ſed nullatenus in vindictam peccatorum præteritorum: cujus tamen contrarium eſt de fide, ut patet ex loco Concil. Trid. cit. & confirmatur exemplis humanis: nam etſi homo homini ſæpè condonet injuriam ſibi ab altero illatam, non tamen propte-

Digitized by Google

rea condonat ſatisfactionem v. g. reparationem honoris, aut famæ læſæ: ac eapropter, cùm peccatum non tantùm ſit contra Dei amicitiam, ſed etiam contra juſtitiam, poterit Deus recipere aliquem in ſuam amicitiam ignoſcendo culpam, ut tamen velit habere ſatisfactionem pro læſione juſtitiæ.

Probatur hoc ipſum ex Scriptura S. Num. 13. cum populus murmuraſſet, Deus dimiſit illi hanc culpam ob preces Moyſis, attamen in pœnam iſtius peccati neminem voluit ingredi terram promiſſionis, præter Joſue & Caleb, qui non murmuraverant. Ita quoque puniti ſunt Moyſes & Aaron ob peccatum incredulitatis, ut habetur Num. 20. ubi dicitur: *Quia non credidiſtis mihi, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*: ita ſimiliter David poſt patratum homicidium & adulterium punitus eſt morte filii ut habetur 2. Reg. cap. 12. & hinc, dicente David, *peccavi Domino*: reſpondit Nathan, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*, ſcilicet quo ad culpam & pœnam æternam: *ſed quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, filius qui natus eſt tibi morte morietur.* Denique Adamo & poſteris ejus poſt remiſſum peccatum originale, mors & aliæ hujus vitæ miſeriæ tamquam pœnæ temporales, reſtant adhuc luendæ.

Dices, ſublatâ causâ tollitur effectus, ſed pœna temporalis eſt effectus culpæ; ergo illâ ſublatâ tollitur quoque pœna temporalis.

Reſp. aſſumptum non eſſe univerſaliter verum: ſiquidem ſunt multæ cauſæ; quæ, etſi ſecundùm ſedeſinant, relinquunt tamen poſt ſe effectum: ut patet in parentibus mortuis, qui poſt ſe relinquunt filios ſuos: ac proinde axioma illud intelligitur de effectibus, qui non tantùm in fieri, ſed & in conſervari pendent à ſua cauſa, qualis non eſt reatus pœnæ temporalis.

Dices, Chriſtus ſufficienter ſatisfecit pro peccatis noſtris, tam quo ad culpam, quàm quoad pœnam, ergo dum illius ſatisfactio nobis applicatur per gratiæ infuſionem, tollitur ſimul tota pœna.

Chriſti paſſio eſt ſufficiens pro delendis peccatis omnibus, non tamen efficaciter omnibus hominibus applicatur.

Reſp. Chriſti paſſionem eſſe quidem ſufficientiſſimam reconciliandis omnibus hominibus, illam tamen efficaciter ſolùm valere illis pro quibus applicatur: porro illa applicatio fit ſecundum Dei voluntatem, qui ſæpe applicat ſatisfactiones Chriſti pro culpa & pœna æterna, non tamen pro pœnis temporalibus adhuc reſtantibus poſt peccata

Digitized by Google

æata remiſſa, prout patet ex Scripturis ſupra citatis.

Dices, contritio tollit quod majus eſt, ſcilicet pœnam æternam; ergo poteſt tollere quod minus eſt, ſcilicet pœnam temporalem.

Reſp. negando conſequentiam: neque enim contritio tollit pœnam æternam cauſaliter, ſed ſolùm per accidens & conſecutivè, quatenus nimirum tollit culpam, cum cujus ſublatione illa nequit conſiſtere: pœna autem temporalis non tollitur per accidens & conſecutivè; ſiquidem ſimul poteſt conſiſtere cum ſublatione culpæ; ſed tollitur per ſe, ſcilicet exhibendo Deo aliquam ſatisfactionem iſti pœnæ æqualem.

Non omnes juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum.

Dices, inter articulos à Pio V. damnatos 69. ſic habet, „omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum „ipſorum; ergo ejuſmodi pœnæ temporales non debentur pro peccatis.

Reſp. merito hanc propoſitionem damnari; eo quod plurimæ ejuſmodi afflictiones ſint pœnæ ſolummodo medicinales, quæ propriè non habent rationem pœnæ; eò quod ſæpe ſolum immittantur à Deo, vel ad cautelam in futurum; vel ad exercitium patientiæ, aut alterius virtutis: cum quo tamen bene conſiſtit aliquas ejuſmodi afflictiones, quatenus ſunt ſatisfactoriæ, poſſe infligi pro peccatis.

Petes, an de potentia Dei abſoluta fieri poſſit, quod remiſſâ culpâ mortali, remaneret reatus pœnæ æternæ, quam patiuntur damnati.

Non poteſt Deus hominem juſtum damnare in æternum.

Reſp. negativè, eò quod illa includat odium Dei, blaſphemiam, deſperationem, conſcientiæ vermem, quæ omnia ſe non compatiuntur in homine juſto: ac eapropter, eſto Deus ſit abſolutus Dominus ſuarum creaturarum, de quibus, præveniendo omnes ſuas promiſſiones, poteſt ſtatuere prout vult, non tamen poteſt poſt remiſſam culpam mortalem punire pœnâ æternâ: & hinc pulchrè ait S. Auguſt. lib. 3. contra Julianum cap. 28. „bonus eſt Deus, ju„ſtus eſt Deus; poteſt aliquos „ſine bonis meritis liberare, quia „bonus eſt; non poteſt aliquem „ſine malis meritis damnare, „quia juſtus eſt.„

Remiſſâ culpâ, non ſtatim tolluntur ejus omnes reliquiæ.

Petes, an remiſſâ culpa mortali tollantur omnes reliquiæ peccatorum, id eſt pravæ inclinationes & ſimiles peccatorum effectus.

Reſp. negativè, ſaltem ordinariè: unde & frequenter manent in juſtificatis, ut docet Conc.

Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. ubi ait, „ medentur quoque (loquitur „ de ſatisfactionibus) peccato-„ rum reliquiis: vitioſos habitus, „ malè vivendo comparatos, con-„ trariis virtutum actionibus tol-„ lunt. „ Et hinc multi in initio ſuæ converſionis ab illicitis vo-luptatibus abſtinendo, maxi-mas difficultates & moleſtias pa-tiuntur, dum carnem ſpiritui ſub-jicere ſatagunt. Dicit hoc ex-perientiâ duce S. Auguſt. lib. 1. Confeſſ. cap. 5. ſic exclamans, „ ex voluntate perverſa, facta „ eſt libido, & dum ſervitur li-„ bidini, facta eſt conſuetudo, & „ dum conſuetudini non reſiſti-„ tur, facta eſt neceſſitas: „ Ita nimirum, ex frequentatis pecca-minoſis actibus, homines ſibi in-extricabiles conficiunt catenas & craſſos adeo ſibi nectunt funes, ut etiam in ſtatu juſtificationis conſtituti illos vix poſſint di-rumpere, & quotidie contra il-los cogantur pugnare.

Ex hoc capite oritur quod ebrioſi, avari, ſuperbi &c. in perpetuis vitiorum involvantur cogitationibus, ad quæ propen-det depravata natura, & ferè ſemper illa operentur, niſi illis fortiter reſiſtant in fide, habitu pravo facilitatem, quin & ne-ceſſitatem inducente. Felix pro-inde anima, quæ à juventute ſua bonis & ſanctis aſſuevit habiti-bus; ſiquidem tam profundas quandoque paulatim in virtuti-bus jacit radices, ut contra illas nequeat peccare, niſi vim ſibi in-ferendo, adeoque tanta facilita-te inſiſtat virtutum actibus, quan-ta impius inſiſtit peccatorum ſordibus. Hoc tamen verum eſt quod Deus ex ſingulari ſua gra-tia & miſericordia, ita perfe-ctè aliquos peccatores, quando-que etiam in initio ſuæ conver-ſionis, ab hiſce pravis habitibus & inclinationibus ſanet, ut ſimul omnes tollat, ut patuit in SS. Magdalena, Auguſtino, Igna-tio, & plurimis aliis Sanctis.

DUBIUM XVI.

An poſtquam peccata per con-tritionem ſunt remiſſa, illa per ſubſequens peccatum re-vertantur?

Reſp. & dico 1. certum eſſe eadem numero peccata an-te commiſſa & condonata non poſſe redire; ſiquidem hoc fie-ri non poſſet niſi miraculoſe & ſupernaturaliter, eò quod idem numero actus viribus naturæ ne-queat reproduci; ita ut iſtorum actuum peccaminoſorum repro-ductio deberet Deo attribui; ex quo ſequeretur Deum eſſe au-thorem peccati: quod blaſphe-mum eſt & abſurdum. Idem di-cendum

Idem numero peccatū ſemel re-miſſum non po-teſt redi-re.

cendum de macula peccati, quippe quæ deſtructa redire non poteſt, niſi revertatur idem peccatum actuale ex quo oritur.

Nec per peccatũ ſubſequẽs ſemel remiſſa ſimpliciter redeunt.

Dico 2. per ſubſequens peccatum non revertuntur peccata ante per pœnitentiam remiſſa ſimpliciter; ita ſcilicet ut ſubſequens illud peccatum non tantum inducat maculam & reatum ſibi proprium, ſed & totaliter reducat antiquas peccatorum remiſſorum maculas, perinde acſi ſemper perſeveraſſent, ſaltem imputativè; ratio eſt quia beneficium remiſſionis peccatorum non eſt conditionatum pendens à futura conditione, ſed abſolutum & perfectum, prout Scriptura S. plurimis locis nobis inſinuat; uti dum ait hominem *mundari purgari, à peccatis ablui, & ſuper nivem dealbari*, quibus ſignificat peccata perfectè tolli: & ita Matth. 18. ait Chriſtus, *quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælis*, id eſt coram Deo abſoluta, & perfectè ſoluta: quæ certè ſi per ſubſequens peccatum redirent, non eſſent perfectè ſoluta; ſicuti cum peccatum ſub conditione tantum remittitur, non eſt peccator perfectè ab eo abſolutus.

Peccata remittuntur à Deo abſolutè & non conditionaliter.

Nihil tamen obſtare videtur quo minus dici poſſit peccatum à Deo poſſe remitti ſub conditione, uti & reatus pœnæ æternæ; non enim apparet cur abſolutè Deus non poſſet ſtatuere, ac etiam dicere, ſe peccatori remittere commiſſum peccatum ſub hac conditione tamen, ſi in illud non reincidat, & quod, caſu quo reincidet in idem, non ſolùm illud, ſed & antiqua ejus omnia peccata ipſi ad damnationem imputabuntur; neque hoc caſu antiqua moralis averſio ſive macula, quæ cenſetur redire, erit in Deum tamquam authorem refundenda, ſed in hominem qui peccavit; quique non aliter conſecutus eſt prioris delicti remiſſionem quam ſi, & quamdiu, juſtitiam conſervaret. Quia tamen non exſtat locus in Scriptura Sacra oſtendens quod Deus peccata ſub ejuſmodi conditione remittat, idcirco dicimus, illa nullatenus per ſubſequens peccatum redire.

Dices, parabola de ſervo nequam Matthæi 18. cui Dominus *omne debitum dimiſerat*, apertè oſtendit peccata remiſſa redire, nam poſtquam noluerat conſervo ſuo condonare quod debebat, juſſus eſt conjici in carcerem *quoad uſque ſolveret noviſſimum quadrantem*: & addit Chriſtus, *ſic & Pater veſter cæleſtis faciet vobis, ſi non dimiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.*

 Reſp.

Reſp. non omnia, quæ in parabolis dicuntur, eſſe applicanda ad rem propoſitam, ſed multa ſolùm dicuntur ornatùs cauſa: unde ſcopus parabolæ venit potiſſimùm attendendus, prout & omnia illa quæ ad illum ſcopum tendunt: porro voluit Chriſtus in hac parabola monſtrare, quàm grave peccatum ſit inclementia in fratrem commiſſa, quæ tamen ab hominibus non ſolet magni fieri: nam occaſione petitionis Petri, *quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei*, Chriſtus parabolam hanc propoſuit.

Cur bona opera per peccatum mortificata, potiùs reviviſcant per pœnitentiã, quàm peccata priùs dimiſſa redeant per ſubſequens peccatum.

Dices, merita per peccatum mortificata denuo per pœnitentiam reviviſcunt, ergo & peccata remiſſa per ſubſequens peccatum revertuntur.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diverſitatis eſt quia merita per ſuperveniens peccatum non deſtruuntur, ſed manent in memoria & acceptatione Dei, adeoque ſolùm impediuntur à mercede in tali homine ratione peccati, ac proinde ſublato peccato, tamquam obice & impedimento, denuò incipiunt habere ſuum effectum: peccata verò quando remittuntur per infuſionem gratiæ ſanctificantis, ita deſtruuntur ut nihil eorum remaneat in memoria Dei, qui novit ſe eorum maculas omnino deleviſſe: Præterea merita illa numquam fuerunt remunerata, quæ proinde meritò reviviſcunt, peccata autem per pœnitentiam ex Chriſti meritis fuerunt compenſata, adeoque non poſſunt redire.

Dices, Ezech. 18. dicitur de juſto peccante, *ſi averterit ſe juſtus à juſtitia & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur*: & de impio pœnitente dicitur eodem loco, *ſi impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor amplius*: Unde patet quod Deus recordetur juſtitiarum ſi impius agat pœnitentiam; ergo ſimiliter recordabitur priorum iniquitatum ſi juſtus denuo labatur; ergo peccata ſemel remiſſa per ſubſequens peccatum revertuntur.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diverſitatis ſufficienter patet ex antedictis. Porro ſenſus Scripturæ hìc citatæ eſt, ſi juſtus fecerit injuſtitiam, & in ea permanſerit, nihil ei proderunt antiqua merita: & ſi peccator converſus fuerit, & in gratia perſeveraverit, nihil ei nocebunt antiqua peccata.

Dices, eadem numero peccata remiſſa poſſunt placere voluntati; ergo poſſunt redire quoad reatum.

Reſp.

Reſp. negando conſequentiam: quia tunc voluntas, per illum actum complacentiæ com mittit novum peccatum, nec revertuntur antiqua, ſed illa reſpectu hujus complacentiæ habent ſe per modum objecti.

Quo ſenſu verum ſit præterita peccata remiſſa per peccatū ſubſequēs aliquo modo redire.

Dico 3. peccata remiſſa, eſto per ſubſequens peccatum mortale non revertantur formaliter, revertuntur tamen ſecundum quid, & impropriè. Idque diverſis modis.

1. Quatenus Deus pœnam temporalem quam infligit quibuſdam peccatis, & remiſit pœnitentibus, per ſubſequens peccatum facit reviviſcere: ita enim filii puniuntur quandoque ob delicta parentum, dum in ipſis illa peccata continuantibus ita graviter puniuntur, ut eo modo in illis non fuiſſent punita ſi parentum peccata non præceſſiſſent, ita ut remiſſio pœnæ temporalis tantum ſit conditionata, & dependens à conditione de non iterando peccato: & hoc modo dicitur Deus in Scriptura S. recordari peccatorum quorum fuerat oblitus, ut Pſal. 78. *ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum*: & Job 3. *ne remiſcaris peccata mea vel parentum meorum*: prout & Pſalm. 18. *in memoriam redeat iniquitas Patrum ejus.*

Remiſſio peccatorum præteritorū eſt circumſtantia agravans nova peccata.

2. Peccata remiſſa per ſubſequens peccatum dicuntur reverti ratione ingratitudinis, quæ conſiſtit in contemptu prioris beneficii: ita quidem ut quò plura vel majora peccata fuerint commiſſa, & poſtea remiſſa, tantò gravior & deterior ſit circumſtantia ingratitudinis in ſubſequenti peccato; nam remiſſio peccati eſt ſummum beneficium peccatori præſtitum, qui proinde tot accipit à Deo beneficia quot illi remittit peccata: eapropter ſicuti vaſallus dum poſt plurima accepta beneficia, Regem ſuum benefactorem novâ afficit injuriâ, hæc eò cenſetur gravior quò plura ab eo accipit beneficia: ita dum peccator poſt aliquoties remiſſa peccata Deum denuo offendit, hæc culpa cenſetur gravior quò plura peccata illi antea fuerunt remiſſa; idque ob circumſtantiam ſummæ ingratitudinis.

Quod etiam locum habet in venialibus deliberatè commiſſis.

Petes, an hoc peccatum ingratitudinis ſolùm contingat in peccatis mortalibus, an verò etiam habeat locum in venialibus delibertatè factis poſt obtentam aliorum remiſſionem.

Reſp. affirmativè; nam ratio allata pro mortalibus cum proportione militat etiam pro venialibus,

Petes, an hæc ingratitudo qua quis poſt peccata multoties remiſſa

Digitized by Google

remiſſa, denuo in illa relabitur, ſit neceſſariò confitenda.

An illa ingratitudinis circumſtantia debeat exprimi in confeſſione.

Reſp. duplicem eſſe ingratitudinem, unam ſcilicet materialem, quæ eſt circumſtantia generalis omnium peccatorum commiſſorum, poſt acceptam præcedentium remiſſionem; alteram verò formalem, quæ tunc contingit, quando quis aliquid facit cum expreſſa intentione contemnendi beneficium acceptum: nam, ſicuti gratitudo formalis poſtulat ut aliquid fiat cum intentione compenſandi beneficium, & obedientia formalis requirit ut præceptum ſervetur cum expreſſa intentione parendi ſuperiori vel legi: & ſicuti inobedientia formalis non ſubſiſtit, niſi quis aliquid faciat cum expreſſa intentione non obediendi; ita pariformiter ad ingratitudinem formalem requiritur ut beneficium directè contemnatur.

Porro ingratitudo formalis, ſicuti eſt ſpeciale peccatum, ita quoque venit neceſſariò in confeſſione explicanda, ut dum quis vult v. g. committere aliquod peccatum in contemptum Dei, vel beneficii accepti.

Quod attinet ad ingratitudinem materialem ſitam in ſubſequenti peccato poſt priora remiſſa, eſto hæc non ſit ſpeciale peccatum, propterea tamen non eſt cenſenda minus malum, nec minùs timenda; quin potius aſſiduitas illâ peccandi maximè formidanda: nam 1. animam inexplicabilibus vinculis irretit, tollit vires ejus ad facienda opera bona, obdurat & excæcat animam in tantum ut nec videat nec curet periculum in quo miſera verſatur; quæ proinde à Parochis & Concionatoribus populo frequenter ſunt inculcanda ut à facilitate illa labendi in peccata deterreatur, & multò magis ab hac vulgari opinione quod ſit facile, etiam poſt infinitos lapſus, infinities pœnitere: contra quos agens S. Petrus epiſt. 2. cap. 2. *melius*, inquit, *erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt cognitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Et Euangeliſta Lucas cap. 11. ait, *fiunt noviſsima hominis illius pejora prioribus*: quæ verba perfectò ſunt magis formidanda quàm exponenda.

Et licet Paſtores & Confeſſarii cavere debeant, ne pœnitentes per nimium rigorem redigantur in deſperationem; cavere tamen etiam iidem debent, ne patrocinentur viæ latæ ducenti ad perditionem: & eapropter valde profundè imprimere oportet pœnitentibus quàm ſit illis timendum

Digitized by Google

dum quos conſuetudo peccandi immerſos tenet, & quos nonnumquam ſic imparatos obruit mors: de quibus S. Auguſtinus, „væ, „ inquit peccatis hominum quæ „ ſola inuſitata horreſcimus, uſitata verò, quamvis tam magna ſint „ ut omnino claudi contra ſe faciant regnum Dei, videndo omnia tolerare, ſæpe tolerando innumera etiam facere cogimur.

Certè quantò ſæpius peccata perpetrantur, tantò leviora videntur; & ideo levis aut nulla de illis agitur pœnitentia: unde fit quod magnopere timendum ſit, ne in ultimo mortis articulo aut parva, aut nulla agatur de illis pœnitentia.

Eſt circumſtantia frequentis recidivæ in confeſſione explicanda.

Porro hæc generalis ingratitudo venit in confeſſione explicanda; partim tamquam circumſtantia notabiliter aggravans poſt multas eaſque graves recidivas, partim & alio titulo, nempe ut Confeſſarius cognoſcat ſtatum pœnitentis, habeatque moralem certitudinem de non impendenda abſolutione indigno, & inſuper an prǽteritæ confeſſiones fuerint invalidæ, adeoque an pœnitens non obligetur illas repetere.

Petes, an peccatum poſt innocentiam commiſſum, ſeu poſt acceptam gratiam baptiſmalem, ſit majus peccato poſt pœnitentiam commiſſo.

Reſp, cæteris paribus major eſt ingratitudo peccare poſt obtentam remiſſionem peccatorum per pœnitentiam, quam peccare poſt innocentiam: ratio eſt quia etſi innocentia per ſe ſit majus bonum, quàm remiſſio peccatorum, tamen remiſſio peccatorum eſt majus beneficium: neque enim beneficii magnitudo tam attenditur ex magnitudine rei quæ accipitur, quam ex comparatione agentis ad dantem: unde majus eſt beneficium ſi mendico pauperi des panem & aquam, quam ſi diviti amicò des lautum convivium.

Petes, an reatus ſequentis peccati poſſit eſſe tantus, quantus erat omnium peccatorum præcedentium.

Reſp. affirmativè; quia peccatum ſequens ſe ſolo poteſt eſſe tam enorme, quàm omnia præcedentia ſimul ſumpta: attamen hoc non eſt ſemper neceſſarium, eò quod quantitas reatûs advenientis commenſuretur gravitati peccati ſequentis, quod ex ſua ſpecie poteſt eſſe minus grave quam omnia præcedentia ſimul ſumpta: ut v. g. ſi ſubſequens peccatum ſit admiſſum ex infirmitate aut ignorantia, præcedens verò ex pura malitia: nec verum eſt ob circumſtantiam ingratitudinis ſemper tantum eſſe

Peccatū iterum commiſſum non eſt ſemper gravius quā omnia peccata antea commiſſa.

reatum peccati ſequentis quantus erat peccatorum præcedentium remiſſorum; nam illa ingratitudo auget tantùm ſubſequens peccatum intra eandem ſpeciem; quod cum quandoque poſſit eſſe majus, quandoque minus quàm præcedens peccatum, contingit quoque reatum illius quandoque eſſe majorem, quandoque minorem.

Dices, eſto reatus pœnæ ſenſûs non ſemper ſit tantus in peccato ſequenti quantus erat in præcedentibus, attamen reatus pœnæ damni eſt in omnibus æqualis, quippe conſiſtens in privatione beatitudinis, in qua non datur majus aut minus.

Reſp. privationem æternæ beatitudinis dupliciter poſſe ſpectari, ſemel ut privatio, & ſic in ea non datur majus aut minus; ſecundò ſub ratione pœnæ, quæ eſt major vel minor prout dicit ordinem ad majora vel minora peccata quę ſunt illius cauſa; nam is qui privatur æternâ beatitudine ob majora peccata, magis in inferno triſtatur ob amiſſam beatitudinem propter illa, quàm qui triſtatur de illa amiſſa propter minùs gravia peccata.

DUBIUM XVII.

An opera bona & meritoria per peccatum mortificata reviviſcant per Pœnitentiam

PRænotandum opera verſari potiſſimùm in quadruplici genere, nam alia ſunt viva, alia mortua, alia mortifera, alia mortificata. *Opera humana ſunt quadruplicis generis.*

Viva dicuntur quæ fiunt ab homine exiſtente in ſtatu gratiæ, ſuntque meritoria vitæ æternæ. *Alia ſunt Viva.*

Mortua ſunt, opera ex objecto bona quæ fiunt ab homine exiſtente in peccato mortali. *Alia Mortua.*

Mortifera ſunt, opera mortaliter peccaminoſa inferentia mortem animæ: unde & ab eo ſic dicta. *Alia Mortifera.*

Mortificata ſunt, quæ quidem proceſſerunt à vitâ, id eſt homine exiſtente in ſtatu gratiæ, ſed per peccatum mortale ſuperveniens impediuntur effectu vitæ. *Alia Mortificata.*

Ratio hujus diviſionis eſt, quia quod anima eſt reſpectu vitæ corporis, hoc eſt gratia reſpectu vitæ animæ: & hinc dicitur ille ſpiritualiter vivus qui eſt in gratia, ſicuti ille dicitur mortuus qui eſt in peccato mortali: & quia vitales operationes debent procedere à principio vitali, hinc dicuntur opera illa viva quæ ſunt *Gratia eſt vita animæ.*

à

Digitized by Google

à gratia tamquam à principio vitali; illa mortua quæ non procedunt à tali principio. Quibus præmiſſis.

Opera mortifera aut mortua non vivificantur per pœnitentiam.

Dico 1. nec opera mortua, prout neque mortifera per ſequentem pœnitentiam reſurgunt neque fiunt meritoria vitæ æternæ: ratio eſt, quia reviviſcere non eſt aliud, quàm; ſublato impedimento peccati accipere eundem valorem quem opera habebant quando primò fuerunt facta; ſed opera mortua quando fuerunt facta non habuerunt illum valorem; ergo neque poſtmodum illum recipient: ſubſumptum probatur quia ut dicitur Eccl. 34. *dona iniquorum non probat altiſſimus*: & 1. Corinth. 13. ait Apoſtolus: *ſi dedero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Nec quoad meritum nec quoad ſatisfactionem.

Petes, an ſaltem ejuſmodi opera mortua non reviviſcant ad ſatisfactionem, quamvis non reviviſcant ad meritum.

Reſp. negativè, quia dignitas operis & valoris ejuſdem propriè ſpectatur apud Deum ex dignitate operantis; ſed peccator operans eſt Deo exoſus & inimicus; ergo ejus opus non æſtimatur apud Deum neque in ratione meriti, neque in ratione ſatisfactionis.

Petes, an ergo ejuſmodi opera ad nihil ſint utilia

Bona opera à peccatore facta ad quæ ſint utilia.

Reſp. eſſe utilia valent enim 1. ad bona temporalia à Deo impetranda. 2. Si fiant cum auxilio gratiæ actualis, poſſunt paulatim animam de longinquo diſponere ad gratiam habitualem. 3. Valent ad vitanda majora tormenta in inferno, quatenus per hujuſmodi bona opera aliquouſque adimplentur præcepta, quorum violatione majora tormenta eſſent in inferno ſubeunda: quæ omnia hiſce verſibus comprehendit Gloſſa.

Quæ cum mortali fiunt, donant bona terræ
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

Bona opera meritoria mortificata per ſubſequens peccatū, reviviſcunt in juſtificatione.

Dico 2. etſi non ſit fidei quod opera bona per peccatum mortificata aliquando reſurgant per pœnitentiam (quia hoc neque habetur expreſſum in Scriptura Sacra, neque per traditionem; neque ab Eccleſia ſub his terminis eſt definitum) attamen hoc ita certum eſt ut ſine temeritate negari non poſſit, cum ſit communis omnium Theologorum ſententia, quæ ſatis colligitur ex Concil. Trident. prout videbitur; eſtque conſentanea divinæ providentiæ & bonitati, prout & humanæ fragilitati. Si enim non reviviſcerent, hoc ipſo ad puſillani-

d by Google

ſillanimitatem, deſidiam, deſperationem, & impœnitentiam, homines adducerentur, dum ſibi perſuaderent bona opera ante facta ſic per peccatum ſubſequens eſſe mortificata ut per ſubſequentem pœnitentiam nullatenus reviviſcant.

Probatur illa aſſertio ex Scripturis.

Probatur 1. ex Scriptura S. Ezech. 33. *impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua*: & cap. 18. *ſi impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum ejus non recordabor*: ſed illa plurimum nocerent ſi impedirent fructum bonorum operum ante præſtitorum; ergo.

Probatur 2. ad Hebr. 6. ubi ſic ait Apoſtolus. *non enim injuſtus eſt Deus ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis & miniſtratis.* Ex quo loco ſumitur ſolida probatio hujus aſſertionis: nam cum inter Hebræos recenter converſos eſſent plures minùs in fide conſtantes, ne ab ea deficerent & laberentur, Apoſtolus volens eos excitare & revocare ad pœnitentiam, id facit proponendo quod bona eorum opera ante facta, non ſint tradita oblivioni coram Deo, ſed ſint illis profutura ſi pœniteant.

Et ex Concilio Trident.

Cui explicationi favet Conc. Trid. quod ſeſſ. 6. cap. 16. ſic ait, „ juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò „ conſervarint, ſive amiſſam recuperarint, proponenda ſunt „ Apoſtoli verba, *abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non ſit inanis coram Domino: non enim injuſtus eſt Deus ut obliviſcatur operis veſtri* &c. Ex quo loco Concilii habemus Apoſtoli ſententiam ad Hebræos intelligi de operibus juſtorum per peccatum mortificatis. Patet hoc ipſum ex Canon. 32. ejuſdem ſeſſ. ubi Concilium ad opus meritorium vitæ æternæ requirit tria tantùm, ſcilicet ut operans ſit juſtus. 2. Ut opus fiat ex gratia, & quod homo in gratia moriatur

Petes, an hæc aſſertio poſſit ratione probari.

Ex ratione non poteſt efficaciter probari.

Reſp. nequaquam efficaciter; nihil enim repugnat quo minus potuerit Deus acceptare juſtorum opera ad gloriam, & non aliter, nec aliàs, quam, ſi illa non mortificentur per peccatum mortale: interim S. Th. allegans rationem diſparitatis, quare antiqua peccata remiſſa non redeant per ſubſequens peccatum, & tamen antiqua merita per peccatum mortificata, revertantur per pœnitentiam, ait hoc ideo eſſe, quia peccata verè tolluntur & extinguuntur; merita, verò eſto per ſupervenientia peccata mortifi-

Cur potius merita reviviſcant, quam præterita peccata.

tificentur, manent tamen in acceptatione Dei, eò quod hæc habeant vim ſuam ex meritis Chriſti, quæ ſemper grata ſunt Patri æterno, etiam pro nobis exhibita cum eſſemus in peccatis, adeoque ſicut illa ſemper manent in acceptatione Dei, ita quoque opera noſtra per peccatum mortificata.

Probatur hæc aſſertio ex abſurdis & incommodis alioqui natis accidere: nam ſi eſſent duo homines quorum unus poſt 50. annos in eremo ſanctiſſimè tranſactos, dein tentatione aliquâ victus laberetur in peccatum aliquod mortale & ſtatim per contritionem reſurgeret: alius verò ſceleſtus aliquis latro, qui poſt 50. annos in latrociniis, furtis &c. tranſactos ſimili contritione reſurgeret, & ambo ſimul morerentur, ſequeretur eos eſſe pares in gloria; quod non eſt credibile.

Petes, an per pœnitentiam reſtituantur omnia merita quæ pœnitens ante habebat, an verò tantùm aliqua ſcilicet ſecundum menſuram contritionis quã in præſenti habet.

Reſp. reſtitui omnia quæ pœnitens ante habuit.

Dices, Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. ait juſtificationem proportionari diſpoſitioni ipſius hominis adulti prout & ejus cooperationi; ergo.

Reſp. hoc eſſe veriſſimum, ſed tamen aſſertioni noſtræ non obſtare, quia contritio quâ peccator in præſenti reſurgit habet ſolùm rationem diſpoſitionis in ordine ad gratiam quam de novo acquirit: & eatenus verum eſt quod qualis & quanta eſt diſpoſitio, talis & tanta ſit gratia: reſpectu vero operum bonorum per peccatum mortificatorum, præſens contritio quâ peccator reſurgit non habet rationem diſpoſitionis, ſed habet ſe ſolum adinſtar removentis prohibens, ſeu tollentis impedimentum gratiæ: adeoque hic non habetur ratio an contritio illa ſit intenſa an remiſſa, ſed ſolùm an removeat peccatum quod impediebat influxum gratiæ & meriti præcedentis.

Dices, hæc ſententia dat occaſionem ſocordiæ, dum tam facilè per pœnitentiam omnia anteriora bona reſtituuntur.

Reſp. negando, antecedens: neque enim arbitrari poſſumus quemquam eſſe ita à Deo excæcatum, ut cum neque Dei amore, neque metu gehennæ, neque incertitudine pœnitentiæ terreatur à peccato, quod hoc motivo ſolùm abſtinebit, ne fortè poſt recidivam reſurgens mi-

norem accipiat gratiam quàm ante habebat.

Petes an illa reviviſcentia meritorum fiat ex Dei miſericordia an ex juſtitia,

Illa meritorum reviviſcentia innititur partim Dei miſericordia, partim etiam juſtitia.

Reſp. ex utraque ſimul: etenim inchoatur à Dei miſericordia, & perficitur per juſtitiam: & quidem miſericordia Dei conſiſtit primò in liberali ejus promiſſione, quâ promiſit bona juſtorum opera, eſto per peccatum mortificata, remunerare, dummodo in gratia moriantur: nam cum potuiſſet ſub hâc conditione promittere præmium, ſi nimirum poſt tale meritum nullum interveniat peccatum mortale, voluit illud tamen abſolutè ex pura ſua miſericordia conferre

2. Patet Dei miſericordia in auxilio gratiæ excitantis, quo ejuſmodi peccatorem excitat & movet ad veram contritionem & ita ſublato per Dei miſericordiam peccato, ſtatim prioribus operibus bonis debetur prẹmium; quod fundatur in devina promiſſione: nec mirum eſt ex opere miſericordiæ oriri debitum juſtitiæ, cum etiam in humanis videamus ex liberali promiſſione emanare debitum juſtitiæ.

Porro ut hẹc bene intelligantur.

Notandum quod merita poſtquam tranſierunt nuſquam formaliter remaneant, ſed intuitu illorum relinquatur in homine jus ad præmium vitæ æternæ, quod jus fundatur in gratia habituali, manet autem in Deo, quantum ad acceptationem ad dandum pro illis præmium ſuo tempore: peccatum autem ſuperveniens tollit quidem formaliter gratiam ab homine, & conſequenter jus ad tale præmium ſecundùm præſentem ſtatum, ſed non tollit divinam acceptationem.

Petes an per pænitentiam reſtituantur quoque virtutes per ſuperveniens peccatum deperditæ.

Per pænitentiā reſtituuntur virtutes ſupernaturales per peccata deperditæ.

Reſp. Aff. loquendo de ſupernaturalibus, quia remiſſio peccatorum de lege Dei ordinaria non fit ſine infuſione gratiæ, virtutes autem concomitantur gratiam, ſicut proprietas ſuam formam eſſentialem.

Dixi ſignanter, virtutes per peccatum deperditæ, quia per peccatum non amittuntur omnes virtutes, non enim amittitur fides, aut ſpes: quamquam tamen dici poſſit & has duas reſtitui, nimirum juxta perfectum ſtatum virtutis, eò quod reſtituatur charitas quæ eſt omnium virtutum forma, adeoque per quam ſtatum perfectæ virtutis recuperant.

Petes an per pœnitentiam reſtituatur

Digitized by Google

ſtituatur virginitas per peccatum amiſſa.

Reſp. Aff. nempe quò ad formale illius, quod conſiſtit in propoſito abſtinendi ab omni delectatione venerea; non verò quò ad materiale, quod conſiſtit in carnis integritate abſque omni experimento venereæ delectationis.

Petes, an peccator per pœnitentiam ſemper reſurgat ad majorem gratiam quàm ante habuerat.

Peccator per pœnitentiam ſemper reſurgit ad majorem gratiam quam ante habuerat.

Reſp. Aff. nam accipit imprimis novam gratiam proportionatam præſenti diſpoſitioni ſeu contritioni: & inſuper recipit totum cumulum gratiarum quas ante habebat: nam cum illi reſtituantur omnia antiqua merita, debet illi quoque reſtitui anterior gratia illis meritis correſpondens: ſiquidem ſecundùm legem Dei ordinariam nemo acceptatur ad gloriam, niſi priùs acceptetur ad gratiam, & conſequenter nemo acceptatur ad majorem gloriam niſi prius acceptetur ad majorem gratiam.

Dices, ſi hæc vera ſint quod peccatori pœnitenti reſtituatur tota anterior gratia, ſequetur quod quis repentè ex homine ſceleſtiſſimo fiat ſanctiſſimus; ut v. g. ſi quis per 20. annos ſanctè vixiſſet & poſtmodum per 50. annos omnibus peccatorum ſordibus ſeſe inquinaſſet, ſi per pœnitentiam poſtea reſurgat, recipiet novam gratiam, ut ſupponitur, proportionatam ſuæ præſenti diſpoſitioni, & inſupe omnes gratias correſpondente antiquis meritis & operibu ſpatio 20. annorum obtentis.

Reſp. ejus modi hominem pœnitentem habitu quidem futurum ſanctiorem quàm ante erat, ſed non actu, id eſt non habiturum expeditum uſum bonis operibus inſiſtendi idque ob pravas inclinationes relictas ex prioribus peccatis per quas fiet quod ejuſmodi pœnitēs poſtmodum ſentiet graviſſimas difficultates in ipſo virtutum exercitio.

Petes an per pœnitentiam reſtituatur etiam gratia peccatori ante ex opere operato collata, idque per ſuſceptionem Sacramentorum & per ſuperveniens peccatum deperdita.

Reſp. Aff. quia illa gratia datur quoque mediatè ex meritis Chriſti, ſed merita Chriſti non ſunt minùs efficacia quàm noſtra; ergo, ſi reſtituatur gratia collata ex meritis noſtris, potiori jure reſtituetur illa quæ eſt collata ex meritis Chriſti.

Hæc de contritione dicta ſint quæ ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 14 cap. 4. primum locum inter

actus

actus pænitentis habet, in qua ne diutiùs ſubtilioribus ſpeculationibus immoremur, ad praxim ejus paucis procedamus: & primò quidem, qualiter is qui deſiderat pœnitere ſicut oportet, ſe præparare debeat, inquiramus.

DUBIUM XVIII.

Quæ præparatio ad veram contritionem ſit requiſita.

QUiſquis, peccatorum pondere prægravatus, ab eo per veram pœnitentiam ſeſe exonerare deſiderat, primò & ante omnia apud ſe certò ſtatuat illud non eſſe negotium parvi momenti, quod proinde nec oſcitanter, nec dormitanter nec perfunctoriè eſt peragendum: prout plurimi proh dolor! hoc noſtro depravato ſæculo id exequuntur. *Habentes*, ut ait Apoſtolus, *ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* ſuperficiali quadam conſcientiæ emundatione contenti; quorum profectò noviſſima fiunt pejora prioribus: prout à poſteriori animadvertere licet ex frequenti recidiva, & in eadem peccata relapſu, ſine ulla ante actæ vitæ emendatione. Magno profectò conatu opus eſt ut quis ex profundiſſima peccatorum abyſſo, ex inferno inferiori ad ſummum cœlum, & ex regione longinqua, cum filio prodigo, ad domum Patris revertatur: hoc ipſum inſinuat Salvator noſter dicens *Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud*; eò quod ad hoc opus ſit magnâ violentiâ ipſi depravatæ naturæ inferenda: hæc cum gemitu dico, quia viam cœli in hac materia adeo ſpinoſâ in tantum video dilatari contra expreſſum Salvatoris edictum. *Quam arcta eſt via quæ ducit ad cœlum*, ut cum Propheta cogar exclamare, *Popule meus qui te beatum prædicant, ipſi te ſeducunt*, & cum Sancto Cypriano, „ qui „ peccantem blandimentis, adu- „ lantibus palpat, peccandi fo- „ mitem adminiſtrat, nec com- „ primit delicta, ſed nutrit: ac eapropter huc omnis cura, omniſque conatus animæ pœnitentis eſt dirigendus, ut veram, & non fucatam de peccatis ſuis pœnitentiam agat: ad quod juvabunt ſequentia.

Veram elicere contritionem eſt arduum magis quam plerique paſſim putant.

1. Humili & ferventi oratione gratia veræ pœnitentiæ à Deo eſt poſtulanda, niſi enim Deus cor peccatoris potentiſſimâ ſuâ gratiâ ad pœnitentiam emolliat, omnis ejus conatus erit vacuus & inutilis: & hinc ait Scriptura, *poſtquam convertiſti me egi pœnitentiam.*

2.

Digitized by Google

2. Recolligendæ ſunt omnes animæ vires tam intellectus quam voluntatis, in conſideratione divinæ bonitatis & perfectionum ejus, quibus redditur ſuper omnia amabilis, prout quoque in attenta meditatione gravitatis peccatorum & ingratitudinis animæ pœnitentis; ut voluntas hoc modo incitetur ad amorem Dei ſuper omnia: niſi enim hic amor Dei prædominetur in corde peccatoris, ita ſcilicet ut Deus præ cæteris ab eo ametur & odium peccati ſit tantum, ut illud præ cæteris malis odio habeatur, numquam veraciter pœnitebit.

3. Non ſit peccator pænitens contentus his quæ intus in corde fiunt, ſed ex operibus & effectibus externis diſcat quàm fortiter Deum amet; & quàm veraciter peccata deteſtetur: porro quamvis à Doctoribus aſſignentur multa veræ pœnitentiæ indicia; præcipuum tamen, teſte S. Auguſt. eſt vitæ malè antè-actæ omni moda immutatio: ita ſcilicet ut qui ante furabatur, iam non furetur; qui ante erat luxurioſus, amodò ſit caſtus; qui ante ebrioſus, amodò ſit ſobrius; qui ante deſidioſus, amodò ſit ſedulus & diligens. Hæc verò vitæ immutatio, prævio prudenti conſilio viri pii & docti & in ſpiritualibus verſati, mandanda eſt executioni.

Petes quo modo vera contritio in actu exercito ſit elicienda. Antequam reſpondeam.

Prænotare oportet, gravem ſubinde defectum ab aliquibus confeſſariis commiti, qui exactiſſimè, ne dicam ſcrupuloſè in minutis quibuſdam & minimè neceſſariis interrogandis pœnitentes fatigant, minimè ſolliciti quo modo illos ad veram contritionem eliciciendam excitabunt: cum tamen in hoc agatur de ſumma rei; eò quod ſine hac nihil proderit, quantumvis exactiſſima conſcientiæ diſcuſſio: ea propter opus Deo maximè gratum pręſtabunt confeſſarii ſi pænitentes, præſertim rudiores modum eliciendæ contritionis, non preciſè in actu ſignato, ſed potiſſimùm in actu exercito edoceant: etenim inveniuntur plurimi in ſæcularibus negotiis verſatiſſimi, neſcientes tamen quo modo elicienda ſit contritio; qui proinde periculoſè vivunt, & periculoſiùs moriuntur, quippe ſine qua ſalvari non poſſunt.

Porro quia contritio non conſiſtit in verbis, ſed in ſincera cordis converſione & compunctione, perinde eſt quibus verbis ille contritionis actus exprimatur: pro rudioribus tamen ſubſervire poterit ſequens formula.

Mmm Domine

Digitized by Google

Domine Deus creator & conſervator vitæ meæ, ecce ego peccator ad inſtar filii prodigi proſtratus ante te amabiliſſimum patrem meum, & adinſtar Publicani oculos meos levare non audens in cælum, agnoſco culpam meam & doleo de omnibus peccatis meis, illa deteſtans ſuper omne deteſtabile, & hoc propter te ſummum & infinitum bonum ſuper omnia amabile, per hæc offenſum: & propono cum divina tua gratia illa confiteri, implere ſatisfactionem mihi injungendam, & illa poſt hac non ampliùs committere.

Vel breviter Domine Deus doleo de peccatis meis, propter te ſummum bonum offenſum, & propono ſeriam emendationem, confeſſionem, & ſatisfactionem.

Petes, an dum quis ejuſmodi verborum formulam recitavit ſive ex libello, ſeu aliunde, protinus eliciat verum actum contritionis.

Reſp. neg. ſæpe enim conſtat ejusmodi actum tantùm eſſe naturalem & oriri ex amore proprio, aut certè ejuſmodi actus frequenter tantùm conſiſtit in mera proteſtatione Deum ſuper omnia amandi, & peccata ſua ſuper omnia deteſtandi factâ per intellectum, abſque eo quod, verus contritionis affectus ſubſequatur in voluntate: & idcirco ejuſmodi contritionis formulæ frequenter magno cum fervore ſunt iterandæ: neque enim anima verè pœnitens debet eſſe contenta debili & remiſſo voluntatis actu, ſed ſummo conatu tentare debet illam contritionem elicere, idque ut infimum ſaltem contritionis gradum attingat: nam qui languido contritionis actu contentus eſt, verendum eſt ne nullum veræ contritionis actum eliciat, ſed ſolum ſuperficialis & fucatæ.

RECOLLECTIO.

Quis dabit capiti meo aquas & oculis meis fontes lacbrymarum, & plorabo die ac nocte delicta juventutis meæ quæ ſupergreſſa ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravata ſunt ſuper me: quapropter, Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, qui expanſis in cruce manibus pro me hauſiſti calicem amariſſimæ paſſionis, niſi tu huic meo oneri, dexteram tuæ majeſtatis ſupponas, mergi cogar miſerabiliter in profundum:

Digitized by Google

dum: & tu Domine uſque quo? convertere & eripe animam meam & ſalvum me fac propter magnam miſericordiam tuam: ad te clamo, quantumvis ſim pulvis & cinis, & brevi in cinerem convertendus: dum adhuc tempus eſt miſerendi, miſerere mei quantumvis ingratiſſimi filii tui, quem in lectulo crucis maximo dolore peperiſti: & noli attendere malum meum ut obliviſcaris bonum tuum: nam licet peccator ſim, non poſſum tamen non eſſe filius tuus. Ah quàm vilis mihi fuiſti bonitas antiqua ut te innumeris meis peccatis ad iracundiam provocarem! O amor meus, & unicum refugium animæ meæ! quomodo poſſum ſine lachrymis recordari quoties me juſtè potuiſti damnare, & peperciſti: & quot fortè animarum millia nunc ardent in inferno quæ minùs quàm ego deliquerunt: & quid futurum fuiſſet de me ſi quo tempore illos abſtuliſti in flore juventutis ſuæ, etiam me abſtuliſſes. Quis continuit flagellum indignationis tuæ quando ego illam peccatis meis irritavi? ego fatigabar te offendendo, laſſatus in via iniquitatis, tu non fatigabaris me patienter exſpectando in medio peccatorum meorum: me bonis inſpirationibus prævenisti, reprehenſiones internas addidiſti arguentes diſſolutam vitam meam; igne tribulationum me probaſti, & tamen rubigo vitiorum meorum non eſt exterſa. Quid igitur retribuam Domino Deo meo pro omnibus quæ retribuiſti mihi, niſi cor contritum, cor humiliatum, ex quo me totum converto ad miſericordiam tuam: & rogo; ut, qui inducias vivendi præſtas, facultatem quoque tribuas me corrigendi, meque emendandi.

Percute obſecro hanc duriſſimam petram mentis meæ pia & valida cuſpide dilectionis tuæ: da mihi gratiam lachrymarum ſicut dediſti patribus noſtris ut plangam peccata mea, totâ meâ vitâ in te commiſſa ſicut ipſi planxerunt die ac nocte: da mihi Domine irriguum ſuperius & inferius ut ſint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Amen.

Digitized by Google

De Sacramento Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quid Pœnitentia prout eſt Sacramentum.

DUBIUM I.

An Pœnitentia ſit Sacramentum.

Qui olim Sacram. ſuſtulerint.

NOn defuerunt olim prout nec deſunt modò, complures hæretici qui Sacramentum Pœnitentiæ ſuſtulerunt, quales fuerunt Novatus Presbyter Africanus, item Novatianus Romanæ Eccleſiæ presbyter; & ante illos Montanus, à quo Montaniſtæ: de quibus S. Hieronymus epiſt. 54. ad Marcellam, & lib. 2. contra Vigilantium cap. 2. ſic ait, „Montanus & „Novatus contendunt non poſſe „renovari per pœnitentiam eos „qui crucifixerunt ſibi Filium „Dei & oſtentui habuerunt; ſed „tantũ nodo à Deo veniam illis „eſſe exſpectandam.„ Adeoque aſſerebant in Eccleſia nullam eſſe poteſtatem clavium reconciliandi eos qui poſt ſuſceptum baptiſma peccaſſent mortaliter, qui tamen hortabantur lapſos ad opera pœnitentiæ ad ſe Deo reconciliandos.

Novatores dicũt peccata remitti per recordationem baptiſmi.

Porro noſtri temporis Hæretici, etſi cum Novatianis negent in miniſtris Eccleſiæ poteſtatem clavium, admittunt tamen aliquod remedium pro lapſis, quod aiunt eſſe baptiſmum ſolâ memoria repræſentatum, per quem, dicunt, omnia peccata poſt baptiſmum commiſſa tolli tam quo ad culpam, quàm quo ad pœnam; adeoque baptiſmum memoriâ repetitum habent pro Sacramento Pœnitentiæ; non verò ritum illum qui conſtat actibus pœnitentis & abſolutione ſacerdotis.

Certum eſt de fide dari verum Sacramentum pœnitentiæ.

Contra quos errores, fides Catholica habet, dari in Eccleſia aliquod novæ legis Sacramentum, quod pœnitentia appellatur: ita definitum eſt in Concilio Floren. decreto de Sacramen. Item Trid ſeſſ. 7. can. 1. item ſeſ. 14. can. 1. ubi ſic dicitur: „Si „quis dixerit in Eccleſia Catholica pœnitentiam non eſſe verè & propriè Sacramentum pro „fidelibus, quoties poſt baptiſ„mum in peccata relabuntur,

ipſi

„ipſi Deo reconciliandis, à Chri-
„ſto Domino noſtro inſtitutum:
„anathema ſit.

Illud verò canone 2. ejuſdem ſeſſionis definitur eſſe diſtinctum à baptiſmo.

Probatur 2. quia Sacramentum non eſt aliud quàm ſignum rei ſacræ hominem ſanctificantis: ſed pœnitentia eſt tale ſignum; ergo eſt Sacramentum. Probatur ſubſumptum Joann. 20. ubi Chriſtus ait Diſcipulis: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: per quæ verba tradi poteſtatem remittendi peccata, ſemper intellexit Eccleſia.

Probatur 3. Matth. 18. ubi Chriſtus ad Apoſtolos ait: *quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Quem locum ſemper intellexerunt Patres de poteſtate remittendi peccata: ut patet ex S. Ambroſio lib. de Pœnit. contra Novat. item ex S. Auguſt. ſerm. 44. de verbis Domini & Homilia ult. inter 50. Hoc ipſum patet ex Tertulliano lib. de Pœnitent. S. Cypriano lib. 1. epiſt. 2. ex Gregorio Nyſſeno lib. de vita Moyſis: denique ex S. Hieron. lib. 1. & 2. contra Pelagium.

Probatur 4. quia fuit conſentaneum divinæ miſericordiæ inſtituere aliquod Sacramentum quod eſſet remedium conſequendi remiſſionem peccatorum poſt lapſum commiſſorum: nam ſicut ſecundùm naturæ ordinem nemo bis poteſt naſci, ita neque ſecundùm eſſe ſupernaturale bis poteſt quis per baptiſmum generari: eapropter cum gratia baptiſmalis peccato poterat deperdi, convenientiſſimum fuit ut Jeſus Chriſtus hoc Pœnitentiæ Sacramentum inſtitueret, ad remiſſionem peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum; neque enim ſufficienter fuiſſet Eccleſiæ conſultum, ſi nullum reconciliationis remedium lapſis relinqueretur, cum tamen ferè omnes contingat poſt baptiſmum relabi.

In quo differat à baptiſmo.

Petes, in quo hoc Sacramentum diſtinguatur à Sacramento Baptiſmi.

Reſp. in multis: & primò quidem quo ad materiam & formam & miniſtrum: ſiquidem materia baptiſmi eſt ablutio; forma verò, verba illa, *Ego te baptiſo*, &c. Miniſter verò in neceſſitate eſt quilibet homo utens ratione: porro miniſter Sacramenti Pœnitentiæ eſt ſolus ſacerdos, quamvis non omnis: cum enim illud exerceatur per modum judicii miniſtrari debet

à ſacerdote judice: materia verò ejus ſunt actus pœnitentis, de quibus poſtea: forma verò, *ego te abſolvo* &c. Finis primarius Sacramenti Baptiſmi eſt delere peccatum originale; econtra finis Sacramenti Pœnitentiæ eſt, tollere peccata actualia poſt baptiſmum commiſſa. Porro ſicut effectus Sacramenti Baptiſmi eſt gratia regenerativa, ita effectus Sacramenti Pœnitentiæ eſt gratia ſanativa & remiſſiva peccati poſt baptiſmum commiſſi.

Quandonam ſit inſtitutum à Chriſto.

Petes, quandonam hoc Sacramentum Pœnitentiæ ſit à Chriſto Domino inſtitutum.

Reſp. quando, prout habetur Joan. 20. Apoſtolis ſuis poſt reſurrectionem ſuam apparuit, & dixit *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*: quo „tam inſigni facto & verbis aper„tiſſimis, ait Conc. Trid. ſeſ. 14 „c. 1. poteſtatem remittendi & „retinendi peccata ad reconci„liandos fideles poſt baptiſmum „lapſos Apoſtolis, & eorum le„tigimis ſucceſſoribus fuiſſe „communicatam, univerſorum „Patrum conſenſus ſemper intel„lexit.

Porro hoc Sacramentum à SS. Patribus diverſa ſortitur nomina: & vetuſtiores quidem, ut Tertullianus, Cyprianus, illud appellarunt *Exomologeſim* Græco nomine, id eſt confeſſionem; ſubinde quoque appellarunt *Communionem*, eò quod peccatores per pœnitentiam reconciliati reſtituerentur communioni Sacramentorum: quinimo, ſicut loquitur Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. Sacramentum hoc à quibuſdam Patribus appellatum eſt, *laborioſus baptiſmus*, idque ob ſatisfactionis rigorem, quem hoc Sacramentum exigit à pœnitentibus præ baptiſmo. Plerique Græci vocant illud *manuum impoſitionem*, à cærimonia externa adhiberi ſolita, attamen non neceſſaria, alii illud appellarunt *ſecundam poſt naufragium tabulam*; quia ſcilicet poſt naufragium totius generis humani factum in peccato primi parentis, prima ſalutis tabula eſt baptiſmus, ſecunda verò eſt Sacramentum Pœnitentiæ.

DUBIUM II.

In quo eſſentialiter conſiſtat Sacramentum Pœnitentiæ.

SAcramentum hoc, non ſecus ac alia Sacramenta, intrinſecè componitur ex materia & forma: uti definit Concil. Flor. in decreto Eugenii: ubi dicitur omnia univerſim novæ legis Sacramenta conſtare verbis quaſi formâ,

Digitized by Google

formâ, & rebus quaſi materia. Et ſpecialiter de hoc Sacramento, ait, actus pœnitentis contritionem ſcilicet confeſſionem & ſatisfactionem eſſe velut materiam hujus Sacramenti: quod eiſdem quoque pœnè verbis aſſerit Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. ac proinde ſicut in baptiſmo non ſolùm materia ſed & forma eſt de ipſius eſſentia; ita quoque in hoc Sacramento non tantùm actus pœnitentis ſpectant ad illius eſſentiam, ſed & abſolutio ſacerdotis; nam hoc Sacramentum exercetur per modum judicii in quo reus ſiſtitur & condemnatur; quod non includit ſolùm eſſentialiter promulgationem ſententiæ ipſius judicis; ſed etiam accuſationem & confeſſionem ipſius Rei.

Materia hujus Sacram. duplex.

Petes, quotuplex ſit materia hujus Sacramenti.

Reſp. duplex: ſcilicet materia remota & proxima, ſeu materia circa quam & ex qua. Materia remota ſunt omnia & ſola peccata pœnitentis poſt baptiſmum commiſſa. Ratio eſt; quia cum, uti diximus, Sacramentum hoc inſtituatur per modum judicii, eadem eſt illius materia remota quæ eſt judicii; ſed materia remota ipſius judicii ſunt crimina ipſius Rei; ergo & materia remota pœnitentiæ ſunt peccata pœnitentis.

Pet s, an peccata quoad culpam tantùm; an vero etiam quo ad pœnam ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæ peccata ſint materia pœnitentiæ.

Reſp. peccata quo ad culpam eſſe materiam circa quam confeſſionis & contritionis; quo ad pœnam verò temporalem eſſe materiam ſatisfactionis.

Petes, an omnia peccata ſint materia remota Sacram. Pœnit.

Reſp. negativè non enim peccatum originale, neque peccata actualia ante baptiſmum commiſſa; ſiquidem ſola illa peccata ſunt materia hujus Sacramenti quæ ſubduntur juriſdictioni & judicio Eccleſiæ; cum illud ſit inſtitutum per modum judicii: originale verò peccatum, prout & actualia ante baptiſmum commiſſa non ſubduntur judicio Eccleſiæ; eò quod peccator, dum illa commiſit, tunc non fuerit ſubditus Eccleſiæ.

Petes, an fictio mortalis cum qua quis ſuſcepit baptiſmum ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Reſp. affirmativè; ſi nimirum ſit ſolùm accidentalis: & ratio eſt quia cum hæc non impediat valorem baptiſmi, cenſetur naturâ poſterior ipſo baptiſmo, utpote impediens ſolùm ipſius effectum; adeoque numeratur inter peccata poſt baptiſmum commiſſa: ſecus verò ſi eſſet fictio eſſen-

Digitized by Google

eſſentialis de quo vide tract. 2. dub. 12. ſupra.

Petes, an peccata venialia ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Peccata venialia ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Reſp. affirmativè; ſi ſint poſt baptiſmum commiſſa: nam omnis illa cenſetur materia remota Sacramenti pœnitentiæ, circa quam verſari poteſt materia proxima, nempe actus pœnitentis, contritio & confeſſio: quæ verſari poſſunt circa peccata venialia

Non tamen neceſſaria.

Obſervandum tamen eſt, peccata venialia non eſſe materiam neceſſariam hujus Sacramenti, ſed ſolummodo ſufficientem.

Porro quod utiliter inſtituatur confeſſio de venialibus patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. ubi ait, „venialia, quibus à Dei „gratia non excludimur & in „quæ frequentiùs labimur, quãvis rectè & utiliter, citraque „omnem præſumptionem in „confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, aliiſque remediis expiari poſſunt.„ Et can. 7. ejuſdem ſeſſ. Anathema dicit, aſſerenti non licere confiteri peccata venialia.

Vii & peccata cum ante remiſſa.

Petes, an peccatum mortale legitimè confeſſum adhuc ſit materia Sacramenti pœnitentiæ.

Reſp. affirmativè; quia tale peccatum poteſt denuo eſſe materia pœnitentiæ virtutis, ergo & Sacramenti: nam poteſt aliquis bis conteri de tali peccato, ergo & bis illud confiteri.

2. Quia forma abſolutionis etiam circa ejuſmodi peccatum verificatur, nam ſenſus formæ abſolutionis eſt; ego tibi per ſententiam abſolutionis confero gratiam remiſſivam peccati.

3. Quia Benedictus XI. in Extravagante de Privilegiis, ait, „licet non ſit de neceſſitate eadem peccata ſemel confeſſa iterum confiteri; tamen propter „erubeſcentiam, quæ magna „eſt pœnitentiæ pars, ut reiteretur eorundem peccatorum „confeſſio reputatur expedire. Denique ita habet communis ſenſus Doctorum & fidelium.

Dices, hoſtia conſecrata non poteſt denuo conſecrari; ergo nec unum numero peccatum poterit bis ſubjici clavibus.

Cur potiùs valeat iterata abſolutio eorundem peccatorum, quàm iterata conſecratio ejuſdem hoſtia.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod ubi hoſtia ſemel eſt ritè conſecrata, nullatenus ſub illa remaneat ſubſtantia panis quæ denuo conſecrari poſſet, aut ſuper quâ forma conſecrationis caderet: in hoc Sacramento verò abſolutio ſemper cadit ſuper nova materia proxima, ſcilicet confeſſione & contritione, eſto ſit eadem materia remota: neque

enim

Digitized by Google

enim neceſſe eſt quòd multiplicato. Sacramentorum numero ſemper multiplicetur materia remota, prout notoriè patet in baptiſmo, ſed ſufficit multiplicari materiam proximam, ut conficiatur novum Sacramentum: unde eſto ſint eadem peccata quæ aliquis bis confitetur, tamen non eſt eadem eorundem confeſſio, ſed diverſa.

Petes, an peccatum mortale, cujus remiſſionem quis eſt conſecutus per contritionem, ſit materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ.

Peccata mortalia per contritionem remiſſa ſunt materia neceſſaria abſolutionis.

Reſp. affirmativè, adeoque ſi illud negligat confiteri dum adeſt copia confeſſarii, & urget præceptum confeſſionis, peccabit mortaliter: ratio eſt, quia contritio ſolùm remittit peccata cum voto Sacramenti Pœnitentiæ, & cum ordine ad claves; & hoc ideo quia omnia peccata poſt baptiſmum commiſſa deferri debent ad tribunal Sacramentale, ita jubente Chriſto, ut poſtmodum dicemus.

Petes, quænam ſit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ

Quæ ſit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

Reſp. actus pœnitentis, contritio, confeſſio, & ſatisfactio: prout definit Concil. Florent. in decr. Eugenii: & Trid. aſſerit ſeſſ, 14. cap. 3. Et ratio eſt quia hoc Sacramentum exercetur per modum judicii emendativi, cujus materia eſt accuſatio, dolor, & ſatisfactio.

Dices, Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. aſſerit hos tres actus tantùm eſſe quaſi materiam; ergo non ſunt vera materia.

Reſp. negando conſequentiam; & dico, illam particulam, *quaſi*, non ſemper ſignificare ſimilitudinem, & tollere ipſam rei proprietatem, prout patet Joann. 1. ubi Chriſtus vocatur, *quaſi unigenitus*. Præterea hi tres actus appellantur quaſi materia, quia non ſunt talis materia qualis reperitur in aliis Sacramentis, quæ habent pro materia rem extrinſecùs appoſitam & ſenſibilem; prout patet de aqua in Baptiſmo, de oleo in Confirmatione, de pane in Euchariſtia.

Contritio & confeſſio ſunt partes eſſentiales Sacramenti pœnitentiæ.

Petes, an omnes illi tres actus pœnitentis ſint partes eſſentiales ipſius Sacramenti.

Reſp. negativè; nam quamvis omnes ſint partes integrales, non tamen omnes ſunt eſſentialis, ſed ſola contritio & confeſſio, eò quod ſine ſatisfactione à Sacerdote impoſita poſſit ſubſiſtere ipſum Sacramentum: prout patet in pœnitente, qui factâ confeſſione, & obtentâ abſolutione ſtatim moritur, cum quo tamen bene conſiſtit aliquam ſatisfactionem huic Sacramento

Satisfactio eſt pars integralis.

Digitized by Google

mento eſſe eſſentialem eam ni mirum quæ continetur in actibus doloris & confeſſionis.

Dices, ſi materia proxima hujus Sacramenti ſint actus pœnitētis, ſequitur ipſum pœnitentem eſſe miniſtrum hujus Sacramenti; quippe qui adminiſtret & efficiat materiam proximam Sacramenti.

Reſp. Neg: nam ille ſolus appellatur Sacramenti miniſter qui habet poteſtatem ponendi formam ipſius Sacramenti; eo modo quo in re artificiali ſolus artifex v. g. ſutor aut ſartor dicuntur conficere calceos aut veſtes, eſto alius adminiſtret corium vel pannum: ita, cum Sacramentum pœnitentiæ conſiſtat in quodam judicio, ſolus ille qui habet auctoritatem ferendi ſententiam cenſetur illius miniſter, eſto alius adferat materiam.

Quid ſit Sacramentum Pœnitentia. Ex dictis patet, quid ſit ſacramentum pœnitentiæ, nempe Sacramentum conſtans tribus actibus pœnitentis, confeſſione nimirum, contritione, & ſatiſfactione; & actu ſacerdotis legitimè abſolventis, conferens gratiam remiſſivam peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum.

DUBIUM III.

Quænam ſit forma Sacramenti pœnitentiæ.

Quæ ſit forma huius Sacramenti. FOrma Sacramenti pœnitentiæ continetur his verbis, *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Prout patet ex Conc. Trid. Seſſ. 14. cap. 3. in quo hæc forma refertur: cui ſuffragatur praxis & uſus totius eccleſiæ; & accedit ratio, quia his verbis optimè ſignificatur effectus hujus Sacramenti, qui eſt remiſſio peccatorum, per judicialem ſententiam facta: ſunt enim peccata, quaſi quædam ligamina quibus anima ligatur, & à quibus per hanc judicialem ſententiam ſolvitur.

Petes an omnia illa verba ſint de eſſentia formæ.

Reſp. negativè: & quidem quod attinet ad particulam, *Ego* illa non eſt neceſſaria; eo quòd eſto abſit, idem omnino remaneat ſenſus formæ: inſuper nec ſunt ad eſſentiam formæ abſolutè neceſſaria hæc verba, *à peccatis tuis*: nam eſto vox, *abſolvo* ſit indifferens ad ſignificandam abſolutionem à peccatis, vel à cenſuris, vel ab aliis vinculis; tamen ex intentione proferentis determinatur ſecundùm ſub-

jectam

jectam materiam: & capropter, quando in hoc judicio profertur, ex uſu communi ſignificat abſolutionem à peccatis.

Præterea ad eſſentiam illius formæ non requiritur expreſſio SS. Trinitatis, eſto hæc requiratur ad formam Baptiſmi: & ratio diverſitatis eſt, quia quando Chriſtus miſit Apoſtolos per totum mundum prædicare baptiſmum, ut refert Matthæus cap. 28. præcepit expreſsè ut baptizarent in nomine Patris & Filii Spiritus S. ut conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione: quando verò Chriſtus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ Joann. 20. dicendo *accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata* &c. non juſſit Apoſtolis remittere peccata in nomine Patris & Filii & Spiritus S.

Quæ verba ſint de eſſentia formæ hujus Sacramenti. Ex quibus apparet quòd tota formæ eſſentia his verbis abſolvatur: *Ego te abſolvo.*

Petes, an ergo omnia alia verba à presbytero abſolvente poſſint licitè omitti.

Reſp. negativè, quia, eſto non ſint de eſſentia formæ, attamen juxta conſuetum Eccleſiæ ritum ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti; ita ut illorum omiſſio ſcienter facta ſit grave peccatum.

Petes, an ſit licitum ad verba abſolutionis aliqua addere v. g. dicendo ego authoritate Epiſcopi, mihi indigno conceſsâ, abſolvo te à peccatis tuis de quibus contritus es, aut memoriam habes.

Reſp. ejuſmodi additiones inſulſas eſſe & impertinentes adeoque abſolutè omittendas; nam omnia illa formam abſolutionis pœnè reſtringunt, cum tamen confeſſarius debeat uti verbis planis & ſimplicibus, cujuſmodi ſunt hæc *ego abſolvo te à peccatis tuis*: & quidem quod attinet ad verba ſupra recenſita, non eſt neceſsè in forma abſolutionis exprimere ex cujus poteſtate fiat; eò quod hoc ſufficienter exprimatur in actu exercito; nec dici debet *ab omnibus peccatis*, quia non eſt neceſsè quod confeſſarius abſolvat ab omnibus venialibus, nec de illis omnibus pœnitens debet eſſe contritus. Prætereà abſolutio nontantùm cadit in mortalia quæ directè clavibus ſubjiciuntur, ſed etiam in alia peccata bonâ fide oblita, eò quod unum mortale nequeat remitti ſine alio.

Petes, an forma abſolutionis poſſit exprimi modo deprecativo ſicut forma extremæ unctionis.

Reſp. negativè, quia Confeſſarius in hoc Sacramento aſſumit perſonam judicis, qui *Verba formæ debent*

 proinde

proferri enuntiativè, & non deprecatoriè.

proinde authoritativè debet proferre ſententiam, adeoque enuntiativè, non vero deprecativè quia ſic prolata eſſet invalida.

Petes, quid ſi ergo Confeſſarius uteretur hac formâ dicendo *abſolvatur ſervus Chriſti*: an eſſet valida.

Reſp. affirmat. quamquam illicita quod autem eſſet valida patet, quia iſtis verbis exprimitur actio quatenus exercetur à miniſtro per modum imperativum.

Ad eſſentiam hujus formæ requiruntur verba, nec ſufficiunt alia ſigna.

Petes, an ad ſubſtantiam formæ hujus Sacramenti abſolutè requirantur verba, ita ut nulla alia ſigna ad ejus valorem ſufficiant: ratio dubitandi eſt quia non repugnat naturæ judicii quod ſententia aliqua feratur ſcripto vel nutu.

Reſp. affirmativè; quod ex communi univerſalis Eccleſiæ uſu & ſenſu habemus, ita requiri verba ad valorem hujus formæ ut alia ſigna non ſufficiant: unde eſto non repugnet naturæ judicii in genere ſententiam aliter quàm verbis ferri, tamen ex Chriſti inſtituto repugnat naturæ hujus judicii particularis.

Petes, quiſnam ſit ſenſus verborum formæ abſolutionis.

Quis ſit ſenſus illorum verborũ.

Reſp. hic; quantum eſt ex vi Sacramenti confero tibi gratiam remiſſivam peccatorum tuorum.

Petes, an hæc forma etiam in omni Sacramentali abſolutione eundem ſenſum habeat.

Reſp. affirmativè.

Quomodo rectè dicatur quis abſolvi à peccatis ante jam remiſſis.

Dices, poteſt contingere quod pœnitens vi intenſæ contritionis elicitæ ante abſolutionem obtinuerit remiſſionem ſuorum peccatorum, vel quod denuò confiteatur aliqua peccata à quibus ante eſt abſolutus: quibus caſibus forma Sacramenti non videtur ſubſiſtere.

Reſp. etiam iſtis caſibus formam verificari, quia licet pœnitens de facto nullum peccatum habeat, gratia tamen quæ illi vi abſolutionis confertur eſt remiſſiva peccatorum.

Dices, ridiculum eſſet dicere alicui qui non eſſet ligatus vinculis corporeis, ego te abſolvo à vinculis corporeis; ergo & ſimiliter ridiculum erit, alicui non ligato vinculis peccatorum, dicere, ego te abſolvo à peccatis tuis.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quia ex vi primorum verborum non ſignificatur conferri aliquid tale quod vi ſuâ poſſet ejuſmodi vinculum corporale ſolvere ſi illo eſſet ligatus: quod tamen ſignificatur in abſolutione à peccatis: hoc ipſum quoque patet in renovatione voti caſtitatis

tatis ante præſtiti; nam verba voti verificantur quamvis de facto non inducant novam obligationem, ſignificant enim quòd renovans votum, quantum eſt ex ſe, velit ſe obligare ſi non eſſet obligatus.

Præterea quamvis peccatum ſemel remiſſum non faciat hominem ampliùs Deo inimicum, præbet tamen ſufficiens fundamentum ſeſe omni tempore coram Deo reum ſiſtendi, & petendi abſolutionem: neque enim forma neceſſariò ſignificat remiſſionem à culpa quæ actu ſubeſt, ſed quam ante commiſit, & cujus veniam adhuc ſemel petit, eſto ante ſit remiſſa: quod quamvis in foro externo ordinariè non fiat, poteſt tamen fieri; utiliter verò fit in foro Sacramentali, eò quod per hoc Sacramentum obtineatur nova gratia peccati remiſſiva.

Poteſt unicâ formâ quis abſolvi à peccatis & cenſuris.

Petes, an ſacerdos poſſit validè unâ & eâdem formâ pœnitentem abſolvere á peccatis & à cenſuris.

Reſp. Aff. dummodo intendat abſolutionem utriuſque; nam ſicuti una & eadem oratio poteſt ſignificare diverſa, ſic una eademque forma abſolutionis poterit ſignificare diverſas abſolutiones: quo caſu tamen abſolutio à cenſura cenſebitur naturâ prior: nec refert dicere, quod una eademque forma abſolutionis nequeat eſſe Sacramentalis & non Sacramentalis; quia, eſto formaliter nequeat eſſe talis, poterit tamen materialiter eſſe talis.

Petes, an valebit forma abſolutionis ommiſſa particulâ *te*.

Reſp. neg.; eò quod forma abſolutionis à Christo ſit inſtituta per pronomen demonſtrativum, ſicut & forma baptiſmi: quo proinde ſublato mutatur ſenſus ſubſtantialis formæ.

Petes an forma abſolutionis ſit valida quando illi apponitur aliqua conditio.

Abſolutio non eſt valida data ſub conditione de futuro.

Reſp. ſi illa ſit de præſenti vel de præterito, erit valida: ſecus verò ſi de futuro: ratio prioris eſt quia conditio de præſenti vel de præterito non eſt propriè conditio, quia non ſuſpendit actum, eò quod ſacerdos intendat abſolvere ſi actus ita ſe habeat; ratio poſterioris eſt, quia ejuſmodi conditio de futuro invalidat abſolutionem; neque enim illa ſubſiſtit pro tempore quo forma profertur, quia ſacerdos tunc non habet intentionem pro tunc abſolvendi, ſed ſolum quando ponetur conditio; neque ſubſiſtet adventante conditione quia tunc non aderunt forma & materia ſine quibus ipſum Sacramentum non validè conficitur.

Digitized by Google

Ex quo ſequitur non eſſe validam abſolutionem datam ſub hac conditione. *Ego te abſolvo ſi craſtinâ die rem furto ablatam reſtitueris*: cum enim Sacramenta conferant ſuos effectus adinſtar cauſarum naturalium, non magis eſt in poteſtate ſacerdotis ſuſpendere effectum Sacramenti pro tempore futuro quàm effectum ignis aut luminis.

Petes an peccet Confeſſarius qui in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ apponit aliquam conditionem.

Quandoque licet abſolvere ſub conditione de præſenti.

Reſp. ſi apponat conditionem de futuro, graviſſimum committit Sacrilegium quippè qui (prout ex dictis patet,) invalidat ipſum Sacramentum: quod ſi tamen ſubſit gravis aliqua & magna cauſa, licebit quandoque apponere conditionem de præſenti vel de præterito; nam ſi illa ſubſit non ſuſpendet effectum Sacramenti; ſi verò non ſubſit, non eſt intentio dandi abſolutionem E. C. ſi quis moribundus det ſigna contritionis poterit abſolvi ſub conditione, *ſi es capax*: ita quoque dum Confeſſarius dubitat an pœnitentem abſolverit quem adhuc habet ſibi præſentem, poterit denuò ipſum abſolvere dicendo *ſi non es abſolutus ego* &c. ita quoque dum dubitat an puer aut phreneticus polleat ſufficienti uſu rationis dum confitetur, poterit apponere conditionem, *ſi es capax* &c. prout quoque dum dubitat an ea quæ pœnitens confitetur ſint peccata.

Ordinariè tamen non eſt licitum confeſſariis in forma abſolutionis apponere aliquam conditionem, quia hoc Sacramentum debet adminiſtrari juxta Chriſti inſtitutionem, qui illud ita inſtituit, ut pœnitens abſolvatur ſine conditione; uti colligere licet ex verbis ejus citatis Matth. 28. & Joann. 20. Et eapropter pœnitens regulariter vel eſt abſolutè abſolvendus, vel dimittendus: quapropter dum Confeſſarius dubitat an pœnitens ſit ritè diſpoſitus, regulariter non poteſt illum abſolvere ſub conditione, niſi in caſu neceſſitatis.

Petes an in pœnitente quandoque non ſit præſtanda cautio juratoria antequam abſolvatur.

In quibus caſibus teneatur abſolvẽdus præſtare cautionẽ juratoriã

Reſp. Aff. ex Cajetano verbo Abſolutio ab excomm. & Silveſtro verbo Confeſſor, idque in ſex caſibus ſequentibus 1. ſi pœnitens ſit excommunicatus notorius. 2. ſi ſit incendiarius declaratus. 3, ſi ſit manifeſtus raptor aut Eccleſiæ violator: 4. ſi ſit uſurarius publicus, 5. ſi ſit publicus mutilator. 6. ſi publicè injuriatus ſit perſonis Eccleſiaſticis, hi omnes, antequam abſolvantur, jurare debent

debent ſe velle ſtare in mandatis Eccleſiæ, & ſatisfacturos iis quos læſerunt; idque per ſe vel per alios: & eapropter cautio illa datur per publicam ſcripturam ut hæredes compelli poſſint ad ſatisfaciendum: quod ſi tamen ſubſit neceſſitas & periculum in mora, ut nihil horum fieri poſſit, abſolvi equidem poterunt ejuſmodi ſi ſint moribundi.

Poſſunt plures ſimul validè abſolvi.

Petes an multi quandoque ſimul poſſint abſolvi.

Reſp. per ſe loquendo negat: per accidens tamen, ut in articulo mortis, v. g. in conflictu, in naufragio, in incendio, poterunt; dicendo *ego vos abſolvo.*

Invalida eſt abſolutio data abſenti.

Petes an abſolutio ſacramentalis poſſit dari abſenti.

Reſp. neg: idque nec validè nec licitè: quod non licitè, patet ex bulla Clementis VIII. edita anno 1602. qui re maturè ac diligenter conſideratâ hanc propoſitionem, *licere per litteras ſeu internuntium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem accipere*, ad minus uti, falſam temerariam, ſcandaloſam, damnabilem prohibuit.

Quod talis abſolutio daretur invalidè, patet: quia particula, *te*, in forma abſolutionis ex ſenſu & communi uſu univerſalis eccleſiæ, imo ex ipſa proprietate verbi deſignat perſonam præſentem ad quam vox humana dirigitur: & eapropter ad veritatem formæ requiritur ut perſona ſit præſens; eo modo quo forma conſecrationis euchariſtiæ ad ſui veritatem requirit materiam conſecrabilem præſentem. Cui non repugnat quod in epiſtolis quandoque utamur particula, *te* quia id fit quod fictione aliqua cenſeamur agere cum perſona abſente tamquam præſente: neque obſtat etiam quod ſententia ex natura rei poſſit ferri in abſentem, quia ex praxi, & communi uſu Eccleſiæ contrarium nobis conſtat de hac ſententia.

An licitum ſit peccata ſcripto confiteri.

Petes, an quandoq; non ſit licitum pœnitenti mittere peccata ſua Confeſſario in ſcriptis, qui ea legens, & pœnitentem accedens ipſum in præſentia abſolvat.

An valeat abſolutio data ei qui ſolù per ſcriptum peccata confeſſus eſt.

Reſp. id quandoque eſſe licitum ex gravi cauſa, dummodo tamen pœnitens in generali coram Confeſſario ſe accuſet de omnibus peccatis in litteris contentis. Quod addo, quia alioquin non eſt licitum per epiſtolam abſenti confiteri, & abſolutionem impendere præſenti, niſi ſeſe pœnitens accuſet de omnibus in epiſtola contentis: nam cum poſt decretum Clementis VIII. aliqui docuiſſent, licere quidem per litteras abſenti confiteri, ſed non ab abſente abſolvi,

vi, adeoque decretum illud intelligendum eſſe in ſenſu copulativo, Cardinalis Bellarminus declaravit Clementem VIII. illud intellexiſſe in ſenſu diviſo, ita ſcilicet ut pro utraque propoſitionis parte illud cenſeretur prohibitum.

Poteſt quandoque abſolvi non integrè confeſſus.

Petes, an quandoque poſſit dari abſolutio pœnitenti non integrè confeſſo.

Reſp. affirmativè; ſaltem in neceſſitate: ut v. g. ſi pœnitens uno vel altero verbo explicato perdat loquelam: item in periculo mortis ubi ſunt multi audiendi: prout contingit in periculo naufragii, conflictus &c.

Non eſt licitum ob concurſum pœnitentium abſolvere non integrè confeſſum.

Petes, an ergo in die ſolemni Paſchæ aut alterius feſti in quo eſt magnus populi concurſus, ita ut omnes audiri non poſſint, ſit licitum Confeſſario, auditis duntaxat aliquibus peccatis, pœnitentes abſolvere, ſi non confiteantur integrè.

Reſp. negativè, quod verum eſt, eſto ſolemnitas haberet annexam plenariam indulgentiam, aut eſſet Dominica in albis ad ſatisfaciendum communioni Paſchali, eò quod in ſimilibus caſibus nulla cenſeatur eſſe neceſſitas excuſans ab integritate confeſſionis: nam quod attinet ad communionem paſchalem, illa poteſt à Confeſſario differri in aliud tempus: & quod attinet ad alias feſtivitates, qui illa die non poſſunt, alia die poterunt confiteri: ita quoque nec ratio lucrandæ indulgentiæ excuſat ab hac integritate confeſſionis, quia bonum commune quod læditur juxta illam praxim prævalere debet cujuſque bono privato, etenim ex illa praxi ſequuntur intolerabiles abuſus: nam cum maximi peccatores tantùm ſoleant confiteri in magnis ſolemnitatibus, ſi illi poſſent ſatisfacere confitendo unum alterumve peccatum, fieret quod numquam integrè confiterentur, ſubticendo ſemper graviora peccata: & idcircò meritò hujuſmodi praxis ab Alexandro VII. inter 45. propoſitiones eſt damnata.

Ex contraria praxi orirentur maximi abuſus.

Eſtque damnata ab Alexandro VII.

Quid facere debet Confeſſarius advertens ſe invalidè quempiam abſolviſſe.

Petes, quid faciet Confeſſarius qui confitentem invalidè abſolvit: puta quia non habebat juriſdictionem, aut poteſtatem abſolvendi à reſervatis.

Reſp. ſi ſciat illum pœnitentem brevi reverſurum, tempeſtivè petat poteſtatem abſolvendi à reſervatis, & in ſequenti confeſſione interrogabit eum an adhuc doleat de peccatis in præterita confeſſione explicatis, & an denuo cuperet ab illis abſolvi; quo reſpondente quod ſic, nullâ factâ mentione defectûs in præterita

præterita confeſſione commiſſi, eum abſolvet: quod ſi verò pœnitens non putetur amplius ad confeſſionem reverſurus, petat Confeſſarius veniam ab ipſo, loquendi de auditis in confeſſione; quam, ſi concedat, monebit ipſum de errore commiſſo, etiam cum proprio dedecore; & exhortabitur ad iteratò confitendum propter periculum æternæ damnationis, cui exponitur: quod ſi verò tale periculum non ſubſit, eò quod ſpes ſit quod alicui alteri adhuc validè confitebitur, & defectum hunc revelando, timeat grave incommodum, tunc ſileat, & committat pœnitentem Deo, quia in ſequenti confeſſione poterit ab omnibus peccatis ſuis non legitimè confeſſis; ſaltem indirectè abſolvi.

Si confeſſarius non moneat pœnitentem de obligatione reſtituendi, non ex eo ipſe tenebitur.

Petes, quid ſi Confeſſarius abſolvendo erraverit tantùm circa aliquid, ex quo errore ejus ſequitur damnum tertii, puta ſi pœnitenti non declaraverit eum obligari ad reſtitutionem.

Reſp. ſi hoc ex negligentia omiſerit, peccavit quidem graviter, non tamen tenebitur ad reſtitutionem, quia non obligatur confeſſarius ex juſtitia quærere aut procurare bonum aliorum; ſi tamen pœnitentem poſitivè obliget ad reſtituendum id, ad quod ipſe ex juſtitia non tenetur, tunc tenebitur pœnitenti reſtituere illud damnum quippe qui ſit cauſa poſitiva & efficax illius.

Petes, quid ſi Confeſſarius pœnitentem abſolverit abſque eo quod inquiſiverit de ſpeciebus & numero peccatorum.

Reſp. ejuſmodi Confeſſarius graviter quidem peccavit contra officium ſuum: attamen ſi pœnitens ſit in bona fide, ipſum in illa relinquet; quia abſolutio fuit valida, & nullum malum obvenit pœnitenti.

Preces & impoſitio manuũ non ſunt de eſſentia forma.

Petes, an prærequirantur aliquæ preces, item impoſitio manuum in caput pœnitentis, ad valorem abſolutionis.

R. nihil horum requiri ad eſſentiam abſolutionis; ſervandam tamen eſſe conſuetudinem cujuſque Diœceſis, ſalvâ honeſtate & modeſtia; quippe cum indecens habeatur ſi fœmina tangatur à Confeſſario. Quod ad preces attinet, Concil. Trident. ait ſeſſ. 14. cap. 3. illas de more Eccleſiæ laudabiliter adjungi, ita ſcilicet ut abſolutioni præmittatur *Miſereatur tui* &c. abſolutio ab excommunicatione: & poſt Sacramentalem abſolutionem addatur, *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti* &c.

Porro advertit Navarrus ejuſmodi preces, quæ ex more Ec-

Digitized by Google

cleſiæ communiter abſolutioni adjunguntur, eſſe maximi valoris & momenti, & plurimùm conferre ipſi pœnitenti: multiplicatio tamen & additio aliarum precum quas Confeſſarius adjungit ex privata ſua devotione, nullatenus eſt conveniens; & eapropter inepta eſt adjectio, quæ ab aliquibus fit hoc modo, *abſolvo te ab omnibus peccatis tuis de quibus contritus es & confeſſus*, item *de non confeſſis*, *oblitis & non oblitis*.

Vitandæ ineptæ preces & additiones

Eapropter cum Confeſſarius pœnitentem abſolvere voluerit, injunctâ illi prius ſalutari pœnitentiâ, dicet prout habet Rituale Romanum.

Praxis formæ & precum quas debet Confeſſarius adhibere abſolvendo.

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam.

Dein dexterâ verſus pœnitentem elevata, addet, *Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. Amen. Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate ipſius, mihi, licet indigno, conceſſâ, abſolvo te, imprimis ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, in quantum poſſum & indiges*: deinde, *ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.* Quod ſi pœnitens ſit laicus, omittetur verbum, *ſuſpenſionis*.

Datâ abſolutione Confeſſarius convenienter addet hæc ſequentia: *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, & merita B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni egeris vel mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.*

Porro urgente neceſſitate v. g. in periculo mortis, omiſſis precibus illis, dicet Confeſſarius breviter & ſimpliciter, *ego te abſolvo à cenſuris & peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.*

DUBIUM IV.

An hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem

SAcramentum Pœnitentiæ in nova lege eſt ad ſalutem neceſſarium in re vel in voto omnibus poſt baptiſmum in mortale lapſis.

Sacramentum Pœnitentiæ eſt neceſſarium ad ſalutem relapſis poſt baptiſmum

Probatur ex Joannis 20. ubi Chriſtus ait, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta*; ſi quidem hoc loco non tantum datur poteſtas remittendi peccata, ſed etiam datur poteſtas ea retinendi ſeu non abſolvendi; quod facere non poſſet Confeſſarius ſi pœnitens haberet libertatem illa clavibus

vibus ſubjiciendi vel non ſubjiciendi: hoc addito quod Confeſſarius incognitâ cauſâ nequeat hoc judicium exercere.

Ex quo ſequitur hoc Sacramentum eſſe neceſſarium ad remiſſionem peccatorum, per conſequens ad ſalutem.

Confirmatur, quia nemo juſtificari poteſt ſine merito Paſſionis Chriſti, quod peccatori in nova lege non applicatur, ſine Sacramento in re vel in voto ſuſcepto. *Actu, vel ſaltem in voto.*

Porro Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſceptum tunc tantùm eſt neceſſarium ad ſalutem, quando adeſt copia Confeſſarii & urget præceptum: quando verò contingit contritionem eſſe charitate perfectam hominemque Deo reconciliare, antequam hoc Sacramentum ſuſcipiatur, id fit, quatenus illa in ſe continet votum Sacramenti, quod tamen non ſemper debet eſſe explicitum, ut in præcedentibus latiùs dictum eſt.

QUÆSTIO II.
De Confeſſione ſecunda parte materiali Pœnitentiæ.

DUBIUM I.
Quid Confeſſio. Quo jure inſtituta: & an ſit ad ſalutem neceſſaria.

De prima Sacramenti Pœnitentiæ parte ſcilicet contritione, ſatis ſupra egimus: nunc ſequitur ſecunda ejus pars examinanda, quæ eſt confeſſio; quæque aptè definitur *Legitima & ſecreta accuſatio de peccatis propriis facta proprio ſacerdoti in ordine ad obtinendum eorum remiſſionem virtute clavium.* *Quid confeſſio Sacramentalis.*

Dicitur, *accuſatio*, ad diſtinctionem confeſſionis judicialis, aut alterius extra judicialis, facta ob alios fines.

Dicitur, *ſecreta*, ad excludendas confeſſiones generales quæ fiunt publicè in principio miſſæ, aut aliis officiis divinis.

Dicitur, *facta proprio ſacerdoti*, ut ſignificetur illam fieri debere ſacerdoti juriſdictionem in pœnitentem habenti

Additur denique, *ad obtinendam remiſſionem peccatorum virtute*

 clavium

Digitized by Google

clavium, ut cognoſcatur finis, & ſignificetur, quod ſi confeſſio fiat ex quocumque alio fine, illam non eſſe Sacramentalem.

Eſt actus virtutis Pœnitentiæ, & etiam charitatis.

Porro confeſſio eſt actus externus, imperatus à virtute pœnitentiæ quatenus fit ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam: eſt verò actus externus imperatus à charitate, quatenus tendit ad reconciliationem cum Deo.

Confeſſio peccatorum mortalium eſt neceſſaria ad ſalutem relapſis.

Petes, an confeſſio peccatorum mortalium ſit neceſſaria ad ſalutem.

Reſp. Aff. quod de fide certum eſt, & quidem de jure divino; loquendo de mortalibus poſt baptiſmum commiſſis.

Probatur 1. quia Sacramentum pœnitentiæ, ut ſupra diximus, eſt ad ſalutem neceſſarium; ergo & confeſſio; neque enim totum aliquod eſſentiale poteſt dici ad ſalutem neceſſarium niſi ſingulæ ejus partes eſſentiales ſint neceſſariæ.

Probatur hæc veritas 2. partim ex Ioan. 20. ubi Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem ait ad Diſcipulos, *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*: Item Matth, 18. *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo* Ex quibus patet quod Chriſtus ſacerdotes inſtituerit judices in cauſis peccatorum; ſed judex nequit judicare incognitâ cauſâ; ergo ſi pænitens illorum velit obtinere veniam per abſolutionem ſacerdotis tanquam judicis, tenetur illa confiteri. Præterea patet quod peccata tam diu retinentur à Deo, quamdiu retinentur à ſacerdote, ſeu quamdiu peccator ab illis non abſolvitur; ſed ab illis non poteſt abſolvi, niſi à ſacerdote tamquam judice cognoſcantur, ergo peccator tenetur illa confiteri ut remiſſionem conſequatur: nec refert quod interdum contritione poſſit juſtificari, quia illa hanc vim habet quatenus involvit votum ſeu propoſitum confitendi, & petendi abſolutionem, adeoque peccator non conſequitur remiſſionem peccatorum ſine confeſſione in re vel in voto.

Idque de jure divino.

Probatur 3. ex Conc. Trid. Seſſ. 14. can. 6. „ ſi quis negaverit confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam vel neceſſariam eſſe jure divino: anathema ſit.

De facto Nectarii qui dicitur confeſſionem ex Eccleſia Conſtantin. ſuſtuliſſe.

Dices, Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ut narrat Socrates lib. 5. Hiſtor. cap. 19. abrogavit confeſſionem Sacramentalem; quod facere non potuiſſet ſi hæc fuiſſet juris divini, abrogavit autem eam ex hac cau-

Digitized by Google

ſa, quia cum mulier quædam nobilis presbytero Pœnitentiario inter cætera confeſſa fuiſſet, quod cum ea quidam Diaconus concubuiſſet, ire illâ divulgatâ, magnum inter fideles natum eſt ſcandalum,& gravis in ſacerdotes derivata eſt infamia & detractio.

Unde Nectarius ex conſilio Eudæmonis Presbyteri, Presbyterum Pœnitentiarium abrogavit, permiſitque ut pro ſua quiſque conſcientia ad communionem myſteriorum accederet; eandem Hiſtoriam narrant Sozomenus lib. 7. Hiſtoriæ cap 16. & Nicephorus lib. 12, cap. 28.

Reſp. falſum eſſe Nectarium abrogaſſe uſum confeſſionis Sacramentalis ſecretæ: ſed cum in ſingulis Eccleſiis eſſet conſtitutus quidam Presbyter Pœnitentiarius, qui diſcernebat ſolummodo de gravioribus peccatis publicis, an ſcilicet illa publicâ confeſſione eſſent expianda (præter reliquos presbyteros qui ſecretas confeſſiones audiebant) ſuſtulit Nectarius non uſum confeſſionis Sacramentalis, ſed ſolum uſum publicæ confeſſionis, prout & officium talis Pœnitentiarii, occaſione graviſſimi illius ſcandali exorti ex prædicta publica confeſſione illius Matronæ.

Similem uſum confeſſionis publicæ abrogavit in Eccleſia Latina S. Leo Papa: ut patet ex ejus epiſt. 78 cap. 2. unde dum Socrates & alii Hiſtorici narrant relictum eſſe cujuſque conſcientiæ ire ad S. Communionem ſine prævia confeſſione, non volunt hoc ſignificare quod data fuerit cuique facultas communicandi ſine prævia confeſſione Sacramentali, ſed quia, cum publici peccatores antea prohiberentur ad communionem accedere donec pœnitentiam publicam ab illo Pœnitentiario accepiſſent, ut pœnitentia eorum Eccleſiæ innoteſceret, hoc facere vel non facere relictum fuit cujuſque conſcientiæ.

Addo cum Baronio ad annum Chriſti 356. hanc Hiſtoriam à Socrate & Sozomeno hæreſi Novatianâ infectis apparenter confictam eſſe in odium ipſius confeſſionis.

Dices, S. Chryſoſt. pluribus locis confeſſionem coram homine factam videtur improbare; ſignanter homil. 7. in Pſal. 50. ubi ait, „peccata tua quotidie „dicito ut deleas illa; ſed ſi confunderis alicui illa dicere, dicito ea quotidie in anima tua. „Non dico ut confitearis ea conſervo tuo qui tibi exprobret, „dicito ea Deo, qui curat ea „&c.„ Et homil. 31. in Epiſt. ad Hebræos: „Non tibi dico

„ ut te prodas in publicum, neque ut apud alios accuſes, ſed „ obedire te volo prophetæ dicenti *revela Domino viam tuam.* „ Ante Deum ergo tua confitere „ peccata, apud verum judicem „ cum oratione delicta tua pronunt a, non linguâ, ſed con„ ſcientiæ tuæ memoriâ. &c. „ Idem homil. 4. de Lazaro.

Reſp. Chryſoſtomum hæc ſua dicta non opponere confeſſioni Sacramentali & ſecretæ, ſed confeſſioni publicæ: quod & ſæpe inculcat propter factum Nectarii prædeceſſoris ſui qui occaſione nobilis iſtius mulieris publicam confeſſionem ſuſtulerat.

Dices, Hugo de S. Victore lib. 2, de Sacram. parte 14. cap. 1. Bonaventura in 4 diſt. 17 Henricus Harpius quondam Guardianus Minoritarum Mechlinienſium, & cum eo plures alii magni nominis Theologi aſſerunt confeſſionem Sacram. tantùm eſſe juris Eccleſiaſtici, adeoque per Eccleſiam tolli poſſe.

Reſp. eos in hoc erraſſe, non tamen culpabiliter quippè cum illorum tempore nihil deſuper ab Eccleſia eſſet definitum: quod pridem in Concil. Trid. ſeſſ. 14. can. 6. eſt definitum.

Et certè ſi confeſſio eſſet introducta ſolo jure humano, ut garriunt noſtri temporis hæretici, exſtaret ejus origo in aliquo Concilio Generali vel decreto Pontificio, cum tamen hæc fuerit in uſu ante omnia Concilia & Decreta Pontificum: prout patet ex Tertulliano, Origine, Cypriano, qui confeſſionis expreſſè meminerunt.

Porro quod Hæretici dicunt illam in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. eſſe introductam, nimis ſplendidè mentiuntur, cum nequidem ibi illa ſit præcepta, ſed tantùm determinatum illius inſtituendæ tempus, ſicuti neque S Communio ibidem eſt inſtituta, ſed ſolùm tempus illius ſumendæ determinatum: & profectò rem tam arduam Eccleſia numquam fuiſſet auſa præcipere à qua homines tantopere abhorrerent: neque homines ad hoc umquam potuiſſent induci niſi certò intellexiſſent ſeſe ad hoc jure divino eſſe obligatos. Porro tot ſunt, quas confeſſio ſecum adfert, utilitates, ut maximè convenerit illam à Chriſto inſtitui & præcipi: etenim 1. per illam remittuntur peccata ex opere operato 2. conciliat illa conſcientiæ tranquilitatem 3. ejus timore veluti quodam fræno cohibentur homines à peccato 4. verecundia, quam in confeſſione delictorum patiuntur pœnitentes, eſt plurimùm ſatisfa-

Variæ confeſſionis utilitates.

Digitized by Google

ſatisfactoria pro peccatis,

Quinā obligentur præcepto divino confeſſionis.

An omnes omnino homines obligentur hoc divino præcepto confeſſionis.

Reſp. neg. ſed ſolum Baptizati poſt baptiſmum lapſi in mortale: unde peccata infidelium, & ante baptiſmum commiſſa non ſunt materia hujus Sacramenti: præterea ut hoc Sacramentum alicui adminiſtretur, requiritur juriſdictio, qualem Eccleſia non habet in non baptizatos.

Et quæ peccata ſint confitenda.

Petes, ad quæ peccata mortalia confitenda obligatur pœnitens hoc divino præcepto.

Reſp. ad omnia tam interna quam externa nullo excepto: cujus ratio eſt quia Chriſtus inſtituit confeſſionem tamquam medium neceſſarium poſt baptiſmum lapſis ad ſalutem: ac proinde ex vi divini præcepti omnia ſunt confitenda: nam poteſtas quam Chriſtus dedit Apoſtolis, fuit data ad aperiendam januam regni cæleſtis, quæ quolibet mortali peccato clauditur.

Petes quandonam obliget hoc divinum præceptum confeſſionis.

Reſp. & dico 1. quamvis non ſit licitum nequidem momento remanere in peccato mortali; & ea propter quo diutius quis in peccato aliquo continuat, eò graviùs peccet.

Hic tamen quæritur, quandonam peccator ſub novo peccato obligetur ad confeſſionem.

Præceptū confitendi eſt affirmativum. Obligat peccatorem in periculo mortis.

Reſp. præceptum divinum confeſſionis notoriè eſſe affirmativum: ex quo patet quod non obliget pro omni tempore, ſed more præcepti affirmativi, ſub certis tantum circumſtantiis & temporibus: & primò quidem certum eſt illud obligare, ſub reatu novi peccati in periculo mortis; eò quod peccator tum extremè indigeat Sacramento pœnitentiæ, utpote ſine quo in re vel in voto ſuſcepto, nequit ſalvari aut Deo reconciliari.

Quando cenſeatur eſſe periculum mortis.

Petes, quandonam quis cenſeatur eſſe in periculo mortis.

Reſp. quando prudenti hominum judicio cenſentur adeſſe ſufficientia indicia mortis naturalis vel periculi illius: prout contingit dum quis judicio medici periculosè ægrotat, aut dum quis init conflictum, vel committit ſe mari, aut periculoſo itineri: item cum mulier delicata primùm parit.

Petes, an medicus in periculoſo morbo obligetur monere ægrotum ut tempeſtivè ſuſcipiat Sacramenta neceſſaria.

Reſp. affirmativè; idque ex decreto Pii V. nec debet is exſpectare quoad uſque adeſt ipſe mortis articulus, ſed obligatur,

quam

Digitized by Google

quamprimum advertit prudenter ſubeſſe periculum: unde nec poteſt ulterius pergere in medicamine corporali niſi ægrotus prius munitus ſit Eccleſiæ Sacramentis.

Illud præceptum per ſe obligat extra periculum mortis.

Præterea hoc divinum præceptum confeſſionis per ſe aliquoties obligat in vita, eò modo quo obligat præceptum contritionis; quod probatur ex fine propter quem à Chriſto eſt inſtitutum; nec refert quod nequeant determinari tempora, quibus præcisè per ſe obliget; ſufficit enim quod recta ratio ſuadeat eſſe peccatum illam nimis diu differre.

Per accidens ſæpius obligat.

Interim hoc præceptum frequenter obligat per accidens, ut v.g. dum quis in mortali exiſtens, vult ſuſcipere Euchariſtiam vel adminiſtrare alia Sacramenta, aut dum eſt periculum oblivionis peccati niſi citò confiteatur; inſuper dum ſubeſt periculum poſtmodum non habendi confeſſarium; denique quoties nos obligat conſcientia ad confeſſionem non differendam.

Petes, an qui per ſe obligantur divino præcepto confeſſionis, obligentur quoque Eccleſiaſtico.

Reſp. quandoque ſic obligari quandoque non. Qui enim commiſerunt peccatum mortale, ex præcepto Eccleſiæ tenentur illud confiteri intra annum ſaltem; ad quod etiam obligantur lege divinâ: quia præceptum Eccleſiæ eſt determinativum præcepti divini: unde tali caſu ſimul illa duo præcepta concurrunt. Sed quia illi qui ſæpius intra annum relabuntur in peccatum mortale, ex præcepto Eccleſiæ non obligantur ad ſæpius confitendum, poteſt fieri quod obligentur præcepto divino, & non Eccleſiaſtico. Adeoque præceptum illud divinum de confeſſione peccatorum facienda poteſt obligare per ſe, quando non obligat præceptum Eccleſiaſticum.

Ex præcepto Eccleſiæ obligantur fideles ſingulis annis confiteri.

Petes, an ergo omnes fideles in mortale lapſi obligentur ex Eccleſiæ præcepto ad confeſſionem.

Reſp. affirmativè; quod patet ex cap. *omnis utriuſque ſexus*, ubi præcipitur ut omnes fideles, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, omnia ſua peccata confiteri debeant ſacerdoti proprio, ſemel in anno.

Petes, quid rei ſit illud præceptum Eccleſiæ.

Reſp. ut adhuc ante dixi non eſſe aliud quam determinationem præcepti divini: quod præceptum divinum cum ſit affirmativum, nec determinaverit præcisè tempus quo debeat adimpleri, illud convenienter determi-

terminavit Eccleſia declarant lapſis in peccatum mortale teneri ad ſemel in anno confitendum: & eapropter hoc præceptum quoad ſubſtantiam eſt divinum, quoad determinationem temporis autem, Eccleſiaſticum: & eapropter Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ait „ neque enim per Lateranenſe Conc. Eccleſia ſtatuit, ut Chriſtiani fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat: ſed ut præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.

Qui intra annum confeſſus eſt venialia & lapſus eſt in mortale, tenetur adhuc ſemel cõfiteri.

Petes, quid ſi quis in initio anni fuiſſet confeſſus venialia, & poſtmodum laberetur in mortale, an teneretur denuò confiteri.

Reſp. affirmativè; quia per confeſſionem venialium non ſatisfecit præcepto, eò quod illud ſit de materia neceſſaria, ſcilicet de peccatis mortalibus.

Petes, quæ pœna ſit ſtatuta violanti præceptum annuæ confeſſionis.

Pœna ſtatuta non obſervantibus illud præceptum.

Reſp. ut vivens ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens careat Eccleſiaſticâ ſepulturâ: ut patet ex cap. *Omnis utriuſque ſexus*, quæ proinde pœna ipſo facto incurritur.

DUBIUM II.

Quomodo computandus ſit annus, quo ex præcepto Eccleſiæ tenemur confiteri.

Quomodo computandus annus intra quem fideles debent confiteri.

Reſp. ab initio Januarii uſque ad ultimam Decembris; ita ſcilicet ut quolibet die anni hoc præceptum poſſit impleri. Quod probatur, quia in cap. *omnis utriuſque* nullum certum tempus anni aſſignatur, ſed ſolum præcipitur ut confeſſio fiat ſemel in anno; & idcirco ſi Eccleſia voluiſſet præceptum de annua confeſſione obligare pro determinato aliquo tempore anni, illud expreſſiſſet, prout fecit de S. Communione: & idcirco qui hoc anno confeſſus eſſet primo die anni, & ſequenti anno ultimâ Decembris, ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ de confitendo pro utroque anno; nam ſicuti is ſatisfacit præcepto humano, cui mandatur aliquid facere certo die, quâcumque diei horâ id faciat, ita quoque ſatiſfacit præcepto confeſſionis annuæ quocumque die anni confiteatur.

Præceptum cõfeſſionis implet qui quacumque parte anni confitetur.

Dices, uſu Eccleſiæ receptum eſt ut fideles confiteantur in quadrageſima, quem uſum Conc. Trid. maxime probat.

Præceptum illud non obligat per ſe tempore paſchali.

Reſp. id eſſe verum; ſed tamen

Digitized by Google

men non ita loquitur ut indicet hoc eſſe in præcepto, nec etiam conſuetudo confitendi in Paſchate obtinet vim legis præciſe ex præcepto confeſſionis, ſed quia fideles tempore Paſchæ debent ſatisfacere præcepto communionis, tunc quoque inſtituunt confeſſionem, eò quod conſcius peccati mortalis debeat confeſſionem S. Communioni præmittere.

Et idcirco qui nondum obligatur præcepto communionis annuæ, & peccavit tamen mortaliter, ſatisfaciet præcepto confeſſionis quolibet die anni illam inſtituendo: & qui ex rationabili cauſa excuſatur à communione Paſchali, obligatur nihilominus ſemel in anno confiteri; eò quod hæc duo præcipiantur diſtinctis præceptis.

Petes, an ergo, qui in Paſchate, nec ſuſciperet Euchariſtiam, nec confiteretur, committeret duo peccata.

Reſp. negativè, ſed unum tantum, niſi forſan idem eſſet tempus præcepti confeſſionis & Euchariſtiæ, quod fieri poſſet computando annum ab una confeſſione ad aliam; quam tamen ſententiam non ſequimur.

Qui prævidet non ha-

Petes, an qui prævidet ſe non habiturum copiam Confeſſarii in fine anni, teneatur prævenire.

biturum ſe poſtea confeſſarium teneatur jam confiteri.

Reſp. affirmativè; eo modo quo is qui in die feſto prævidet ſe non habiturum miſſam ſi illam differat uſque ad horam undecimam, tenetur illam mane audire: & hoc ideo quia adeſt tempus præcepti; eo modo qui debet ſolvere ſuo creditori, ſi prævideat ſe hoc non poſſe facere tempore præfixo, tenetur ſolutionem anticipare.

Petes, an qui hoc anno non adimplevit præceptum annuæ confeſſionis, teneatur anno ſequenti quamprimum confiteri.

Qui intra annũ omiſit confiteri, manet obligatus.

Reſp. affirmativè; quia tempus unius anni non præfigitur ad finiendam obligationem præcepti, ſed ad illam ſollicitandam: quod colligitur ex fine ipſius præcepti confeſſionis annuæ, qui eſt excitare fideles ad uſum Sacramenti Pœnitentiæ, & ad negligentiam tollendam.

Pro cujus intellectu.

Notandum dupliciter aliquid poſſe præcipi ut faciendum aliquo determinato tempore; primò ob circumſtantiam & honorem talis temporis. 2. Abſolutè & ſimpliciter nullâ ſpectatâ temporis conditione, ſed tantùm ne ulterius differatur.

Quandonam præcepta continuatio deter-

Quando aliquid præcipitur hoc primo modo, tunc elapſo tali tempore ceſſat ejus obligatio; prout patet in audienda miſ-

ſa

minuentia tempus obligant adhuc finito illo tempore.

ſa die feſtivo, cujus obligatio ceſſat tranſacto feſto.

Quando verò præcipitur hoc ſecundo modo, tunc tranſacto tempore necdum ceſſat ejus obligatio: prout patet in debitore non ſolvente præfixo tempore, qui equidem adhuc obligatur ſolvere: eapropter cum præceptum confeſſionis ſit latum hoc ſecundo modo, nempe ſimpliciter & abſolutè, ſequitur illud adhuc eſſe implendum, elapſo anno: porro quod iſtud ſit ita latum, patet ex ejus fine qui eſt excitare fideles ad uſum Sacramenti Pœnitentiæ, & occurrere negligentiis quæ circa executionem hujus præcepti poſſent occurrere ſi nihil determinaretur. Ex quo ſequitur illum continuò peccare qui elapſo anno non ſtatim confitetur: qui tamen in articulo mortis non eſt confeſſus habens conſcientiam peccati mortalis, eo tranſacto, non tenetur quamprimùm confiteri, eò quod præceptum confeſſionis tunc ſolum obliget ob periculum proximum damnationis; quod, ſublato mortis articulo, ceſſat: tum quia ſicut is qui pauperi in extrema neceſſitate conſtituto non dedit eleëmoſynam, eâ tranſactâ, non tenetur illam dare; ita qui præceptum confeſſionis in mortis articulo non implevit, eo tranſacto ad illud non tenetur, eò quod ſit tantùm latum ob talem temporis circumſtantiam.

Non confeſſus anno præterito, ſi ſequenti confitetur, ſatisfacit pro utraque.

Petes, an qui diſtulit confeſſionem anni præteriti uſque ad annum præſentem ſatisfaciat utrique obligationi unicâ confeſſione.

Reſp. affirmativè; quia ſic uſu receptum eſt ut qui multis annis non eſt confeſſus, unam ſuper his inſtituat confeſſionem: nec hoc mirum cum frequenter unico actu in moralibus poſſimus ſatisfacere duobus præceptis, prout contingit dum quis ſub miſſa, quam obligatur audire, legit ſuas horas.

Ut illud præceptũ impleatur, debet confeſſio eſſe validè facta.

Petes, an per quamlibet confeſſionem præceptum annuæ confeſſionis impleatur.

Reſp. neg. ſed per ſolam validam, ſcilicet cum qua, accedente ſacerdotis abſolutione, ſubſiſtit Sacramentum pœnitentiæ: ratio eſt, quia non aliam confeſſionem præcepit Eccleſiæ quam illam quàm præcipit Chriſtus; eò quod præceptum Eccleſiæ non ſit aliud quam determinatio præcepti divini; ſed præcepto divino non ſatisfit niſi per validam ſuſceptionem Sacramenti; ergo neque eccleſiaſtico. Ex quo ſequitur per confeſſionem non formaliter integram aut factam

ſine dolore requiſito, aut factam ſacerdoti jurisdictionem non habenti, non adimpleri præceptum Eccleſiæ.

Petes an inſtituens annuam confeſſionem invalidam incurrat pœnas conſtitutas transgreſſoribus hujus præcepti.

Reſp. Affirmativè, quia cenſetur contumax & inobediens, eò quod non adimpleat præceptum Eccleſiæ.

Petes an confeſſio peccatorum venialium ſit jure divino neceſſaria.

Confeſſio peccatorum venialium non eſt in præcepto.

Reſp. neg. quod patet ex uſu & praxi Eccleſiæ.

Dices poteſtas remittendi venialia colligitur ex eodem loco Joann. 20. ex quo colligitur poteſtas remittendi mortalia, ergo ſicut ex illo colligitur obligatio confitendi mortalia, ita & ex eodem colligitur neceſſitas confitendi venialia.

Reſp. neg. conſequentiam: nam Eccleſia nos docet illam ſententiam non eodem modo & mortalibus & venialibus eſſe applicandam: & eapropter eſto ex priori membro rectè colligamus poteſtatem etiam remittendi venialia, ex poſteriori tamen non rectè colligitur poteſtas ea retinendi: & eapropter ſententia illa Salvatoris ſecundùm ſubjectam materiam debet applicari; nam licet fuerit congruum poteſtatem, quæ nomine Dei remittit graves offenſas, ſe quoque extendere ad remittendas leves; non tamen fuit congruum leves offenſas retinere, ſicut graves.

Qui toto anno non commiſit mortale non tenetur confiteri.

Petes an ſaltem habens ſolum peccata venialia non debeat quotannis ex præcepto Eccleſiæ confiteri proprio ſacerdoti, aut ſaltem comparere coram illo, illique inſinuare ſe non egere confeſſione.

Reſp. neg. ſaltem ex vi præcepti eccleſiaſtici; obligari tamen quandoque vi præcepti naturalis quod obligat ad vitandum ſcandalum in populo, præſertim in locis, in quibus omnes non confeſſi deferuntur ad Epiſcopum in ſcriptis.

DUBIUM III.

An hoc præceptum tam divinum quàm eccleſiaſticum confeſſionis etiam obliget pueros.

Præceptum confeſſionis obligat fideles omnes qui peccare poſſunt mortaliter.

RESp. Affirm. ſi ad annos diſcretionis venerint & mortaliter peccaverint: quod probatur ex cap. *omnis utriuſque ſexus*, ubi generaliter præcipitur, omnibus fidelibus ſemel ſingulis annis confiteri poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint.

Petes an iſte diſcretionis annus

nus quoad pueros ſit determinatus.

Quo ætatis anno adveniat rationis uſus in pueris.

Reſp. neg. neque enim uſus rationis omnibus pueris eodem modo obvenit, aliquibus enim primò obvenit anno nono, aliis octavo, aliis ſeptimo, aliis ſexto, aliis etiam quinto; unde probatio hujus diſcretionis ſpectat ad prudentiam confeſſarii, qui non ſolùm ex ætate ſeptem annorum, quando regulariter præſumitur hæc diſcretio adeſſe ſed etiã ex ingenii & educationis qualitate hoc debet metiri; nam prout experientiâ conſtat alii anno octavo, alii nono, alii verò ſeptimo, ſexto, vel quinto annum diſcretionis attingunt, ita ut non tantum venialiter ſed mortaliter peccare poſſint, uti narrat S. Gregorius lib. 4 Dial. cap. 18. de puero quinquennali ob blaſphemias damnato: & Ioannes Gerſon, Cancellarius Pariſienſis libro de arte audiendi confeſſiones ait, experientiâ ſe didiciſſe ejuſmodi ætatis pueros peccatis carnalibus fuiſſe coinquinatos.

An pueri, de quibus dubitatur an polleant uſu rationis ſufficienti. poſſint abſolvi.

Petes quandonam ergo pueri poterunt abſolvi?

Reſp. tunc, dum prudens Confeſſarius ex variis interrogationibus poteſt formare morale judicium quod puer habeat ſufficiens judicium quod Deus per hanc vel illam actionem offendatur; item quod hoc vel illud facere ſit malum.

Petes quid agat confeſſarius dum dubitat num puer polleat ſufficienti uſu rationis.

Reſp. certè hic caſus eſt quotidianus, & plurimum torquet Confeſſarios: neque enim ſufficit quod ille ſciat enarrare aliquod peccatum; nam quandoque id faciet ex inſtructione parentum abſque eo quòd cognoſcat rationem peccati; vel certè, eſto ſufficienter cognoſcat peccatum, non tamen apprehendit rationem Sacramenti, ſerio dolendo de peccatis ſuis: quod inde patet, quia quo tempore confitetur, interea vel circa roſarium ſuum vel pileum nugabitur, aut ridebit reſpiciendo ad ſocios ſuos: & hinc confeſſarius plurimum angitur, quia ab una parte videt neceſſitatem abſolvendi, eò quod v. g. puer ſit lapſus in mortale; ab altera vero parte videt puerum vero dolore carere; nec iſtius eſſe capacitatis ut à confeſſario tam brevi temporis ſpatio ad Sacramentum pœnitentiæ ritè ſuſcipiendum diſponi poſſit: & ſiquidem confeſſario moraliter conſtet talem puerum non eſſe capacem, pro tunc eliciendi verum dolorem, dimittendus erit ſine abſo-

 lutione

Digitized by Google

Quandoque ſunt abſolvendi ſub conditione.

lutione; attamen benigne alliciendus ut intra paucos dies revertatur magis inſtruendus in neceſſariis. Quod ſi verò edat talia ſigna, ut faciat Confeſſarium dubitare an habeat verum dolorem, abſolvendus erit ſub conditione, ſaltem in articulo mortis; quinimo etiam extra mortis articulum ſi Confeſſarius habeat ſaltem probabilitatem diſpoſitionis requiſitæ, dicendo *Si tu es capax, ego te abſolvo*: neque enim in hac perplexitate Confeſſarius irrogat ullam injuriam Sacramento, illud ſub conditione conferendo.

Quòd ſi verò hujuſmodi pueri frequenter veniant ad confeſſionem, idque cum ſolis venialibus, non facile danda eſt eis abſolutio, ſed loco illius aliqua benedictio, aut pia aliqua inſtructio, aut certè quandoque dari poteſt abſolutio ſub conditione, ubi hoc prudentia dictabit expedire; ne fruſtrentur ſine cauſa fructu hujus Sacramenti.

Porro Confeſſarii utiliſsimè impendent operam hujuſmodi pueros inſtruendo in ordine ad confeſsionem & contritionem eliciendam, ne illorum defectu æternaliter damnentur, & defectu gratiæ labantur de uno peccato in aliud.

Pueri citius capaces præcepti confeſſionis, quàm communionis.

Petes, quandonam pueri obligentur præcepto confeſsionis.

Reſp. quamprimùm peccaverunt mortaliter: porro ſicuti in quibuſdam pueris citiùs, in aliis ſerius incipit uſus rationis, ita quoque in quibuſdam rebus illud habent prius quam in aliis: & ideo non ſtatim ubi admittuntur ad confeſsionem, admittendi ſunt etiam ad communionem, eò quod prius habeant judicium diſcernendi bonum à malo, quam cibum ſacrum, à cibo profano.

Petes, an pueri ante pubertatem tranſgredientes præceptum annuæ confeſsionis incurrant pœnas capite *omnis utrinque ſexus*, in prævaricatores conſtitutus.

Reſp. negativè, quia ut dicitur cap. *Referente*, de delictis puerorum. „In pueris relinqui ſo„let inultum, quod in aliis pro„vectioris ætatis humanæ leges „dicunt ſeveriùs pœnitendum:„ quod tamen non eſt univerſaliter verum, eò quod puer doli capax percutiens clericum, incurrat excommunicationem: prout conſtat ex cap. *Pueris*.

DUBIUM IV.

Qualis debeat eſſe confeſſio.

Dico 1. à Doctoribus, ſedecim enumerantur conditiones requiſitæ ad bonam confeſsio-

feſsionem, his verſibus contentæ.

16. Conditiones requiſitæ ad confeſsionem

Sit ſimplex, humilis confeſsio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda
Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parêre parata.

Debet eſſe ſimplex. Porro ſimplex erit confeſsio, ſi omnia ſuperflua & inutilia amputentur; quæ conditio tamen non tam eſt neceſſaria quàm conveniens, ne alioquin confeſsiones fœminarum quæ ordinariè confitentur hiſtoricè, ſint invalidæ.

Humilis. 2. Conditio: erit humilis, ſi procedat ex vili ſui cognitione; ita ſcilicet, ut quis ſe miſerum peccatorem agnoſcat, veniâ indignum, fiatque cum exterioribus humilitatis ſignis, ut puta genibus flexis, & aperto capite, ſi pœnitens ſit vir, & velato capite, junctis manibus, ſi ſit mulier: hæc tamen conditio ad valorem confeſsionis non eſt neceſſaria, ſed tantùm ad bene eſſe: unde tempore neceſſitatis poteſt omitti: qui tamen confiteretur peccata ſua cum jactantia, & gloriaretur in illis, invalidè abſolveretur defectu contritionis requiſitæ.

Pura. 3. Erit pura, ſi fiat ex purâ intentione placandi Deum per peccata offenſum, non verò ut quis bonus aut pius reputetur, aut infamiam fugiat: & hinc ſi confeſsio fiat ob finem pravum, erit invalida, & committetur in ipſa confeſsione novum peccatum mortale, ob injuriam quæ infertur Sacramento, quod aſſumitur in confirmationem falſitatis aut alterius delicti.

4. Erit nuda, ſi fiat abſque palliatione, aut verbis fucatis; ita ut Confeſſarius clarè poſſit cognoſcere ſtatum pœnitentis, quamvis ille de omnibus in confeſsione auditis non teneatur determinatè judicare an ſint mortalia an venialia, quia hoc ſæpe eſt impoſsibile, præſertim quando pœnitens neſcit exprimere conſenſum vel tempus circa aliquod peccatum. *Nuda.*

5. Erit frequens, non quaſi ſit neceſſe neceſsitate præcepti per ſe ſæpius confiteri in anno extra mortis articulum, aut extra tempus ſumendæ Euchariſtiæ, ſed quia eſt opus conſilii ſæpiùs confiteri ob plurimas utilitates ſpirituales & uberes ex frequenti confeſsione prodeuntes, dum illa non inſtituitur perfunctoriè ſed prout debet, èſto de ſolis peccatis venialibus. *Frequens*

6. Erit diſcreta, ſi pœnitens eâ utatur prudentiâ in eligendo confeſ- *Diſcreta.*

Digitized by Google

confeſſario quâ utitur in corporali ægritudine in eligendo medico corporali; ita ſcilicet ut eligat confeſſarium pium & doctum qui ſciat diſcernere inter lepram & non lepram; & vulnera animæ pœnitentis apprimè curare: & eapropter pœnitens accedens confeſſarium, quem ſcit in aliqua materia quam confitetur minùs verſatum v. g. qui ipſum non obligabit ad deſerendam occaſionem proximam, vel ad faciendam reſtitutionem; & conſequenter ille nec occaſionem deſeret, nec reſtituet, non excuſatur à peccato mortali, nec valet ejus confeſſio; nec proptereà liberatur ab obligatione reſtituendi. Præterea confeſſio erit diſcreta ſi pœnitens in materia præſertim venerea, loquatur verecundè & honeſtè quantùm fieri poteſt, utendo verbis pudicis ad ſe explicandum.

Lubens. 7. Erit *Lubens*, ſi ſit voluntaria; ita ſcilicet ut adſit voluntas confitendi; qualiter hæc conditio intellecta eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti: unde confeſſio omnimodè coacta & violenta, eſt invalida; ſecus verò ſi ſit tantùm involuntaria ſecundùm quid; prout quandoque contingit in pueris qui metu verberum aut indignationis parentum ad confeſſionem accedunt; nam cum ejuſmodi voluntario poteſt conſiſtere quod integrè & cum ſufficienti dolore ſua peccata confiteantur.

8. Erit *Verecunda*, ſi pœnitens interius de fœditate animæ propriæ erubeſcat, & exteriùs apud Confeſſarium cum aliqua erubeſcentia confiteatur, abſque faſtu aliquo aut vanitate admixta, prout aliqui faciunt: decet enim pœnitentem apud Confeſſarium pudore ſuffundi: quæ erubeſcentia plurimùm prodeſt ad remiſſionem pœnæ temporalis peccatis remiſſis debitæ. *Verecunda.*

Hàc tamen occaſione caveat prudens Confeſſarius ne pœnitentem, præſertim infirmioris ſexus, verbis aſperis aut durioribus deterreat, ſed cum patientia, imitando Chriſti manſuetudinem, permittat illi confidenter explicare omnia ſua peccata, reſervatâ interim correptione, ſi quâ opus ſit, uſque in finem: alioquin enim pœnitens conturbabitur, & Confeſſarius erit cauſa quod non integrè confiteatur.

9. Erit *Secreta*, ſive fiet ſolo ſacerdoti: attamen hæc conditio non eſt neceſſaria ad valorem, quia non conſtat Chriſtum prohibuiſſe quò minus pœnitens juſta ex cauſa poſſet in ſignum majoris deteſtationis peccatorum *Secreta.*

Digitized by Google

rum peccata ſua publicè confiteri: quinimo Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ait, „ non eſſe à „ Chriſto prohibitum quin aliquis, in vindictam peccatorum ſuorum, ſuique humiliationem, & aliorum ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit. „ Unde non eſt de eſſentia Sacramenti ut confeſſio fiat ſecretò ſoli ſacerdoti, ſed hoc à Chriſto conceſſum eſt in favorem pœnitentis; cui favori, ob cauſam, pœnitens quandoque poteſt renunciare, prout patet ex veteri conſuetudine Eccleſiæ: quinimo hoc ipſum quandoque fit ab exiſtentibus in periculo naufragii, aut incendii qui peccata ſua non niſi altâ voce confiteri poſſunt, ita ut ab adſtantibus audiantur: præterea caſus dari poteſt, quo quis obligetur publicè confiteri: ut v. g. ſi pœnitens exiſtat in mortis periculo, nec aliter poſſit confiteri niſi coram aliis; nam periculum animæ præponderat jacturæ famæ. Talis tamen tunc obligabitur confiteri, non tam vi præcepti divini, quàm ex ſtrictiſsima lege charitatis erga ſe ipſum, quâ quis obligatur in ultimo vitæ puncto cum Deo ſuo reconciliari, ne exponat ſe periculo æternæ damnationis, quod omnibus aliis damnis eſt anteponendum.

Poteſt confeſſio fieri per interpretem.

Petes, an quis poſsit confiteri per interpretem.

Reſp. affirmat. quod probat uſus fidelium; attamen, per ſe loquendo, nemo ad hoc obligatur, eò quod præceptum confeſsionis non cenſeatur obligare cum tanto incommodo, neque Eccleſia determinavit fieri annuam confeſsionem niſi ſoli confeſſario: prout conſtat cap. *omnis utriuſque ſexus*; in quo expreſsè habetur quod omnis fidelis teneatur ſolus confiteri ſua peccata proprio ſacerdoti ſemel in anno; porro non confitetur ſua peccata ſolus, qui illa confiteretur per interpretem.

An quis aliter confiteri non poſſet ad hoc teneatur.

Attamen in articulo mortis obligabitur pœnitens, exiſtens in mortali, per interpretem confiteri, ob ante datam rationem, idque ex lege charitatis, qua tenetur omni modo ſibi poſsibili avertere à ſe omne periculum æternæ damnationis; ex quo eodem capite, is qui in articulo mortis non poteſt verbis confiteri, tenetur per ſigna & nutus ſe manifeſtare, & quidem ex divino præcepto confeſsionis eum ad hoc obligante; ſiquidem hic modus manifeſtandi peccata ſatis ſecretus eſt, adeoque involvitur in præcepto confeſsionis; cum enim homines quandoque utantur hoc modo ad res minus

Digitized by Google

utiles explicandas, certè ille non debet in neceſſitate pro ſalute animæ omitti.

An qui non poſſet niſi ſcripto confiteri, ad hoc obligetur. Petes, an pœnitens teneatur aliquando confiteri per ſcriptum ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis annuæ, idque præſente Confeſſario dum aliter confiteri non poteſt.

Reſp. quamvis hic modus confitendi de ſe ſit expoſitus multis periculis, adeoque pœnitens, per ſe loquendo non obligetur ſic confiteri, tamen ſi in caſu particulari ſine aliquo periculo aut incommodo poſſit ſic confiteri, nec poſſit aliter, obligabitur tunc ſic confiteri, etiam ut ſatiſfaciat præcepto confeſſionis annuæ, eò quod is qui obligatur ad finem obligetur quoque ad media, quæ ſine ſuo gravi incommodo poteſt ad eundem finem adhibere. Porro eſto regulariter non ſit admittendum ut quis ſcripto confiteatur, eò quod proprius modus confitendi ſit per verba, attamen in caſibus particularibus poterit id prudenter permitti: ut v. g. quando tanta eſt alicujus puellæ verecundia, ut loqui nequeat, aut tantus alicujus ægroti angor ut voce non poſsit confiteri, niſi accuſando ſe generaliter de omnibus peccatis in charta contentis.

Lachrymabilis. 10. Confeſſio erit *Lachrymabilis*, ſi adſit vera mentis diſplicentia, & deteſtatio peccatorum: nam quod attinet ad lachrymas, & ad alia doloris ſigna, illa quidem ornamenta ſunt pœnitentis, ſed non neceſſaria; eò quod ſæpè ea non ſint in ejus poteſtate: unde nec dolor ſenſibilis, ſed rationabilis, ad confeſſionem eſt neceſſarius.

11. Erit *Accelerata*, ſi peccator ſtatim poſt peccatum admiſſum pœniteat & confiteatur; neque enim ad momentum licet manere in peccato, & periculo æternæ damnationis. *Accelerata.*

12. Erit *Fortis & libera* ſi pœnitens omnes tentationes & impedimenta, eum à confeſsione avertentia, fortiter vincat; & præſertim ſi ſupprimat pudorem illum cohibentem à confeſsione integrè facienda. *Fortis.*

13. Erit *Accuſans* ſi pœnitens, prout debet, imputet ſibi ſoli peccata ſua, non verò alteri, prout multi faciunt v. g. filia adoleſcenti inducenti; aut ſi ſolummodo, prout aliqui faciunt, confiteatur omnia ſua ſub conditione v. g. confiteor hæc & illa ſi fecerim: quæ confeſsio procul dubio eſt nulla. *Accuſans.*

14. Erit *Parère parata*, ſi pœnitens paratus ſit obedire Confeſſario, ejuſque monitionibus morem gerere, in quibus obligatus *Parère parata.*

tur, v. g. in acceptanda pœnitentia, in vitanda proxima occaſione peccati.

15. Ut ſit *integra*, de qua particulariter inferiùs agemus.

DUBIUM V.

An confeſſio poſſit eſſe informis.

Quid ſit confeſſio informis.

NOta 1. per confeſſionem informem intelligi hic verū Sacramentum pœnitentiæ, quod tamen propter aliquem obicem non confert gratiam nec remiſſionem peccatorum.

Nota 2. numquam poſſe dari abſolutionem quando conſtat diſpoſitionem pœnitentis eſſe inſufficientem in ordine ad effectum Sacramenti; ſiquidem in talibus circumſtantiis dare abſolutionem, eſſet committere manifeſtiſſimum ſacrilegium. His prænotatis.

Non poteſt dari Sacramentum pœnitentia informe.

Ad Quæſtionem Reſp. neg. etenim ſi hoc poſſet contingere, nempe quod daretur Sacramentum pœnitentiæ informe, id eſſet defectu contritionis: ut puta ſi pœnitens bonâ fide putaret ſe contritum, cum tamen contritus non eſſet; atqui hoc dici non poteſt, quia contritio eſt de eſſentia Sacramenti; deficiente autem parte eſſentiali deficit ipſum totum.

Dices alia Sacramenta poſſunt ſubſiſtere ſine effectu; ergo & Sacramentum pœnitentiæ.

Cur minus Sacramentum pœnitentia poſſit eſſe informe, quam alia.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt quod hoc ſacramentum eſſentialiter includat contritionem ſaltem imperfectam, quâ poſitâ, certò confert effectum, & quâ non poſitâ, non ſubſiſtit; alia vero ſacramenta, eſto ad ſui effectum requirant contritionem tamquam diſpoſitionem, non tamen requirunt illam tamquam partem eſſentialē.

Dices, confeſſio poteſt eſſe informis defectu efficacis propoſiti emendationis; uti dum quis putat ſe habere efficax propoſitum, & ſolùm habet velleitatem prout quam plurimum accidit recidivantibus, & relabentibus in eadem peccata.

Non eſt vere contritus qui caret efficaci propoſito emendationis

Reſp. tunc & ipſum Sacramentum pœnitentiæ fore invalidum defectu contritionis, quæ ſine efficaci emendationis propoſito non ſubſiſtit: nec refert quod pœnitens ſit in bona fide, & putet ſe habere efficax propoſitum, quia bona fides (ſi talis ſit) ipſum quidem excuſabit ab ulteriori peccato ſacrilegii, non tamen ſupplebit defectum partis eſſentialis.

Dices poteſt contingere quòd pœnitens putet ſe ſufficientem diligentiam adhibuiſſe in examinanda conſcientia, quam tamen

Digitized by Google

men non adhibuit; cujus proinde, ſi ſic confiteatur, confeſſio erit informis.

Non poteſt confeſſio eſſe informis ex eo quod non ſit integra.

Reſp. neg. aſſumptum; vel enim omiſſio diligentiæ requiſitæ eſt talis ut ſit peccatum mortale; & tunc confeſſio erit nulla, quippe non formaliter integra, eoquod pœnitens omittat confiteri illud mortale: nec refert quod intentione expreſsâ velit integrè confiteri, quia interpretative vult contrarium ob manifeſtam negligentiam ſeſe ad illam præparandi: vel omiſſio diligentiæ requiſitæ erit ſolùm peccatum veniale; quo caſu ſubſiſtet Sacramentum, & conferet effectum, eò quod peccatum veniale non ſit obex gratiæ Sacramentalis.

Qui culpabiliter ignorat aliquid eſſe peccatū mortale validè poteſt confiteri.

Dices, ſaltem confeſſio poterit eſſe informis ſi quis ex craſſa ignorantia ignoret actum aliquẽ eſſe peccatum mortale, quâ laborant aliquando adoleſcentes, putantes delectationes moroſas non eſſe peccata mortalia; & idcirco illas non confitentur.

Reſp. eſto ejuſmodi Adoleſcentes ignorantiâ craſsâ, adeoque à mortali non excuſante, ignorent ejuſmodi delectationes eſſe peccata; poſſunt tamen invincibiliter ignorare ſeſe omnia ſua peccata in una eademque confeſſione debere explicare: & eapropter, ſi cætera adſint, talis confeſſio poterit quandoque eſſe valida & ſortiri ſuum effectum.

DUBIUM VI.

An confeſſio debeat eſſe fidelis & vera.

Pœnitens obligatur confiteri ſua peccata eo modo quo illa habet in ſua conſcientia, quippè qui ſe manifeſtare debet ſuo confeſſario veluti vicario Dei, cujus oculis omnia ſunt nuda & aperta; quod certè non faceret ſi aliter enarraret ſua peccata Confeſſario, quàm habet in conſcientia.

Mendacium in confeſſio in re gravi eſt magnum ſacrilegium.

Hinc mentiri in confeſſione circa aliquod mortale peccatum, graviſſimum eſt peccatum utpote mendacium pernicioſum, ſummè injurioſum ſanctitati ipſius Sacramenti: & eapropter ſi mentiri in judicio civili, in re gravi ad judicium pertinente, ſit grave ſcelus, quantò magis erit in hoc judicio interno, in quo Confeſſarius præſidet loco Dei: & eapropter is facit confeſſionem invalidam, decipiendo Confeſſarium in materia gravi, quod eſt peccatum mortale: nam neque ipſius confeſſio eſt integra, eò ipſo quo ſilet mendacium illud pernicioſum, neque habet dolorem

Digitized by Google

lorem requiſitum, quippe cum implicet contradictionem, aliquem de peccatis dolere, & actualiter peccare ſeu peccatis affici; prout ille facit.

Scrupuloſus accuſans ſe de peccato tamquam certo, de quo tamen dubitat, non peccat mortaliter.

Petes, an ita etiam peccet pœnitens ſcrupuloſus, ſi falsò ſe accuſet quod commiſerit aliquod peccatum, de quo tamen tantùm dubitat, ſi id faciat, non quidem intentione confeſſarium decipiendi, ſed ut eligat, prout putat, partem tutiorem faciendo ſe reum ubi reus non eſt.

Reſp. ejuſmodi pœnitentem malè quidem facere, non tamen mentiri, quia ad mendacium non requiritur ſolùm ut quis falſum dicat, ſed requiritur inſuper intentio fallendi, quæ hic deeſt.

Petes, quid ſi pœnitens à confeſſario interrogetur de peccato veniali quod fecit, & ille dicat ſe illud non feciſſe, quomodo peccet.

Mendacium in confeſſione de peccato veniali, ſolùm eſt veniale peccatū.

Reſp. ſolùm venialiter, quia illud non eſt materia neceſſaria confeſſionis: unde eo ipſo quo pœnitens negat ſe illud perpetraſſe, cenſetur eum illud nolle facere materiam hujus Sacramenti. Præterea Confeſſarius nullum habet jus (per ſe loquendo) interrogandi ſuper materia veniali, nec pœnitentem obligare poteſt ad hoc confitendum.

Qui tamen ſolùm unicum veniale confiteretur quod non fecit, peccaret mortaliter.

Porro ſi quis confiteatur unum ſolum peccatum veniale quod tamen non fecit, adeoque faciat illud totalem materiam Sacramenti, peccabit mortaliter peccato ſacrilegii, quia facit ut forma proferatur ſuper materia indebita, adeoque invalidat ipſum Sacramentum.

Petes; quid ſi quis in confeſſione ſe verè accuſet de certis peccatis quæ fecit; & ſimul de aliquo veniali quod non fecit, an illo caſu ſolùm peccabit venialiter.

Reſp. affirmativè, quia ejuſmodi pœnitens mentiendo in re levi, non irrogat gravem injuriam judici, eò quod non mentiatur in materia neceſſaria ad judicium requiſita, neque etiam gravem ipſi Sacramento irrogat injuriam: peccabit tamen talis mortaliter ſi confiteatur aliqua mortalia quæ fecit, & adjungat unum mortale quod non fecit; quia talis decipit Confeſſarium in materia gravi, & eſt cauſa cur proferatur forma ſuper materia indebita, ſcilicet peccato falſo.

Cæterùm Confeſſarii abſtinere debent ab interrogationibus indiſcretis, & ad rem minimè pertinentibus; quia pœnitentes hæc celare cupientes, quandoque mentiuntur, & mortali-

Digitized by Google

ter peccant contra conſcientiam: cujus peccati cauſa eſt curioſa & indiſcreta interrogatio Confeſſarii.

DUBIUM VII.

An confeſſio debeat eſſe integra

Quandonam confeſſio cenſeatur integra.

NOtandũ, integritatem confeſſionis in eo eſſe ſitam, ut peccator omnia peccata commiſſa poſt baptiſmum, quorum poſt diligens examen habet memoriam, in confeſſione Confeſſario aperiat.

Integritas confeſſionis alia eſt materialis, alia formalis.

Porro hæc integritas eſt duplex, materialis ſcilicet & formalis.

Materialis eſt, quæ eſt de omnibus omnino peccatis cõmiſſis: formalis eſt, quæ eſt de omnibus peccatis, non quidem abſolutè (nam aliqua, ſalvo Sacramento, quandoque poſſunt reticeri) ſed de omnibus quæ pœnitens hic & nunc tenetur confiteri

Materialis integritas non ſemper eſt neceſſaria.

Materialis integritas per ſe & ordinariè requiritur; formalis tamen ſufficit: prout patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. dum ait, „verùm cum univerſa peccata mortalia, etiam cogitationes, homines iræ filios „& Dei inimicos reddant; neceſsè eſt omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda „confeſſione à Deo quærere. „Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata; „Chriſti fideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia „divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt: qui verò ſecus faciunt, & ſcienter aliqua „retinent, nihil divinæ bonitati per ſacerdotem remittendum „proponunt; ſi enim erubeſcat „ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, „non curat.

Formalis integritas neceſſaria eſt tam neceſſitate præcepti, quàm Sacramenti.

Hæc integritas formalis non tantùm eſt neceſſaria neceſſitate præcepti divini, ſed etiam neceſſitate Sacramenti; ita ut ſi hæc abſit, Sacramentum futurum ſit nullum & invalidum: quod eſt de fide definitum in Conc. Trident. ſeſſ. 14. can. 7. his verbis, „ſi „quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & „ſingula peccata mortalia, quorum memoria, cum debita & „diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta, & quæ „ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta; & circumſtantias quæ peccati ſpeciem mutant: anathema ſit.

2. Probatur ratione quia Sacramentum Pœnitentiæ à Chriſto eſt inſtitutum & præceptum, tamquam unicum & neceſſarium medium conſequendi remiſſionem

Digitized by Google

miſſionem peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum; & conſequenter nullum eſt tale peccatum quod remitti non debeat ſine ordine ad claves.

3. Quia Chriſtus aſcenſurus ad cælos, ait Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. ſacerdotes reliquit ſuos Vicarios tamquam Præſides & Judices; quod judicium ferre non poſſunt, niſi pœnitentes integrum ſuum ſtatum, quoad mortalia clavibus ſubjiciant.

4. Confeſſarius non tantùm ſubit officium judicis ſed & medici; verùm in medicina corporali non eſt ſatis medico, ſi cognoſcat unum morbum ægroti; ſed neceſsè eſt ut ſciat totam diſpoſitionem illius; ergo & idem dicendum eſt de medico ſpirituali.

5. Quia Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum per modum judicii, dans Sacerdotibus poteſtatem remittendi peccata, non pro arbitrio, ſed pro officio: quod facere non poſſunt ſine cognitione totius cauſæ; ergo neceſsè eſt ut totalis cauſa illi aperiatur, ſi pœnitens omnium peccatorum ſuorum veniam velit obtinere: ſicut enim ſacerdos unum peccatum nequit remittere ſine alio, & nullum poteſt remitti ſine prævia confeſſione, conſequenter ſi pœnitens velit habere omnium remiſſionem, debet omnia confiteri.

Dices, conſtat in variis caſibus poſſe alicui licitè impendi abſolutionem, eſto non integrè confiteatur; ergo ex natura hujus judicii non conſtat pœnitentem jure divino obligari integrè confiteri.

Reſp. negando conſequentiam: pro cujus explicatione.

Nota, quod licet ad aliquem condemnandum ita requiratur cauſæ notitia, ut undecumque contingat illam non haberi, reus condemnari non poſſit, hoc tamen non eſt neceſſarium ad naturam judicii reconciliativi ad aliquem abſolvendum; nam in judicio humano poteſt quis obtinere abſolutionem delicti ſi bonâ fide procedens, cauſam ſuam exponat quantum poteſt; tale autem eſt judicium hoc Sacramentale; utpote erectum ad bonum & ſalutem fidelium: ad quod proinde ſufficit ut pœnitens bonâ fide explicet ſtatum ſuum, prout hic & nunc poteſt & tenetur.

Dices ſi omnia peccata ſint recenſenda in confeſſione, illa erit impoſſibilis & potiùs dicenda carnificina,

Reſp. neg. aſſumptum; neque enim pœnitenti imponitur omnimoda & mathematica neceſſitas

ceſſitas omnia integrè confitendi ſed ſolùm ea recenſendi quæ poſt diligens examen occurrunt.

Dices, in judicio externo non requiritur ut reus fateatur omnia crimina quæ commiſit, ergo neque in judicio interno.

Reſp. neg. conſequentiam & ratio diſparitatis eſt, quòd finis fori interni ſit ſalus animæ ad quam requiritur omnium peccatorum mortalium remiſſio; finis verò judicii externi ſit punitio, quæ fieri poteſt, eſto reus tantùm fateatur peccatum illud pro quo punitur.

DUBIUM VIII.

An ad integritatem confeſſionis prærequiratur prævium examen conſcientiæ.

Ante confeſſionem præmitti debet conſcientiæ examen.

RESP. jure divino ad confeſſionem prærequiri examen conſcientiæ: ratio eſt quia qui jure divino tenetur ad aliquem finem, eodem obligatur ad medium fini illi conſequendo neceſſarium; ſed jure divino obligatur pœnitens ad integritatem confeſſionis; ergo quoque obligatur ad hoc examen conſcientię ſine quo hæc nequit obtineri: quod patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. ſupra citato.

Petes, quæ & quanta diligentia ſit adhibenda ut pœnitens ſuæ obligationi ſatisfaciat.

Reſp. hoc non poſſe in particulari determinari, ſed id relinquendum eſſe judicio viri prudentis; qui hoc judicabit attentâ qualitate perſonæ confitentis, numero & ſpeciebus peccatorum, item diuturnitate temporis ab ultima confeſſione tranſacti, prout & conſuetudine peccandi, & aliis circumſtantiis. Hoc tamen generaliter dici poteſt ab unoquoque tantam adhibendam eſſe diligentiam, quantam adhiberet in negotio magni momenti; eò quod hoc confeſſionis opus ſit maximi momenti, à quo pendet ſalus animæ: hoc tamen hic notandum quòd pœnitens qui frequenter confitetur, non indigeat tanto tempore, quàm ille qui raro aut ſemel in anno tantùm confitetur.

Quanta ad hoc opus ſit diligentiâ.

Petes, an diligentia, quam pœnitens tenetur adhibere in examinanda conſcientia, debeat eſſe ſumma.

Reſp. negativè nam ſi hæc requireretur, quilibet continuò dubitaret & anxiaretur an talem diligentiam adhibuiſſet: ſufficit proinde talis, quam vir prudens in negotio magni momenti ſolet adhibere; & eapropter pœnitens qui labilem habet memoriam

Digitized by Google

moriam, non tenetur ſcribere ſua peccata ut illa ſuo tempore confiteatur, quia ejuſmodi diligentia eſt extraordinaria, & in praxi periculoſa: unde ſufficit quod quando eſt tempus confeſſionis, ea confiteatur, quorum recordatur facto diligenti examine.

DUBIUM IX.

An ſpectet ad integritatem confeſſionis ut explicentur omnia peccata mortalia quoad ſpeciem.

Vt confeſſio ſit integra debet fieri de peccatis omnibus quoad ſpeciem explicatis.

DIco 1. ad hoc ut confeſſio ſit integra, jure divino requiritur omnium peccatorum mortalium poſt baptiſmum commiſſorum explicatio quoad ſpeciem: quod eſt de fide, definitum in Conc. Trident. ſeſſ. 14. can. 7. & 8. ubi ait, omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria poſt diligens examen habetur, eſſe in confeſſione recenſenda jure divino, nec ſatis eſſe omnia peccata mortalia in genere confiteri: & rationem capite 5. illius ſeſſionis allegat: „quia conſtat ſacerdotes judicium, hoc incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie, ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent.„ Confirmatur ex perpetuo & numquam interrupto Eccleſiæ uſu.

Porro quæ hic dicimus de ſpeciebus peccatorum, intelligi debent de ſpecie morali, non verò de phyſica tantùm; eò quod Confeſſarius debeat ferre judicium de peccatis, quatenus inter ſe diſtinguuntur in genere moris; non verò prout præcisè diſtinguuntur in eſſe naturæ. Neque enim peccata quæ habent ſpeciem phyſicam diverſam, ſemper habent moralem diverſam; nec è contra: ſic enim, qui causâ occidendi inimicum conducit equum, emit gladium, ſuſcipit iter &c. facit plures actiones phyſicè diverſas, non verò moraliter; eò quod omnes illæ actiones de ſe indifferentes, ex perverſo fine, ad quem adhibentur, eandem cum recta ratione habeant oppoſitionem: ita quoque è contra actus fornicationis & adulterii ſunt ejuſdem ſpeciei phyſicæ, quamquam ſpecie morali diſtinguantur, cum unus ſit contra caſtitatem, alter inſuper contra juſtitiam: ita quoque occiſio hominis laici, & ſacerdotis ſunt ejuſdem ſpeciei phyſicæ, diſtinctæ tamen moralis, quia poſtrema involvit malitiam ſacrilegii, quam pri-

Peccata ejuſdem ſpeciei Phyſicæ poſſunt habere diverſã ſpeciem moralem & contra.

Digitized by Google

ma non habet: quinimo, quod patere poteſt exemplis, unus actus phyſicus poteſt habere annexas plures malitias ſpecie morali diſtinctas: unde ſi ſufficeret in confeſſione explicare phyſicas ſpecies actuum, ſequeretur non omnia peccata in confeſſione eſſe explicanda; eò quod, ut diximus, unus actus phyſicus ſæpe habeat adjunctas plures ſpecie diſtinctas malitias morales.

Porro unde deſumatur ſpecifica diſtinctio moralis peccatorum, fusè explicavimus in libro de Actibus Hum. tra. 14. dub. 7.

Exponens ſe periculo proximo peccandi peccat.

Hæc ſolùm, tamquam frequenter occurrentia, pro praxi notentur, ad eandem peccati ſpeciem pertinere peccata cordis, oris, & operis quæ verſantur circa idem objectum; prout & peccatum externum & internum, ſive delectationem de peccato externo; prout & pœnitens, qui ſe expoſuit periculo alicujus peccati, tenetur in confeſſione hoc explicare, illud enim ipſum eſt peccatum, & quidem ejuſdem ſpeciei cum illo cujus ſe periculo expoſuit; eò quod in moralibus ſit ejuſdem ſpeciei exponere ſe periculo proximo peccati, & illud committere; & hoc ideo, quia homo ex motivo ejuſdem virtutis obligatur fugere peccatum, & illius periculum; & qui ſine juſta cauſa vult periculum peccandi, eo ipſo indirectè vult illud peccatum.

Et quidem peccato illius ſpeciei cujus ſe periculo exponit.

Qui oblitus eſt circumſtantiam mutantem ſpeciem confiteri, tenetur illam & ſimul actum poſtea confiteri.

Petes, an qui per naturalem oblivionem oblitus eſt confiteri aliquam circumſtantiam mutantem ſpeciem, teneatur illam & actum ejus ſimul in ſequenti confeſſione exprimere.

R. Aff. ſi nempe pœnitens eam non poſſit exprimere ſine actu; ſecus verò ſi poſſit illã exprimere non expreſſo actu: ratio prioris eſt; quia pœnitens tenetur omnia mortalia in confeſſione directè exprimere; ergo & hanc circumſtantiam mutantem ſpeciem, quę eſt peccatum mortale. Ratio poſterioris eſt, quia cum actum principalem ſemel expreſſerit, non tenetur illum iteratò exprimere. Quot verò ſint circumſtantiæ mutantes ſpeciem fusè explicavimus in lib. de Act. Hum. Tract. 7. per totum, ad quem lectorem remittimus.

Ex antedictis deducitur quòd qui peccavit cum conſanguinea vel affine, teneatur exprimere circumſtantiam conſanguinitatis vel affinitatis; eò quod illa ſpecialem addat malitiam ſuper peccato contra caſtitatem, ob reverentiam nempe, quam conſanguinei ſibi invicem debent: ita quoque qui peccavit cum conjugata, aut cum perſona vo-

to

Digitized by Google

to caſtitatis adſtricta, tenetur ejuſmodi circumſtantiam explicare, eò quod hæc ſuperaddat actui novam malitiam ſpecie diſtinctam: idem dic, ſi quis detraxerit patri, vel ſuperiori, aut ſacerdoti, quod nimirum talis teneatur explicare circumſtantiam Patris, ſuperioris, vel ſacerdotis, tanquam ſuperaddens novam ſpecie malitiam; ob ſpecialem reverentiam patri, ſuperiori &c. debitam.

Qui tamen uno actu concupiſcit vel aufert res diverſi valoris & ſpecie phyſicâ diſtinctas, ſatis faciet dicendo ſe unico actu tantam quantitatem concupiviſſe vel abſtuliſſe, eſto qualitatem rei ablatæ non exprimat; quia non ſpecies phyſica, ſed moralis eſt in confeſſione explicanda.

DUBIUM X.

An ad integritatem confeſſionis requiratur ut omnia peccata mortalia quoad numerum explicentur.

Vt confeſſio ſit integra, debet numerus peccatorum mortalium exprimi.

DIco I. ſpectat quoque ad integritatem confeſſionis, ut omnia peccata mortalia, quæ poſt diligens examen occurrunt, etiam ſecundùm numerum, quantum fieri poteſt, explicentur: quod patet ex conc. Trid ſeſſ. 14. can. 7. his verbis „ ſi quis „ dixerit in Sacramento pœnitentiæ, ad remiſſionem peccatorum, neceſſarium non eſſe „ jure divino, confiteri omnia & „ ſingula peccata mortalia, quorum memoria, cum debita & „ diligenti præmeditatione, habeatur, etiam occulta, & quæ „ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta: anathema ſit.

Porro unde deſumenda ſit diſtinctio numerica peccatorum fusè explicatum eſt in lib. de Act. hum. Tract. 14. dub. 8.

Quomodo numerus peccatorum exprimi debeat.

Hic ſolùm notandum; ſi de certo peccatorum numero conſtet, aut facile conſtare poſſit, illum eſſe exprimendum: quod ſi verò certus numerus ſciri non poſſit ſatis erit exprimere numerum veroſimiliter exiſtimatum dicendo v. g. ſe ſexies plus vel minus, hoc vel illud peccatum feciſſe: quod ſi poſtea pœnitens recordetur ſe unâ vel alterâ vice plus peccaſſe, non tenebitur denuò confiteri ſeſe bis peccaſſe; nam eo ipſo quo dixit ſe ſexies plus minus peccaſſe, ſatis indicavit ſeſe octies peccaſſe; aliud dicendum ſi poſtea recordetur numeri notabiliter majoris ut ſi v. g. recordetur poſtmodum ſe vigeſies illud peccatum patraſſe, quo caſu in alia confeſſione obligabitur exprimere numerum illum majorem, in priori con-

confeſſione oblitum, eò quod ille prudenti judicio non cenſeatur expreſſus in priori confeſſione.

Petes, an ut explicetur numerus peccatorum in confeſſione opus ſit ſingula peccata ſingulariter & ſucceſſive exprimere.

Reſp neg. ſed ſufficit uno verbo confiteri omnia peccata unius ſpeciei, dicendo v. g. toties omiſi ſacrum, toties violavi jejunium, toties detraxi &c: qui tamen decies furatus eſſet & quidem ſingulis vicibus unum pataconem, non ſufficienter confiteretur ſe furatum decem patacones, eò quod non explicet numerum ſuorum peccatorum.

Petes an ſi quis confeſſus fuerit ſe ſexies omiſiſſe ſacrum, non addendo plus minus, & poſt modum recordetur ſe octies illud omiſiſſe, an teneatur ad huc duas illas vices confiteri.

Reſp. Aff. quia illas duas vices neque in ſe, neque in alio confeſſus eſt.

Qualiter confiteri debeant qui numerum peccatorum exprimere non poſſunt.

Petes quid facto opus quando numerus peccatorum, ob eorum multitudinem abſolutè non poteſt haberi.

Reſp. tunc ſufficere ut pœnitens bonâ fide, quantum poteſt, explicet numerum veroſimilem vel ſi nec hoc poſſit, explicet conſuetudinem, quanta & quam fuerit diuturna, & quoties in die, quoties in hebdomada, quoties in menſe ſolitus fuerit peccare: nam hoc modo ſtatus ejuſmodi pœnitentis poterit cognoſci: quod maximè verum eſt quoad peccata interna: quod ſi tamen numerus alicujus ſpeciei peccati poſſit recenſeri, ille debet explicari: ac proinde qui in odio proximi hæſit per annum, ſi numerum odiorum aliter non poſſit exprimere, ſatisfaciet ſi exprimat tempus; quia explicando talem moram, ſtatus pœnitentis explicatur, & confuſè quoque explicatur numerus peccatorum, dicendo interea ſeſe quaſi continuò aut toties quoties perſona illi adverſa, mente occurrebat (quod ferè erat continuò) odium renovaſſe & malum ei exoptaſſe.

Petes, quid faciendum cum ruſtico, qui interrogatus de numero peccatorum, dicit ſe in confeſſionibus præcedentibus nõ eſſe ſolitum illum exprimere.

Quid aget confeſſarius cum eo qui dicit ſe in præcedentibus confeſſionibus non ſuiſſe ſolitum an

Reſp. videndum an hujuſmodi pœnitens laboraverit ignorantiâ vincibili, an invincibili illius: ſi enim laboraverit ignorantia vincibili, tunc omnes confeſſiones ejus prçteritæ ſunt repetendæ; ad quod tamen non obligabitur ſi laboraverit ignorantiâ invincibili; juvandus tamen erit, ut quantum fieri poteſt per induſtriam

Digitized by Google

plicare numerum ſuorum peccatorum

ſtriam & prudentiam Confeſſarii ſuppleatur ille defectus numeri in præcedentibus confeſſionibus omiſſi.

Notandum autem obiter 1. quod is qui uno actu à pluribus ſurripuit res notabiles, tot committat peccata numero diſtincta quot ſunt perſonæ, quarum proinde numerum tenetur in confeſſione explicare; ita quoque qui coram pluribus de rebus turpibus loquitur, aut coram pluribus detrahit, non ſufficienter confitetur dicendo ſe toties de rebus turpibus fuiſſe locutum, aut toties detraxiſſe, ſed inſuper explicare debet numerum perſonarum coram quibus turpia eſt locutus vel detraxit, quia tot numero diſtincta peccata commiſit.

Notandum 2. quod is qui uno actu plures occidit, teneatur explicare numerum & qualitatem perſonarum, eò quod ſint tot numero diſtincta peccata, quot ſunt perſonæ; quippè tot numero diſtinctæ injuriæ.

Explicato actu principali cenſentur ordinariè ſufficienter explicari

Petes, an qui explicavit actum principalem peccaminoſum in confeſſione, teneatur quoque expreſsè confiteri actus minùs principales, actum illum principalem ordinariè concomitantes v. g. an qui fornicatus eſt, teneatur quoque confiteri omnes tactus impudicos concomitantes.

actus qui illum ordinariè concomitantur.

Reſp. per ſe loquendo negativè, quia licet hujuſmodi tactus impudici ſint quoque peccata mortalia, tamen principali actu explicato cui ordinariè connexi ſunt, cenſentur ſufficienter explicati: quod ſi tamen actus principalis ſubſecutus non fuerit, tunc tactus illi impudici debent explicari, quia ex ſe ſunt peccata mortalia, nec, ut ſupponitur, ſunt explicati in actu ſuo principali.

Dixi (*per ſe loquendo*) quia per accidens: ut ſi v. g. intercedat moralis interruptio inter actum principalem & minus principalem, hic tunc quoque debebit particulariter explicari.

Petes, an ſint explicandi actus peccaminoſi qui actum principalem ſubſequuntur ut v. g. tactus & oſcula ſubſecuta poſt copulam.

Reſp. affirmativè; eò quod ejuſmodi tactus ſint principium alterius peccati; & conſequenter efficiant novum peccatum: & inſuper hujuſmodi actus ſubſequentes non ſunt ſufficienter explicati in actu principali; eò quod ipſum ordinariè non ſubſequantur, ſed tantùm aliquando

Petes, an meretrix ſufficienter confiteatur, dicendo ſeſe tot

 annis

Digitized by Google

annis expoſitam fuiſſe omnibus hominibus.

Qualiter meretrix v.g. debeat confiteri. Reſp. negativè, quia in hiſce generalibus terminis nec explicat numerum nec ſpeciem ſuorum peccatorum: eapropter juvanda erit, quantum poſſibile eſt, ut numerum & ſpecies ſuorum peccatorum recenſeat v. g. quoties ſecum peccaverit contra naturam, quoties cum aliis; quoties adulterata ſit; quot ſacrilegia admiſerit; quot aborſus procuraverit; & ſic de cæteris. Et hoc ideo, quia peccata ſecundùm numerum & ſpeciem debent ex jure divino, quantum fieri poteſt, explicari in confeſſione: & in particulari recenſita inducunt majorem erubeſcentiam & excitant majorem dolorem in pœnitente de peccatis commiſſis.

Petes, an qui facit confeſſionem generalem peccatorum aliàs validè confeſſorum, teneatur adhuc ſemel in illa, omnia illa mortalia explicare.

Qui cõfeſſionem generalem facit non tenetur omnia peccata mortalia aliàs validè confeſſa, explicare. Reſp. negativè, eò quod ejuſmodi peccata à quibus aliàs eſt abſolutus, non ſint modò materia neceſſaria hujus confeſſionis; idque non magis quàm peccata venialia, quæ non tenetur confiteri.

Petes, an habens ſola peccata venialia poſſit abſolvi, ſi tantùm dicat in genere, ego venialiter peccavi.

Reſp. negativè, quia licet quis non teneatur confiteri peccata venialia, tamen ſuppoſito quod velit confiteri, debet ſubminiſtrare materiam certam, quod faciet confitendo aliquod peccatum veniale, eò quod veniale in genere non ſit materia certa abſolutionis, cum nec ſit materia ſigilli.

DUBIUM XI.

An circumſtantiæ notabiliter aggravantes debeant explicari in confeſſione ad hoc ut confeſſio ſit integra.

RESp. & dico 1. circumſtantia notabiliter aggravans transfert quandoque actum de veniali peccato in mortale; & illa tunc ſine dubio eſt confitenda. Sed notandum quod tunc deſinat eſſe circumſtantia, & tranſeat in eſſentiam actus moralis. Idem quoque dicendum quando duratio actus eſt moraliter interrupta, tunc enim diuturnitas temporis venit explicanda, eò quod in illa diuturnitate interveniant plures actus numero diſtincti

Dico 2. circumſtantia notabiliter aggravans actum intra eandem ſpeciem, eſt in confeſſione ſpecialiter explicanda. *Circumſtantia notabiliter aggravans intra*

Probatur 1. ex Conc. Trid. ſeſſ. 14.

eandem ſpeciem, eſt exprimenda in confeſſione.

ſeſſ. 14. can. 7. quo loco, licet Concilium conſultò abſtinuerit ab hac controverſia expreſsè decidenda, eò quod nullum eſſet fidei aut pietatis periculum; ratio tamen quam ibidem allegat, ad probandum circumſtantias mutantes ſpeciem eſſe explicandas, militat quoque pro circumſtantiis merè aggravantibus; nam ſicuti Confeſſarius, tamquam judex in hoc tribunali, juſtam nequit ferre ſententiam, nec æquitatem in pœnis injungendis ſervare, niſi habeat notitiam circumſtantiarum mutantium ſpeciem, ut ait idem Concilium: ita nec id poterit facere ſine cognitione circumſtantiarum notabiliter aggravantium intra eandem ſpeciem: nam quomodo poterit proportionalem pœnam imponere pro peccato illius, qui furatus eſt centum patacones, & ejus qui furatus eſt unum tantùm pataconem, ſi uterque confiteatur ſolùm dicendo, furatus ſum quantitatem notabilem & ſufficientem ad peccatum mortale.

Circumſtantia ſolùm aggravans quandoque addit actui majorem malitiam quam mutans ſpeciem.

Probatur 2. quia circumſtantia aggravans ſæpè ſuperaddit majorem malitiam actui quàm illa quæ mutat ſpeciem; ergo ſi hæc ſit confitenda, altera etiam erit confitenda; ſiquidem gravitas malitiæ ſpectat ad mores, ſpecies verò magis ad metaphyſicam. Hinc ait Melchior Canus eſſe metaphyſicum inventum, compellere velle pœnitentem ad manifeſtandas peccatorum ſpecies & non item ad circumſtantias aggravantes intra eandem ſpeciem; eòquod vera ratio ob quam quis debet explicare peccatum ſit ipſa malitia, non verò præcisè ipſa ſpecies: & eapropter ubi additur notabilis moralis malitia, ſive unius ſive alterius ſpeciei, illa ſemper eſt explicanda.

Probatur 3. quia Confeſſarius habet jus interrogandi de circumſtantiis notabiliter aggravantibus ut cognoſcat ſtatum pœnitentis; ergo in pœnitente eſt obligatio illa confitendi.

Probatur 4. qui per horam peccat, tam graviter peccat quàm is qui bis vel ter in eadem hora peccat, imo quandoque graviùs; ſed qui bis aut ter peccat intra eandem horam, tenetur hoc in confeſſione explicare; ergo & ille qui per horam continuam peccat.

Probatur 5. quia alioquin qui furatus eſt mille florenos poteſt ſine ſcrupulo in confeſſione dicere ſe furatum eſſe unum pataconem; nam ille ſic explicat malitiam ſpecificam ſui peccati; & tantùm omittit explicare quantitatem.

titatem quæ eſt circumſtantia aggravans.

Probatur 6. quia in Jure Canonico major quandoque injungitur pœnitentia ratione majoris circumſtantiæ aggravantis : & eapropter cap. *Conſidera* de Pœnit. diſtinction. 5. expreſsè dicitur qualitatem peccati, durationem ejus, & quantitatem, à Confeſſario eſſe ponderandam; quod ipſe præſtare non poſſet, niſi pœnitens circumſtantias aggravantes cogeretur confiteri.

Qualis debeat eſſe illa circumſtantia aggravans ut debeat exprimi.

Petes, quouſque circumſtantia aliqua debeat aggravare ad hoc ut ſit explicanda in confeſſione.

Reſp eo uſque, ut malitia quam ſuperaddit, ultra ſpecificam peccati malitiam, ſit talis quæ ſufficiat ad peccatum mortale.

Obligatio illas circumſtantias confitendi, eſt ex divino jure.

Dices, ſi ſit obligatio ejuſmodi circumſtantias explicandi id proveniet vel ex naturâ rei, quod falſum eſt; quia hoc non habetur ex natura judicii: vel proveniet ex præcepto poſitivo divino, quod etiam dici non poteſt.

Reſp. negando aſſumptum pro poſteriori parte ; & dico id provenire ex præcepto Chriſti, quod nobis ex Conciliis innoteſcit præſertim Trid. ſeſſ. 14. can. 4.

Porro quæ ſint circumſtantiæ notabiliter aggravantes fusè deduximus in libro de Actibus Hum. tract. 7. per totum.

Qui furatus eſt mille non ſatisfacit ſi dicat ſe furatum notabilem quantitatem.

Ex his deducitur quod is qui furatus eſt mille florenos, non ſufficienter confiteatur dicendo ſe abſtuliſſe ſummam notabilem, ſed debet explicare quantitatem ablatam ; eò quod inde pendeat judicium Confeſſarii de gravitate peccati.

2. Neque is ſufficienter confitetur peccatum incœſtus, qui ait, ſe commiſiſſe peccatum luxuriæ cum conſanguinea vel affine; eò quod non explicet circumſtantiam gradus & lineæ, cujus tamen gravitas notabiliter variat judicium Confeſſarii de malitia peccati ; præterquam enim quod incœſtus commiſſus cum patre, matre, fratre, vel ſorore habeat ſpecialem deformitatem contra legem naturæ, etiam circumſtantiæ aliorum graduum notabiliter aggravant in eadem ſpecie.

3. Si quis peccaſſet cum ſacerdote religioſo, non ſufficienter confiteretur ſe peccaſſe cum ſacerdote, eò quod circumſtantia voti religioſi hunc actum notabiliter aggravet ; unde nec ſacerdos religioſus peccans contra caſtitatem ſatiſfacit dicendo ſe eſſe ſacerdotem, ſed inſuper debet addere ſe eſſe religioſum ; eò quod hoc ſit circumſtantia notabiliter aggravans

Ita

Digitized by Google

Ita quoque ſacerdos ſæcularis, item Diaconus aut Subdiaconus non ſufficienter confitebuntur, dicendo ſe exiſtentes in ordine ſacro, in materia carnis peccaſſe cōtra caſtitatem; ſed inſuper debent exprimere ordinem quo ſunt inſigniti, cujus circumſtantia actum notabiliter aggravat. Præterea Confeſſarius qui peccavit cum filia confeſſionis, tenetur hanc circumſtantiam explicare, non ſecus ac pater corporalis committens inceſtum cum propria filia; ex eo quod cum illam ex vi officii ſui teneatur à peccato avertere, & in viam ſalutis inducere, ipſe eam ad peccatum inducat: quod adhuc magis verum eſt, ſi abutatur confeſſione tamquam medio ad illam ſollicitandam ad peccatum; nam, ſic admittit graviſſimum peccatum ſacrilegii, injurius in ipſum Sacramentum Pœnitentiæ reddens illud maximè exoſum.

Superiores coram ſubditis peccantes debent circumſtantiam ſcandali explicare

Ita quoque Paſtor aut quicumque ſuperior, inducens verbo vel exemplo ſubditum ſuum ad peccatum, hanc circumſtantiam, tamquam notabiliter aggravantem, tenebitur in confeſſione aperire, eò quod ex ſpeciali obligatione conſtringatur impedire peccata ſubditorum, & eorum ſalutem procurare: & eapropter ſi Paſtor peccatum aliquod, v. g. ebrietatis, violationis jejunii, aut quodcumque aliud admittat, unde ſubditi occaſionem peccati & mali exempli arripiunt, obligatur is de ejuſmodi ſcandalo ſe accuſare; nec ſatisfaciet dicendo ſe fuiſſe ebrium, aut violaſſe jejunium, ſed addere debet; ſeſe ejuſmodi actu ſubditis ſuis dediſſe occaſionem labendi in ſimile peccatum.

Filia quæ lapſum carnis confitetur non debet explicare quod ſit virgo.

Petes, an circumſtantia virginitatis in mulieribus ſit confitenda: & conſequenter, an confeſſarius à filia aliqua devota vel moniali lapſa cogitatione vel opere in peccatum carnis, teneatur interrogare an erat virgo.

Reſp. negat: quia illa circumſtantia virginitatis tanto tempore conſervatæ, non tam videtur aggravans quàm diminuens ipſum peccatum: præterea per hujuſmodi interrogationem redderetur confeſſio mulieribus valdè odioſa, dareturque ipſis occaſio in ea mentiendi.

Gravitas detractionis v. g. explicanda

Petes, an detractor, item contumelioſus debeant explicare facta vel verba, quibus detraxerunt, vel quibus proximum contumeliâ affecerunt.

Reſp. affirmativè; quia ſicuti unum verbum eſt magis contumelioſum quam aliud, adeoque magis aggravans; ita quoque ablatio famæ in una materia

ria eſt longè injurioſior alterâ in eadem materia, adeoque magis aggravans ipſum peccatum detractionis.

Vti & duratio actus peccaminoſi continuati.

Petes, an in confeſſione ſit explicanda continuatio ſeu duratio actus peccaminoſi non interrupta: ut ſi quis v. g. per diem per hebdomadam, per menſem aut annum hæſerit in odio proximi, in invidia, luxuria &c.

Reſp. affirm. nam ſicuti libera continuatio actus meritorii notabiliter auget meritum, ita quoque continuatio actus peccaminoſi notabiliter auget peccatum.

Vti & conſuetudo peccandi aut relabendi in idem peccatum.

Petes, an conſuetudo peccandi, item frequens relapſus in eadem peccata debeant quoque in confeſſione recenſeri.

Reſp. affirmativè; partim ex eo quod hæc circumſtantia frequentis relapſûs notabiliter aggravet peccatum, ratione majoris ingratitudinis, poſt obtentam toties à Deo veniam; partim quoque ut Confeſſarius cognoſcat ſtatum pœnitentis, qui, cum ſubeat officium medici, hâc cognitâ conſuetudine, diverſa illi contra recidivam poterit ſubminiſtrare remedia.

Cæterùm hîc tantùm præmonendus eſt Confeſſarius, ut prudenter hâc ſententia, de explicandis circumſtantiis aggravantibus, utatur quo ad vitia carnis, neque hac abutatur in ejuſmodi circumſtantiis nimium curioſè perſcrutandis, idque ne & ſibi & pœnitenti, præſertim diſparis ſexûs, laqueum injiciat.

DUBIUM XII.

An ad integritatem confeſſionis requiratur ut peccata dubia in ea explicentur.

Tripliciter poteſt quis eſſe dubius circa peccatum.

PRænotandum pœnitentem tripliciter circa peccata poſſe eſſe dubium: & primò quidem an peccatum commiſerit, ita ut dubium verſetur circa ſubſtantiam facti. 2. Dum quidem certus eſt de peccato commiſſo, ſed dubitat de qualitate peccati v. g. an ſit mortale an veniale. 3. Dum eſt certus de peccato & peccati qualitate, ſed dubitat an ſit illud confeſſus.

Qui ſcit ſe commiſiſſe peccatũ mortale, ſed dubitat an illud confeſſus ſit, tenetur illud confiteri ordinariè.

Dico 1. qui certus eſt de peccato commiſſo, & certus quoque eſt quod ſit mortale, dubitat tamen an ſit confeſſus, obligatur illud confiteri; eò quod certæ obligationi non poſſit ſatisfacere per ſolutionem incertam; nam præceptum confitendi omnia mortalia eſt in poſſeſſione, adeoque in dubio illi ſatisfaciendum: quod quidem verum eſt per ſe loquendo; nam per accidens ratione ſcrupuli, poteſt quis excuſari, ne confiteatur peccatum de quo dubit t an

fuerit

fuerit confeſſus, præſertim ſi id fiat ex judicio prudentis Confeſſarii: prout quoque excuſari poteſt ſi dubium oriatur diù poſt confeſſionem peractam, & perſona ſit talis quæ, præmiſſo debito examine, ſolet bonâ fide integrè confiteri, ſiquidem moraliter eſt impoſſibile, poſt longum aliquod tempus, poſitivè recordari omnium quæ quis eſt confeſſus, & excludere omne dubium, præſertim dum illud eſt negativum, in quo pro neutra parte ſunt ſufficientes rationes.

Qui ſcit ſe commiſiſſe peccatũ, dubitat autem an ſit mortale, tenetur illud confiteri.

Dico 2. qui certus eſt de actu peccaminoſo admiſſo, dubius tamen eſt an ſit mortale an veniale, obligatur illud confiteri.

Probatur; quia ſola venialia excluduntur ab obligatione confitendi, teſte Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. Ergo reliqua omnia peccata, ſive certò ſive dubiè mortalia, in confeſſione ſunt explicanda: quod confirmatur ex univerſali Eccleſiæ praxi, quæ creditur ab ipſis Apoſtolis emanaſſe, eò quod illius non exſtet initium: unde quod in Eccleſia ab initio ſemper fuit uſitatum, & pro tali habitum, argumentum facit id eſſe in præcepto.

Probatur 2. quia quis in mortis articulo conſtitutus, obligatur ejuſmodi peccatum dubium eo modo confiteri; quod, ni faciat, exponit ſe periculo æternæ damnationis: inſuper [illegible] peccato ut ſic, obligatur conteri: ergo & obligatur confiteri; eò quod contritio non remittat peccatum, niſi quatenus includit votum confitendi ut ait Con. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.

Qui dubitat an actum peccaminoſum mortaliter commiſerit, tenetur illum tamquã ſic dubiũ confiteri.

Dico 3. Dubius de actu mortaliter peccaminoſo, adeoque dubius an illum commiſerit, obligatur illum ſub dubio confiteri.

Probatur; ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi ait oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent in confeſſione recenſeri; ſed pœnitens de mortalibus dubiis habet ſaltem conſcientiam dubiam, ergo debet illa, ſaltem ut dubia, explicare.

Probatur 2. quia Conc. Trid. ait ſola venialia citra culpam taceri poſſe, ergo mortalia dubia debent explicari.

Probatur 3. quia mortale dubium non dimittitur indirectè per contritionem, neque per aliorum confeſſionem: & quidem non per contritionem, quia illa non remittit illud ſine Sacramenti voto: neque etiam per aliorum confeſſionem, quia illa ſolùm indirectè remittuntur quæ diligenter conſcientiam examinanti bonâ fide non occurrunt.

 Pro-

Digitized by Google

Probatur 4. quia à Chriſto Domino inſtituta eſt integra omnium mortalium confeſſio, eaque talis, qualem univerſalis eccleſia ſemper intellexit, quæ & comprehendit mortalia dubia: quod confirmatur ex perpetua & numquam interruptâ fidelium conſuetudine, qui ſi dubitent de peccatorum numero, ſemper addunt *plus*, *minus*.

Probatur 5. qui cum fundamento dubitat de baptiſmo ſuſcepto, tenetur illum ſuſcipere ſub conditione, eò quod ille in re vel in voto ſit neceſſarius ad ſalutem; ergo & is qui de peccato mortali poſt baptiſmum commiſſo dubitat, debet illud confiteri, eò quod confeſſio omnibus poſt baptiſmum lapſis ſit quoque neceſſaria in re vel in voto.

6. Qui eſt dubius de lethali morbo, ſi recuſet oblatum ſibi certum medium ſanitatis conſequendæ peccat mortaliter, quia eſt prodigus ſuæ vitæ; ergo & peccabit mortaliter qui eſt dubius de malo lethifero ſpirituali, & negligit certum medium abſolutionis Sacramentalis.

7. Pœnitens tenetur conteri de peccato mortali dubio; ergo & confiteri. Probatur conſequentia; quia quidquid in homine baptizato eſt neceſſarium objectum contritionis, eſt quoque neceſſarium objectum confeſſionis, eò quod illud per contritionem nequeat remitti, ſine ordine ad claves.

Denique probatur, quia, ſi mortalia dubia non eſſent confitenda, pauſatim negligeretur Sacramentum pœnitentiæ; eò quod homines in propriis defectibus indagandis ſæpe ſint cæci, utpote ſæpe judicantes prout ſunt affecti, qui proinde in pleriſque actibus peccaminoſis inciperent dubitare, an adfuiſſet perfecta advertentia & conſenſus, & ita negligerent illa confiteri.

Dubitās an votū emiſerit illo non obligatur.

Dices, dubius de voto non tenetur ad votum; ergo & dubius de peccato non tenetur ad confeſsionem.

Reſp. neg. conſequentiam; quia in priori caſu poſſeſsio ſtat pro dubitante, in poſteriori verò pro præcepto confeſsionis; adeoque utrobique melior eſt conditio poſſidentis.

Dices peccata dubia non judicantur in foro externo, ergo neque in foro interno.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quia judicium fori externi tendit ad punitionem Rei, qui delictum patravit; in dubio autem nemo præſumitur in foro externo delictum

Digitized by Google

ſictum commiſiſſe; juxta hoc axioma *in dubio potior eſt cauſa Rei quam Actoris*: forum verò internum tendit ad liberandum reum à peccatis ſuis, ſi illa confiteatur: Præterea in foro externo ex confeſſione delicti punitur Reus; in foro verò interno ex confeſſione peccati ſui liberatur Reus ab eo.

Peccata dubia, ſunt confitenda tam quã dubia, certa tamquã certa.

Ex dictis ſequitur, quod is qui dubitat, an conſenſerit in delectationem moroſam, teneatur illam confiteri, & quidem ſub dubio, non verò ut certam; id enim poſtulat natura hujus judicii, ut ſupra probavimus ex Conc. Trident. ut peccata confiteamur prout illa habemus in noſtra conſcientia: & eapropter mortale dubium confitendum eſt ut dubium, & certum ut certum.

Ex dictis hactenus colligitur quænam adæquatè ſpectent ad integritatem confeſſionis, ſcilicet hæc, ut pœnitens confiteatur omnia peccata mortalia, quorum poſt diligens examen conſcientiam habet, quoad numerum, ſpecies, circumſtantias mutantes ſpeciem & notabiliter intra eandem ſpeciem aggravantes: ita etiam ut omnia mortalia dubia uni & eidem confeſſario in confeſſione aperiat.

DUBIUM XIII.

An aliquando poſſit fieri confeſſio non integra, quæ tamen ſit valida & licita.

EX hactenus dictis conſtat quod ſit eadem neceſſitas integritatis formalis, quæ eſt confeſſionis; quamvis non ſit eadem neceſſitas integritatis materialis: Eapropter hic inquirendum reſtat ex quibus caſibus pœnitens poſſit excuſari ab integritate materiali.

Ad validitatem confeſſionis requiritur ut ſit formaliter integra. Non requiritur ut ſemper ſit materialiter integra.

Porro quod ad Sacramentum Pœnitentiæ ſufficiat integritas formalis confeſſionis, non verò requiratur ſemper integritas materialis, probatur: quia alioqui divinum præceptum obligaret ad impoſſibile; neque etiam Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit ut cederet in grave præjudicium animæ, corporis, vel famæ pœnitentis, quod poſſet accidere, ſi ſemper requireretur integritas materialis.

Impotentia phyſica & moralis excuſant ab integritate illa materiali.

Duæ autem aſſignantur cauſæ quibus pœnitens excuſatur ab integritate materiali, ſcilicet impotentia phyſica, & impotentia moralis.

Quibus caſibus cenſeatur

Impotentia phyſica contingit multis caſibus.

1. Ratione ignorantiæ aut oblivionis invincibilis; nemo enim confiteri poteſt quod ſic ignorat,

adeſſe impotentia illa phyſica.

2. Defectu potentiæ loquendi, qualem habet mutus.

3. Dum quis incipit confiteri unum peccatum & inde incidit in deliquium animi, ut non poſſit loqui.

4. Si quis pœnitens accedat ignotæ linguæ, quæ à Confeſſario non percipitur, nec poteſt haberi alius confeſſarius, qui illud idioma intelligat; tunc confeſſarius, intellecto ſaltem aliquo peccato, poterit ejuſmodi pænitentem abſolvere in mortis articulo, item tempore præcepti annuæ confeſſionis; quia & is laborat impotentiâ loquendi, & cenſetur eſſe in neceſſitate, quæ caret lege.

5. Si deſit tempus integrè confitendi, eò quod ſit periculum in mora, ne pœnitens moriatur antequam integrè confiteatur; tunc enim explicatis aliquibus peccatis, poterit abſolvi, & ſi ſupervivat, poſtmodum reliqua manifeſtare.

6. In periculo naufragii, incendii vel conflictus, ubi non eſt tempus integrè confitendi, poſſunt ſinguli publicè recenſere aliquod peccatum, & Confeſſarius unâ abſolutione plurali omnes ſimul abſolvere, dicendo *Ego vos abſolvo à peccatis veſtris* &c. quia in his & ſimilibus caſibus integra confeſſio unius audita, cederet in maximum detrimentum aliorum, adeoque cenſetur adeſſe impotentia & neceſſitas.

Quandonam adſit impotentia moralis.

Petes, quandonam cenſeatur adeſſe impotentia moralis.

Reſp. quando pœnitens ſine notabili detrimento ſuo vel alterius, non poteſt integram peccatorum ſuorum confeſſionem facere, adeoque timeat ſibi vel alteri grave damnum; ut puta revelationem ſigilli, grave odium, ſollicitationem ad peccatum aut notabile aliquod damnum corporale, ſi Confeſſario certum aliquod peccatum confiteatur.

Qui timet ſolum malam opinionem de ſe apud cōfeſſariū, non ideo excuſatur à cōfeſſione integra materialiter.

Notandum, damnum illud debere eſſe cum fundamento, notabile; unde ſi ex confeſſione peccati non ſequatur aliud quam mala opinio, quam Confeſſarius habebit de pœnitente vel complice, propterea non poteſt peccatum illud omitti; nam non cenſetur notabilis infamia, quod Confeſſarius ſciat peccatum pœnitentis, quod nulli mortalium poteſt revelare: etenim ſi Deus ejuſmodi infamiam reputaſſet notabilem, ipſe confeſſionem omnium peccatorum non ſic inſtituiſſet.

Ex dictis deducitur quod ſi pœnitens ratione præcepti annuæ confeſſionis, communionis, aut celebrandæ Miſſæ debeat confiteri, & cum fundamento timeat ſibi ejuſmodi malum obventurum,

Digitized by Google

rum, ſi confiteatur tali confeſſario, poſſe illud in confeſſione omitti, dummodo non detur copia alterius Confeſſarii; nam, ſi talis detur, etiam, confeſſionem non nihil differendo, ad hoc obligabitur, quamquam non ad valdè diù.

Qui ex impotentia omiſit confiteri certum peccatum, illa ſublatâ, tenetur illud poſtea confiteri.

Petes, an qui ob antedictas cauſas non fecit confeſſionem integram materialiter, ſed tantùm formaliter, obligetur in ſequenti confeſſione peccata, in priori confeſſione omiſſa, confiteri.

Reſp. affirmativè; & ratio eſt, quia indirectè tantùm eſt ab illis abſolutus, cum tamen ſit obligatio omnia peccata mortalia ſemel clavibus ſubjiciendi: quod probat praxis univerſalis Eccleſię.

Dices, hinc ſequi integritatem confeſſionis eſſe carnificinam conſcientiæ; quia, ut ait Lutherus, ſi quis obligetur ad confitenda peccata oblita, obligabitur ad impoſſibile.

Reſp. negando conſequentiam; eſto enim quis habeat obligationem confitendi peccata oblita, aut omiſſa ex ignorantia, tamen obligatio hæc non exerit vires ſuas, niſi peccata illa poſt diligens examen occurrant memoriæ.

Non poſſunt plura peccata omitti in confeſſione quàm ad quæ ſe extendit illa impotentia.

Petes, an hujuſmodi pœnitens poſſit omittere plura peccata confiteri, quàm poſtulet neceſſitas.

Reſp. negativè, quia ex præcepto divino confeſſio facienda eſt materialiter integrè, quantum moraliter fieri poteſt. Et eapropter ſi filia aliqua habeat juſtam cauſam v. g. ſilendi in confeſſione actum externum fornicationis, ob periculum ſollicitationis, tenebitur tamen confiteri actum internum ſeu conſenſum in fornicationem, dummodo tamen non habeat copiam alterius Confeſſarii, à quo non timeat ſimile malum: quod ſi quis verò tantummodò dubitet aut leviter ſuſpicetur hujuſmodi malum, ſibi ex confeſſione talis peccati obventurum, non poterit illud ſilere; cum enim præceptum integrè confitendi ſit in poſſeſſione, in dubio judicandum erit in ejus favorem.

Petes, an ſi confeſſio nequeat integrè inſtitui niſi recenſeatur complex, poſſit illud peccatum complicis in confeſſione omitti.

Reſp. in hoc puncto certa ab incertis eſſe ſegreganda. Unde.

Qui ſpeciem peccati poteſt explicare, non exprimendo complicem, eum non poteſt exprimere.

Dico 1. ſi pœnitens peccatum ſuum ſecundùm rationem ſpecificam poſſit in confeſſione explicare, non nominando perſonam complicis, non poterit illam in individuo nominare; & ita ſi unus conjugatus cognoverit uxorem alterius, non poterit in individuo nominare illam uxorem,

uxorem, ſed ſatisfaciet dicendo ſe cognoviſſe uxorem alterius.

Dico 2. ſi pœnitens nequeat explicare peccatum ſuum in ſpecie, niſi manifeſtando complicem poſſit tamen adire alium confeſſarium qui complicem non novit, tenebitur illum adire & ita integrè confiteri.

Qui aliter nõ poteſt explicare ſuum peccatum niſi nominando complicẽ, licet illũ nominare.

Dico 3. ſi pœnitens non poſſit abſolutè adire alium Confeſſarium, vel ſaltem non talem qui animæ ſuæ ita utilis ſit quam ſit ille qui complicem novit, neque ex revelatione complicis immineat illi vel complici grave aliquod malum, tunc licitum erit pœnitenti manifeſtare complicem, præſertim ſi neceſsè ſit confiteri huic Confeſſario, ad tollendam peccati recidivam, aut ad conſilium petendum: Ratio eſt quia ſi licitum ſit extra cõfeſſionem manifeſtare peccatum alterius, ad vitandum damnum proprium vel alienum; multò magis id erit licitum in confeſſione ob utilitatem pœnitentis.

Confirmatur quia complex ſibi debet imputare, quod manifeſtetur ejus delictum Confeſſario: nam pœnitens habet jus inſtituendi confeſſionem integram non obſtante complicis infamiâ, qui non debet ita ægrè ferre manifeſtari ſuum peccatum in confeſſione quam extra, quod tamen licet ob juſtam cauſam.

Eſt tamen grave peccatum manifeſtare complicem in confeſsione ſine cauſa, quando ſine illius manifeſtatione peccatum ſecundùm ſuam ſpeciem poteſt manifeſtare: Ratio eſt quia non licet peccatum proximi, etiam ne uni ſoli, revelare extra confeſsionem, ſi ei inde ſequatur gravis infamia; ergo neque hoc licebit in confeſsione, cum utrobique reperiatur eadem ratio damni.

Petes, quid ſi Confeſſarius commiſerit aliquem defectum, quem non poteſt manifeſtare, niſi manifeſtando peccatum complicis auditum in confeſsione.

Reſp. ſi hujuſmodi Confeſſarius non habeat copiam alterius Confeſſarii, cui complex ſit ignotus, & interim neceſsitatem habeat confitendi, non poterit ejuſmodi defectum manifeſtare: Ratio eſt quia obligatio ſigilli ſtrictiùs obligat quàm præceptum integrè confitendi.

DU-

DUBIUM XIII

An poſſit abſolvi ægrotus qui petiit Confeſſarium aut dedit ſigna pœnitentiæ, & adveniente Confeſſario non poteſt amplius loqui, ſed exhibere tantùm aliqua ſigna pœnitentiæ.

Moribũdus qui tantum dat ſigna quædam poteſt abſolvi.

RESp. affirmativè; quia impotentia excuſat ab integritate confeſſionis. 2. Quia pro hoc Sacramento ſufficit illa peccatorum confeſſio, quam pœnitens hic & nunc poteſt præſtare. 3. Quia in Concil. Carthag. III. prout habetur cap. *Ægrotantes.* De Conſecrat. diſt. 4. item in Arauſicano cap. 12. prout habetur diſt. 26. quæſt. 6. ſubitò obmuteſcens pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præſentis teſtimonium, aliorum verbis habeat, aut præſens in ſuo nutu.

Idem probatur ex Rituali Pauli V. juſſu edito 1615. in quo dicitur, „ ſi inter confitendum, „ vel etiam antequam incipiat „ confiteri vox & loquela ægri „ deficiat, nutibus & ſignis cone„ tur quoad fieri poteſt, peccata „ pœnitentis cognoſcere; quibus „ utcumque in genere vel in ſpe„ cie cognitis, vel etiam ſi confi„ tendi deſiderium ſive per ſe ſi„ ve per alios oſtenderit, abſol„ vendus eſt.

In tali caſu illa ſigna habent rationem veræ confeſſionis.

Dices, in hiſce caſibus non reperitur vera confeſſio ergo nec vera abſolutio: probatur aſſumptum, quia ſolum reperitur voluntas confitendi, vel ſolummodo homo peccator, qui non eſt materia abſolutionis.

Reſp. neg. aſſumptum, & dicimus reperiri talem confeſſionem, qualis in ea neceſſitate fieri poteſt.

Dices per illa ſigna quæ pœnitens dedit ante adventum Confeſſarii, vel in ejus præſentia, peccata pœnitentis non plus cognoſcuntur quam antea ſine illis, nam ſcimus quemlibet hominem eſſe peccatorem, quamvis neſciamus ſtatum cujuſlibet hominis in particulari, poteritque homo ſanctus edere ſimilia ſigna, ergo hæc non ſunt ſufficiens confeſſio.

Reſp. neg. conſequentiam: quia per illa ſigna cognoſcitur pœnitens ut peccator, ſeſe accuſans per petitionem confeſſionis; idque vel per propria ſigna quæ edit, vel per atteſtationem hominum præſentium & affirmantium ipſum confeſſionem petiviſſe, qualiter ante non cognoſcebatur: & quamvis aliqui ſpeculativè teneant oppoſitum, ejuſmodi nempe confeſſionem non ſufficere, tamen in praxi obli-

gantur ſe noſtræ ſententiæ conformare; eò quod ſit manifeſtè contra charitatem proximo debitam, in talibus circumſtantiis ipſi denegare abſolutionem ſaltem ſub conditione, quæ ipſi in illâ neceſſitate licitè & ſine peccato poteſt impendi.

Qui nec ante morbum dedit, nec in morbo dare poteſt ſignũ contritionis poteſt equidem abſolvi ſub conditione.

Petes, quod ſi ægrotus nec ante nec poſt ulla ſigna contritionis aut pœnitentiæ oſtenderit, an in illo ſtatu, à præſente ſacerdote poterit abſolvi.

Modo chriſtiane antea vixerit.

Reſp. Aff. ſaltem ſub hac conditione, *ſi ſis capax*: & ſi is hactenus Chriſtianè vixerit; ſiquidem prudenter præſumi poteſt illum in tali anguſtia conſtitutum, internè hoc Sacramentum deſideraſſe, & etiam ſigno externo expreſſiſſe; quod, prout & vita Chriſtianè ante acta, videtur in tali neceſſitate virtualis confeſſio; præterea quando in neceſſitate nequit haberi materia certa alicujus Sacramenti ad ſalutem neceſſarii, licitum eſt illud conficere in materia dubia: ita enim deficiente aquâ naturali pro baptizando infantulo, in extremo vitæ conſtituto, adhibetur etiam quæcumque materia dubiè valida, obligante ad hoc lege charitatis, & neceſſitate abſtergente omnem irreverentiam Sacramenti; quidni ergo talis adhiberi poterit in ejuſmodi neceſſitate in materia Sacramenti pœnitentiæ, dum homini moribundo impenditur abſolutio ſub conditione, qui quandoque, prout experientiâ compertum eſt, eſto nullum ſignum externum pœnitentiæ poſſet oſtendere, ſibi tamen interiùs optimè præſens eſt, & occupatus eliciendis actibus internis fidei, ſpei, & charitatis.

Quid agendum cũ phrenetico qui ante non dedit ulla ſigna pœnitentiæ, & jam non vult confiteri.

Petes quid faciendum caſu quo moribundus in phræneſi exiſtat, nullo antea dato pœnitentiæ ſigno, & modò dicat ſe nolle abſolvi, & abigat Confeſſarium.

Reſp. tunc indagare oportet qualis fuerit in anteriori vita, an planè deditus omnis generis peccatis, ita ut vix confiteretur: tunc enim prudenter præſumi poteſt, ea quæ in phræneſi dicit, oriri ex pravo voluntatis habitu etiamnum adhuc durante, adeoque talem nequidem, ſub conditione eſſe abſolvendum; ſecùs vero ſi Chriſtianè vixiſſet & ſacramenta ſolitus fuiſſet frequentare.

Quid item cũ illo qui in flagrãti delicto vulneratus, nulla ſigna dare poteſt.

Petes, quid ſi quis in flagranti delicto, v.g. duello aut actu fornicationis, lethaliter vulneretur, nulla valens externa doloris ſigna edere; an poterit ſub conditione abſolvi.

Reſp. ſi & is hactenus Chriſtianè vixerit, & ſacramenta frequentaverit, licet modò in peccato

cato ſit, præſumi poſſet eum in illa extrema anguſtia conſtitutum, aliquem externum doloris actum elicuiſſe & internum habere dolorem; adeoque & eum ſub conditione poſſe abſolvi; ſecùs verò ſi nec chriſtianè vixiſſet, nec ſacramenta frequentaſſet.

Qui in talibus caſibus abſoluti ſunt, ſi convaleſcant, tenentur ſua peccata confiteri.

Petes, an ejuſmodi in neceſſitate ſic abſoluti, ſi poſtmodum convaleſcant, obligentur denuo ſua peccata à quibus ſic ſunt abſoluti, confiteri.

Reſp. affirmativè; eò quod indirectè tantum ab iis fuerint abſoluti, cum obligatione illa directè clavibus ſubjiciendi ubi poterunt.

Ex dictis collige, multò magis poſſe abſolvi moribundum, qui ſolùm dixit aliquod peccatum in communi, vel aliquod veniale ſolùm, & ſtatim deſtituitur uſu rationis: nam ob defectum potentiæ, confeſſio illa eſt formaliter integra, eò quod in ejuſmodi neceſſitate alia haberi non poſſit.

DUBIUM XIV.

An & quibus caſibus confeſſio ſit iteranda.

Confeſſio irrita eſſe poteſt vel ex parte pœnitentis, vel ex parte cōfeſſarii.

OBligatio iterandæ confeſſionis oriri poteſt ex duplici capite: nempe vel ex defectu pœnitentis, vel ex defectu Confeſſarii: & quidem ex defectu pœnitentis proveniens, iteranda eſt quoties pœnitens voluntariè & ſine juſta cauſa tacuit aliquod peccatum mortale in confeſſione, aut non præmiſit debitum examen conſcientiæ; aut quoties non elicuit verum dolorem de peccatis ſuis, neque habuit efficax emendationis propoſitum; prout contingit in illis qui permanent in occaſione proxima peccati.

Qui ſcienter invalidè confeſſus eſt tacendo aliquod mortale, poſtea illius oblitus bona fide ſæpius confeſſus eſt, dum poſtea illius recordatur, debeat omnes confeſſiones repetere.

Petes, quid ſi quis in juventute ſua voluntariè ſubticuerit aliquod peccatum mortale in confeſſione, cujus poſtmodum oblitus, interea fecit multas confeſſiones ſubſequentes bonâ fide; an ſi poſtea recordetur iſtius ſacrilegii admiſſi in prima confeſſione, teneatur omnes confeſſiones intermedias, bonâ fide factas, repetere.

Reſp. negativè, ſed ſolùm illam in qua Sacrilegium illud admiſſum eſt: Ratio eſt quia non deliquit in confeſſionibus bonâ fide factis.

Petes, an ſemper teneatur repetere priorem illam confeſſionem, in qua Sacrilegium eſt commiſſum.

Reſp. affirmativè; per ſe loquendo, quia illa fuit invalida: quamquam per accidens fieri poſſit illam quoque fuiſſe validam-

Digitized by Google

adeoque nec repetendam: ut v. g. ſi pœnitens ſciat eſſe peccatum mortale quod voluntariè omittit, ſed invincibiliter ignorat divinum præceptum, quo obligatur in una & eadem confeſſione omnia mortalia ſimul confiteri; adeoque putat bona fide ſe hoc in alia confeſsione poſſe confiteri.

Qui voluntariè ſubticet peccatũ mortale in confeſſione, poteſt validè confiteri.

Pro praxi notet prudens confeſſarius, ex hac cauſa frequenter poſſe excuſari à repetenda confeſsione, adoleſcentes & puellas, quæ in confeſsione quandoque, præ pudore & verecundia, aliquod peccatum in ſua juventute ſubticuerunt, & grandiores facti illius recordantur; nam ſi invincibiliter ignoraverint omnia peccata in una & eadem confeſsione eſſe confitenda, putaverintque ſufficere, ſi illud peccatum alicui alteri extraneo Confeſſario, ipſis ignoto confiteantur, excuſantur ab illa confeſsione repetenda; quippe quæ fuit formaliter integra: unde ſufficiet ſi peccatum, quod in illa priori confeſsione ſubticuerunt, in poſteriori exprimant.

Non eſt iteranda confeſſio ex eo quod non ſit adimpleta ſatisfactio injuncta.

Petes, an confeſsio ſit repetenda ex eo quod neglexerint implere pœnitentiam ſibi á Confeſſario injunctam.

Reſp. neg. dummodo ſaltem ab initio habuerint animum eam adimplendi; nam valor confeſſionis præteritæ non pendet à futuro: unde ſatisfaciet pœnitens confitendo peccatum omiſſæ pœnitentiæ, quam ut adimpleat, Confeſſarius ei denuo injunget.

Qui bonâ fide ſe accuſat de pluribus peccatis quã commiſerit, non tenetur poſtea præciſum numerũ exprimere. Secus ſi malâ fide.

Petes, an qui bonâ fide confeſſus eſt majorem numerum peccatorum mortalium, quàm commiſerit, obligetur errore cognito, numerum certum exprimere v. g. ſi quis quater omiſerit ſacrum in die feſto, & confeſſus eſt ſe ſexies omiſiſſe, an in ſequenti confeſſione obligetur denuo dicere, ſe quater tantùm omiſiſſe.

Reſp. neg. quia, ut ſupponitur in ſex illis omiſſionibus incluſæ ſunt quatuor illæ omiſſiones, & error quoad alias duas commiſſus, ut ſupponitur, non eſt peccatum: ſecùs dicendum ſi quis malâ fide majorem numerum expreſſiſſet; talis enim decepit confeſſarium in materia gravi, & propterea fecit confeſſionem invalidam, unde obligatur illam totam repetere.

Qui confeſſus eſt ſacerdoti juriſdictionem non habenti, tenetur iterum confiteri.

Dico 2. Ex defectu confeſſarii eſt iteranda confeſſio, quoties illa facta eſt Sacerdoti juriſdictionem non habenti, nam abſolutio data ſine juriſdictione non ſubſiſtit.

Petes, an pœnitens qui ſcienter confi-

Item qui ſcienter confite-tur ſur-daſtro aut non intel-ligenti.

confitetur alicui confeſſario plane ſurdaſtro, ita ut nequeat ejus confeſſionem intelligere, validè ſit abſolutus.

Reſp. negativè, quia talis ſacerdos nequit judicare incognitâ causâ: præterea hujuſmodi pœnitens perinde facit, ac is qui peccata mortalia reticeret in confeſſione; idem dic de pœnitente qui ex profeſſo confitetur ſub ſono organorum, ut confeſſarius illum non intelligat: quod ſi quis tamen bona fide confeſſus fuiſſet Confeſſario qui peccata pœnitentis non intellexit; quamvis in illa confeſſione non peccaverit, hoc ipſum tamen poſtmodum reſciens, tenebitur illa peccata denuo confiteri eo modo quo peccata oblita, quia ab illis ſic confeſſis, non valide, aut ſaltem non directè fuit abſolutus.

Qui indocto confeſſus eſt non ſemper tenetur iterato confiteri alteri.

Petes, an qui bonâ fide confeſſus eſt ſacerdoti indocto ſit validè abſolutus.

Reſp. affirmativè; dummodo ſaltem ille ſacerdos aliquò uſque cognoverit gravitatem peccati, quamvis in particulari neſciat diſtinguere ſpecies peccatorum.

Petes, an pœnitens qui confeſſus eſt aliquod peccatum de quo dubitabat an eſſet mortale an veniale, ſi poſtea certò ſciat eſſe mortale, obligetur illud denuo confiteri.

Qui cõfeſſus eſt peccatum tamquã dubium, non debet poſtea illud tamquã certum confiteri.

Reſp. negativè, quia ad valorem confeſſionis non requiritur ut ipſe pœnitens determinatè judicet in omni materia, an ſit veniale an peccatum mortale (quin imo hoc non requiritur in Confeſſario) ſed ſufficit quod confiteatur actum peccaminoſum prout eſt in ejus conſcientia.

Petes, qualiter ſit repetenda confeſſio invalidè facta, & an ad hoc ſit neceſſe ut pœnitens ſigillatim omnia ſua peccata repetat.

Qui cõfeſſionem invalidam iterat, an debeat iterum ſingula peccata confiteri.

Reſp. ſi confeſſio iteretur coram eodem Confeſſario, qui priorem confeſſionem invalidam audierat, tunc ſufficit ſi dicat ſeſe denuo confiteri omnia peccata in priori confeſſione confeſſa, & deinde adjungat omiſſa: quod dico, ſufficere, ſi Confeſſarius ſaltem in confuſo recordetur ſtatûs ipſius pœnitentis; ſecus ſi ſit illius planè oblitus. Quod ſi verò confeſſio iteretur apud diſtinctum Confeſſarium, tunc ſigillatim omnia peccata confeſſa in priori confeſſione, oportet repetere, eo modo ac ſi numquam pœnitens illa fuiſſet confeſſus.

Digitized by Google

QUÆSTIO III.
De Miniſtro Confeſſionis.

EX eo quod Miniſter Sacramenti aliquo modo ſpectet ad illius eſſentiam (nam omnia Sacramenta tribus perficiuntur, materiâ, formâ, & intentione miniſtri) meritò hic tractari oportet de miniſtro ipſius Sacramenti Pœnitentiæ.

DUBIUM I.
An ſolus ſacerdos ſit hujus Sacramenti Miniſter.

Error Lutheri circa miniſtrum Pœnitentia.

NOtandum Lutherum artic. 13 inter Damnatos à Leone X. aſſerere Papam, Epiſcopum, aut ſacerdotem non plus præſtare in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, quam puerum vel mulierem; idque conformiter ſuis principiis quibus adſtruit, Sacramenta non aliter operari, quàm excitando fidem, quam, verba abſolutionis, à quocumque proferantur, æquè poſſunt excitare. Eandem hæreſim ante ipſum docuerat Joannes Wicleff; prout refert Thomas Waldenſis tom. 2. cap. 135.

Solus ſacerdos eſt miniſter Sacramenti Pœnitentia.

Dico 1. fide certum eſt, ſolum ſacerdotem eſſe miniſtrum hujus Sacramenti: ita enim definivit Concil. Conſtant. in Bulla Martini V. Florent. in Inſtructione Armen. Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 10.

Ratio à priori eſt Chriſti inſtitutio, de qua conſtat partim ex Eccleſiaſtica traditione, partim ex Scriptura Joann. 20. ubi Chriſtus in Diſcipulos ſuos inſufflavit, & dixit eis, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus verbis Eccleſia ſemper intellexit hanc remittendi & retinendi peccata poteſtatem non omnibus eſſe conceſſam, ſed ſolùm Apoſtolis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, in quorum proinde ordinatione illa prædicta verba proferuntur: nec mirum, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum judicii, poteſtas autem judicandi non debet paſſim omnibus committi; ſed ſicut videmus in tribunali ſæculari, ubi poteſtas judicandi ſolis viris primariis & magiſtratibus Reip. committitur: & capropter ſicut in veteri teſtamento judicium lepræ ſolis ſacerdotibus erat commiſſum, unde Luc. 13. Dominus ait leproſis, *ite oſtendite vos ſacerdotibus*, ita in novo

Digitized by Google

vo judicium lepræ ſpiritualis committi debuit ſolis ſacerdotibus.

Hoc ipſum confirmant teſtimonia SS. Patrum, qui ab exordio naſcentis Eccleſiæ abſolutionem dixerunt eſſe actum ordinis ſacerdotalis, quæ fusè refert Bellarminus lib. 3. de Sacramento Pœnitentiæ.

Dices, S. Cyprianus epiſt. 13. concedit ut lapſi in perſecutione, poſſint in articulo mortis, ſi deſit ſacerdos, confiteri Diacono. Et author de vera & falſa Pœnitentia cap. 10. „tanta, ait, eſt „vis confeſſionis, ut ſi deſit ſa„cerdos, confiteatur proximo,„ nec diſſentit S. Thomas qui in 4. Sententiarum diſt. 17. cum Magiſtro ait, „in mortis arti„culo, deficiente ſacerdote, ne„ceſsè eſſe confiteri laico„ additque defectum ſacerdotis tunc ſuppleri à ſummo ſacerdote. Præterea ſicuti baptiſmus, ita & pœnitentia eſt Sacramentum neceſſitatis, ſed in illo quilibet in neceſſitate eſt miniſter, ergo & in hoc.

Confeſſio in mortis periculo facta Diaconis aut laicis non eſt Sacramentalis.

Reſp. & dico 1. quod attinet ad S. Cyprianum, illum loqui de externa reconciliatione cum Eccleſia, per abſolutionem ab excommunicatione, quæ fieri poterat à Diacono abſente ſacerdote.

Quod attinet ad alias objectiones, olim conſuetum fuit, etiam tempore S. Thomæ, ut in neceſſitate, dum non eſſet copia ſacerdotis, confeſſio humilitatis causâ fieret laico; ſed talis confeſſio numquam fuit habita pro Sacramentali, ſed tantùm fiebat causâ melius excitandi contritionem: & eapropter dum ait S. Thomas hoc eſſe neceſſarium, id intelligendum venit de neceſſitate ad bene eſſe, ob conſuetudinem tunc temporis receptam: porro quod addit, defectum ſacerdotis tunc ſuppleri per Deum tamquam ſummum ſacerdotem, id intelligi debet quoad remiſſionem peccatorum per contritionem; non verò quaſi Deus tunc ſuppleat defectum eſſentiæ Sacramenti. Denique quod attinet ad diſparitatem inter neceſſitatem baptiſmi & pœnitentiæ, dicimus quod illa ſit extenſivè major, quam neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ; eò quod infantes & amentes etiam egeant baptiſmo, non verò confeſſione.

Dices, S. Jacobus in Epiſtola Canonica cap. 5. ait, *confitemini alterutrum peccata veſtra*; ergo & laicus poteſt confiteri laico.

Reſp. negando conſequentiam; quia Apoſtolus ſic loquitur ſuppoſitâ Sacramenti inſtitutione;

tione; & eapropter illud, *alterutrum*, dicit reſpectum ad ſacerdotes.

Petes, an ſi laicus tentaret abſolvere, eſſet irregularis.

Reſp. negativè; eò quod nemo incurrat irregularitatem niſi in caſibus à jure expreſſis, prout conſtat ex cap. *is* de ſententia Excomm. in ſexto, nihil autem deſuper eſt expreſſum.

DUBIUM II.

An omnis ſacerdos ſit Miniſter hujus Sacramenti.

Non quilibet Sacerdos eſt miniſter Sacramenti Pœnitētiæ.

RESp. negativè, quod probatur 1. ex natura hujus Sacramenti quod à Chriſto eſt inſtitutum per modum judicii; quod proinde exerceri non poteſt niſi ab habente juriſdictionem in eum in quem ſententia profertur; ſed non omnis ſacerdos habet ejuſmodi juriſdictionem; ergo. Probatur ſubſumptum ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi ait, „nullius momenti eſſe „abſolutionem quam profert ſacerdos in eum in quem ordinariam aut delegatam non habet „juriſdictionem;„ ſupponit ergo non omnes ſacerdotes ex vi ſuæ ordinationis, eſſe ſufficientes miniſtros hujus Sacramenti Pœnitentiæ, ſed priùs in ipſis requiriri juriſdictionem ſeu poteſtatem clavium juxta illud Chriſti Mat. 16. *tibi dabo claves regni cœlorum, quodcumque ſolveris* &c.

Sed qui juriſdictionem habet in pœnitentem.

Petes, quid dicto loco propriè intelligatur à Chriſto, nomine clavium.

Quid intelligendum nomine clavium.

Reſp. poteſtatem quâ tollitur quodcumque impedimentum intrandi regnum cœlorum: nam ſicuti per claves aperitur janua, & patet ingreſſus ad cubiculum, ita per poteſtatem clavium aperitur janua cœli, quæ per peccatum clauditur.

Duo ſunt actus illius poteſtatis.

Porro hæc poteſtas clavium habet duos actus, ſolvendi nempè, & ligandi: quorum primus eſt per ſe & primariò intentus, fitque per actionem poſitivam, conferendo gratiam remiſſivam peccati; poſterior verò, qui eſt ligandi, fit per negationem actionis, ſcilicet prolationis ſententiæ judicialis.

Poteſtas clavium eſt duplex, ordinis & juriſdictionis.

Petes quotuplex ſit hæc poteſtas clavium.

Reſp. duplex, ordinis nimirum & juriſdictionis. Clavis ordinis à parte rei non eſt aliud quam ipſe character ſacerdotalis quatenus quis per illum, ex divina ordinatione deputatur, ut poſſit eſſe judex in foro conſcientiæ. Poteſtas juriſdictionis verò eſt poteſtas gubernandi & jus dicendi in ſubditos.

Porro ad abſolutionem in foro conſcientiæ

Digitized by Google

Et utraque requiritur ad abſolutionem validam à peccatis.

conſcientiæ utraque poteſtas ſeu utraque clavis requiritur, ordinis ſcilicet & juriſdictionis: & eapropter Paſtor necdum ſacerdos, eſto habeat poteſtatem juriſdictionis, tamen defectu poteſtatis ordinis, nequit abſolvere à peccatis: & rurſum ſimplex ſacerdos, eſto habeat poteſtatem ordinis, tamen defectu juriſdictionis nequit abſolvere à peccatis.

Poteſtas ordinis datur completa in ordinatione.

Petes an quivis ſacerdos in ſua ordinatione accipiat hunc expeditum uſum clavium.

Reſp. quantum attinet ad poteſtatem ordinis, illam in ſua ordinatione accipit planè expeditam, & completam, in tantum ut nullâ prohibitione eccleſiæ illa inhiberi poſſit, quò minus validè exeat in actum: & eapropter ſacerdos licet excommunicatus, ſuſpenſus, aut irregularis, validè tamen celebrat.

Poteſtas juriſdictionis datur in ordinatione in actu primo & incompleta.

Quod verò ſpectat ad poteſtatem juriſdictionis, eſto illam accipiat in ordinatione ſua in actu primo, non tamen expeditam & planè completam in actu ſecundo, quippe quæ compleri & expediri debeat per applicationem materiæ, quæ fit ab eccleſia: & eapropter juriſdictio neceſſaria ſacerdoti ad abſolvendum partim confertur à Deo, partim ab Eccleſia; à Deo quidem, quatenus in ſua ordinatione accipit poteſtatem juriſdictionis incompletam his verbis *Accipe Spiritum Sanct. quorum remiſeris peccata remittuntur eis*; Ab Eccleſia vero, quatenus ab ea accipit complementum iſtius poteſtatis per applicationem materiæ: unde hæc non fit per voluntatem pœnitentis aut ipſius abſolventis.

Poteſtas juriſdictionis completa datur partim à Deo, partim ab Eccleſia.

Miniſtris Eccleſiæ non ſemper eodem modo juriſdictio plena collata fuit.

Et quidem in initio Eccleſiæ, complementum hujus poteſtatis ſeu applicatio materiæ dabatur Epiſcopis per electionem plebis, & ordinationem comprovincialium Epiſcoporum, ita ſtatuente Eccleſiâ: unde antiquiſſimi Epiſcopi, ut Cyprianus, Auguſtinus, Chryſoſtomus & alii nihil ſibi attribuebant in ſuis Diœceſibus à Romano Pontifice commiſſum, quem tamen ſupremum Eccleſiæ caput agnoſcebant, & in ejus unione permanebant: poſterioribus verò temporibus, complementum hujus juriſdictionis & applicatio materiæ ob conveniet iſſimas rationes, à Romano Pontifice Epiſcopis data eſt, & per Epiſcopos Paſtoribus ipſis ſubditis.

Juriſdictio alia eſt ordinaria, alia delegata.

Porro hæc applicatio materiæ fit duplici viâ, ordinariâ ſcilicet, & delegatâ: ordinariâ quidem dum quis conſtituitur Epiſcopus alicujus diœceſis vel

 Paſtor

Digitized by Google

Paſtor alicujus Parochiæ; delegatà verò ſeu ex commiſſione dum Epiſcopus v. g. vel Paſtor ſuam poteſtatem alteri concedit, aut delegat, ſuas vices illi committendo; quod Pontifex de plenitudine poteſtatis facere poteſt, per totum orbem terrarum, Epiſcopus verò in ſua diœceſi, Paſtor autem in ſua Parochia.

Petes, an ſaltem in aliquibus caſibus particularibus, quilibet ſacerdos, etiam hæreticus, excommunicatus, ſuſpenſus, aut irregularis non poſſit validè abſolvere.

In articulo mortis quivis ſacerdos validè abſolvere poteſt.

Reſp. affirmativè; & primò quidem in articulo ſeu morali periculo mortis: quod non tantùm contingit ratione ægritudinis, ſed & alterius accidentis: ut dum quis ingreditur iter valdè periculoſum; aut commiſſurus eſt prælium &c. quia tunc Eccleſia, pro hujuſmodi articulo, confert illi juriſdictionem: pro ut patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi ait, „in Eccleſia Dei ſemper „cuſtoditum fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque adeo omnes ſacerdotes „quoſlibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſint &c.„ Quod tamen limitandum venit dummodo non adſit alius ſacerdos approbatus qui velit abſolvere;

Si approbatus adſit non poteſt abſolvere in tali caſu non approbatus.

nam tunc ceſſat neceſſitas confitendi ſimplici ſacerdoti, cum tamen Eccleſia hanc poteſtatem illi faciat ratione neceſſitatis.

Abſolutus in mortis articulo à ſimplici Sacerdote non tenetur poſtea confeſſionem iterare.

Porro hæc poteſtas, conceſſa ſimplici ſacerdoti in mortis articulo, eſt abſoluta & directa, ita ut pœnitens taliter abſolutus & convaleſcens, non teneatur illa peccata, licet reſervata, quæ tunc confeſſus eſt, ampliùs confiteri; dummodo tamen hæc non habeant annexam cenſuram, nam ſi talem habeant annexam, à qua ſimplex ſacerdos non poteſt abſolvere, tunc talis pœnitens liberatus à periculo mortis, tenetur quam primùm commodè poteſt, coram ſuperiore ſe præſentare; non quidem ut iterum confiteatur aut abſolvatur, ſed ut oſtendat ſe abſolutum & obedientem & paratum ad debitam pœnitentiam ſuſcipiendum.

Quilibet Sacerdos poteſt abſolvere à peccatis venialibus & mortalibus antea confeſſis.

Præterea quilibet ſacerdos abſolvere poteſt à peccatis venialibus, prout & à mortalibus adhuc antea ritè confeſſis: quod patet ex uſu Eccleſiæ, quamvis nullum illius exſtet decretum aut declaratio.

Petes, quotuplex ſit poteſtas juriſdictionis.

Pontifex plenitu-

Reſp. duplex: ordinaria ſcilicet & delegata. Ordinaria vocatur illa quæ alicui competit vi proprii

tudinem juriſdictionis habet immediatè à Chriſto.

proprii officii habentis annexam curam animarum: qualem habet Summus Pontifex in totam eccleſiam, accipiens illam immediate à Deo; nam licet eligatur à Cardinalibus, tamen nec illi nec tota Eccleſia tribuit illi juriſdictionem, ſed tantùm deſignat perſonam cui Chriſtus immediatè confert juriſdictionem completam: juxta Capitulum *in homine* Diſt. 23. Poteſtatem etiam ſimilem ordinariam habent Epiſcopi in ſuis reſpectivè diœceſibus qui, licet ſint Apoſtolorum ſucceſſores in dignitate, non tamen in completa poteſtate juriſdictionis, quippe data Apoſtolis tamquam legatis Chriſti, & ideo hæc cum illis exſpiravit: & eapropter licet Epiſcopi incompletam quoque poteſtatem juriſdictionis, ut ſupra diximus, accipiant in ſua ordinatione à Deo, illam tamen expeditam & completam accipiunt à Rom. Pontifice, prout patet ex Conc. Trid. Seſſ. 14. cap. 7. ubi expreſsè dicitur poſſe ſummos Pontifices majores cauſas totius orbis ſibi reſervare: quod & inde patet quòd Epiſcopi à ſummo Pontifice accipiant limitationem ſuæ diœceſis, adeoque ſubditorum ſuorum.

Quinã habeant juriſdictionem ordinariam.

Epiſcopi illam accipiunt completam à Pontifice.

Vicarius Generalis.

Ordinariam quoque poteſtatem idque in utroque foro habet Vicarius Generalis Epiſcopi, quippe conſtituens cum eo unum tribunal, ejuſque perſonam repræſentans, adeoque poteſtatem ſuam per totam diœceſim poteſt aliis delegare.

Capitulum ſede vacante. Decanus. Paſtores.

Hàc quoque ordinariâ poteſtate gaudet Capitulum Cathedrale ſede vacante, item Decanus Capituli in ſuum Capitulum; prout & Parochus in ſubditos; item deſervitor temporalis, qui mortuo Paſtore deſervit alicui parochiæ: eâdem quoque poteſtate ordinariâ gaudent Generales & Provinciales Ordinum; prout & Abbates exempti: item quilibet Superior localis: non tamen Prioriſſæ aut Abbatiſſæ: hæ enim non habent in ſubditos juriſdictionem, ſed tantùm domeſticam gubernationem.

Generales, Provinciales Abbates &c. Non Abbatiſſæ.

Poteſtas juriſdictionis ordinaria reſtringitur non ad locum ſed ad perſonas.

Petes an hæc ordinaria poteſtas reſtringatur loco, ita ſcilicet ut Epiſcopus extra ſuam diœceſim; aut Paſtor extra ſuam Parochiam hanc nequeat validè exercere.

Reſp. neg. ſed tantùm reſtringitur perſonis: unde & hanc in ſibi ſubditos exercere poteſt extra locum juriſdictionis; idque ideo quia hoc judicium fori interni nullum externum ſtrepitum aut ſolemnitatem requirit, adeoque de eo non eſt judicandum ſicut de judiciis in foro externo, reſpe-

ctu quorum turbaretur externum regimen, ſi liceret ſubditum judicare in foro contentioſo extra diœceſim.

Quid juriſdictio delegata. Dico 2. poteſtas delegata vocatur illa, quæ legitimè alicui capaci committitur ab aliquo habente poteſtatem ordinariam: & ita ſummus Pontifex poteſt poteſtatem ſuam delegare pro tota Eccleſia, etiam repugnantibus Epiſcopis & confeſſoribus, eò quod poteſtas ejus ab illis minimè dependeat: ita quoque Epiſcopi poſſunt poteſtatem ſuam delegare per totam ſuam diœceſim, repugnantibus Parochis, eò quod poteſtas Epiſcopalis ab illis minimè dependeat: *Delegare poſſunt illi qui habent juriſdictionem ordinariam.* Parochi tamen ſuam poteſtatem delegare non poſſunt repugnantibus Epiſcopis, eò quod inferior habeat poteſtatem delegandi cum ſubordinatione ad ſuperiorem cui in ſuo munere ſubjicitur; & eapropter irrita eſt delegatio inferioris facta repugnante ſuperiore.

Porro quod habentes juriſdictionem ordinariam poſſint delegare, patet quia unus ex propriis actibus juriſdictionis ordinariæ eſt delegatio.

Delegatus non poteſt ſubdelegare. Petes, an delegatus poſſit ſubdelegare.

Reſp. negat. niſi ſit legatus ſupremi Principis qualis eſt ſummus Pontifex: & ratio eſt quia *niſi hoc ſit conceſſum.* delegatio & ſubdelegatio ſunt diverſæ poteſtates, quarum poſterior non continetur in priori: unde conceſsâ priore non cenſetur conceſſa poſterior.

Dices, Vicarius Generalis Epiſcopi poteſt poteſtatem ſuam ſubdelegare cum tamen habeat poteſtatem delegatam.

Reſp. ut ſupra dixi, Vicarium Generalem in jure reputari pro Ordinario; unde non mirum quod poſſit delegare.

Petes, an delegatus ab Epiſcopo ad univerſalitatem cauſarum, nequeat ſubdelegare unam vel alteram cauſam.

Antequam reſpondeatur, notandum quod ille cenſetur delegatus ad univerſitatem cauſarum, cui eſt facta commiſſio generalis quo ad cauſas certi generis, eſto quo ad tempus & quo ad locum ſit reſtricta: utpute ſi quis ab Epiſcopo conſtituatur in aliqua Parochia, mortuo Paſtore pro tempore illius, deſervitor; quæritur ergo an ille poſſit alicui committere facultatem audiendi confeſſiones vel aſſiſtendi matrimonio. *Delegatus ad univerſalitatem cauſarũ quis cenſendus.*

Reſp. affirmativè; qui tamen non poterit integrum deſervitoris officium alteri committere ſine conſenſu Epiſcopi; niſi forſitan ad breve tempus quo abeſt à parochia: prout neque Paſtor proprietarius *Talis poteſt ſubdelegare ad certas functiones.*

Digitized by Google

prietarius poteſt curam ſuam paſtoralem alteri committere, ſine conſenſu Epiſcopi, niſi ad breve tempus.

Petes, in quo adhuc differat poteſtas ordinaria à delegata.

Poteſtas ordinaria non poteſt ad nutum auferri à concedente, ſed bene delegata.

Reſp. in eo quod illa non poſſit auferri à ſuperiore pro arbitrio, ſed tantùm ex cauſa urgenti, eò quod competat de jure, ratione officii; delegata verò auferri poteſt pro concedentis arbitrio, quia non eſt annexa officio; & quidem ſi illa ſit conceſſa ad certum tempus, illo tranſacto, exſpirat: quæ tamen data eſt indefinitè non extinguitur morte, concedentis, aut ſi is officio privetur; nam, quamvis illa hoc ſenſu dicatur pendere à voluntate concedentis, quod concedens illam poſſit auferre, non tamen ita dependet quaſi continuò penderetà poſitivo conſenſu ipſius concedentis: & ratio eſt quia hujuſmodidelegatio potiùs cenſetur favor reſpectu ejus cui fit quàm nuda juriſdictionis conceſſio:& eapropter de illa non eſt judicandum ſicut de juriſdictionis delegatione in foro contentioſo, ſed ſicut de gratia,quæ morte concedentis non exſpirat; nam, licet facultas audiendi confeſſiones cedat in favorem pœnitentium, tamen & illa computatur inter gratias, quia non conceditur reſpectu determinatæ perſonæ, ſed datur ipſis Confeſſariis, tamquam poteſtas redundans in maximum pœnitentium favorem.

Delegata ad certũ tempus expirat cum tempore.

Delegata indefinitè non expirat morte concedentis.

Saltem quoad forum internum.

Ex his collige quod mortuo ſummo Pontifice non exſpiret poteſtas per ipſum delegata Religioſis; prout neque mortuo Epiſcopo aut Parocho, poteſtas alicui delegata ad confeſſiones ſuorum audiendas, ſed adhuc durat donec à ſucceſſore revocetur, vel tempus præfixum ſit elapſum.

Per mortem Epiſcopi expirat juriſdictio Vicarii Generalis.

Dices, mortuo Epiſcopo exſpirat poteſtas ſeu juriſdictio Vicarii Generalis; ergo & mortuo Ordinario, exſpirat juriſdictio delegati.

Reſp. negando conſequentiam; quia Vicarius Generalis conſtituit unum tribunal cum Epiſcopo,utpote illius perſonam repreſentans; & eapropter poteſtas ejus reputatur ordinaria: aliter ſe habet perſona delegata reſpectu Ordinarii.

Per quid amittatur juriſdictio ordinaria.

Petes, per quid amittatur juriſdictio ordinaria.

Reſp. per privationem officii cui eſt annexa; nam ſublato principali corruit acceſſorium: & idcirco Paſtor reſignans ſuum paſtoratum, amittit juriſdictionem ordinariã;ita ut in vim illius non poſſit ampliùs audire con-

feſſiones ſuorum parochianorum

Item delegata. Juriſdictio verò delegata amittitur per revocationem concedentis, vel per lapſum temporis: impeditur verò per excommunicationem, ſuſpenſionem, aut interdictum; ſi nimirum hujuſmodi juriſdictionem habens ſit excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus vitandus; ſiquidem acta iſtius ſunt invalida: quod ſi verò ſit toleratus; tunc quidem acta ejus habentur valida, attamen illicita.

Facultas delegata ad beneplacitum concedentis expirat morte illius. Petes, an quando conceditur ab Epiſcopo facultas audiendi confeſſiones ad beneplacitum, illa exſpiret morte concedentis.

Reſp. affirmativè; ſi nimirum dicatur, *ad beneplacitum noſtrum* quia tunc talis conceſſio limitatur, & dependet à perſona concedentis, adeoque illius morte extinguitur, ſecus verò ſi dicatur *ad beneplacitum ſedis*; quia illa non moritur.

Non ſic ſi conceſſa ſit ad beneplacitum ſedis.

Petes, quot modis acquiri poſſit juriſdictio requiſita ad audiendas confeſſiones.

Reſp. tribus 1. ſcilicet à jure 2. ab homine 3. à conſuetudine. Et quidem à jure accipiunt eam omnes habentes juriſdictionem ordinariam; prout & omnes religioſi habentes privilegia à jure conceſſa: ab homine juriſdictionem accipiunt, qui gaudent poteſtate delegata, quæ illis committitur per habentes juriſdictionem ordinariam 3. a conſuetudine, ſeu potius à conceſſione Eccleſiæ quæ hanc juriſdictionem mediante conſuetudine confert: nam conſuetudo ratione ſui non poteſt conferre juriſdictionem, ſed ratione conſensûs, & approbationis ſuperioris; quam ipſe cenſetur approbare eo ipſo quo ſcit aliquos actus fieri conſuetudinis introductivos, & tamen non contradicit, cum poſſit & debeat contradicere.

Iuriſdictio requiſita ad abſolvendum tribus modis conferri poteſt. A jure, ab homine, & à conſuetudine.

DUBIUM III.

Quinam in foro Sacramentali cenſeantur ſubditi ut licitè poſſit illis impendi abſolutio.

Habens fixum domicilium in loco eſt ſubditus Paſtoris illius loci. RESp. & dico 1. extra controverſiam cenſetur quis ſubditus alicujus Parochi, qui in Parochia ejus habet domicilium originis & habitationis, ſive qui in Parochia illa natus eſt, & ſimul habitat: quod ſi verò quis in Parochia aliqua natus ſit, ſed in alia habeat fixum domicilium, non poteſt à Paſtore nativitatis præcisè ex illo titulo abſolvi, eò quod deſierit eſſe ejus ſubditus: nec refert quod quis poſſit ordinari ab Epiſcopo in quo

Titulo ſolius nativitatis non eſt quis ſubditus Paſtori illius loci.

quo quis eſt natus, eſto domicilium habeat in alio, quia id provenit ex particulari conceſſione pontificia, quæ non invenitur facta pro alio caſu.

Quandonam quis dicatur habere fixum domicilium in certo loco.

Petes, quandonam quis in aliquo loco cenſeatur propriè habere domicilium fixum.

Reſp. quando vel aliquis in loco aliquo natus eſt cum animo ibidem perpetuò permanendi, aut cum eodem animo habitationem ſuam aliunde eò tranſtulit: ita quoque, ut quis cenſeatur domicilium deſeruiſſe, duo requiruntur, ſcilicet actualis tranſlatio ſui ad alium locum, & animus in priori non ampliùs habitandi: eapropter ſi quis habeat animum diſcedendi ex aliquo loco, ſed necdum diſceſſit, ſedem ſuam alio transferendo, adhuc manet ſubditus prioris Parochiæ. Et hæc quidem pro foro interno ſufficiunt ut quis ſit ſubditus, aut deſinat eſſe ſubditus, ſed pro externo inſuper requiritur probatio.

Quandonam quaſi domicilium aut domicilium habitationis.

Petes, quandonam quis cenſeatur habere quaſi domicilium, aut domicilium habitationis.

Reſp. quando in aliquo loco commoratur, cum animo permanendi ibidem majori parte anni.

Petes, an ſi quis haberet duo domicilia, nimirum unum fixum in aliquo loco, alterum verò quaſi domicilium, cum animo ibidem commorandi majori anni parte, an in utroque cenſebitur ſubditus quoad ad forum internum & ſuſceptionem Sacramentorum.

Utrumque ſufficit ut quis ſit ſubditus. Paſtoris loci.

Reſp. affirmativè; & ratio deſumitur ex conſuetudine, quæ optimo jure eſt introducta, ne alioquin hujuſmodi perſonæ cogerentur diutiùs carere Sacramentis ſibi neceſſariis: & ita e. c. adoleſcens Mechlinienſis, retinens animum perpetuò Mechliniæ permanendi, divertit ad aliquot annos Lovanium causâ ſtudiorum, vel Romam causâ negotiorum, vel ad militiam causâ ſeſe in ea aliquot annis exercendi, interim cum animo ad patrium ſolum revertendi, poterit in utroque loco ſuſcipere Sacramenta, eò quod in uno habeat domicilum fixum & perpetuum, in alio verò quaſi domicilium, quatenus nimirum in eo commoratur, cum animo ibidem permanendi majori parte anni: ſimiliter quoque dominus aliquis qui in duobus locis habet domicilium habitationis, ita ſcilicet ut pro æquali anni parte habitet in duobus locis, ut puta in hieme Mechliniæ, ruri in æſtate, poteſt in utroque loco ex recepta conſuetudine

tudine Sacramenta ſuſcipere.

Qui dicantur vagi. Dico 2. Vagus vocatur ille qui nuſquam habet domicilium, vel habitationem, eò quod nuſquam habeat animum reſidendi, vel quia ſemper intendit vagari de loco in locum, vel quia relicto domicilio priori needum pervenit ad illum locum in quo intendit habitare: hujuſmodi vagus fit ſubditus Paſtoris loci, in quo impræſentiarum degit; qui Paſtor proinde poteſt illum abſolvere; ratio eſt, quia, cum vagus careat domicilio, habitatatio loci actualis, quam pro tempore habet, ſuccedit ex conſuetudine in locum domicilii. *Illi ſunt ſubditi Paſtoris loci in quo reperiuntur.*

De jure communi incola unius loci non poteſt abſolvi à Paſtore alterius loci ſine licentia proprii. Dico 3. qui retinet animum habitandi in Parochia quam inhabitat, & interea pro brevi tempore ut v. g. recreationis vel negotiorum causâ, divertit ad alium locum, abſoluto negotio domum reverſurus; talis, quantum eſt ex vi juris communis, non poteſt abſolvi à parocho loci ad quem divertit; eò quod, quantum eſt ex vi juris, non ſit ejus ſubditus; quamvis tamen aliunde ab eo poſſit abſolvi, nimirum ex conſuetudine & conſenſu in terpretativo Epiſcoporum, ejuſmodi conſuetudinem approbantium. *Ex conſuetudine tamen poteſt.*

Petes, an hoc quoque ſit verum, eſto quis egrediatur parochia ſua & ad aliam vadat causâ vitandi proprium parochum ut poſſit alteri confiteri.

Reſp. affirmative; nam eſto verum ſit quod fraus & dolus nemini debeant patrocinari, talis tamen nec utitur dolo nec fraude, ſed potiùs jure ſuo ſibi per conſuetudinem conceſſo: nec Epiſcopi umquam in hoc caſu oſtenderunt aut oſtendunt aliquod ſignum ſui diſſenſus: hoc addito, quod hujuſmodi ſubditi, vitantes proprium ſuum parochum, licitè poſſint confiteri religioſis, in loco, ad quem tranſeunt, approbatis; ergo quoque ex conſuetudine introducta, aliis parochis, aut cuicumque alteri ſacerdoti ſæculari approbato, & pro confeſſionibus excipiendis ibidem expoſito.

Petes, quiſnam ſit proprius ſacerdos parochorum. *Quis ſit proprius Sacerdos Parochorum.*

Reſp. Epiſcopus, & ejus loco Archi-presbyter eorum: porro Epiſcopus non habet in hoc foro interno alium ſacerdotem proprium præterquam Pontificem: neque verum eſt Archi-Epiſcopum in hoc foro eſſe proprium Sacerdotem Epiſcopi, Patriarcham verò aut Primatem ipſius Archi-Epiſcopi, quia hæc in nullo jure fundantur; eò quod Archi-Epiſcopus in foro interno non habet ordinariam juriſdictionem *Item Epiſcoporum.*

riſdictionem in diœceſibus ſuorum ſuffraganeorum; ergo multò minus in ipſos Epiſcopos.

Petes, quiſnam ſit proprius ſacerdos familiæ ipſius Epiſcopi.

Familia Epiſcopi. Reſp. juxta jus commune, eſſe parochum loci in quo habitat: veroſimilius tamen eſt poſſe Epiſcopum familiam ſuam eximere ab ordinaria parochi juriſdictione, & ſibi illam reſervare, vel alterum deſignare: & ratio eſt, quia Epiſcopus eſt ſuperior parochorum, poteſtque ſibi reſervare caſus.

Petes, quis conferat juriſdictionem Confeſſario Pontificis, in ordine ad ejus abſolutionem.

Reſp. ipſemet Pontifex; quippè qui in qualitate Pontificis, eſt ſuperior ſemetipſo quatenus eſt pœnitens, & quamvis illam poteſtatem nequeat exercere in ſemetipſum, poteſt tamen illam alteri communicare.

Monialium. Petes, quiſnam ſit proprius ſacerdos Monialium Epiſcopo ſubjectarum.

Reſp. eſt ipſe Epiſcopus; prout quoque reſpectu Monialium Regularibus ſubjectarum eſt Prælatus ſeu ſuperior ipſarum.

Monialibus præter ordinarium Confeſſarium alius extraordinarius aſſignandus ab Epiſcopo. Hic notanda venit conſtitutio Concilii Tridentini ſeſſ. 15. cap. 10. his verbis, „ præter „ ordinarium autem Confeſſa„ rium, alius extraordinarius ab „ Epiſcopo & aliis ſuperioribus, „ bis aut ter in anno offeretur, „ qui omnium confeſſiones au„ dire debeat. „ Porro ipſamet Monialium præfecta hujuſmodi extraordinarium confeſſarium nullo modo poteſt deſignare, quippè quæ nullam juriſdictionem ſpiritualem habeat; ſed tantùm domeſticam gubernationem

Qui hoc poteſt etiam Monialibus ſibi non ſubjectis. Poterit tamen Epiſcopus monialibus ſibi non ſubjectis, ſi illæ nullo modo induci poſſint ut proprio ſuo Confeſſario confiteantur, offerre alium Confeſſarium ſive ſæcularem ſive regularem, prout declaravit S. Congregatio Cardinalium, idque ut conſulatur ſaluti & conſcientiæ monialium.

Moniales non tenētur confiteri illi extraordinario niſi velint. Petes, an quando in vim decreti Conc. Trident. datur monialibus Confeſſarius extraordinarius prohibeantur tunc illæ confiteri Confeſſario ſuo proprio.

Reſp. negativè, quia non tenentur uti favore ſibi oblato niſi velint: cavere tamen tunc debet Confeſſarius ordinarius ſollicitare ad ſibi confitendum: prout ſtatuit Sacra Congregatio Card. in dict. loc. Tridentini.

Quibus ex jure competat poteſtas eligendi confeſſarium. Petes, quinam habeant poteſtatem eligendi Confeſſarium.

Reſp. Pontifex qui hoc habet jure divino; etiam eam habent

bent Cardinales, uti & Epiſcopus confirmatus, idque jure Canonico: prout patet cap. ult. de Pœnitentia: inſuper & omnes Prælati exempti qui ſummum Pontificem tamquam ſuum immediatum ſuperiorem recognoſcunt.

Quivis ſacerdos poteſt confiteri cuivis ſacerdoti approbato in ſua diœceſi

Ex conſuetudine verò poteſt quivis ſacerdos eligere in confeſſarium quemvis ſacerdotem, in ſua Diœceſi quam inhabitat, approbatum.

Habens tantum venialia aut mortalia jam confeſſa poteſt cuivis ſacerdoti confiteri.

Quartò qui tantùm habet venialia aut ſolum mortalia ante adhuc validè confeſſa poteſt eligere quemlibet ſacerdotem etiã non approbatum, idque ex uſu & conſuetudine Eccleſiæ.

Petes, an Epiſcopus poſſit in Confeſſarium eligere aliquem ſacerdotem non approbatum.

Reſp. negativè, & hoc ideo quia in generali conceſſione non veniunt ea quæ ſuperior, ſi rogaretur in particulari, eſſet negaturus: & eapropter ſi Epiſcopus hujuſmodi ſacerdoti velit confiteri, debet ipſum prius approbare & qualificare, dummodo tamen ille ſacerdos ad hoc ſit idoneus: ita quoque dum Pontifex tempore jubilæi omnibus promiſcuè concedit poteſtatem eligendi Confeſſarium, id ſemper intelligitur de ſacerdote ab Epiſcopo ad hoc approbato.

Dum in Iubilæo conceditur facultas eligendi confeſſarium, intelligitur de approbato.

Petes, an quando alicui de jure vel ex conſuetudine conceditur licentia eligendi confeſſarium ille eo ipſo poſſit abſolvere à reſervatis.

Reſp. negativè, niſi hoc ipſum particulariter exprimatur; eò quod in generali conceſſione non veniant ea quæ quis in particulari rogatus eſſet negaturus.

DUBIUM IV.

An Paſtor habens injuſtum titulum ſui Paſtoratus validè abſolvat.

Reſp. variis modis poſſe contingere quod aliquis paſtor injuſtè aut invalidè obtineat ſuum paſtoratum.

1. Quidem ſi commiſerit aliquod delictum ratione cujus ſit ipſo jure privatus paſtoratu.

2. Si habeat beneficium incompatibile.

3. Si acceptaverit paſtoratum in excommunicatione &c.

Porro ſolutio hujus dubii dependet ab hac quæſtione quâ quæritur an valida ſint acta facta ab aliquo judice qui à parte rei non eſt judex, ſed tantum pro tali habetur aut æſtimatur: ſic v. g. an geſta per ſervum qui exiſtimatur prætor ſint valida.

Ad hanc difficultatem.

Reſp.

Digitized by Google

Qui cũ titulo colorato & ex errore communi habetur Paſtor, poteſt validè abſolvere

Reſpondetur affirmativè; dummodo tamen tria concurrant. 1. Titulus coloratus, 2. Error communis. 3. Ut nullum ſit impedimentum juris divini vel naturalis. Ex quo ſequitur quod ſimplex ſacerdos habens titulum coloratum, ut puta accipiens ab Epiſcopo officium Parochi, ſed invalidè ob occultum aliquod impedimentum irregularitatis, attamen communiter ab omnibus habeatur approbatus & Paſtor, validè abſolvet, licet illicitè, ſi ſit ſibi conſcius illius impedimenti. Ratio deſumitur ex benigna interpretatione voluntatis Matris Eccleſiæ, quæ ad evitandas quamplurimas anxietates & animorum perturbationes obvenire natas ſuſcipientibus aliqua Sacramenta, quæ ad ſui valorem requirunt juriſdictionem in miniſtro, voluit veram juriſdictionem conferre omnibus miniſtris, dummodo tres antedictæ conditiones adſint, idque tam pro foro interno, quam externo, in hoc imitata jus civile, ut habetur lege *Barbarius Philippus*, de officio Prætoris: cum enim quidam ſervus, qui apud Romanos erat incapax alicujus officii, obtinuiſſet præturam, in vim iſtius officii quam plurima edidiſſet decreta; dubitatum fuit poſtquam reſcitum fuit ipſum eſſe ſervum an illa ejus acta fuiſſent valida: eo quod in jure acta ſervorum habeantur pro non actis: Reſponſum fuit ab Ulpiano ea fuiſſe valida, quod poſtea relatum eſt in legem, & ſancitum ut quoties interveniret error communis & titulus coloratus, qualis in prædicto ſervo reperiebatur, toties à jure cenſeretur collata poteſtas.

Eccleſia in tali caſu concedente juriſdictionem.

Quandonam quis cenſeatur habere titulum coloratũ.

Porrò tunc cenſetur in aliquo eſſe titulus coloratus v.g. in Paſtore, quando legitimus ſuperior illi contulit paſtoratum, ſed collatio fuit invalida ob aliquod impedimentum occultum ſuſcipientis; ut puta, quia erat excommunicatus, irregularis &c. aut collatio quidem fuit valida, ſed, eâ acceptâ, ſuſcipiens commiſit aliquod delictum occultum ratione cujus ipſo jure privatus eſt; aut ſi ſuperior occultè revocet facultatem datam. Tunc verò cenſetur adeſſe error communis, quando quis communiter v.g. pro Paſtore habetur, & tamen non eſt: ad quod proinde non ſufficit error unius aut alterius, ſed debet eſſe error communis; qui licet poſſit eſſe vincibilis, non tamen poteſt eſſe craſſus, ſupinus aut affectatus, eò quod ejuſmodi error æquiparetur ſcientiæ: & eapropter ſi paſſim dubitetur de juriſdi-

Et quando error communis.

Digitized by Google

juriſdictione alicujus, tunc debet inquiri veritas, alioquin cenſebitur error craſſus.

Ex his collige ſacerdotem approbatum ad confeſſiones pro uno anno, eo finito, validè audire confeſſionem; prout & ſacerdotem approbatum uſque ad revocationem ſi illa ſit occultè revocata, ſed non ſciatur: ratio eſt quia adſunt error communis & titulus coloratus; quamquam hujuſmodi ſacerdos ſic audiens confeſſiones ſcienter, graviſſimum ſit commiſſurus ſacrilegium.

Addimus tertiò ut nullum adſit impedimentum juris divini vel naturalis; quia, dum tale ſubeſt, Eccleſia nequit illius defectum ſupplere; eò quod non habeat poteſtatem in ſuperiorem: prout ſuppoſitis illis conditionibus de facto ſupplet defectum juris humani, idque propter innumera incommoda, perplexitates, dubia & ſcrupulos quibus homines alioquin illaquearentur.

Poteſt validè abſolvere ille qui habet juriſdictionem tantum probabilem.

Hunc quoque defectum ſupplet Eccleſia quando ſunt duæ contrariæ opiniones verè probabiles de juriſdictione, quarum una aſſerit ſacerdotem habere poteſtatem abſolvendi, altera negat: & quidem ſi ſequatur affirmantem, eo ipſo accipit ab Eccleſia juriſdictionem ob rationes ante dictas, quæ militant in titulo colorato & errore communi: nec hoc mirum neque enim minus potens eſt opinio plurimorum virorum ſapientum ad permovendum Pontificem, quam error vulgi in ordine ad dandam juriſdictionem.

Quin imo in ejuſmodi circumſtantiis cenſetur adeſſe error communis, quia omnes ferè Confeſſarii paſſim abſolvunt fideles cum juriſdictione verè probabili: quod ni fieret, maximæ ſequerentur perturbationes in conſcientiis fidelium ſi inciperent de ſua abſolutione à ſuis Confeſſariis prudenter data dubitare, & idcirco eo ipſo quo Confeſſarius habet juriſdictionem verè probabilem, Pontifex ad ædificationem Eccleſiæ & animarum ſalutem, illum approbat, & tacitè dat juriſdictionem ob rationes ante datas.

Ex dictis colligere licet 1. validam eſſe abſolutionem datam ab illo ſacerdote qui communiter habetur pro Paſtore, & cui Epiſcopus contulit paſtoratum, ſed collatio fuit invalida ob occultum impedimentum.

Validè abſolvit qui habetur tamquā paſtor licet non ſit.

2. Pœnitentem aliquem validè eſſe abſolutum à Paſtore notorio clerici percuſſore vel denuntiato excommunicato, ſi hic

exceperit

Excommunicatus occultus poteſt validè abſolvere

exceperit illius confeſſionem in loco ubi hoc omnimodè ignorabatur, & in quo, errore communi & titulo colorato, habetur Parochus: quod tamen intelligendum eſt ſi hujuſmodi pœnitens ignoret ipſum eſſe talem, quia alioqui ſcienter tali confitendo peccabit mortaliter.

Non tamen qui errore cõmuni putaretur Sacerdos & non eſſet.

Attamen abſolutio data ab eo qui non eſt verus ſacerdos, quãvis habeat titulum coloratum & adſit error communis, qualis ab aliquot annis accidit in quodam Monacho Dunenſi ex Germania profugo, non valet, eò quod adſit impedimentum juris divini, quod ab Eccleſia nequit ſuppleri.

Petes an delegatio juriſdictionis quandoque fieri poſſit per meram ratihabitionem ſacerdotis ordinarii.

Ad juriſdictionem quãdoque ſola ratihabitio ordinarii

Reſp. Aff. ſi ejuſmodi ratihabitio ſit de præſenti, & aliquo ſigno externo manifeſtata ſufficienter voluntatem ipſius ordinarii indicante: quæ addo, quia hæc licentia eſt actus juriſdictionis qui ad alterum dirigitur humano modo ut ab eo acceptetur; non poteſt autem acceptari niſi ſigno aliquo externo exprimatur.

Hinc collige; quod, ſi Paſtor videat aliquem ſacerdotem approbatum ſibi familiarem audientem confeſſiones in ſua Eccleſia, nec prohibeat, cum facilè poſſit, cenſeatur eo ipſo dare illi juriſdictionem ſaltem pro illa vice; eò quod talia ſigna concurrant, ut ejus ſilentium habeatur pro expreſſo conſenſu.

Non ſufficit ratihabitio de futuro tantũ.

Abſolutio tamen data ſub ratihabitione ordinarii ſacerdotis de futuro eſt invalida, eò quod tempore prolationis formæ ſacerdoti deſit juriſdictio.

Dices ratihabitio retrotrahitur & mandato comparatur: prout habetur Regula 10. juris in Sexto.

Reſp. Regulam illam ſolum verificari in contractibus qui à futuro conſenſu poſſunt dependere, non verò in Sacramentis.

Saltem pro Sacramento Pœnitentia.

Dices licentia proprii Parochi præſumpta de futuro ſufficit ad adminiſtrandum validè Sacramentum Euchariſtię vel extremę unctionis; ergo & ſufficit pro Sacramento Pœnitentiæ.

Reſp. negando conſequentiã, & ratio diſparitatis eſt quia in Sacramento pœnitentiæ requiritur juriſdictio ad ejus valorem; & eapropter ſi hæc actu non habeatur, ejus actus eſt nullus; ſecus vero quoad adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ vel extremæ unctionis.

Petes an interpretativa voluntas ſuperioris ordinarii quandoque non ſufficiat ad delegandam hanc juriſdictionem.

 Reſp.

Digitized by Google

Poteſt in certis circumſtantiis ex interpretativo conſenſu ſuperioris Sacerdos aliquem non ſuũ abſolvere

Reſp. affirmativè; ſi nimirum fundetur in conjecturis & ſignis moraliter certis, quod impræſentiarum & defacto talis ſit ejus voluntas, nam talis interpretatio tunc habet rationem ſigni ſufficienter manifeſti: & eapropter ſi quiſpiam Confeſſarius approbatus ad audiendas moniales caſu veniat ad aliquod monaſterium monialium, & ibidem reperiat aliquam afflictam, & in magno ſalutis ſuæ periculo conſtitutam, eò quod, vel ex turbatâ phantaſiâ, vel averſione, aut infirmitate etiam ſine culpa proprii Confeſſarii non poſſit ei confiteri, ſed continuò facit confeſſiones ſacrilegas, & indignè communicat, nec ad ſuperiorem datur acceſſus, aut non expedit ut ſuperior ſciat: in his & ſimilibus circumſtantiis licebit hujuſmodi ſacerdoti præſupponere præſentem facultatem & delegationem ſuperioris, quia certũ eſt quod velit, & rationabiliter velle debeat huic miſeræ animæ afflictæ omni modo poſſibili ſuccurrere; quod enim ſuperiores quandoque in genere aliud teſtentur, hoc fit quia non apprehendunt tantam ſubditorum ſuorum neceſſitatem in particulari, quam, ſi apprehenderent & ſcirent, non tantùm concederent facultatem, ſed etiam urgerent.

Petes, an liceat Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare cum juriſdictione practicè & negativè dubia, ita ſcilicet ut Confeſſarius nequeat ſe in alterutram partem determinare.

Reſp. negativè; nam ſic agendo exponit ſeſe periculo faciendi Sacramentum nullum, & conſequenter committendi Sacrilegium.

In caſu tamen graviſſimæ neceſſitatis quando aliud remedium non eſſet præ manibus, poſſet ejuſmodi ſacerdos habens ſolùm juriſdictionem dubiam, ſaltem abſolvere ſub conditione; ſiquidem in talibus circumſtantiis abſtergitur omnis inordinatio quæ eſſet aliàs in actu; quippè neceſſitas facit ut actus non fiat temerè, & conditio tollit periculum irreverentiæ; nam ſi illa ſubſiſtat, ſubſiſtit quoque Sacramentum; ſi verò non ſubſiſtat, non ponitur Sacramentum. Et in tali caſu ſic adminiſtrans habet quidem juriſdictionem ſpeculativè dubiam: at poſitis illis circumſtantiis cenſetur practicè certa.

DU-

DUBIUM II.

An & qualis requiratur approbatio antequam alicui committatur poteſtas audiendi fidelium confeſſiones.

Poſt Concilium Tridentinum ut quis ſæcularium confeſſiones audiat debet eſſe ab Epiſcopo approbatus.

PRænotandum jure antiquo ante conſtitutionem Concilii Trident. parochum potuiſſe validè ſuam juriſdictionem committere cuicumque ſacerdoti etiam ab Epiſcopo non approbato: quod per Conc. Trident. eſt ſublatum ſeſſ. 23. cap. 15. his verbis, „quamvis presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant: decernit tamen S. Synodus nullum, etiam regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire nec ad id idoneum reputari niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus judicetur; & approbationem, quæ gratis detur obtineat, privilegiis & conſuetudine quâcumque, etiam immemoriali, non obſtantibus.

Petes quid ſit approbatio.

Quid ſit illa approbatio.

Reſp. eſt juridica & authentica atteſtatio de ſufficientia ſacerdotis quo ad ſcientiam, mores, prudentiam, & alia ad confeſſiones audiendas requiſita.

Porrò quod debeat eſſe juridica atteſtatio patet ex præfatis Concilii verbis: ex quo colligitur approbationem factam ab Epiſcopo excommunicato vitando, eſſe nullam; eò quod à tali pro eo tempore tollatur juriſdictio, vel ſaltem ſuſpendatur.

Colligitur quoque dictam approbationem non eſſe ſolam teſtificationem de doctrina, ſed inſuper de moribus & prudentia, quia licet quis ſit S. T. Doctor aut Licentiatus, ut habet Conc. Trid. equidem indiget approbatione, eo quod titulus Doctoris, eſto probet de doctrina, non tamen probat de moribus.

Petes, an hæc approbatio peti debeat ab Epiſcopo habente ordinem Epiſcopalem.

Epiſcopus nondum conſecratus poteſt approbare.

Reſp. non eſſe neceſſe ſed ſufficere quod ſit confirmatus; nam ut ſic, habet juriſdictionem: Epiſcopus verò ſolum nominatus aut electus, aut ordinatus quidem ſed ſolum titularis, approbare non poteſt, quia caret juriſdictione, cujus actus eſt approbatio. Capitulum tamen ſede vacante; prout & quilibet Prælatus habens juriſdictionem Epiſcopalem, eſto ipſe Epiſcopus non ſit, tamen per ſe vel ſuos Vicarios validè approbat.

Non autem ſolùm nominatus, aut electus, aut titularis.

Capitulum ſede vacante validè approbat

Petes, à quo Epiſcopo haberi hæc

Vt quis validè abſolvat debet eſſe approbatus à proprio Epiſcopo.

debeat hæc approbatio pro confeſſionibus ſecularium audiendis.

Reſp. ab Epiſcopo ipſius Confeſſarii & pœnitentis: & ratio deſumitur ex Conc. Trident. ſupra citato. Etenim inde liquet quod hæc teſtificatio idoneitatis fieri debeat ab Epiſcopis, ob curam ovium ſuarum quam habere debent, quæ requirit ut quilibet Epiſcopus ſuos Confeſſarios diligenter adaptet & formet, quos exponat pro ſalute ſuorum ſubditorum, pro quibus rationem reddere debebunt in die judicii: præterea hæc approbatio, ut diximus, eſt authenticum teſtimonium ideoneitatis, quod in non ſubditum Epiſcopus exercere non poteſt.

Paſtor omnius diœceſis qui approbatur pro alia diœceſi fit ſubditus Epiſcopi quoad hoc.

Dices, contingit nonnunquam Epiſcopum approbare ſacerdotes alterius diœceſis, ſibi non ſubditos: prout contingit dum in limitibus ſuæ diœceſis permittit presbyteros alterius diœceſis, ſubditorum ſuorum confeſſiones excipere.

Reſp. tunc ejuſmodi presbyteros, quantumvis alterius diœceſis, ipſo tamen facto quoque fieri ſubditos hujus Epiſcopi, illos pro ſua diœceſi approbantis.

Dices, approbatus in hac diœceſi poteſt abſolvere iter agentes aut peregrinos alterius diœceſis; ergo non requiritur ut approbatio obtineatur ab Epiſcopo pœnitentis.

Reſp. negando conſequentiam; quia ut ſupra dictum eſt, ejuſmodi pœnitentes & iter agentes aut peregrini, ex recepta conſuetudine, quo ad hunc actum fiunt quoque ſubditi Epiſcopi illius diœceſis in qua pro tempore degunt.

Approbatio differt à juriſdictione delegata.

Petes, an hæc approbatio ſit diſtincta à delegatione juriſdictionis.

Reſp. affirmativè; quod patet in Regularibus Mendicantibus, qui per ſua privilegia accipiunt juriſdictionem à Pontifice, & approbationem ab Epiſcopo: & ea propter ſacerdos, quantumvis in aliqua diœceſi approbatus, invalidè tamen in ea excipiet confeſſiones, ſine juriſdictione ordinaria vel delegata.

Approbatus in una diœceſi tantum non poteſt abſolvere in alia diœceſi.

Petes, an approbatus in una diœceſi nec habens beneficium parochiale, cenſeatur eo ipſo ſufficienter approbatus pro omni diœceſi, ita ſcilicet ut accedente juriſdictione poſſit utrobique fidelium confeſſiones excipere.

Reſp. neg: ſed ſi velit in alia diœceſi agere Confeſſarium, debebit quoque in illa approbari, ut fidelium confeſſiones ibidem validè excipiat: ratio deſumitur ex fine quem habuit Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 15. dum edidit conſtitutionem

Digitized by Google

titutionem ſupra mentionatam, quia ſcilicet Epiſcopi ex vi muneris & officii ſui, curam habere debent ſubditorum ſibi commiſſorum, ut deſignent & adoptent illis idoneos confeſſarios, quâ in re non ſemper debent adhibere fidem teſtimoniis aliorum Epiſcoporum, ſed poſſunt quandoque cum fundamento dubitare, ne, prout experientiâ conſtat, aliqui Epiſcopi ſint nimis faciles in admittendis quibuſvis ſacerdotibus ad confeſſiones, quantumvis etiam minus idoneis; deinde quantumvis admiſſi in aliena diœceſi, pro ea inveniantur idonei, poſſunt tamen non eſſe tales pro alia, in qua aliæ conſuetudines, alii hominum mores aut negotia, & aliæ peccatorum reſervationes vigent.

Probatur 2. ex ipſis verbis Conc. Trid. dum ait, nullum ſacerdotem poſſe confeſſiones audire niſi ab Epiſcopis approbationem accipiat: quare enim concilium utitur plurali numero, niſi quia ſacerdos plurium Epiſcoporum eget approbatione, ſi in pluribus Diœceſibus pro confeſſionibus excipiendis velit exponi.

Probatur 3. quia Regulares, prout habetur in Trid. ut prædicent verbum Dei extra ſuam eccleſiam, debent habere licentiam & approbationem ab Epiſcopis locorum, in quibus prædicare volunt; & ſi intra eccleſiam ſui conventus prædicent, debent habere benedictionem ab Epiſcopo loci, ergo quoque ut in diverſis diœceſibus audiant confeſſiones, debent à ſingulis Epiſcopis eſſe approbati; eò quod auditio confeſſionum ſit opus multò majoris momenti, quam prædicatio verbi Dei: Et eapropter non eſt credibile Conc. Trid. hanc laxitatem indulſiſſe in materia tanti momenti.

Probatur 4. ex univerſali praxi omnium Epiſcoporum, conſtantique ſollicitudine, quâ volunt examinare Religioſos, quantumvis in aliis diœceſibus aprobatos: quin imo ipſa proborum Religioſorum conſcientia hoc ipſum teſtatur, qui cum unius ſolius Epiſcopi approbatione non auderent ſeſe in omnibus diœceſibus exponere.

Approbatum in una diœceſi tantùm, non poſſe validè abſolvere in alia diœceſi declaravit Urbanus 8.

Probatur 5. quia, eſto hæc quæſtio etiam plurimis annis poſt Conc. Trid. problematicè fuerit diſputata, diverſis probabiliter aſſerentibus unam approbationem pro qualibet diœceſi ſufficere; tamen poſt bullam Urbani VIII. hoc irritantem, & editam anno 1628. deſiit affirm. eſſe probabilis: Porro Bulla ſic ſe habet. „Cum, ſicut accepimus

„ mus, aliquibus Religioſis quorumdam Ordinum ſeu congregationum, à ſede Apoſtolica „ indultum fuerit, ut Sacramentales perſonarum ſæcularium „ confeſſiones audire valeant, „ etiamſi ab Epiſcopis diœceſanis ad id examinati & approbati non fuerint: nec deſint qui „ temerè aſſeverent, hoc ipſum „ privilegium cæteris quoque „ aliorum Ordinum Regularibus „ competere, ex ampliſſimis privilegiorum communicationibus: & hinc ſaluberrimum „ S. Conc. Trid. decretum deſuper ſancitum penitus evertatur; nos huic malo opportunè „ providere volentes &c. .... „ tenore præſentium revocamus, „ caſſamus, tollimus, abrogamus, annullamus &c.

Etiam quoad Regulares, qui privilegia in contrarium prætendebant.

Et Innocentius 10.

Probatur 6. quia ſi quid adhuc probabilitatis apparentis poſt hanc Bullam Urbani VIII. ſuperfuiſſet, ſaltem poſt decretum SS. Domini Innocentii Papæ X. in cauſa Epiſcopi Angelopolitani in Indiis occidentalibus novæ Hiſpaniæ, non eſt amplius dubitandum, inquit Diana, Author licet laxiſſimus maximuſque probabilitatum Patronus, Part. 10. Tract, 14. Reſol. 23. nam, inquit, in dicto decreto Pontifex ad Dub. 9. reſpondet Regulares in una diœceſi approbatos, nequaquam poſſe in alia diœceſi confeſſiones audire, ſine approbatione Epiſcopi diœceſani, adeoque ſententiam id affirmantem non poſſe amplius probabilem vocari cum apertè pugnet contra Pontificiam declarationem, quam Pontifex inviolabiliter, ut patet ex verbis Bullæ, cum clauſula irritante, mandat obſervari.

Ita ut contraria ſententia iam non ſit probabilis.

Denique probatur ex decreto Alexandri ſeptimi ad Epiſcopum Andegavenſem, edito 30. Ian. 1659. quo prohibet & damnat quaſdam propoſitiones concernentes privilegia Regularium, ubi inter cætera damnat hanc propoſitionem tanquam falſam & ſaluti animarum pernicioſam. *Regulares Ordinum mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad confeſſiones audiendas in ſua Diœceſi, habentur pro approbatis in aliis Diœceſibus; nec novâ Epiſcoporum indigent approbatione.*

Habens beneficium parochiale cenſetur ubique approbatus.

Petes, an habens beneficium parochiale, eo ipſo cenſeatur approbatus pro omni Diœceſi; ita ut, accedente juriſdictione, poſſit etiam in aliena diœceſi fidelium confeſſiones excipere.

Poteſt tamen Epiſcopus præcipere ſuis ne tali-

Reſp. Affir. per ſe loquendo; niſi forſitan impediatur ab Epiſcopo illius diœceſis à quo non eſt approbatus; ſiquidem poteſt ille non delegare juriſdictionem ſuam ſacerdotibus à ſe

non

Digitized by Google

bus à ſe non ſpeciatim approbatis juriſdictionem delegent.

non approbatis, & prohibere ſuis Parochis ne aliis quàm à ſe approbatis, juriſdictionem ſuam delegent, imo annullare juriſdictionem aliter factam.

Petes an approbatio ſemel data poſſit revocari.

Approbatio ſemel data poteſt ab Epiſcopo revocari.

Reſp. Aff. quia res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur; ſed approbatio eſt liberè data ab Epiſcopo, ergo poteſt liberè revocari.

Probatur 2. ex praxi continua Epiſcoporum ſæpiùs approbationem revocantium.

Probatur 3. quia approbatio innititur ſcientiæ & bonitati ipſius ſacerdotis approbati, tamquã fundamento; ſed hoc eſt mutabile, nam qui doctus eſt, tractu temporis defectu ſtudii poteſt fieri indoctus; & qui bonus eſt, poteſt fieri malus; ergo approbatio innixa fundamento mutabili, poteſt mutari. Et ita certum eſt illam revocari poſſe, ob ſcandaloſam vitam perſonæ approbatæ, aut quia diſſeminat errores, defectu ſcientiæ.

Præterea, ut patet ex Bulla Pii V. quæ incipit *Romani Pontifices* conceditur Epiſcopis, ut poſſint Religioſos omnes à ſe non approbatos, revocare ad examen & conſequenter ſi, facto examine, reperiantur minus habentes, revocare ipſorum approbationem; alias enim fruſtra deberent ſubjici examini.

Religioſi ſemel approbati poſſunt revocari ad examen.

Deinde idem probatur ex decreto Alexandri 7. ſupracitato ad Epiſcopum Andeg. in quo damnat hanc propoſitionem tanquam falſam, temerariam, ſcandaloſam & erroneam.

Ubi Conc. Trid. eſt receptum non poſſunt Epiſcopi reſtringere vel limitare approbationes, quas regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas; neque illas ulla ex cauſâ revocare: quinimo ordinum mendicantium Religioſi ad eas approbationes obtinendas non tenentur, & ſi ab Epiſcopis religioſi non approbentur, rejectio illa tantumdem valet, ac ſi approbatio conceſſa fuiſſet.

Petes an injuſta revocatio approbationis, v. g. quæ facta eſt ex odio aut malevolentia, ſit valida.

Reſp. 1. in dubio ſemper præſumendum eſſe, Epiſcopum hanc revocare juſta de cauſa: ſed quid ſi certò conſtet eam eſſe ex odio revocatam?

Si approbatio injuſte revocaretur an valida eſſet revocatio.

Reſp. equidem hujuſmodi revocationem eſſe validam; nam ſicuti juriſdictio quæ fertur à delegante eſt ad nutum revocabilis ita & approbatio.

Præterea eſto in Extravaganti ſuper cathedram Bonifacii VIII. item in Clemen. *Dudum de ſepult.* habeatur oppoſitum; ſcilicet ſi Epiſcopus Regularem à ſuo præ-

lato præſentatum & manifeſtè idoneum, ſine causâ rejiciat, nec admittere velit ad confeſſiones audiendas, ipſum manere eo facto idoneum ad fidelium confeſſiones audiendas: quia imprimis dictus locus non agit de approbatione, quæ tunc temporis non requirebatur, ſed de collatione juriſdictionis, quam Pontifex in hoc caſu ſupplebat.

Præterea, eſto ibidem ageretur de approbatione, tamen iſti juri antiquo per jus novum Con. Trid. eſt derogatum, dum expreſsè aſſerit, nullum Regularem abſque Epiſcopi approbatione, poſſe confeſſiones ſæcularium deinceps excipere, non obſtantibus privilegiis quibuſcumque.

Approbatio data uſque de beneplacitum poteſt revocari etiam ſine cauſa.

Petes quid ſi Epiſcopus aliquem approbet ſive ſæcularem ſive regularem, uſque ad beneplacitum ſuum, an poterit ſine causâ ejuſmodi approbationem revocare.

Reſp. Aff. quia talis approbatio datur cum omnimoda dependentia & libera voluntate Epiſcopi, à quo conſequenter poterit tolli.

Obtinens beneficium curatum eſt approbatus à jure.

Petes, an obtinens beneficium cui cura animarum annexa eſt, egeat ulteriori approbatione.

Reſp. neg. quia eo ipſo cenſetur approbatus à jure, prout patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 5.

Petes an poſſit Epiſcopus Parochum aliquem revocare ad examen, ut certior fiat an ſit idoneus.

Poteſt Epiſcopus parochū ad examen revocare, ſaltem ſi ſubſit ſpecialis ratio.

Reſp. Aff. quod imprimis certum eſt, quando improba illius vita, aut defectus ſcientiæ adeo eſt notorius, ut nullatenus poſſit celari, nam tunc errores admiſſi & fama publica ſeſe habent tamquam accuſatores ipſius parochi; quibus cognitis, jus habet Epiſcopus illum evocandi ad ſuum tribunal eumque examinandi, & minus ſufficientem repertum, poterit illum vel ab officio ſuſpendere, vel illi aſſignare coadjutorem, pro ut conſtat ex Trid. ſeſſ. 21. c. 6. de Reform. his verbis, „quam illiterati & imperiti Parochialium eccleſiarum Rectoris ſacris minus apti ſunt officiis; „& alii propter eorum vitæ turpitudinem potius deſtruunt „quam ędificant; Epiſcopi etiam „tanquam Apoſtolica ſedis delegati, iiſdem illiteratis & imperitis, ſi aliàs honeſtæ vitæ „ſint coadjutores aut Vicarios „pro tempore deputare, facultatem habeant.

Epiſcopi jure divino tenentur advigilare ad capacitatem & aptitu-

Quibus verbis præcepit Con Trid. Epiſcopis id ad quod jure divino naturali obligantur: nam cum jure divino naturali obligentur Epiſcopi dignos ſibi coadjutores comparare, qui pabulum verbi Dei & doctrinæ ſanæ ovibus

dinem ſuorum Paſtorũ.

ovibus ſuis convenienter adminiſtrent: eodem quoque jure obligantur indignos repellere, ne veneno, loco ſalutaris cibi, contingat oves illas interfici; ac proinde væ Epiſcopis, ineptos & illitteratos Paſtores aut confeſſarios foventibus & permittentibus.

Poteſt Epiſcopus ad examen revocare etiam parochũ à ſe approbatũ.

Petes, an poſſit Epiſcopus revocare ad examen aliquem à ſe ante approbatum, ſive parochum ſive regularem, eſto nulla præceſſerit infamia imperitiæ aut malæ vitæ, idque ut tantùm experiatur an ſit ſufficiens.

Et ſi non præceſſerit infamia.

Reſp. Aff. quia ut ſupra diximus, fundamentum approbationis, quod eſt ſcientia & boni mores, eſt mutabile; ergo poterit Epiſcopus per examen experiri, an ſcientia vel boni mores in eo ſint immutati: præterea jus habet Epiſcopus, ſingulis annis viſitandi ſuas parochias, ut patet ex Trid. Seſſ. 21. cap. 8. adeoque jus habet inquirendi in parochorum mores, quare ergo ſimiliter non poterit inquirere in ipſorum ſcientiam, quandoquidem Concilium hanc poteſtatem aſſignet Epiſcopis, ut diſcutiant an animarum cura rectè exerceatur.

Dices, quando parochus aut confeſſarius non laborant infamiâ inſcitiæ aut malæ vitæ, præſumendi ſunt ſufficienter capaces; quin imo eſto capacitas illorum eſſet dubia, veniret in meliorem partem interpretanda, juxta regulam juris.

Quo ſenſu dubia dicantur in meliorem partem interpretanda.

Reſp. dubia perſonarum eſſe in meliorem partem interpretanda, quando non agitur de damno tertii vitando aut remedio adhibendo; etenim quando de illis agitur, tunc dubia illarum in deteriorem partem veniunt interpretanda, non ita tamen quaſi abſolutè poſſimus judicare aliquem abſolute eſſe malum, ſed judicando ita exteriùs nobis cavendum, ac ſi dubia eſſet illius hominis probitas aut ſcientia; & hoc modo agere ſolemus cum hominibus nobis ignotis, & ita nobis ipſis cavemus, ac ſi dubia eſſet eorum probitas, nullo tamen modo judicando illos eſſe abſolutè improbos.

Poteſt Epiſcopus ex cauſa dare approbationem tam Regularibus quã ſæcularibus cum limitatione.

Petes, an poſſit Epiſcopus juſta interveniente causâ tam regulares quam ſæculares approbare cum limitatione.

Reſp. Aff. nam ſicuti eos inventos abſolute minus habentes, poteſt rejicere, ita quoque inventos per omnia idoneos poterit ad tempus approbare; quod patet ex univerſali praxi Epiſcoporum & ſignanter Italiæ, qui nonnumquam regulares, quamtumvis maximè idoneos, tamen propter mino-

minorem ætatem tantum approbant ad confeſſiones virorum nona utem mulierum,audiendas.

Petes, an Epiſcopus poſſit ſæcularibus vel regularibus denegare approbationem, ex hâc ſolâ cauſâ, quia habet confeſſarios ſuperfluos; adeoque quia non judicat plures aſſumendos.

Poteſt Epiſcopus aliquos etiã capaces non approbare, ex eo quod ſint Confeſſarii ſuperflui in diœceſi.

R.aff. pro ut patet ex Clement. *Dudum de ſepult*: in qua dicitur, ſed numerus perſonarum aſſumendarum ad hujuſmodi officium exercendum, eſſe debet, pro ut univerſitas cleri & populi multitudo vel paucitas exigit eorundẽ.

Et eapropter Epiſcopo alleganti ſuperfluitatem confeſſariorum oportet credere, non ſecus ac duci exercitus recuſantis ſuppetias ſibi oblatas; eſt enim Epiſcopus princeps ſuæ Diœceſis, ad quem ſpectat aſſumere tot milites ſpirituales, quot opus habet,

Petes, an Regularis ab uno Epiſcopo approbatus, poſſit ſaltem in alia diœceſi, in qua non eſt approbatus, audire confeſſiones, interea dum per illam iter agit, aut tam diu quàm ob negotia ſua in ea commoratur.

Regulares approbati tantùm in una diœceſi non validè abſolvunt in alia diœceſi dum per eam iter faciunt.

Reſp. hoc quidem privilegium conceſſum eſt Patribus Societatis, pro ut refertur in compendio privilegiorum, verbo Confeſſarius. Ubi ſic habetur. „ *Confeſſarii noſtri & prædicatores ab* „ *aliquo ordinario ſemel approbati, & à ſuis ſuperioribus ad hujuſmodi mu-* „ *nera deputati, quandocumque ſive* „ *mari ſive terra iter faciunt, poſſunt* „ *non repugnantibus tamen curatis* „ *Parochialium Eccleſiarum, verbum* „ *Dei prædicare, & quorumcumque* „ *Chriſto fidelium confeſſiones audire,* „ *dummodo id non faciant in oppidis,* „ *in quibus ordinarie exiſtunt.* „ Et hoc privilegium ſibi per communicationem attribuunt alii religioſi.

Quod ſanè nullius valoris eſſe, adeoque ſine ſacrilegio à quibuſcumque religioſis uſurpari non poſſe, probatur partim ex bullâ Urbani VIII. quæ incipit *cum, ſicut accipimus* ſupra relatâ, quâ revocat omnia privilegia aliàs conceſſa religioſis, circa confeſſiones ſæcularium, partim ex Concilio Trident. ſeſſ. 13. cap. 15. ſupra citato, cui Pontifex non cenſetur velle derogare, niſi cum clauſulâ derogatoria, ipſius Conc.Trid.interminis mentione facta hoc exprimat, pro ut communiter cenſent Doctores, ob eminentiam & authoritatem dicti Concilii. Quam tamen clauſulam derogatoriam Pontifex in dicto privilegio non adhibuit.

Petes, an regulares ab Epiſcopo approbati poſſint validè audire confeſſiones ſæcularium etiã ſacer-

ſacerdotum ſine prævia licentia ſuorum ſuperiorum.

Reſp. negativè, quia ad hoc indigent juriſdictione, quam mediante voluntate ſuperiorum accipiunt à Pontifice. Et eapropter, præter peccatum mortale, quod committunt in re gravi, utentes ſua voluntate, independenter à voluntate ſuperiorum, inſuper admittunt ſacrilegium, invalidè Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrando.

Petes, an Confeſſarius limitatè tantùm approbatus pro ſæcularibus vel pro pagis, non autem pro monialibus, poſſit virtute Bullæ Jubilæi, eligi à monialibus, Epiſcopis jure ordinario ſubjectis, ad audiendas ipſarum confeſſiones.

Reſp. negativè, eò quod illarum reſpectu non ſit approbatus, & approbatio tanquam conditio ſine quâ non, purè requiratur ad validè abſolvendum.

Poſſunt Regulares ſine approbatione Epiſcopi abſolvere ſuos regulares.

Petes, an regulares poſſint audire confeſſiones ſuorum regularium ſine approbatione Epiſcopi.

Reſp. affirmativè; ut patet ex Trident. ſupra citato, quod tamen facere nequeunt, ſine licentiâ ſuorum Prælatorum, eò quod Tridentinum circa confeſſiones religioſorum, nihil innovet quod ad jus antiquum, quo requiritur licentia Prælati.

Regulares non approbati ab Epiſcopo non poſſunt abſolvere laicas perſonas in monaſterio degentes.

Petes, an ſicuti religioſi ſine approbatione Epiſcopi, poſſunt excipere confeſſiones ſuorum religioſorum, ita quoque poſſint excipere confeſſiones famulorum ſuorum ſæcularium, aut alumnorum ſibi cohabitantium; item admiſſos ad religionem ſed necdum novitios.

Reſp. negativè, quod patet ex Bullâ Urbani VIII. ſupra citata; item ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15.

Poſſunt tamen abſolvere novitios ſui ordinis.

Petes, an Confeſſarius novitiorum in aliquâ religione debeat ab Epiſcopo eſſe approbatus ad abſolvendos novitios.

Reſp. negativè, quia novitii in favorabilibus, pro ut eſt poſſe abſolvi, veniunt nomine religioſorum.

Petes, cui Confeſſario poſſit confiteri religioſus iter agens.

Religioſus extra monaſterium quandoque poteſt abſolvi à ſacerdote ſæculari etiam non approbato.

Reſp. ſi careat ſacerdote ſui ordinis, poterit confiteri (niſi ſuperior aliter reſtrinxerit) cuicumque ſacerdoti ſæculari, etiam non approbato; quia decretum Tridentini, requirens approbationem Epiſcopi non extendit ſeſe ad confeſſiones religioſorum aut religioſarum. Hoc tamen certum eſt, confeſſarium monialium Epiſcopo ſubjectarum, debere ab Epiſcopo ad hoc eſſe approbatum, quippe cum ſine

ne approbatione tanquam conditione ſine quâ non detur illi juriſdictio.

QUÆSTIO III.

De qualitatibus in ſacerdote requiſitis ad dignam adminiſtrationem Sacramenti.

Virtus, ſcientia, & prudentia, ſunt tres qualitates requiſitæ in confeſſaria.

S. Thomas opuſc. 65. de Officio Sacerdotum, omnes qualitates in Confeſſario requiſitas ad condignam Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, reducit ad tres, ſcilicet virtutem ſeu bonitatem 2. ſcientiam 3. prudentiam. Quibus proinde impetrandis jugiter tum precibus, tum ſtudiis inſiſtere debet Confeſſarius. Nam ſi temerarium ſit aggredi officium judicis, medici, aut Conſiliarii abſque qualitatibus ad ejuſmodi munia requiſitis, certè multo periculoſius erit ſuſcipere munus Confeſſarii, utique Angelicis humeris formidandum, ſine his tribus recenſitis qualitatibus; nam quò anima eſt excellentior corpore, eo error circa ejus curam commiſſus, pernicioſior eſt quàm qui circa bona corporis aut fortunæ committitur.

DUBIUM I.

Quæ bonitas ſeu virtus ſit Confeſſario neceſſaria.

Confeſſarius ut dignè abſolvat debet eſſe in ſtatu gratiæ.

Dico 1. certum eſt ad officium Confeſſarii dignè & ſine ſacrilegio obeundum, eam ſanctitatem eſſe neceſſariam, quæ conſiſtit in gratia ſanctificante, ita ut graviſſimè peccet confeſſarius, qui ſibi conſcius peccati mortalis, præſumit confeſſiones excipere; in cujus rei ſignum, Chriſtus ante illa verba, quibus tradidit poteſtatem Apoſtolis Joannis 20. præmiſit *accipite Spiritum Sanctum*, ut illi intelligerent, priùs in ſe Spiritum Sanct. debere habere, quàm accederent ad dimittenda aliorum peccata in Sacramento Pœnitentiæ.

Itaque ante omnia invigilare & curare debet Confeſſarius, ut omni tempore habeat conſcientiam immunem cum Dei gratiâ à gravioribus peccatis, eò quod ſit in continua quaſi occaſione adminiſtrandi illius Sacramenti Pœnitentiæ, quod in mortali exiſtens ſine graviſſimo ſacrilegio adminiſtrare non poteſt, adeoque meminerit ſeſe eſſe medicum, qui primò curare debet ſe ipſum, antequam accingat ſe curandis aliis, nec adeo ſtultè procedat

Digitized by Google

procedat, ut dum alios ſanitati reſtituit, ſemetipſum mortaliter lædat; nec ita deliret ut iiſdem clavibus quibus aliis cœlum aperit, ſibi illud occludat.

In mortali exiſtens tot peccata committit quot perſonas abſolvit.

Attendat, quod poteſtas ipſi data ad remittenda peccata, contra ipſum clamabit in die judicii ſi priùs non curet ſibi remitti peccata; in quem finem frequenter ſibi imprimat verba Salvatoris Matth. 16. .... *Quid proderit homini ſi univerſum mundum lucretur animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* Si quidem ſi in mortali hoc Sacramentum adminiſtret, tot peccata mortalia committit, quot perſonas in ſtatu peccati mortalis abſolvit.

Validè abſolvit miniſter in ſtatu peccati mortalis.

Dico 2. ad validam tamen Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, non eſt neceſſaria virtus aut bonitas Confeſſarii: quod probatur ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 6. ubi ait, „Docet quoque, etiam ſacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus S. in ordinatione collatam, tamquam Chriſti miniſtros, functionem remittendi peccata exercere; eoſque pravè ſentire qui in malis ſacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt.„ Quia nimirum per malum miniſtrum non contaminatur Chriſti donum, non plus quam per malum famulum eleëmoſyna pii Domini.

Virtus caſtitatis confeſſariis neceſſaria.

Porro ultra ſtatum gratiæ pius Confeſſarius jugibus precibus inſtare debet pro impetranda virtute caſtitatis, patientiæ, & humilitatis; cum enim omnis caro fere corruperit viam ſuam, cogitur per ſępe in confeſſionibus audire aliqua peccata contra caſtitatem commiſſa, quibus niſi amore hujus virtutis emineat, facile inquinabitur & ſuccumbet; ac eapropter frequenter attendat ſibi dici à Chriſto *vos eſtis lux mundi* ita ſcilicet, ut ſicuti lux ſolis ſordidas quaſque cloacas ingreditur abſque eo quod ſeſe contaminet, quinimo & illas quoque expurgat: ita quoque ſacerdos fœdas conſcientiarum lacunas ad inſtar lucis ingredi debet, abſque ſui contaminatione, quin & cum earum expurgatione; ob quem finem Eccleſia conſtituit, ut ſacerdotes quoque ſeſe voto caſtitatis obſtringerent, non ſolùm ob ſummam, quam exigit ſacrificium corporis & ſanguinis Domini puritatem, ſed etiam ob majorem reverentiam & reſpectum adminiſtrandi Sacramenti Pœnitentiæ.

Item virtus patientiæ & manſuetudinis.

Quia verò plurimas quandoque moleſtias confeſſario affert, aliquorum pœnitentium importuna, ſcrupuloſa, melancholica,

Digitized by Google

aut alia mala conditio, ideo quoque Confeſſario opus eſt magnâ patientiâ & manſuetudine, ut hujuſmodi animas vincat & in Chriſto ſibi devinciat; ac eapropter intelligat ſibi datas eſſe claves regni Cœlorum, non ut eas otiosè ad cingulum portet, ſed ut eas ſuper humeros collocet, cum enim ſint valde ponderoſæ, indigent robuſtis humeris: meminerit proinde confeſſarius, paſtorem illum qui perditam ovem quærebat, eam non baculo percuſſiſſe ex impatientia ob labores pro eâ inveniendâ & quærendâ impenſos, ſed illam humeris ſuis impoſuiſſe; & inde intelligat onera peccatorum, quæ à pœnitentibus adferuntur, cum patientia & manſuetudine à ſe ſæpe eſſe portanda.

Et virtus humilitatis. Porro cum ejuſmodi gravia pœnitentium peccata audiuntur, nonnunquam in corde Confeſſarii ſolet inſurgere quidam contemptus adverſus hujuſmodi pænitentes, aut ventus inanis gloriæ de ſe ipſo, eo quod hujuſmodi crimina non commiſerit; idcirco Confeſſarius quoque opus habet virtute humilitatis, in qua ut ſeſe contineat, recogitet illam ipſam animam pænitentem genibus ſuis advolutam innumeris licet contaminatam peccatis, forſitan eſſe vas electionis, & à Deo prædeſtinatam; ſe verò forſitan à Deo reprobatum, cujus judicia ſunt abyſſus multa: inſuper ſerio recogitet, cum S. Auguſtino nullum eſſe peccatum quod facit unus homo, quod non faceret alter homo, niſi juvetur ab eo, à quo factus eſt homo.

DUBIUM. II.

Quæ ſcientia Confeſſario ſit neceſſaria.

In confeſſario requiritur ſcientia. SIcuti nemo, ſine gravi peccato, judicis, medici, aut Conſiliarii munus in ſe ſuſcipere poteſt, qui non habet competentem & reſpectivè officio ſuo ſufficientem ſcientiam, ob periculum cui ſeſe exponit obligationi ſuæ non ſatisfaciendi: pariformiter ſine graviſſimo peccato officium Confeſſarii à nemine ſuſcipi poteſt, qui ejuſmodi officio competentem non habet ſcientiã quippe qui in tribunali pœnitentiæ judicis, medici, Paſtoris, item Conſiliarii perſonam repræſentare cogatur: nec ſolùm peccat graviter ipſe ſacerdos ejuſmodi officium Confeſſarii ſine competenti doctrinâ ſubiens, ſed ejus ſuperior, qui illum inſufficientem ad ejuſmodi munus admittit; ſicut & is cui examen illius commiſſum eſt, graviter quo-

Peccant graviter indocti inſcipientes munus confeſſarii.

Uti & ſuperiores examinatores &c. illos admittentes.

quoque peccat, ſi indignum ad hoc munus approbet.

Petes, quanta per ſe loquendo in Confeſſario requiratur ſcientia ut ſaltem poſitive habeatur ſufficiens.

Quanta & quorum ſciẽtia requiratur in confeſſario.

Reſp. ut ſciat primò differentiam inter peccatum mortale & veniale, & hoc in ſingulis præceptis, ſaltem communi & ordinario modo, quamvis non ſemper in individuo.

Generalia quadam capita, quæ ſcire debent omnes confeſſarii.

2. Ut ſciat non ſolùm actum externum, ſed etiam actum internum etſi ſolus ſit, eſſe peccatum mortale, vel veniale, pro ratione objecti.

3. Ut ſciat circumſtantias, non tantùm ſpeciem mutantes, ſed & notabiliter aggravantes eſſe in confeſſione explicandas.

4. Primos motus, prout & leves negligentias in illis ſtatim reprimendis, non eſſe peccata mortalia.

5. Ut ſciat diſtinctionem ſpecificam, item numericam peccatorum, & undenam illa deſumatur.

6. Quænam peccata habeant annexam obligationem reſtituendi.

7. Quinam caſus Pontifici, item Epiſcopo ſuo diœceſano ſint reſervati.

8. Ut ſciat cenſuras à quibus ipſe non poteſt abſolvere, quæ frequenter ſolent accidere.

9. Ut calleat formam & naturam uſitatiorum contractuum & præſertim Sacramenti Matrimonii.

10. Ut ſciat quænam diſpoſitiones in pœnitente ſint requiſitæ, tam ex parte doloris quam ex parte efficacis propoſiti, ut ſit abſolutionis capax.

11. Quandonam ſint iterandæ confeſſiones præteritæ.

12. Ut calleat modum interrogandi pœnitentes præſertim circa credenda neceſſitate medii ad ſalutem; Item quæ ſint occaſiones proximæ peccatorum.

13. Scire etiam debet quædam particularia pertinentia ad ſingulos ſtatus: prout & reliqua omnia quæ ad conſummandum hoc judicium ſacramentale ſunt neceſſaria: & eapropter Cajetanus non excuſat confeſſarium à peccato mortali, qui horum aut ſimilium ignorantia laborat.

Notandum tamen quod confeſſarius, ut præcisè habeatur ſufficiens, non debeat ſupradicta omnia ſcire exactè & perfectè, ſed ſufficit quòd hæc calleat mediocriter, ita ut ſciat prudenter dubitare; nam ſi dubitet, poterit vel legendo libros, vel recurrendo ad viros ſe doctiores ſcire in particulari quid eum oporteat facere: quod, ni ſuffi-

Digitized by Google

ceret, vix aliquis reperiretur ad audiendas confeſſiones idoneus.

Petes, an æqualis ſcientia ſemper requiratur in omnibus confeſſariis.

In confeſſariis pro ratione loci aut perſonarum pro quibus ſunt expoſiti, majorem aut minorem debent habere peritiam

Reſp. negativè, nam ſicuti major requiritur experientia in Doctore Medico pro ut & major peritia in Advocato qui gravioribus morbis vel cauſis præficiuntur; ita quoque major requiritur ſcientia in ſacerdotibus, qui in civitatibus, in quibus perplexi & intricati nonnumquam caſus contingunt, excipiunt confeſſiones, quàm in illis qui audiunt confeſſiones ruſticorum: ita quoque major requiritur ſcientia in confeſſario expoſito ad omnium promiſcuè fidelium confeſſiones audiendas, prout ſunt Paſtores & Religioſi, quàm in illo qui aliquarum tantùm particularium confeſſiones audit: Item major ſcientia circa cenſuras & irregularitates requiritur in confeſſario audiente confeſſiones ſacerdotum, quam in eo qui deputatur ad confeſſiones mercatorum audiendas, qui potiſſimum debet eſſe verſatus in materia contractuum.

Petes, an confeſſarius ſit inter confitendum obligatus attendere ad ipſa peccata.

Tenetur confeſſarius attentè audire peccata pœnitentis.

Reſp. affirmativè; nam cum hoc Sacramentum exerceatur per modum judicii; ſicuti judex debet cognoſcere cauſam, ita quoque confeſſarius debet cognoſcere peccata; non tamen eſt neceſsè, ut poſt quodlibet auditum ferat cenſuram an ſit mortale an veniale, quod ſæpe eſt impoſſibile: & quod, ſi abſolutè requireretur, vix aliquis reperiretur idoneus ad excipiendas confeſſiones.

Non tenetur tamen ſemper de ſingulis judicare determinatè an venialia ſint an mortalia

Petes, quid ſi pœnitens in ſua juventute confeſſus ſit aliquod peccatum, quod tam ipſe tunc quàm ejus confeſſarius putabat eſſe peccatum veniale, ſed argutior factus putavit eſſe mortale, an denuo teneatur illud confiteri.

Reſp. neg. quia pœnitens ut ſuppono ſufficienter manifeſtavit actum ſuum, nec requiritur determinatum judicium an illud ſit mortale an veniale. Secus dicendum foret, ſi pœnitens peccatum aliquod confeſſus ſit ſub dubio; nam poſtmodum certior factus tenebitur illud denuò confiteri.

DUBIUM III.

Quænam prudentia ſit confeſſario neceſſaria,

Prudentia confeſſaria neceſſaria.

QUia confeſſarius, ut diximus, in tribunali pœnitentiæ, non tantum exercet officium judicis, verum etiam patris ſpiritualis, medici

ized by Google

non ſolum ad bene judicandū, ſed etiam ad bene conſulendum pœnitenti.

medici, & conſiliarii, idcirco ultra prudentiam judicialem requiſitam ad ferendum ſententiã, neceſſaria illi quoque eſt prudentia patris, medici, & Advocati prout habetur cap. *Omnes utriuſque ſexus*; de Pœnit. & remiſſ. his verbis „ ſacerdos autem ſit „ diſcretus, & cautus; & more „ periti medici ſuperfundat vi- „ num & oleum vulneribus „ ſauciati, diligenter inquirens „ & peccatoris circumſtantias & „ peccati, quibus prudenter in- „ telligat quale debeat ei præbe- „ re auxilium, & cujuſmodi „ remedium habere, diverſis „ experimentis utendo ad ſalvan- „ dum ægrotum.

Ex quibus quidem verbis licet intelligere, ejuſmodi prudentiam ſeu ſcientiam practicam conſiſtere in notitia adhibendi particularem induſtriam, ad ita dirigendos pœnitentes, ut ex filiis diaboli efficiantur filii Dei. Et quidem quatenus ſubit officium judicis. debet habere prudentiam requiſitam ad pœnitentias peccatis commiſſis proportionatas imponendas, & ad formandas interrogationes congruas, quibus juvetur pœnitens, ad totum animæ ſuæ ſtatum integrè patefaciendum. Quatenus verò agit officium patris ſpiritualis, ea illi prudentia eſt neceſſaria quâ pœnitentem ritè diſponat ad contritionem & deteſtationem peccatorum, quâque cautè & diligenter exploret propoſitum ipſius pœnitentis, an verè ſit efficax, & quâ noverit illi providere ad præcavendas peccatorum recidivas.

Porro quatenus exercet officium medici ſpiritualis, eget illâ prudentiâ, quâ juxta diverſam diſpoſitionem pœnitentes vel Dei timore & pœnis inferni percellat, vel ſcrupulis & anxietatibus inquietatum propoſita Dei benignitate tranquillet; & inſuper quâ ea ſuggerat remedia quæ conducant augendæ ſanitati ſpirituali ipſius pœnitentis.

Denique quatenus agit partes conſiliarii, ea eget prudentiâ quâ pœnitentem rudem in myſteriis fidei dirigat, illumque doceat omnia ea quæ ſunt creditu neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem: prout & modum extirpandi pravos habitus, & proficiendi in virtutibus. Præterea, cum ſit ars artium regimen animarum ſpectat quoque ad prudentiam confeſſarii animi præparatio, cum qua ſe ad opus tanti momenti, quale eſt confeſſiones audire, accingat; quæ inchoatur ab oratione ad Deum pro imploranda Spiritus Sancti gratia dicendo, *da mihi Domine ſedium*

dium tuarum aſſiſtricem ſapientiam mitte illam de cœlis ſanctis tuis, ut mecum ſit & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te.

2. Debet in confeſſario elucêre paterna quædam ſpiritualis gravitas, ita ut nihil in vultu, geſtu, aut motu corporis videatur quod dedeceat virum maturum: unde S. Thom in 4. ſent. diſt. 17. „ Confeſſarius, inquit, „ debet eſſe affabilis, ſuavis, pru„ dens, diſcretus, mitis, pius, „ benignus, „ pœnitentes benignè & comiter excipiendo, graviſſimis peccatis obſtrictis & pœnè deſperabundis divinam clementiam offerendo, dummodo peccati virus ſincerè evomant ſummâ arte & induſtriâ enitendo ne quid præ pudore aut verecundia ſubticeant.

Qualiter ſeſe habere debeat Confeſſarius inter audiendum confeſſiones.

3. Audire debet pœnitentem ab initio uſque ad finem benignè, & patienter, & cum illa dexteritate, ut eum non turbet: caveat proinde, ne, audito uno alterove peccato graviori in ipſo limine confeſſionis, ſtatim incipiat illa exaggerare & pœnitentem objurgare; quia hoc modo occludet os pœnitenti ne graviora adhuc, quæ habet, peccata confiteri audeat; ſed permittat eum proſequi confeſſionem ſuam uſque ad finem: deinde interroget prudenter quæ ſunt interroganda, quæque veroſimile eſt pœnitentem commiſiſſe: & ubi inter confitendum aliqua graviora & extraordinaria peccata audierit, nulla ſigna admirationis, abominationis, aut pavoris oſtendat, ſive ſpuendo, ſive ſe cruce ſignando, ſive alios geſtus exhibendo; ſed potiùs, ac ſi nihil audiret, patienter hæc differat uſque ad finem, & tunc in Spiritu lenitatis & modeſtiæ Chriſtianæ dicat quæ dicenda ſunt, & ſuppleat quæ ſupplenda: caveat autem poſt confeſſionem auditam triſtiorem aut acerbiorem vultum exhibere pœnitenti, aut oſtendere aliqua ſigna quæ contemptum redoleant, unde vel ipſi pœnitenti peccati exprobratio, vel aliis ſuſpicio aliqua peccati ſuboriri poſſet. Ubi tamen opus erit, ſit Confeſſarius quoque fortis & generoſus, nec revereatur vultum potentis, ſed meminerit ſe cauſam Dei agere, non ſuam: & propterea ſi vel vir vel fæmina nobilis, aut quiſpiam amicus confiteatur, habeat præ oculis gloriam Dei, & ad illum ſcopum omnia ſua prudenter dirigat.

Pro coronide notet prudens Confeſſarius plurima, eaque graviſſima in audiendis confeſſionibus poſſe committi peccata:

Digitized by Google

ta: caveat proinde ne ſe aliquo ſacrilegio inficiat, per ignorantiam vincibilem, imprudentiam, omiſſionem neceſſariæ interrogationis, non præceptæ reſtitutionis, aut quid munere ſuo indignum, ex timore aut reſpectu humano committat: & quia res quæ in confeſſione tractantur quandoque ſunt ſordidæ & impudicæ, omnem cautelam adhibeat, ut tam ipſe quam pœnitens verbis honeſtis & decentibus utatur, ne alioqui tam ſibi quàm pœnitenti ſcandalum creet

DUBIUM IV.

De prudentia Confeſſarii in examinando pœnitente.

An ad Confeſſarium pertineat examinare pœnitentes.

PEtes, an Confeſſarius obligetur examinare pœnitentem.

Reſp. per ſe loquendo, negativè, quia exercet officium judicis, cujus non eſt tam examinare quam judicare: unde ſi prudenter poſſit judicare pœnitentem integrè confiteri, non tenetur ad examen; quia tunc illud erit inutile, quin & oneroſum pœnitenti: quod ſi tamen cognoſcat, aut prudenter præſumat, pœnitentem ſe non ſufficienter explicare, idque vel ex negligentia, verecundiâ, vel ignorantia, vel aliunde, tunc vel debet illum dimittere ad conſcientiam ſuam accuratiùs examinandam ſi capax ſit; vel certè ſi velit abſolvere, debebit per interrogationes defectum examinis ſupplere. Et ratio eſt quia integritas confeſſionis eſt neceſſaria, ut pœnitens ſit capax abſolutionis; & eapropter incumbit Confeſſario ſupplere id quod pœnitenti deeſt, ne alioqui impendat abſolutionem indigno; ita ut Confeſſarius ſæpe per accidens obligetur inſtituere hoc examen, ſub peccato mortali, ſi velit pœnitentem abſolvere.

Si deprehendatur pœnitens non exactè confiteri, non ſemper ideo dimittendus.

Petes, an expediat pœnitentes non integrè confitentes dimittere ad conſcientiam ſuam accuratiùs examinandam.

Reſp. ſi hujuſmodi pœnitens ſit ruſticus, ſimplex & nullius capacitatis, talem non debere dimitti, eò quod experientia conſtet, ejuſmodi homines, vel non reverti vel certè defectu capacitatis, æquè imparatos reverti; qui proinde modico præmiſſo examine poſſunt audiri, eò quod vix ſint capaces ad propriam conſcientiam diſcutiendam; quorum defectum debebit Confeſſarius ſupplere; nec ejuſmodi cenſentur indignè accedere ad confeſſionem, ſi accedant animo reſpondendi ad interrogata Confeſſárii: & certè in ſimilibus idiotis magnam partem diligentiæ

ligentiæ ſupplet voluntas qua volunt examinari.

Quod ſi tamen pœnitens ſit alicujus capacitatis etiamſi ſit ruſticus, ita ut poſſit enarrare aliqua peccata, ſed non omnia, tunc Confeſſarius debet illum primò patienter audire, & dein illum interrogare, quod poſtulat ratio judicii & medicinæ; nempe ut reus primò ſe accuſet & ægrotus indicet medico ubi ſibi doleat; accedit quod paulatim ejuſmodi pœnitens diſcet methodum ſe accuſandi; & eapropter non eſt interrogandus donec confeſſus fuerit quæ potuit.

Porro ſi pœnitens ſit ſufficientis capacitatis, & à multo tempore non confeſſus & gravatus plurimis peccatis, tunc benignè oportebit illi ſuadere ut conſcientiam ſuam prius ipſe examinet, & demum poſt aliquot dies revertatur.

Quid agendum cum iis qui de nullo ſe accuſant, niſi interrogati.

Petes, quid faciendum cum illo pœnitente qui venit ad confeſſionem nihil ſuâ ſponte volens confiteri niſi interrogetur.

Reſp. ejuſmodi pænitentem per ſe loquendo eſſe indiſpoſitum ad abſolutionem: nam qui nihil vult confiteri niſi interrogetur, perinde ſe habet ac ille qui vult tacere peccata de quibus non interrogatur: quod ſi tamen ſit perſona ſimplex & ruſtica ferè incapax ad propriam conſcientiam examinandam, tunc prudens Confeſſarius ejuſmodi defectum per interrogationes debet ſupplere.

Qualiter Confeſſarius tales examinare debeat.

Petes, quomodo Confeſſarius ſupplebit illud examen.

Reſp. diſcurrendo per præcepta decalogi, deinde per præcepta Eccleſiæ, deinde per illas obligationes quæ propriè perſonam pœnitentis concernunt, deinde & ante omnia eſt interrogandus à quo tempore ſit ultimò confeſſus & an validè.

Porro in ejuſmodi examine inſtituendo, caveat prudens Confeſſarius à curioſis petitionibus & impertinentibus ad ſpeciem, numerum, & notabilem peccatorum gravitatem: nec priùs interroget, quod adhuc ante inſinuavimus, niſi poſtquam pænitens peccata ſua pro modulo ſuo explicaverit; nec petat inſolitas peccatorum ſpecies, ne pœnitentem doceat quę ignorat; prout nec illa de quibus moraliter certum eſt quod pœnitens ea non admiſerit: caveat quoque nè per curioſas aliquas petitiones det pœnitenti occaſionem peccandi, adeoque utrobique ſit memor honeſtatis & verecundiæ, & ſi quandoque aliqua peccata turpia & inhoneſta ſint explicanda & enarranda, illud fiant verbis honeſtis & decentibus:

centibus: maximè autem caveat ne circa peccata carnis ſtatim deſcendat ad particularia, ne ſibi & pœnitenti laqueum injiciat.

Petes, quomodo ergo prudens Confeſſarius examinabit aliquam filiam circa materiam caſtitatis.

Reſp. procedere debet à generalibus ad minus generalia, & dein ad particularia, dum prudenter præſumit latere aliquod peccatum contra caſtitatem v. g interrogando an quandoque non audiverit narrari aliqua impudica: ſi reſponderit affirmativè, illam ulterius interroget, an inde non conceperit aliquas cogitationes inhoneſtas, & an eiſdem non fuerit oblectata: quod ſi reſponderit quod ſic, ulterius interroget circa quas perſonas, & qualis ipſa ſit an libera, an voto caſtitatis obſtricta: dein ulterius interroget an non proceſſerit ad aliquem actum impudicum externum. Quâ reſpondente affirmativè; ulterius petat, cum qua perſona, an ſecum per tactus impudicos, aut peccatum contra naturam, an cum aliqua perſona commiſſum fuerit in ſua ſpecie completum, v. g. an fuerit ſecuta fornicatio, an incœſtus, adulterium &c. an vero ſoli tactus impudici; & quoties.

Modus examinandi mulieres in materia venerea.

In hoc puncto, præſertim in materia caſtitatis pœnitentes examinando admiranda eminuit induſtria Doctiſſimi viri Joannis Gerſon Cancellarii Pariſienſis, prout patet, ex parte 2. operum ejus tract: de art. audiendi Conf. conſiderat. 14. quem prudens Confeſſarius imitetur; defectu cujus prudentiæ & induſtriæ in Confeſſariis provenit quod mundus tot enormibus criminibus ſcateat, quia nimirum nec pœnitentes nec Confeſſarii curam adhibent ut occultiora peccata per diligens examen ad confeſſionis tribunal revocentur, adeoq; quod perfunctoriè & invalidè confeſſiones perſæpè inſtituantur.

Petes, an confeſſarius obligetur pœnitentem interrogare, ſi animadvertat ipſum poſt præmiſſum examen aliquod peccatum ommittere, vel illius obliviſci.

Confeſſarius advertens defectum integritatis cōfeſſionis debet pœnitentem examinare.

Reſp. per ſe loquendo affirmativè, eò quod illius muneris ſit & obligationis curare integritatem Sacramenti; quod certum eſt, ſi pœnitens per ignorantiam vincibilem ſit in ſtatu per ſe malo: quod ſi vero pœnitens invincibiliter hoc ipſum ignoret, putans tantùm eſſe peccatum veniale, quod Confeſſarius judicat eſſe mortale, nec per monitionem ſperetur aliquis

Digitized by Google

fructus, tunc relinquendus eſt in ſua bona fide; nunquam tamen præſumendi ſunt pœnitentes ritè ſuam conſcientiam examinaſſe, qui certam quandam confeſſionis formulam memoriter recitant, in qua ſe ipſos tam de factis, quam de non factis paſſim ſine diſcrimine accuſant; prout nec illi, qui ſolum recenſent ſpecies peccatorum v. g. dicendo fui ebrius, fornicatus, detraxi, &c. nullâ factâ mentione numeri peccatorum.

DUBIUM V.

De prudentia Confeſſarii in reſolvendis caſibus partim communibus, partim rarioribus & gravioribus in confeſſione occurrentibus.

Quid agere debeat Confeſſarius cum pœnitente quem advertit ignorare neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem.

PEtes, 1. quid agendum confeſſario cum pœnitente qui ignorat articulos fidei explicitè credendos neceſſitate medii ad ſalutem.

Reſp. quoad hoc punctum, ſcire debet prudens confeſſarius, quod homini adulto & rationis compoti non ſufficiat fides habitualis ad ſalutem, ſed quod inſuper requiratur actualis; juxta illud Marci 6. *qui non crediderit condemnabitur*. Non ſufficit autem fides actualis in genere, aut in confuſo, qua quis v. g. in genere credat omnia eſſe vera, quæ Deus revelavit, aut omnia quæ Eccleſia credit; ſed inſuper neceſſitate medii ad ſalutem requiritur (prout patet ex ſymbolo Athanaſii) fides explicita aliquorum articulorum, qui tamen omnes & ſinguli continentur in ſymbolo Apoſtolorum; eò quod illud ſit ſumma quædam & quaſi compendium, in quo continentur primaria fidei noſtræ capita & fundamenta, ad vitam æternam obtinendam neceſſaria, juxta dictum Sancti Leonis Papæ epiſt. 96. in qua ait, ipſius Catholici ſymboli brevis & perfecta eſt confeſſio, quæ 12. Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis.

Omnia credenda neceſſitate medii continentur in Symbolo Apoſtolorum.

Porro articuli fidei credendi neceſſitate medii ſunt hi.

Recenſentur illi articuli neceſſitate medii explicitè ab omnibus adultis credendi.

1. Quod ſit unus Deus remunerator bonorum & malorum, juxta illud Apoſtoli ad Hæbreos 11. *accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt.*

2. Quod Deus qui eſt unus in eſſentia, ſit trinus in perſonis; ſcilicet Pater & Filius & Spiritus Sanctus, juxta illud Matt. 28. *Docete omnes gentes baptiſantes eos, in nomine Patris & Filii & Spiritus S.*

3. Quod ſecunda in SS. Trinitate perſona Jeſus Chriſtus Dei Filius pro redimendo genere humano

mano ſit factus homo, paſſus, mortuus, & reſurrexerit à mortuis: juxta illud ad Romanos 10. *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus quia ſi credideris in Dominum Jeſum Chriſtum & ore confitearis quod Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris:* & Ioan. 3. cap. *qui credit in illum non judicatur, qui autem non credit in illum jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.*

Petes, an non ſit neceſſarium neceſſitate medii credere, Deum eſſe infinitum, immenſum, increatum, æternum, ſummè bonum, omnipotentem, habere rerum omnium providentiam, illi virtutem placere, vitia diſplicere, ipſum peccata remittere & juſtificare per pœnitentiam: item anſit neceſsè neceſſitate medii explicitè credere, animam hominis eſſe immortalem, & quod homo viribus naturæ ſuæ nequeat exurgere ex ſervitute peccati & conſequi vitam æternam, ſed ad hoc egeat Dei auxilio.

Varia dei attributa explicatè quidem ſunt credenda, non tamē neceſſariò ab

Reſp. hæc omnia quoque eſſe explicitè credenda, non tamen diſtinctè, ſed confuſe, & ſolum quoad ſubſtantiam; ita ſcilicet, ut eò ipſo quo creditur unus Deus credantur quoque confuſe & quoad ſubſtantiam omnia ejus attributa, quamvis non diſtinctè, quod magis eſt doctorum quam hominum rudium & vulgarium; ita quoque eo ipſo quo creduntur in SS. Trinitate tres perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, eo ipſo quoque in confuſo creduntur illæ inter ſe realiter eſſe diſtinctæ: neque enim fides noſtra conſiſtit in adæquata & diſtincta notitiâ miſteriorum, ſed in aſſenſu, qui non tam requirit ſubtilem intellectum, quàm humilem affectum juxta illud S. Auguſt. lib. contra Epiſto. fundament: c. 4. „turbam, non intelligendi vivacitas, „ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit„ ita quoque animam hominis eſſe immortalem, quoad ſubſtantiam credimus, in iſto ſymboli articulo. *Vitam æternam amen*; Prout & quod homo propriis viribus nequeat ſe eripere à ſervitute peccati, ſed adhoc indigeat divino auxilio, quoad ſubſtantiam credimus in ſecundo ſymboli articulo, de Chriſto redemptore.

om ribus diſtinctè,

Vii & immortalitas animæ, neceſſitas gratiæ.

Itaque fideles qui ſimpliciter & humiliter noſcunt & credunt myſteria fidei contenta in ſymbolo Apoſtolorum, & colunt feſta ſolemnia, quibus illa quotannis in Eccleſia celebrantur, præſumuntur dictis myſteriis ſufficientem præbere aſſenſum, adeoque habere fidem ſufficientem articulorum explicite credendorum neceſſitate medii: & quamvis

Digitized by Google

vis expediat hos illis nonnunquam à Confeſſariis proponi in particulari, ſub expreſſo motivo & objecto formali ipſius fidei, tamen ſi ejusmodi formalitates non calleant, propterea non ſtatim tanquam indiſpoſiti ſunt dimittendi ſine abſolutione, quippe qui hoc ipſo, quo ſciunt ſymbolum fidei & illud credunt, ſufficienter in actu exercito fidem circa articulos explicitè credendos neceſſitate medii eliciunt, quamvis non in actu ſignato; eo modo quo ejuſmodi homines in dies eliciunt actus fidei humanæ in actu exercito, dum aliquid aſſerenti proximo ſuo docto & bono, credunt propter ejus authoritatem, etiamſi in quo conſiſtat illa ejus authoritas non ſciant formaliter explicare; ſimili modo Chriſti fideles homines ſimplices & rudes credunt Deo propter ejus authoritatem in actu exercito, eſto in actu ſignato quid ſit illa ejus authoritas, aut in quibus attributis conſiſtat, non poſſint formaliter explicare quod magis Theologicum eſt quam Chriſtianum.

Vt quis illa credenda debitè credat non eſt neceſſarium ut ſciat diſtinctè aſſignare motivũ formale ſuæ fidei.

Sufficit ſi credãt propter authoritatem divinam in actu exercito.

Hæc ſub correctione dicta ſunt, non ad avertendos Paſtores & confeſſarios ab exacta inſtructione ſuorum, circa credenda neceſſitate medii, ſed ad illos fraternè monendos, ne fideles, præſertim ſimpliciores, callentes quidem rudimenta fidei in Symbolo Apoſtolorum contenta, quamvis non noverint illa ſub ipſis formalitatibus Theologicis explicare, ſtatim tanquam indiſpoſitos remittant, ſed ſint memores, in ejuſmodi hominibus non tam requiri ſubtile ingenium, quo myſteria illa percipiant, quam ſimplicem aſſenſum, qui ex humili affectu procedat: juxta S. Aug. ſupra citatum, „turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas, tutiſſimam facit.

Non debent confeſſarii nimis rigorosè & ſcrupuloſe agere cum rudioribus circa articulos fidei.

Petes, quid faciet Confeſſarius cum pœnitente adeo rudi, ut ipſe ſymbolum Apoſtolorum non poſſit memoriter retinere, nequidem quoad ſubſtantiam, adeo ut à Confeſſario inſtructus de aliquo fidei articulo, & paulò poſt deſuper interrogatus, reſpondeat contrariè.

Reſp. ipſam ſcientiam credendorum non eſſe neceſſariam neceſſitate medii, ſed fidem actualem; & eapropter ſufficiet Confeſſariis proponere ejuſmodi pœnitenti adeo rudi, omnes articulos fidei credendos neceſſitate medii ſub uno motivo fidei formali, ut pœnitens illis ſimul aſſentiatur, & ita actum fidei circa illos eliciat.

Quid agendum cum ita hebeti ut Symbolum addiſcere non poſſit.

Petes, an confeſſiones præ-

teritæ

Digitized by Google

teritæ factæ à pœnitente planè ignorante neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, fuerint validæ.

Confeſſiones factæ ab ignorante neceſſaria neceſſitate medii, ſunt invalidæ, defectu contritionis.

Reſp. negativè; nam licet ex natura rei fides SS. Trinitatis, dominicæ incarnationis aut reſurrectionis &c. non ſit neceſſaria ut quis eliciat actum contritionis, (nam potuiſſet Deus independenter ab hâc fide lagiri gratiam contritionis) tamen eſt neceſſaria ex voluntate Dei nobis per S. Scripturam manifeſtata, ex qua conſtat quod Deus contritionem hanc nonvelit nobis dare, niſi prævià fide actuali iſtorum myſteriorum. Cum ergo omnes confeſſiones præteritæ, eſto bona fide factæ, fuerint invalidæ defectu contritionis, quæ ſine fide illorum articulorum haberi nequit, ita ut pœnitens à peccatis ſuis hactenus non fuerit abſolutus, nec directè nec indirectè; ſequitur quod teneatur pœnitens ille poſtea repetere omnes illas præteritas confeſſiones.

Qualiter Confeſſarius interrogare debeat pœnitentem circa amorem Dei.

II. An prudens Confeſſarius quandoque teneatur interrogare pœnitentem an Deum ſuper omnia amaverit?

Reſp. affirmativè, quia datur ejuſmodi præceptum divinum naturale Matth. 22. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua &c.* quod obligat ſub mortali; & cujus non datur ignorantia invincibilis.

Porro cum nemo poſſit præceptum illud implere, niſi ſciat quid ſit amare Deum ſuper omnia; hinc deſuper à Confeſſario eſt inſtruendus, dum præſumitur hoc ignorare: & propterea profuſis lachrymis eſt deplorandum, non paucos reperiri fideles, qui ſi interrogentur, quomodo eliciendus ſit Dei amor ſuper omnia, hoc ignorant, adeoque primum Decalogi præceptum implere non poſſunt, quod eſt de Deo appretiativè ſummè diligendo, hoc eſt, ut nihil magis aut æqualiter cum Deo diligant, & ſint ita diſpoſiti ut velint potiùs quodlibet bonum creatum amittere, & quodlibet malum ſufferre, quàm amittere divinam amicitiam mortaliter peccando, adeo ſcilicet Deo affecti præ omnibus rebus creatis, ut illum omnibus præponant, & idcirco eas omnes propter ipſum velint amittere.

Item circa dilectionem proximi.

III. An quandoque interrogandus ſit pœnitens an proximum ſuum amarit ſicut ſe ipſum.

Reſp. affirmativè; quia & illud eſt præceptum divinum naturale, expreſſum Matth. 22. *diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Quia tamen tempus obligationis

nis hujus præcepti ignotum eſt, non ſunt perturbandæ conſcientiæ pro præterito, ſed inſtruendæ pro futuro, quibus proinde utiliter pro pœnitentiâ imponetur, ejuſmodi actus dilectionis proximi aliquoties eliciendus, hoc vel ſimili modo: *Domine Deus utinam omnes homines ad agnitionem veræ fidei, & ſervando mandata tua, tandem ad vitam æternam perveniant*; nam ſecluſa etiam neceſſitate operum externorum miſericordiæ, & obligatione vitandi odii interni, ejuſmodi actus interior poſitivè proximum amandi, quandoque eſt in præcepto. Unde S. Auguſt. in cap. S. Joannis loquens de dilectione inimicorum ſic ait, „opta „illi ut habeat vitam æternam, „neque enim carnalis debet eſ- „ſe dilectio.

Qualiter ſe gerere debeat cū divite avaro.

IV. Quid faciet prudens Confeſſarius cum divite pœnitente non dante eleëmoſynas.

Reſp. debere illum monere obligationis ſuæ ſtrictiſſimæ, quam habet ad dandas eleëmoſynas, ne alioqui ſubeat ſortem divitis epulonis de quo Chriſtus Luc. 16. ait. *Mortuus eſt dives & ſepultus eſt in inferno*. Quippè cum eleëmoſyna hominibus divitibus ſit in præcepto ſub mortali. Ita teſtatur Scriptura S. 1. Joannis 3. *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere & clauſerit viſcera ſua ab eo quomodo charitas Dei manet in illo?*

Eleëmoſyna præcepta eſt divitibus

Porro ut ſciat prudens Confeſſarius, quandonam dives homo & ad quantum obligetur impendere in eleëmoſynas, & de quibus bonis, prænotare debet triplicem dari proximi neceſſitatem, in qua eſt danda eleëmoſyna, nempè extremam, gravem, & communem.

Quando cenſeatur extrema neceſſitas.

Tunc quis cenſetur eſſe in extrema neceſſitate, quando eſt redactus ad illas anguſtias, ut niſi ſuccurratur, periclitetur ipſe vel ejus familia de vitâ. Tunc autem eſt in gravi neceſſitate, quando taliter eſt conſtitutus, ut, niſi illi ſuccurratur, excidet à ſtatu honorifico, aut patietur gravem bonorum ſuorum, legitimè poſſeſſorum, jacturam, ob debita quibus opprimitur, aut fortè incarcerabitur.

Quæ gravis.

Et quæ communis.

Tunc autem cenſetur eſſe in communi neceſſitate, quando eſt in illâ quam paſſim patiuntur pauperes, oſtiatim mendicantes.

Divites obligantur de ſuperfluis dare eleëmoſynam

Dico primò certum eſt quod dives obligetur de bonis ſuis ſuperfluis dare eleëmoſynam ex præcepto Chriſti Lucæ 2. *quod ſupereſt, date eleëmoſynam*; & hinc S. Auguſt. in Pſalm. 47. ſic ait, „ſuperflua divitis, ne- „ceſſaria ſunt pauperis: aliena

„retinet,

Digitized by Google

„ retinet, qui iſta tenet: „ & eapropter paſſim divites à SS. Patribus appellantur diſpenſatores & receptores pauperum.

Quæ ſint bona ſuperflua

Porro bona ſuperflua ſunt in duplici ſpecie: nam alia ſunt ſuperflua vitæ, alia ſuperflua ſtatui. Superflua vitæ cenſetur habere quis quando in facultatibus ſuis plura poſſidet, quam illi opus ſit ad ſe ſuamque familiam alendam; ſuperflua vero ſtatui tunc, quando plura bona poſſidet, quam illi opus ſit reſpectivè pro decentia ſui ſtatus & ſuorum intertinenda.

Itaque ſi petatur in qua neceſſitate ſit danda eleëmoſyna, & de quibus bonis reſpondeo & dico 1. obligatur dives de bonis ſuis ſuperfluis dare proximo ſuo eleëmoſynam, non tantum in extrema & gravi neceſſitate conſtituto (quibus caſibus illi etiam obligatur ſuccurrere de neceſſariis bonis ſtatui ſuo) ſed in communi etiam pauperum neceſſitate, juxta Scripturam Joannis 1. cap. 3. ſupra citatam, *qui viderit fratrem ſuum neceſſitate habere,* non addit extremam vel gravem *& clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manebit in eo,* & Chriſtus Matthæi 20. cap. ſine ulla diſtinctione neceſſitatum, ait, inquam, divitibus. Matth 25. *ite maledicti in ignem æternum: eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare.*

Tenentur divites illa erogare etiã in communi neceſſitate.

Maximè autem Eccleſiaſtici divites.

Porro ſi divites hujus ſæculi obligentur ad dãdas eleëmoſynas etiam in communibus pauperum neceſſitatibus, quantò magis divites perſonæ eccleſiaſticæ ſignanter ſuper eccleſiæ candelabrum conſtitutę ut luceãt omnibus qui in ea ſunt. quorum obligationem pondere ſanctuarii trutinans Dominicus Bannes profundiſſimus ſui temporis Theologus ſic ait 2. 2 quæſt. 32. art. 6. „ Quia etiam „ in communibus neceſſitatibus „ oportet Epiſcopos ut patres „ pauperum & viduarum ſuperintendere, exiſtimo neminem „ illorum eſſe in ſtatu ſalutis, niſi „ notabiles eleëmoſynas faciat „ pro facultate ſubſtantiæ „ qui & addit, „ ego ſanè nullum Hiſpaniæ Epiſcopum abſolverem „ niſi ſaltem quartam partem redituum in eleëmoſynas expenderet: & hoc, inquit ille, intelligo in communibus neceſſitatibus pauperum, nam in „ gravioribus, quales ſolent eſſe „ famis, aut peſtis, aut plurium „ ægritudinum, ad amplius tenetur juxta proportionem neceſſitatis pauperum qui ſunt oves „ propriæ; ita ut aliquando teneantur ex propria ſuppellectili, vaſis aureis & argenteis „ eleëmoſynas facere.

Epiſcoporum quoad eleëmoſynas faciendas obligatio.

V.

Digitized by Google

V. Quid aget prudens Confeſſarius cum pœnitente qui diu odium aliquod fovit & inimicitias geſſit cum aliquo, ita ut illum hactenus noluerit videre, vel ſalutare.

Quid agendum cum pœnitente habente inveteratum odiũ in proximum.

Reſp. punctum hoc non eſſe oſcitanter à Confeſſario prætereundum, qui conari debet indagare radicem harum inimicitiarum, ad diſcernendam pœnitentis obligationem; qui proinde videre debet & indagare an ipſe pœnitens proximum læſerit, an vero econtra. Quod ſi enim pœnitens prior proximum ſuum verbo contumelioſo affecerit, obligabitur illi ſatisfacere petendo veniam, aut alio aliquo modo ipſum placando: quod ſi verò illum læſerit in fama, tenebitur illam reparare. Quod verò ad odium attinet, ut poſſit cognoſcere numerum odiorum internorum, petat quanto tempore duraverit hæc averſio à proximo, item quoties, & quæ mala ſit ipſi imprecatus: præterea obligatus erit ad hujuſmodi odium internum & animi rancorem deponendum, & ad communia ſaltem amicitiæ ſigna proximo impoſterum exhibenda, alioquin judicandus erit incapax abſolutionis, imo indignus, juxta illud Chriſti Matth. 6. *ſi non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

Tenetur homo nõ tantum non odiſſe proximũ, ſed etiã debet illum diligere.

Quid ſi pœnitens dicat, ego quidem omne odium erga ipſum depono, nec volo ipſi impoſterum aliquod malum; ſed communia amicitiæ ſigna, qualia ſunt proximum reſalutare &c. illi non poſſum exhibere.

Reſp. ejuſmodi pœnitentem etiam ad hoc induci debere à Confeſſario ſi velit illum abſolvere: neque enim ſufficit proximum non odiſſe, ſed oportet ipſum quoque amare non ſolum interiori affectu, ſed & exteriori, quo tamquam ſigno ipſe interior affectus manifeſtetur, juxta id Proverb. 35. *Si inimicus tuus eſurierit, ciba illum*: Quod autem Spiritus Sanctus ait de cibatione inimici fame laborantis, pariformiter dicendum eſt de aliis communibus effectibus amoris quorum rationes inveniuntur tam in inimicis quam amicis.

VI. Quomodo ſe geret Confeſſarius cum pœnitente qui multis injuriis ab altero laceſſitus eſt, qui modò tamen petit ab ipſo veniam & offert plenariam ſatisfactionem, quam pœnitens abſolutè recuſat acceptare, dicens interim ſeſe omnem internum rancorem ex animo deponere & reconciliationem internam illi offerre, ſed ad externam reconciliationem eum non poſſe admittere.

Digitized by Google

tere, An confeſſarius taliter conſtitutum poſſit abſolvere.

Non poteſt abſolvi qui ab aliquo læſus ei petenti non vult reconciliari.

Reſp. neg. nec enim ut hujuſmodi pœnitens ſatisfaciat præcepto dilectionis proximi ſatis eſt ſi non proſequatur proximum odio, nam ad hoc quoque quilibet homo tenetur, eò quod præceptum illud ſit negativum obligans ſemper & pro ſemper, ſed inſuper hujuſmodi pœnitens obligatur externo aliquo ſigno manifeſtare ſe reconciliationem & ſatisfactionem inimici veniam petentis acceptare, juxta mandatum Chriſti Matth. 5. *ſi offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare & vade prius reconciliari fratri tuo*; quo loco Chriſtus manifeſtè agit de reconciliatione externa poſt illatam & acceptam injuriam: eapropter ſi ex Chriſti præcepto ille qui proximum læſit obligetur illum adire ad impetrandam veniam, ipſe quoque offenſus ſeu læſus reciproce & eadem præcepti neceſſitate obligatur ad eandem ſatisfactionem oblatam acceptandam; quod ni eſſet, fruſtra præciperetur lædenti proximum ut illum adeat petatque veniam, niſi læſus ad illam acceptandam obligaretur.

Ex præcepto Chriſti tenetur offenſus acceptare ſatisfactionem oblatam ab offendente.

Quid aget confeſſarius cum illo qui dubitat de validitate confeſſionis præterita ex parte doloris.

VII. Quid faciet Confeſſarius cum pœnitente qui dicit ſe vereri ne omnes ſuæ præteritæ confeſſiones fuerint invalidæ defectu doloris requiſiti.

Reſp. non ſtatim ejuſmodi pœnitenti eſſe credendum; quia plures, præſertim fœminæ, id dicunt ex eo quod in iis non tam ſenſibilem ſuper peccatis ſuis dolorem ſenſerunt ſicut ſolebant; verum ex eo minimè ſequitur præcedentes confeſſiones fuiſſe invalidas, quia ſenſibilis dolor ad Sacramentum pœnitentiæ non eſt neceſſarius. Et eapropter attendenda veniet conditio pœnitentis hoc aſſerentis, & inſpiciendum motivum ex quo hactenus conſuevit dolere de peccatis: quibus attentis ſi Confeſſarius deprehendat ipſum hactenus fuiſſe confeſſum ſine dolore requiſito, judicabit confeſſiones præteritas eſſe repetendas, utpote invalidas defectu doloris.

Quid item cum illo qui dubitat ob frequentem recidivam.

VIII. Petes, quid ſi pœnitens dicat omnes ſuas confeſſiones præteritas fuiſſe invalidas, eò quod ferè ſemper in eadem peccata fuerit relapſus.

Reſp. ejuſmodi pœnitentem tunc prudenter & cum fundamento moveri ad judicandum ſibi eſſe repetendas confeſſiones præteritas, tamquam invalidas, defectu efficacis propoſiti emendationis, quod meritò præſu-

Bbbb mendum

Digitized by Google

mendum eſt eum numquam habuiſſe: & eapropter eſto pœnitens hoc non diceret, Confeſſarius tamen animadvertens pœnitentem fuiſſe conſuetudinarium, illum inſtigare deberet ad præteritas confeſſiones repetendas, eò quod habeat ſufficiens fundamentum præſumendi illas confeſſiones fuiſſe invalidas.

An Confeſſarius debeat interrogare pœnitentem de conſuetudine peccati.

IX. An quando pœnitens accuſat ſe de aliquo peccato mortali, Confeſſarius obligetur eum interrogare, an habeat illius conſuetudinem.

Reſp. id expedire, partim quia intereſt bono pœnitentis ut Confeſſarius ſtatum illius agnoſcat, partim quia intereſt bono Sacramenti; ne alioqui confeſſarius exponat ſe periculo abſolvendi indignum.

Item de ſufficientia doloris.

X. An Confeſſarius obligetur interrogare pœnitentem, num verè doleat de peccatis ſuis.

Reſp. affirmativè; ſi pœnitens ſit perſona rudis & plebeja; eò quod prudenter timeri poſſit, ne ejuſmodi perſona ſit minus inſtructa quo ad motivum contritionis & efficax propoſitum emendationis: quod ſi verò pœnitens ſit perſona docta & ſuffi cienter inſtructa quoad eſſentialia hujus Sacramenti, non eſt neceſsè illam deſuper interrogare.

XI. An prudens Confeſſarius obligetur pœnitentem interrogare nonnumquam ſuper peccatis venialibus.

Reſp. per ſe loquendo negativè; ſicuti enim pœnitens non tenetur illa confiteri, ita neque Confeſſarius de illis interrogare. Ad id tamen quandoque tenetur per accidens; prout v. g. ſi pœnitens tantum confiteatur aliquas imperfectiones, aut venialia dubia: nam ſi velit illum abſolvere, debebit aliquod veniale certum ab illo exquirere. Cœterum dum Confeſſarius habet hujuſmodi pœnitentes, qui ſola venialia ſolent committere, quandoquidem tales præſumantur ſeſe ſubjecere ejus directioni, ad vitam magis ſpiritualem ducendam, ſolerter ipſe indagare debet ad quod vitium aut veniale peccatum ejuſmodi pœnitentes maximè inclinentur; cujus malitiam conetur exaggerare, partim ad ſalutarem horrorem incutiendum, ne ejuſmodi peccatum amplius admittatur; partim ad ſatisfactionem illi commenſuratam imponendam, partim ad efficacia remedia adhibenda, quibus vitium illud penitus exſtirpetur.

Quomodo agendum cum iis qui ſolum venialia ſolent cõfiteri.

XII. An frequens relapſus in venialia peccata ſit prudenti Confeſſario manifeſtum ſignum quod hujuſmodi pœnitens non habeat

An ex frequenti relapſu

in eadem venialia rectè colligatur defuiſſe verum propoſitum emēdationis.

habeat efficax propoſitum emendationis; adeoque quod non ſit abſolvendus.

Reſp. per ſe loquendo neg. cum enim quælibet creatura homini fragili poſſit eſſe occaſio peccandi venialiter, contingit ſępe propoſitum ejus; licet efficax quod habuit, non diu tamen durare ob occaſiones peccandi venialiter undique circumſtantes, quod non ita locum habet in mortalibus.

Dixi *per ſe loquendo*, quia per accidens frequens ille relapſus in eadem ſpecie venialia, in quibuſdam pœnitentibus poteſt eſſe ſignum, quòd non adſit efficax propoſitum emendationis & eapropter prudens Confeſſarius in ejuſmodi peccatis audiendis ſit circumſpectus; & ubi animadvertit ex circumſtantiis & modo confitendi quoſdam pœnitentes, præſertim fœminas, ex alia quadam conſuetudine potius quam ex efficaci emendationis propoſito enarrare certam aliquã peccatorum venialium formulam illas potius cum benedictione dimittat, quàm abſolutionem impendat, ob dubiam contritionem.

XIII. Petes, an prudens Confeſſarius ſcire poſſit dolorem, quem habet pœnitens, eſſe ſupernaturalem.

Reſp. neg. ſaltem certitudine metaphyſicâ & omnimodâ ſine particulari nempe revelatione; quia ſcire non poteſt an dolor ille profluat à principio ſupernaturali, adeoque an dolor ille in entitate ſuâ ſit ſupernaturalis; quod tamen certitudine morali & à poſteriori ſcire poteſt, eo quod pœnitens utpote Chriſtianus, ex motivo fidei præſumendus ſit accedere ad tribunal Sacramentale, confidens ſibi ex Chriſti meritis peccata ſua remiſſum iri; inſuper quia ſibi proponit objectum ſupernaturale, quod cum viribus naturæ ſuæ nequit attingere, id præſumendus eſt facere cum adjutorio ſupernaturali.

XIV. Petes, quomodo ſe geret prudens Confeſſarius cum pænitentibus exiſtentibus in occaſione proxima peccati mortalis v. g. cum famulo & famulâ cohabitantibus in eâdem domo & ſimul peccantibus, item cum peccatoribus conſuetudinariis ut v. g. cum adoleſcente frequenter relabente in pollutiones, item cum hominibus habentibus conſuetudinem, pejerandi, perniciose mentiendi, ſeſe inebriandi &c.

Reſp. vide hæc fusè explicata & reſoluta tract. 15. de Actibus Humanis. quæ propterea hic non ſunt repetenda.

XV. Quid faciet Confeſſarius cum pœnitente ſeſe accuſante de hæreſi.

Digitized by Google

Qualiter agendum Confeſſario cum pœnitente ſe accuſante de hæreſi.

Reſp. ante omnia interrogabit qualis fuerit illa hæreſis, an interna an externa. Si fuerit merè interna non eſt caſus reſervatus; adeoque ab illa poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere; ſi ſimul ſit externa, eſt reſervata Pontifici, ob nempe annexam excommunicationem. Hoc enim pro generali regula obſervare debet Confeſſarius, quod Pontifex nullos ſibi caſus reſervet, niſi ratione annexæ excommunicationis. Et eapropter, ex quocumque capite contingat pœnitentem hanc non incurriſſe, quod potiſſimùm accidit dum pœnitens invincibiliter ignorat ejuſmodi actui ſeu caſui annexam eſſe excommunicationem, deſinit ejuſmodi hæreſis eſſe caſus papalis. A quâ tamen nequit quilibet Confeſſarius abſolvere, niſi habeat poteſtatem abſolvendi à reſervatis Epiſcopo, eò quod ejuſmodi hæreſis tunc illi reſervetur.

Pontifex nullum caſum ſibi reſervat, niſi ob excõmunicationem reſervatum

Præterea ejuſmodi hæreticus externus interrogandus erit de ætate & modo quo in hanc hæreſim incidit; item de ſpecie hæreſis quam profeſſus eſt: ſunt enim aliqui, qui ab ineunte ætate in hæreſi fuerunt enutriti, quique numquam audierunt de fidei controverſiis, & ubi tales ritè fuerint inſtructi, poterunt abſolvi à quovis Confeſſario; quia non fuerunt formales hæretici, utpote non pertinaces.

Hæreſis mere interna nõ eſt caſus reſervatus.

Quod ſi tamen fuerit formalis hæreticus, interrogandus erit de ſpecie ſuæ ſectæ, prout & quam diu fuerit illam profeſſus, nam licet omnes hæreſes ſint ejuſdem ſpeciei, quatenus ſunt errores contra fidem, quia tamen variæ ſectæ varias habent annexas ſuperſtitiones, quæ diverſa continent peccata, idcirco erit pœnitens interrogandus de ſecta quam profeſſus eſt. Porro antequam abſolvatur curet prudens Confeſſarius ut emittat profeſſionem fidei juxta formam à Pio IV. præſcriptam.

Petes, an ſi quis hæreſim voluntariè interiùs foverit, & ex illa mala voluntate non audierit ſacrum in die feſto, nec obſervaverit jejunia Eccleſiæ, propterea cenſendus ſit hæreticus externus.

Reſp. negativè, eò quod prævaricatio dictorum præceptorum non ſit certum & manifeſtum ſignum hæreſis.

XVI. Quid faciet Confeſſarius cum pœnitente patiente dæmonem incubum aut ſuccubum.

Reſp. & dico primo, ſi ejuſmodi pœnitens ſit fœmina aut perſona melancholica, non facile

cile illi eſſe credendum, eo quod perſonæ melancholicæ, & mulieres frequenter phantaſtica apprehendant pro veris; & hoc ideo quia tales habent fortiſſimam imaginativam, quæ habet vim & efficaciam ſenſuum externorum, pro ut hoc ipſum experimur in ſomno. Interim tamen certum eſt ex authenticis hiſtoriis, ſignanter ex vitâ S. Bernardi & Petri Celeſtini reperiri ejuſmodi Dæmones incubos & ſuccubos, quamquam præſumendum non ſit de Dei bonitate, quod aliquam perſonam tam horrendâ illuſione permittet affligi, niſi priùs per enorme aliquod peccatum, cujus hæc ſit pœna, à Deo apoſtataverit. Unde caſu poſito, quod quis pœnitens taliter afflictus, Confeſſarium accedat, opus eſt primo & ante omnia, ut illi Confeſſarius perſuadeat, cum res hæc ſit plena periculi, ob carnalem vehementem delectationem conjunctam, ut poſitivè, quantum poteſt cum imploratione divini auxilii ejuſmodi fœdæ actioni reſiſtat, non ſecus ac virgo quæ violenter ab aliquo opprimitur & conſtupratur, ejuſmodi enim delectatio tam vehemens voluntatem quaſi abripit & urget ad conſenſum, vixque illam ſui juris eſſet ſinit, niſi ſe illi formaliter & poſitivè opponat diſſentiendo, & improbando. 2. Ut generalem totius vitæ ſuæ confeſſionem cum maximo, quo poteſt, dolore inſtituat. 3. Quotidie viva fide abrenũtiet diabolo & omnibus pompis ejus, legendo in illum finem frequenter ſymbolum Apoſtolorum. 4. Geſtet ad collum SS. Reliquias & ſub veſtibus ſtolam benedictam, ſeque & lectulum ſuum conſpergat aqua benedicta. 5. Studeat potiſſimùm humilitati; nihil enim dæmon, qui eſt Spiritus ſuperbiſſimus, magis exhorret quàm ſui humiliationem. Ac eapropter ſeſe quotidiè exerceat in aliquo opere humili. 6. Sit addictus meditationi Dom. Paſſionis, quam ad minus ſingulis hebdomadibus ſemel legat. 7. Jactet fiduciam ſuam in Domino, & in auxilio virtutis ejus, mediante Patrocinio BB. Virginis, in cujus honorem quotidie legat Litanias Lauretanas.

Quæ remedia praſcribenda patientibus incubum aut ſuccubũ.

XVII. Quid aget Confeſſarius in perſona malefica aut ſaga quæ ſe vult convertere?

Quomodo agendum cũ maleficis aut ſagis pœnitentibus.

Reſp. hic opus eſſe magnâ prudentia, & jugi imploratione divini auxilii, eo quod ejuſmodi perſonæ rarò ſeſe ſeriò ſoleant convertere. Proinde primò à tali pœnitente petendum eſt, an habeat expreſſum pa-

Digitized by Google

ctum cum dæmone quod ſanguine ſuo aut alio colore ſignavit; & ſi ita ſit, curandum primo ut illud diſſolvatur, ſive per lacerationem ejuſmodi chyrographi, ſi adhuc penes ſe habeat, ſive per quotidianam abrenuntiationem diaboli & pacti cum eo initi. 2. An promiſerit diabolo abjurare fidem Chriſti aut illam de facto abjuraverit 3. An interfuerit Sabbathis ſagarum; an ibidem diabolum adoraverit ut Deum; & quoties. 4. Quoties abuſus fuerit Sacramentis Eccleſiæ, præſertim Euchariſtia in ordine ad conficienda maleficia. 5. An & quoties cum diabolo fuerit carnaliter commixtus. 6. Quâ ſpecie maleficii fuerit uſus, an amatorio, an veneficio, aliquem nimirum lædendo, vel occidendo, vel damnum aliquod in bonis fortunæ, ut beſtiis &c. inferendo. 7. An inſtrumenta maleficii adhuc penes ſe habeat; quæ neceſſariò ſtatim debent tolli. 8. Quot hominibus nocuerit.

XVIII. Quid agendum Confeſſario cum aliquo pœnitente qui geſtat chartam ad collum, in quo habet alta nomina, ut vocant; aut confitetur ſe per pronuntiationem aliquorum verborum aliqua inſolita perpetraſſe?

Item cũ iis qui ſi-gnis utũtur ſuperſtitioſis ad certus effectus.

Reſp. hic primo curare debet Confeſſarius ſibi exhiberi ejuſmodi chartam, aut verba; tum inquirat an in illis contineatur aliquod pactum cum dæmone. Quod inde cognoſcet, ſi verba in ea deſcripta aut prolata neque ex natura ſua, neque ex inſtitutione Dei, aut Eccleſiæ aliquam vim habeant ad ejuſmodi effectus producendos; item ſi ſint verba falſa aut exotica, aut apocrypha, aut ſi aliqua quidem ſint vera & ſancta, ſed tamen contorta ad ſignificandum & efficiendum aliquid, ad quod neque ex ſe, neque ab Eccleſia, neque à Deo ſunt ordinata, ut v. g. *hoc eſt Corpus meum*, ad ſiſtendum ſanguinis fluxum è naribus; item ſi ſint preces quidem bonæ, ſed quarum vis conſtituatur in modo aliquo indifferenti, ut ſi cruces certo modo aut in certo numero ſunt diſpoſitæ, ita ſcilicet ut vis ponatur in numero aut modo. Porro hęc omnia debet cõburere, vel Confeſſario ſuo tradere pœnitens, priuſquam abſolvatur, quia continent implicitum pactum cum diabolo; nec refert quòd pœnitens dicat ſeſe renuntiare omni pacto diabolico, ſi hæc interim velit retinere; quia vana eſt ejuſmodi proteſtatio, dum actu & reipſa facit contrarium.

Petes, quid ergo faciet Confeſſarius, ſi accedat ad confeſſionem ſeptimus filius alicujus fami-

miliæ, qui mediante contactu per ſignum crucis, ſanavit multorum ſtrumas & alios morbos

Reſp. Confeſſarium poſſe & debere cum ejuſmodi diſſimulare; & ſi ejuſmodi pœnitens dubitet, illi dicere hanc eſſe gratiam gratis datam, adeoque nullam habere annexam ſuperſtitionem, aut pactum diabolicum.

XIX. Quid faciet Confeſſarius cum caupone, qui hoſpitibus ad ſe divertentibus in die jejunii indifferenter adminiſtrat veſperi cœnam aut carnes, ſive habeant licentiam comedendi, ſive non.

Peccant caupones qui hoſpitibus in die jejunii indifferenter cibos & carnes apponunt

Reſp. talem non poſſe abſolvi, quippè qui in hoc mortaliter peccet, cooperando peccato mortali alterius quale eſt violatio jejunii Eccleſiaſtici; nec illum excuſat conſuetudo contraria, quia illa eſt mera corruptela. Præterea ſi ejuſmodi caupo ſciat aliquos frequentare ſuam tabernam, ſeque ibidem frequenter inebriare, & nihilominus illis continuò tantum promat cereviſiæ aut vini quantum volunt, non poteſt abſolvi, quia eſt cauſa peccati mortalis alterius, non minus quam is qui venderet alicui gladium quem ſciret illum emere ad ſe occidendum; neque excuſabitur ex eo quod ſi ipſis non promat, alius illis promet, quia ſicuti non excuſabitur ille, qui proximum occidit, eſto alius equidem illum occidiſſet, ita nec ejuſmodi Caupones.

Vti & qui potũ promunt iis quos ſciunt inde inebriandos.

XX. Quid agendum Confeſſario cum debitore cedente bonis ſuis, & petente an poſſit aliqua de illis abſcondere in uſus ſuos, & ſuorum.

An cedens foro poſſit aliquid de bonis ſuis retinere dum non ſatisfecit creditoribus.

Reſp. ſi ejuſmodi debitor teneatur ad reſtitutionem creditori titulo injuſtitiæ illatæ, puta propter furtum aut rapinam, aut etiam, quia majorem partem bonorum ſuorum quæ legitimè poſſederat, inſumpſerit in ebrietates, ſcortationes &c. nihil poterit ſibi retinere, niſi fortè quod ſibi neceſſarium foret ad ſe aut ſuos eximendum ab extrema neceſſitate.

Quod ſi verò caſu aut infortunio in ejuſmodi anguſtias ſit redactus, poterit de bonis juſtè poſſeſſis tantum retinere, quantum ſibi & ſuis eſt neceſſe ut vivat tenuiter, etiam in communi neceſſitate; dummodo tamen creditores per hoc non ponantur in extrema neceſſitate. Quod ſi tamen ejuſmodi debitor poſtea ad meliorem fortunam devenerit, tenebitur omnibus ſatisfacere.

XXI. Petes, quid aget Confeſſarius cum pœnitente qui quidem vult ſolvere creditoribus ſuis, ſed differt ſolutionem ad notabile tempus.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. primò indagandum eſſe quo titulo debeat creditoribus juſto, an injuſto: ſi enim debeat titulo injuſtæ acceptionis, aut quia illa debita contraxit per dilapidationem bonorum ſuorum, puta in laſcivias, ebrietates, luſus chartarum &c. tenetur is ad ſtatim creditoribus ſuis ſolvendum, etiam cum ſtatus ſui diminutione, qui proinde non debet abſolvi, niſi cum promiſſione quamprimum ſolvendi. Quod ſi neglexerit & denuo ad confeſſionem revertatur, regulariter non eſt abſolvendus.

Quod ſi vero caſu vel infortunio illa debita contraxerit, poterit illorum reſtitutionem differre ad tempus judicio viri prudentis determinandum, eò quod debitor rationabiliter cenſeatur conſentire in ejuſmodi dilationem, quamvis paſſione ductus in illam recuſet conſentire.

XXII. Quod Conſilii dabit prudens Confeſſarius detractori v. g. in ordine ad famæ reſtitutionem.

Quomodo detractor reſtituere debeat famam ablatam. Reſp. ſi talis detraxerit propalando crimen verum alicujus attamen occultum, dicere debet apud illos apud quos alium diffamavit, ſe malè de illo fuiſſe locutum. 2. Debet illum coram ipſis de virtute oppoſita laudare aut procurare ut is cui detraxit, injuriam ſibi illatam condonet; quod ſi verò detraxerit dicendo falſum non ſufficit dicere ſe de proximo malè fuiſſe locutum, quinimo ſi opus ſit debet dicere ſe fuiſſe mentitum, quinimo hoc ſuum dictum juramento confirmare, quia revocatio debet eſſe efficax: & eapropter quandoque neceſsè erit ut ejuſmodi detractor dicat parocho ut nomine ſuo dictum retractet ex ſuggeſtu, aut coram notario, & duobus teſtibus.

Præterea, quod ad confeſſionem attinet, debet ejuſmodi detractor aperire qualitatem perſonæ cui detraxit v. g. an fuerit Pater, Superior, Sacerdos &c. quia violatur tunc inſuper aliqua particularis virtus, quæ huic actui ſuperaddit novam aliquam ſpeciem ut v. g. contra religionem, pietatem, obſervantiam &c.

XXIII. Quid faciet Confeſſarius cum pœnitente, qui fatetur ſe in conſortio fuiſſe locutum obſcœna & turpia?

Qualiter agendum cũ turpiloquis. Reſp. inquirere debebit numerum perſonarum præſentium, ut cognoſcat numerum peccatorum, quippè quia talis tot peccata commiſit, quot perſonas ſcandaliſavit.

Præterea petere debebit qualitatem iſtarum perſonarum an fuerint conſanguineæ, conjugatæ,

tæ, voto caſtitatis obſtrictè, vel ſolutæ, idque ut cognoſcat ſpecies peccatorum.

XXIV. Quid faciet Confeſſarius cum pœnitente ſuo aſſueto juramentis.

Item jurantibus ex conſuetudine.

Reſp. quod primo debeat inquirere an habeat conſuetudinem jurandi indifferenter ſeu falſum, ſeu verum; quod ſi ita, inquirat numerum actuum; quem ſi explicare non poſſit, inquirat tempus conſuetudinis jurandi, eo quod ejuſmodi conſuetudo ſit quaſi peccatum continuum, ſicuti eſt defectus reſtitutionis in homine qui poteſt reſtituere & non reſtituit; quinimo ipſa perjuria etiam inadvertenter prolata, in tali homine ſunt peccata mortalia, utpote voluntaria in cauſa, ſcilicet conſuetudine non retractata: & eapropter ejuſmodi pœnitens aſſuetus ad ſingula momenta perjurare, non eſt admittendus ad abſolutionem niſi mediante aliquali dilatione, quâ probetur an habeat efficax propoſitum emendationis.

XXV. Quid aget Confeſſarius cum filia pœnitente vanè nimis ornata?

Reſp. ſi ornatus ille ſit ſecundum communem patriæ conſuetudinem, quamvis aliquam vanitatem ſapiat, dummodo non ſit laſcivus, ille de ſe non eſt mortalis. Quod ſi vero ſit laſcivus, puta ſi geſtet nuda ubera, aut veſtes planè diaphanas; aut ornatus ille ſit præter patriæ conſuetudinem, & ſcandaloſus, ejuſmodi pœnitens non eſt abſolvendus, quia ſignum eſt quod remaneat in affectu peccati mortalis.

Item cũ iis qui laſcive aut indecenter veſtiuntur.

XXVI. Quid faciet confeſſarius cum pœnitente laborante ignorantia vincibili mortaliter culpabili.

Qualiter agendum confeſſario cum pœnitente quem videt laborare ignorantia in aliquo.

Reſp. obligatur confeſſarius illi veritatem dicere, quia, ut ſupponitur eſt peccatum mortale, in quo proinde manens non eſt capax abſolutionis. Quod ſi vero laboret ignorantia invincibili, tunc confeſſarius prudenter diſtinguat: vel enim ignorantia illa eſt alicujus rei ad ſalutem neceſſariæ neceſſitate medii, ut puta, ſi quis ignoret articulos fidei credendos neceſſitate medii ad ſalutem; & tunc debet illi aperire veritatem, illumque inſtruere, alioqui enim invalidè ſuſciperet Sacramentum pœnitentiæ. Vel hæc ignorantia invincibilis eſt alicujus rei jure tantum poſitivo præceptæ, neque confeſſarius ſperat ex monitione ullum ſequuturum fructum, tunc debet pœnitentem relinquere in ſua bona fide, ne alioqui pœnitenti laqueum injiciat

Digitized by Google

ciat qui poſt manifeſtatam veritatem peccabit mortaliter, ubi tantum peccaret antea materialiter. Quod ſi vero judicet monitionem ſuam habituram effectum tenebitur pœnitentem monere, & aperire veritatem. Quia æquidem illud factum eſt materialiter malum, & ignorantia illa eſt cauſa pœnitenti plura taliter mala committendi, quod confeſſarius, dum poteſt, tenetur impedire v. g. pœnitens dubitat de valore ſui matrimonii vel de obligatione reſtituendi, confeſſarius tenebitur illi veritatem manifeſtare, quia talis eſt in malâ fide, & poſſet ſilentium confeſſarii interpretari in ſuum favorem cogitando ſe non peccare; ita ſcilicet ut taciturnitas ipſius confeſſarii eſſet approbatio ipſius delicti.

XXVII. Quid faciet confeſſarius cum pœnitente qui legit libros hæreticos aut illos apud ſe retinet.

Sine licentia legens libros hæreticos incurrit excommunicationem.

Reſp. debet cum illo agere ſicut cum excommunicato.

Porro contra hujuſmodi legentes aut tenentes, duplex eſt excommunicatio, una nimirum quæ habetur in judice librorum prohibitorum, & hæc nulli eſt reſervata; altera vero habetur in bulla cœnæ eſtque hæc reſervata Pontifici, ad quam tamen poſteriorem incurrendam requiruntur hæ tres conditiones. 1. Ut quis ſcienter legat. 2. Ut author libri ſit hæreticus. 3. Ut liber continuet hæreſim, illam ex profeſſo tractando; ſecus vero ſi arguentum libri ſit indifferens, & hinc inde ſint illi inſperſæ tantum hæreſes: nam lectio talis libri tantum inhibetur in indice librorum prohibitorum, & excommunicatio illi annexa nulli eſt reſervata.

Petes, an qui habet facultatem legendi libros hæreticos eos tamen legit ex mera curioſitate, validè illa utatur?

Reſp. affirmativè; nam licet in formula diſpenſationis expreſsè ponatur, quod hujuſmodi licentia detur ad effectum hæreſes confutandi; hic tamen tantum eſt finis operantis extrinſecus, non autem finis operis ſeu intrinſecus, qui eſt eximere talem perſonam à lege communi, vetante legi libros hæreticos; peccabit tamen ejuſmodi mortaliter vel venialiter, pro ratione periculi cui ſeſe exponit per curioſitatem ejuſmodi libros legendi.

XXVIII. Quid aget confeſſarius cum pœnitente retinente alienum titulo juſtæ compenſationis

Conditiones requiſita

Reſp. debet attendere an omnes conditiones ad juſtam compenſationem adſint, quæ ſunt. 1. Ut

at liceat uti juſta & tacita compenſatione.

1. Ut debitum ſit liquidum & certum. 2. Quod non ſit alia via illud recuperandi ſine graviſſimo incommodo. 3. Ut non capiat amplius quam illi debetur. 4. Ut illi, ſub quorum cuſtodia eſt res illa quam accepit, non patiantur inde aliquod detrimentum; quorum defectu prudens confeſſarius non excuſabit famulos aut famulas ſurripientes aliquid ex bonis Domini ſub pretextu ſtipendii minoris juſto.

XXIX. Quid faciet confeſſarius cum pœnitente qui habet pro ſe ſententiam probabilem, quod non teneatur ad reſtitutionem Petro, ſi Petrus econtra habeat etiam ſententiam probabilem quod ſibi teneatur ad reſtitutionem.

Qui probabiliter dubitat an ſibi ſit reſtuendumquid agere debeat.

Reſp. tenetur ipſum inducere ad reſtituendam medietatem. Ratio eſt, qui in dubiis opinionum, ubi agitur de damno vitando, quod ex charitate vel juſtitia tenemur avertere, obligamur ſequi partem tutiorem, hæc autem opinio, aſſerens medietatem ſolvendam, eſt tutior; ſi enim nihil Petro reſtituatur forſan defraudabit illum in toto, eò quod opinio affirmans hoc Petro deberi poſſit eſſe vera. Si vero Petro totum reſtituat, erit periculum ſibiipſi inferendi damnum, eo quod opinio negans poſſit à parte rei eſſe vera, & eapropter ex duobus malis hic minus eſt eligendum, ut ſcilicet fiat reſtitutio pro medietate; etenim cum uterque habeat probabile jus, æquitas poſtulat, ut uterque æqualiter participet de re ad quam habet jus. Ex his colliget prudens confeſſarius quid faciet cum pœnitente, qui inſtitutus eſt hæres in teſtamento minus ſolemni & qui ſub ſe habet omnia bona teſtatoris, quæ per forum externum cogitur reſtituere hæredi ab inteſtato, an ſcilicet is in foro conſcientiæ poterit ſibi retinere illorum mediatem. Reſp. affirmativè; quia cum uterque habeat æque probabile jus, æquitas poſtulat, ut uterque æqualiter participiet de re ad quam habet jus.

Dices in dubio facti negativo v. g. ego dubito an liber ille quem bona fide poſſideo ſit Petri ego non teneor ad reſtitutionem pro medietate juxta axioma, in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, ergo neque in dubio opinionum.

Reſp. neg. conſeq. & ratio eſt, quod in dubio facti poſſeſſio faveat poſſeſſori, cujus conditio in dubio eſt melior, eo quod in tali dubio poſſeſſio faciat præſumptionem, rem eſſe illius, qui

Digitized by Google

illam poſſidet, quod non habet locum in dubiis opinionum.

Debitor qui non eſt omnibus ſolvendo, quibus debeat ſolvere.

XXX. Quid aget Confeſſar. cum pœnitente pluribus debitis gravato, quibus omnibus non eſt ſolvendo, qui petit an unum creditorem ſibi amicum, poſſit omnibus aliis præferre.

Reſp. Illum debet monere, ut ſervet ordinem à jure & conſuetudine præſcriptum, ita quidem, ut ſi res aliqua aliena exſtet apud ipſum, illa ante omnia eadem numero domino ſuo ſit reſtituenda. 2. debita ex juſtitia ſunt præferenda debitis ex liberali promiſſione contractis. 3. debita certa ſunt præferenda debitis incertis, id eſt debita, quorum creditores cognoſcuntur, prius ſunt ſolvenda, quam illa quorum creditores ignorantur. 4. Inter debitores certos prius eſt ſolvendum venditori, cui pretium rei ſuæ necdum eſt perſolutum re venditâ exſtante, eo quod illius necdum abſolutum ſit tranſlatum dominium. 5. Solvendum prius creditoribus hypothecariis quam perſonalibus. Et inter hypothecarios, illis prius, qui priores tempore. 6. ſi adhuc ſuperſint aliqua bona pro ſolvendis ſaltem aliquibus debitis perſonalibus, poterit uni creditori prius petenti integrè ſatisfacere etiam cum damno aliorum, eo quod ejus diligentia fecerit illum jure potiorem; quod tamen injuſtè faceret, ſi illi integrè ſolveret non petenti.

Ordo ſervandus in ſolutione debitorum.

XXXI. Petes quid aget Confeſſarius cum filia quâdam, quæ anno ætatis ſuæ 12. necdum completo emiſit votum perpetuæ caſtitatis, & modo exiſtens in ætate 24. annorum optat inire matrimonium, ſed obſtat illud votum, quid illi conſulendum.

Votum ante annos pubertatis emiſſum poteſt à parentibus aut aliis ſuperioribus irritari.

Reſp. Quandoquidem illa eo tempore, quo votum emiſit erat impubes (nam filiæ cenſentur tales uſque ad annum ætatis 12. completum, filii vero uſque ad annum ætatis 14. completum) eſſe ſatis tutum in praxi illud irritari poſſe à patre vel tutore, aut iis deficientibus à magiſtro vel ſuperiore cui ſubſunt, eo quod illud votum ex juris interpretatione ſit conditionatum, nempe ſi pater, tutor, aut ſuperior, non contradixerit, quam conditionem per tractum temporis non amiſit.

Sed quid ſi dictum votum in annis pubertatis ratificaverit. Reſp. ſi illud ratificaverit, putans illud eſſe tam validum, ut non poſſit irritari, illud adhuc poſtea irritari poterit, quia ratificatio illa accidit ex errore, quo putavit illud irritari non poſſe. Idem dicendum venit de

voto

Digitized by Google

voto religionis ante annum pubertatis emiſſo, eo quod omnia vota impuberum ex interpretatione juris habeant antedictam conditionem annexam, ob ætatis illius imprudentiam.

XXXII. Quid faciet confeſſarius cum adoleſcente, qui aſſuetus tactibus impudicis emiſit hoc votum, ſi adhuc ſemel unum tactum impudicum admittam, voveo religionem; poſt quod votum denuo labitur, adeoque agnoſcens ſuam fragilitatem vult inire matrimonium; an ejuſmodi votum ſit reſervatum Pontifici, an vero Epiſcopus cum illo poſſit diſpenſare.

Poteſt quandoque Epiſcopus diſpenſare in voto religionis.

Reſp. Epiſcopum poſſe cum illo diſpenſare, nec tale votum quantumvis religionis aut perpetuæ caſtitatis eſſe reſervatum Pontifici. Quippe cui reſervantur ſola vota ſpontanea ejuſmodi, ex affectu religionis aut caſtitatis emiſſa: cum enim reſervationes ſint odioſæ, illæ ſunt ſtrictè interpretandæ; votum vero illius adoleſcentis non fuit factum ex amore rei quam vovit, ſed ſolum in pœnam, ut illius metu ſibi in poſterum caveret ab impudico contactu, & conſequenter poterit Epiſcopus in eo diſpenſare.

XXXIII. Quid aget Confeſſarius cum pœnitente qui in materia gravi uſus eſt reſtrictione mentali v. g. in materia juramenti.

Reſtrictiones mentales male.

Reſp judicabit ipſum graviter peccaſſe, quia cum illa exterior propoſitio ſit falſa, vocavit Deum in teſtem falſi. 2. Reverentia divini numinis obligat; ut illud verificemus, quod prudenter viſi ſumus aliis jurare. 3. Reſtrictiones illæ mentales continent manifeſtum abuſum vocum, tolluntque omnem converſationem. Licitum tamen eſt quandoque uti reſtrictione, quando ſcilicet illa de jure vel conſuetudine vocibus ineſt. Et eapropter non peccat reus, qui interrogatus à judice an commiſerit homicidium, quod necdum eſt ſemiplene probatum, illud negat, eò quod judex ipſum de jure cenſeatur tantum interrogare de homicidio publico, quod ipſe negat.

XXXIV. Petes quid judicabit Confeſſarius de pœnitente qui per æquivocationem juravit verum, ſecundum ſuam mentem; ſed falſum ſecundum mentem exigentis, hoc eſt juravit alio ſenſu quam alter intelligat, an mortaliter peccarit ita jurando.

Licet ex juſta cauſa mi

Reſp. ſi is habuerit juſtam cauſam utendi æquivocatione eum non peccaſſe, cum enim tunc

Digitized by Google

æquivo-cationis. non obligaretur loqui ad mentem alterius, poterat propoſitionem, quæ patiebatur duos ſenſus in alio ſenſu intelligere. Quod ſi vero abſque ullâ neceſſitate ſic per æquivocationem juraverit, adeoque ſponte ſua ſe ad ſic jurandum obtulerit vel juſte compulſus eſt ad jurandum in judicio, vel in contractu, talis peccavit mortaliter, eo quod in contractibus ex ejuſmodi æquivocatione oriatur magna deceptio, & in judiciis magna perverſio.

Non tamen in contractibus aut judiciis.

XXXV. Quid conſulendum pœnitenti volenti condere ſuum teſtamentum & Confeſſarium ſuum deſuper interroganti.

Suadendum hominibus ut teſtamentum in ſtatu gratiæ exiſtentes, condant.

Reſp. ante omnia monendus ut Deo ſeſe prius per ſinceram confeſſionem reconciliet, & tunc demum teſtamentum condat, quando moraliter putat ſeſe eſſe in ſtatu gratiæ, eo quod legata, quantumcumque multa & pia, relicta in teſtamento confecto ab homine exiſtente in peccato mortali, nihil proderunt animæ ejus, neque quoad meritum neque quo ad ſatisfactionem, eſto quoque poſtea in ſtatu gratiæ moriatur, eo quod ejuſmodi opera ab initio fuerunt mortua, nec umquam revixerint: & eapropter ſi talis pœnitens fortè in ſtatu peccati mortalis teſtamentum ſuum condiderit, illi conſulendum, ut ſuſceptis Sacramentis, & collocatus in ſtatu gratiæ illud, & omnia legata in eo ordinata per novum conſenſum approbet atque ratificet: nam ſic per talem novum conſenſum & & novam quaſi donationem, quæ anteà nullius apud Deum erant valoris, proderunt partim ad merendam vitam æternam, partim ad ſatisfactionem pro peccatis commiſſis.

XXXVI. Quid aget Confeſſarius cum fœmina pœnitente quæ incerta de morte primi mariti, qui multis annis abfuit, inivit ſecundas nuptias.

Quid agendum ea quæ incerta de morte abſentis mariti, duxit virum.

Reſp. ejuſmodi eſſe in ſtatu peccati mortalis, nec poſſe abſolvi, niſi hunc ſecundum deſerat, eo quod cùm ſupponatur illa manere incerta de morte prioris mariti, ille cenſeri debet adhuc vivere & tam diu, donec probatus fuerit mortuus, quod cum hactenus probatum non fuerit, præſumptio & poſſeſſio ſtat pro valore prioris matrimonii; in tantum ut hæc pœnitens ſeſe toties cenſeatur exponere periculo adulterii adeoque peccare, quoties cum ſecundo marito commiſcetur ſive per petitionem ſive per redditionem debiti.

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII. Quid agendum ſit Confeſſario cum pœnitente à nativitate ſurdo & muto à nativitate.

Reſp. reſolutionem hujus dubii vide ſupra tract. 4. dub. 7. de Euchariſtia.

XXXVIII. Denique petes quid aget Confeſſarius cum aliquo pœnitente in dignitate conſtituto quem ſcit non ſatisfacere ſuæ obligationi circa collationem paſtoratuum, electionem miniſtrorum eccleſiæ, gubernationem ſubditorum ſuorum, diſtributionem eleëmoſinarum de redditibus eccleſiaſticis &c.

Quid agendum cum pœnitentibus potentibus qui obligationibus ſibi incumbentibus ex juſtitia, non ſatisfaciunt.

Reſp. quia rarò contingit ignorantiam ſimilium rerum eſſe invincibilem & inculpabilem, & etiamſi talis eſſet, ut ſecum non afferat plurima ſcandala in ſubditis, qui facile exiſtimant ſibi licere, quæ ſuperioribus ſuis vident placere: confeſſarius obligatur ejuſmodi pœnitentem, quantumvis magnatem, qualiſcumque ille ſit, monere de ſuis obligationibus; nec ullatenus ſatisfaciet abſolvendo talem pœnitentem de peccatis, quæ confitetur; ſed potius hoc agens, imponet humeris ſuis peccata & noxios errores, quos in tali pœnitente diſſimulat, & cæco cæcum ducente ambo deſcendent in infernum. Quod ſi verò confeſſarius de illis defectibus certus non ſit, ſed tamen habeat fundamentum ſuſpicandi aut dubitandi, an hujuſmodi pœnitens ſatisfaciat obligationibus ſuis, debet illum interrogare quomodo ſeſe in hujuſmodi rebus gerat; qui ſi rem ita inveniat, obligabitur ipſum deſuper fortiter, attamen benignè, admonere, nec formidare vultum potentis, ſi & animæ ſuæ, & pœnitenti, velit conſultum.

QUÆSTIO IV.

De Reſervatione caſuum

DUBIUM I.

An ſit in Eccleſia poteſtas reſervandi caſus.

Caſuum reſervatio à primis temporibus in Eccleſia uſurpata.

PRænotandum primò quod hæc caſuum reſervatio a primis temporibus in Eccleſia fuerit uſitata, cujus luculentum teſtimonium adfert D. Cyprianus in epiſt. quæ incipit *Miror vos Fratres*; in qua monet Chriſtianos coactos adorare idola, coram Epiſcopo exomologeſim facere debere, aſſerens eos non poſſe aliter pœnitentiam competenter agere, niſi morte præventi ad Epiſcopum venire non poſſent; cujus hæc ſunt verba, „Occur-

„rendum

Digitized by Google

„ rendum puto fratribus noſtris „ idololatrare coactis, ut qui „ libellos à martyribus accepe- „ runt, ſi incommodo aliquo „ aut infirmitatis periculo occu- „ pati fuerint, non exſpectent „ præſentiam noſtram, ſed apud „ presbyterum quemcumq; exo- „ mologeſim facere delicti ſui „ poſſint, ut manu eis pœniten- „ tiæ impoſitâ, veniant ad Do- „ minum cum pace, quam dari „ martyres in litteris ad nos fa- „ ctis deſideraverunt. „ Aliud antiquitatis teſtimonium eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica apud Soſomenum lib. 3. cap. 23. & 24. ubi narratur S. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus excommunicaſſe Theodoſium Imperatoratorem ob injuſtam cœdem in urbe Theſſalonica patratam, ejuſque peccati pœnitentiam & abſolutionem ita ſibi reſervaſſe, ut nullus ſacerdotum inferiorum Imperatorem Eccleſiæ reconciliare auderet.

Eſtque de fide in Eccleſia eſſe poteſtatem caſus reſervandi.

Eapropter quod in Eccleſia ſit poteſtas caſuum reſervandorum, eſt de fide definitum in Concil. Trid. ſeſſ. 14. can. 11. his verbis, „ ſi quis dixerit Epiſ- „ copos non habere jus reſervan- „ di ſibi caſus niſi quo ad exter- „ nam politiam; atque adeo ca- „ ſuum reſervationem non pro- „ hibere quò minus ſacerdos à „ reſervatis verè abſolvat: ana- „ thema ſit.

Illa poteſtas caſus reſervandi fundatur in natura judicii.

Porro fundatur hæc poteſtas reſervativa caſuum in ipſa natura judicii, in qua fundatur eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ: nam ſicuti in foro externo poteſt judex ſuperior reſervare ſibi aliquas cauſas graviores quas non vult deferri ad judicem inferiorem, ita quoque contingit in foro interno.

Dices, hanc eſſe diſparitatem inter forum externum & internum, quod in foro externo poteſtas inferioris omnimodè & totaliter dependeat à poteſtate ſuperioris; unde non eſt mirum quod ab ea poſſit limitari, quod non habet locum in foro interno, in quo omnes ſacerdotes æquali poteſtate ſententiam ferunt, utpote in ſua ordinatione æqualiter illam accipientes; quippè cum omnibus & ſingulis in ſua ordinatione dicatur, *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.*

Non eſt eadem poteſtas juriſdictionis completa in omnibus ſacerdotibus.

Reſp. negando antecedens pro poſteriori parte: nam licet omnes ſacerdotes æqualiter accipiant poteſtatem ordinis à Chriſto, prout & poteſtatem juriſdictionis, ſaltem incompletam (quod verba Scripturæ probant) illa tamen compleri debet & perfici per applicationem materiæ

riæ & aſſignationem ſubditorum in quos hæc poteſtas exerceatur quæ per ſuperiores datur; in quorum poteſtate, ſicuti eſt dare ſubditos, ita quoque in ipſorum poteſtate eſt illos ſubdere aut non ſubdere quoad aliquos caſus.

Dices, ſi ſit eadem ratio fori interni & externi quoad reſervationem caſuum, quare ergo in foro externo licitum eſt appellare à ſententia judicis inferioris ad ſuperiorem, quod tamen non licet in foro interno.

Reſp. rationem diſparitatis eſſe quod in foro externo tota poteſtas judiciaria derivetur à judice ſuperiori ad inferiorem: unde mirum non eſt quod judex ſuperior poſſit ſibi reſervare ultimum judicium, quod non contingit in foro pœnitentiæ, quia uti dictum eſt, ſola applicatio materiæ eſt à ſuperiore; poteſtas verò Ordinis & juriſdictionis ſaltem incompleta, æqualiter ab omnibus accipitur à Chriſto.

Petes, an expediat eſſe poteſtatem reſervandi caſus in Eccleſia Dei.

Cur expediat in Eccleſia reſervari certos graviores caſus ſuperioribus.

Reſp. affirmativè; & hoc ideo ut aliquorum peccatorum gravitas & enormitas magis eluceſcat, & homines ſeſe ab illis perpetrandis contineant, & reddantur poſt hac cautiores ad ſimilia peccata perpetranda ob difficultatem impetrandæ abſolutionis: & eapropter ſicuti morbi graviores reſervantur peritioribus medicis, ita quoque expedit morbos ſpirituales graviores reſervari ſuperioribus tamquam aptioribus medicis ad remedia illis opportuna applicandum: expedit tamen ſaluti animarum ut non nimis multi caſus à ſuperioribus reſerventur, ſive reſpectu regularium ſive ſæcularium, idque ne confeſſio reddatur nimis onéroſa & odioſa.

Vigente Canonũ pœnitentialium rigore vigebat fidelium innocentia, illo relaxato abundavit iniquitas.

Porro quantoperè ſaluti animarum expediat hæc caſuum reſervatio, probatur ex diſciplina primitivæ Eccleſiæ; nam quamdiu Patres ſervarunt rigorem antiquorum canonum quibus graviora crimina ſuperiorum judicio reſervabantur, & certæ pœnitentiæ dabantur, floruit religio Chriſtiana ſimul & fidelium innocentia; poſteaquam verò remiſſius & laxius cum pœnitentibus agi cœptum eſt, periit innocentia vitæ, & cœpit abundare iniquitas: quod, proh dolor! lugemus.

Quid caſus reſervatus & unde ſic dictus.

Petes, quid ſit caſus reſervatus, & unde talis dicatur?

Reſp. derivatur à cadendo: & accipitur pro peccato aliquo externo; in quod, dum quis cadit,

non poteſt à quolibet Confeſſario abſolvi.

Petes, quid ſit caſuum reſervatio.

Quid caſuum reſervatio.

Reſp. eſt ſubſtractio poteſtatis abſolvendi à particularibus aliquibus peccatis, eſto hæc concedatur circa alia.

Petes, an ſit adæquatè ſubſtractio juriſdictionis.

Reſp. nequaquam; nam cum ad abſolutionem à peccatis duo requirantur, juriſdictio ſcilicet, & approbatio, poteſt hæc reſervatio fieri vel per ſubſtractionem juriſdictionis, vel approbationis: & ita Epiſcopus quandoque reſervat ſibi aliqua peccata reſpectu regularium à juriſdictione ſua exemptorum, per nudam ſubſtractionem approbationis in ordine ad hujuſmodi peccata.

Illa reſervatio fieri non debet niſi ex gravi cauſa.

Petes, quâ de cauſâ peccata poſſint reſervari.

Reſp. ex valde gravi tantum, & rationabili cauſa: unde Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ait hanc poteſtatem competere Epiſcopis in ædificationem tantum & non in deſtructionem.

Petes, an ergo reſervatio caſus, facta ſine rationabili cauſa, ſit invalida.

Reſp. negativè; ſaltem facta reſpectu inferioris habentis ſolam poteſtatem delegatam: ratio eſt quia juriſdictio quæ datur inferiori pendet omnimodè ex nutu ſuperioris; qui proinde, ſicut illam poteſt auferre pro toto, ita quoque illam poteſt auferre pro parte.

Reſervatio facta ſine cauſa aliquorum reſpectu eſt valida, aliorum vero invalida.

Porro addidi *reſpectu inferioris habentis poteſtatem delegatam*, quia reſpectu inferioris habentis poteſtatem ordinariam, qualis eſt poteſtas Paſtoris, illa erit invalida facta ab Epiſcopo ſine cauſa: & ratio eſt quia juriſdictio & approbatio ſemel data Paſtori ab Ordinario non ita dependent in conſervari à ſuperiore Epiſcopo ut ad nutum ejus poſſit auferri pro toto, ergo neque pro parte.

Attamen pro praxi notandum numquam reſervationes Epiſcoporum reſpectu Paſtorum eſſe contemnendas: & eapropter quamdiu non conſtat manifeſtè eſſe injuſtas, ſemper præſumendum eſt illas juſtè eſſe factas; nam cum conſtet de ejus poteſtate, & non conſtet de injuſtitia cauſæ, mandatum illorum eſt in poſſeſſione.

Nihilominus tamen in hac caſuum reſervatione oportet ſuperiores eſſe prudentiſſimos, paucos reſervando quos judicaverint maximè neceſſarios ſaluti animarum & retinendæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ad quod paternè eos monet Clemens VIII. in Decreto

creto ſuper abſolutione à reſervatis.

Reſervatio illa debet eſſe moderata.

Certè Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis in 2. parte improbat hanc improvidam caſuum reſervationem, etiam in gravioribus ſpeciebus peccati carnalis, quando illud eſt occultum, eò quod, inquit, conſtet per illam innumeros retrahi à confeſſione ejuſmodi peccatorum, & experientia doceat quod hic terror reſervationis paucos cohibeat à peccatis, plurimos verò retrahat à confeſſione, præſertim mulieres & puellas carnaliter lapſas.

Petes, an in articulo mortis ſit aliqua reſervatio caſuum.

In mortis articulo nulli caſus nec cenſura ulla eſt reſervata.

Reſp. negativè, prout patet ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. his verbis, „verumtamen piè admodum, ne hac occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuit ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque adeo omnes ſacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt; extra quem articulum cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur ut ad ſuperiores, ut legitimos judices, pro beneficio abſolutionis accedant.

DUBIUM II.

Quænam peccata reſerventur.

Peccata venialia non reſervantur.

Dico 1. peccata venialia non cadunt ſub reſervatione, quia cum non ſit obligatio illa confitendi, reſervatio illorum eſſet inutilis, quod & locum habet in mortalibus ſemel ritè confeſſis.

Nec mortalia merè interna, licet poſſunt.

Dico 2. peccata mortalia interna, etſi reſervari poſſent (nam poſſet ſubſtrahi poteſtas ab illis abſolvendi) de facto tamen nulla talia ſunt reſervata.

Dico 3. peccata mortalia externa etſi omnia reſervari poſſent, attamen ex illis graviora tantum & atrociora reſervantur; nec ſane expediret bono animarum ut omnia mortalia externa reſervarentur reſpectu ſæcularium: reſpectu regularium verò, eſto ſint qui dicunt hoc antiquis temporibus fuiſſe uſitatum, modò tamen non expediret, utpote fragilitati humanæ minus conſentaneum: & eapropter poteſtatem ſuperiorum regularium quò ad reſervationem caſuum limitavit Clemens VIII ad paucos tantum, eoſque determinatos.

Petes, quid ſi quis committeret aliquod peccatum mortale furti in parva quantitate, quia nempè id faceret animo peccan-

Digitized by Google

di mortaliter, an incurreret is caſum reſervatum, poſito quod furtum eſſet caſus reſervatus.

Qui cõmiſit peccatum dubium: aut actũ de quo dubitat an ſit reſervatus, an habeat caſum reſervatum.

Reſp neg. eſto enim hujuſmodi actus eſſet mortalis ratione finis mortalis, non tamen ratione actus externi quod tamen ad caſum reſervatum requiritur.

Petes, an peccatum externum mortale dubium ſit caſus reſervatus: adeoque an is qui dubitat an commiſerit peccatum reſervatum, vel ſi commiſerit actum, hęreat tamen ſuſpenſus an ſit peccatum mortale an veniale an talis habeat caſum reſervatum.

Reſp. neg. quia reſervatio eſt odioſa, adeoque ſtrictè interpretanda; & eapropter ſuperior non præſumitur velle reſervare ejuſmodi peccata dubia.

Petes, quid ſi quis ergo confeſſus fuiſſet ejuſmodi peccatum dubium alicui Confeſſario non habenti poteſtatem abſolvendi à reſervatis, & poſtea certò cognoſcat ſeſe illud commiſiſſe, an obligabitur illud denuo confiteri

Reſp. Aff. prout adhuc ſupra inſinuavimus; non tamen obligabitur illud denuo confiteri presbytero habenti poteſtatem abſolvendi à reſervatis, ſed ſufficit illud confiteri cuicumque Confeſſario approbato & expoſito; eò quod reſervatio cadat in ſolum peccatum mortale certò commiſſum & numquam per abſolutionem remiſſum.

Qui peccatum reſervatum confeſſus eſt eſt habenti poteſtatem abſolvendi ab illo, tamen invalidè defectu contritionis abſolutus eſt non poteſt illud confiteri alteri non habenti poteſtatẽ à reſervatis.

Petes, quid ſi pœnitens habens caſum certò reſervatum, fuerit quidem confeſſus habenti poteſtatem à reſervatis, ſed invalidè defectu doloris, aut integritatis confeſſionis, an ille remanebit abſolutus quoad reſervationem; ita ſcilicet ut poſſit illud poſtmodum confiteri cuicumque Confeſſario approbato non habenti poteſtatem à reſervatis.

Reſp. Aff. quia Confeſſarius abſolvens, intendit abſolvere in quantum poteſt, ſed tunc poteſt tollere reſervationem; ergo cenſendus eſt illam ſuſtuliſſe, nam actus qui non valet ut agitur, valet quantum valere poteſt: & eapropter cum talis abſolutio non valeat quoad remiſſionem culpæ, valebit ſaltem quod abſolutionem à reſervatis.

Dices abſolutio à reſervatis eſt Sacramentalis, ſed dum Sacramentum eſt invalidum, non eſt ſacramentalis abſolutio; nam illud non poteſt præſtare effectũ quod de jure non ſortitur effectum.

Qui tamen in vim Iubilai ſic eſſet abſolutus invalidè

Reſp. abſolutionem à reſervatis non eſſe ſemper ſacramentalem, quandoquidem etiam poſſit obtineri extra Sacramentum pœnitentiæ.

Nota tamen quod ſi quis tempore

non cenſeretur abſolutus à reſervatis.

pore jubilæi eſſet invalidè confeſſus Confeſſario habenti poteſtatem à reſervatis in vim jubilæi ille non eſſet abſolutus à reſervatione, quia tunc non conceditur Confeſſario abſoluta facultas abſolvendi quoſlibet pœnitentes à reſervatis, ſed verè pœnitentes, quales non ſunt qui invalide confitentur.

An qui in vim jubilæi abſolutus eſt à reſervatis, ſi non impleat conditiones in illo requiſitas remaneat abſolutus

Petes, an qui tempore jubilæi eſt abſolutus à cenſuris & peccatis prævià validâ confeſſione non maneat ab illis abſolutus etſi poſtea non ponat conditiones ad conſecutionem jubilæi requiſitas.

Reſp. affirmativè; dummodo confeſſus ſit cum animo præſtandi omnia ad lucrationem jubilæi neceſſaria: ratio eſt quia abſolutio non fuit data ſub conditione, ſed abſolute; ſecus verò ſi defuerit ille animus: nam cum Pontifex tunc concedat poteſtatem à reſervatis per ordinem ad conſequendum jubilæum, ſequitur quod deficiente conditione præſtandi neceſſaria, talis non conſequatur abſolutionem à reſervatis.

An qui tempore jubilæi abſolutus à reſervatis in illa iterum incidit in vim illius poſſit abſolvi.

Petes, an qui obtinuit abſolutionem à reſervatis primâ hebdomadâ jubilæi ſi denuo reincidat, poſſit virtute jubilæi rurſus ab illis abſolvi.

Reſp. negativè, eo quod jubilæum communiter concedatur ſub forma diſjunctiva, non verò ſub copulativa: & ea propter qui ſemel illud obtinuit, non poteſt denuo virtute jubilæi à caſibus reſervatis abſolvi.

Qui in vim jubilæi abſolutus eſt à reſervatis, cenſetur etiam abſolutus à reſervatione peccati obliti.

Petes, an pœnitens qui tempore jubilæi eſt abſolutus à reſervatis, & invincibiliter oblitus eſt unius, ſit quoque ſublata reſervatio iſtius peccati obliti, ita ut poſtmodum illud poſſit confiteri cuicumque Confeſſario etiam non habenti poteſtatem à reſervatis.

Reſp. affirmativè; quia Confeſſarius illum tempore jubilæi abſolvens, intendit illum abſolvere quantum potuit, & conſequenter etiam ab hac reſervatione.

DUBIUM III.

Quinam & quot ſunt caſus reſervati ſummo Pontifici.

Nullum peccatum Pontifici reſervatur, niſi ratione adjunctæ cenſuræ ipſi reſervatæ.

SUpponendum primò tamquam principium certum nullum eſſe peccatum reſervatum ſummo Pontifici niſi ob annexam illi cenſuram Pontifici reſervatam: & ea propter tot ſunt peccata Pontifici reſervata quot ſunt reſervatæ illi cenſuræ. Cum verò cenſura ſit triplex nempe excommunicatio, ſuſpenſio & interdictum, quot erunt hujuſmodi

modi cenſuræ Papæ reſervatæ tot erunt peccata reſervata: & hinc fit quod dum Pontifex per jubilæum aut per aliam bullam concedit facultatem abſolvendi à cenſuris ſibi reſervatis, poſſint Confeſſarii delegati, ab omnibus peccatis illi reſervatis abſolvere, quamvis indultum Apoſtolicum nullam faciat de peccatis mentionem; eò quod cenſuræ & peccata ita ſint ſibi connexa, ut conceſsâ facultate abſolvendi à cenſuris, cenſeatur etiam conceſſa poteſtas abſolvendi à peccatis reſervatis, & econtra.

Porro numerus caſuum Papæ reſervatorum non poteſt adæquatè aſſignari; eò quod creſcente quotidie malitià peccatorum, creſcant quoque ſummorum Pontificum excommunicationes & cenſuræ: quia tamen neceſſe eſt ut Confeſſarius hujuſmodi caſus magis obvios cognoſcat.

Caſus contenti in Bulla Cœnæ Domini ſunt Pontifici reſervati.

Nota 1. omnes caſus contentos in bulla cœnæ, Pontifici reſervari: eſt autem bulla cœnæ proceſſus deſcriptus in charta, ſeu potius Litteræ Apoſtolicæ munitæ ſigillo plumbeo ipſius ſummi Pontificis quo ipſæ ſignantur & bullantur.

Et qui ſint illi.

Caſus autem ſeu excommunicationes quæ in dicta Bulla continentur ſunt hæ ſequentes.

1. In omnes hæreticos, & legentes libros hæreticorum ſine licentia ſummi Pontificis.

2. Appellantes à Papa ad futurum Concilium Generale.

3. In Piratas. Auferentes bona Chriſtianorum naufragantium, aut ſcienter ab aliis rapta accipientes.

4. In eos qui imponunt nova pedagia, ſeu gabellas, ſine legitima poteſtate.

5. In falſificantes Litteras Apoſtolicas.

6. In deferentes arma ad Chriſtiani nominis hoſtes, quibus Chriſtianos oppugnent.

7. Contra impedientes & invadentes eos qui victualia aut alia neceſſaria ad uſum Romanæ curiæ deferunt.

8. Contra eos qui ex propoſito peregrinos ex devotione Romã, petentes ſpoliant aut offendunt.

9. In hoſtiliter inſequentes, interficientes, mutilantes, offendentes, Patriarchas, Cardinales, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Sedis Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eoſdem ejicientes ex ſuis Diœceſibus.

10. In eos qui directè vel indirectè percutiunt, occidunt, aut bonis ſpoliant eos qui ad Romanam curiam accurrunt pro ſuis negotiis, vel horum negotiorum Advocatos agentes.

11. In

Digitized by Google

11. In Officiales Principum ſæcularium, & Prælatos Eccleſiaſticos qui cauſas Eccleſiaſticas à judicibus Apoſtolicis amovent, & actores ad revocanda impetrata compellunt.

12. In judices ſæculares qui Eccleſiaſticas perſonas, præter Juris Canonici diſpoſitionem, ad ſuum tribunal trahunt, vel trahi faciunt; quique Eccleſiaſticam libertatem tollunt, lædunt, deprimunt, aut quovis modo reſtringunt, unde Romanæ Eccleſiæ aut quarumcumque Eccleſiarum juribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè præjudicatur.

13. In impedientes Prælatos Eccleſiaſticos ne ſua juriſdictione Eccleſiaſticâ contra quoſcumque utantur juxta Canones & decreta Conciliorum.

14. In uſurpantes Sedis Apoſtolicæ & quarumcumque Eccleſiarum juriſdictiones, fructus, reditus, & proventus ſine expreſſa licentia Papæ.

15. In imponentes collectas, decimas, tributa & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſiis, monaſteriis, aut eorum fructibus abſque ſpeciali & expreſſa licentia ſummi Pontificis: item in exequentes, procurantes, dantes conſilium; auxilium favorem, ſuffragium, palam, vel occultè.

16. In judices ſæculares in cauſis capitalibus ſeu criminalibus contra perſonas quaſque Eccleſiaſticas ſe interponentes procеſſandò, ſententias proferendo, aut exequendo; nec valent privilegia contraria.

17. In occupantes terras, & loca Eccleſiæ Romanæ, & in illis ſupremam juriſdictionem exercentes.

18. In raptores ſuppellectilium, librorum, ſcriptorum & bonorum Cameræ & Palatii Apoſtolici ex eodem Palatio, tempore infirmitatis Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ vacationis.

Omnes hæ cenſuræ & peccata, propter quæ incurruntur, ſunt reſervata Sedi Apoſtolicæ; & ſi aliqui Confeſſarii temerè ab illis abſolvere præſumpſerint, præterquam quod nihil efficiant, ipſo facto excommunicationem incurrunt: ac proinde mandat ſua Sanctitas ut omnes Confeſſarii, tam ſæculares, quam regulares habeant copiam harum excommunicationum. *Confeſſarii ſine licentia à talibus caſibus abſolventes incurrunt excommunicationem.*

Porro præter ſupradictas excommunicationes reſervatas ſummo Pontifici in Bulla Cœnæ, dantur adhuc aliæ reſervatæ extra dictam Bullam, partim in Jure Canonico expreſſæ, potiſſimùm in Clementinis & Extravagantibus, partim in Brevibus Apoſto-

Apoſtolicis necdum Corpori Juris inſertis, quarum aliquæ indifferenter concernunt tam ſæculares quam regulares, aliquæ verò ſolos regulares.

Caſus alii extra Bullam Cœnæ reſervati Pontifici. Modò tamen ſecundum declarationem Clementis VIII. datam Romæ 26. Novemb. 1602. reſervantur Pontifici extra Bullam Cœnæ ſoli caſus ſequentes.

1. Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ, in terminis conſtitutionis felic. rec. Gregorii XIV. quæ incipit. *Cum alias nonnulli.*

2. Violatio clauſuræ monialium ad malum finem.

3. Provocantes & pugnantes in duello; juxta decretum S. Conc. Trid. & conſtitutionem felic. rec. Greg XIII. quę incipit: *ad tollendũ.*

4. Violenta injectio manus in Clericos; juxta Canonem: *ſi quis ſuadente diabolo.* 17. q. 4.

5. Simonia realis ſcienter contracta; atque etiam confidentiæ beneficialis.

Præterea contra Religioſos cujuſcumque Ordinis qui ſine licentia expreſſa Parochi præſumunt adminiſtrare Clericis aut laicis Sacramentum extremæ unctionis, aut Euchariſtiæ. Clement *Religioſi* de Privilegiis.

Inſuper contra dantes & accipientes aliquid ob ingreſſum in aliquod monaſterium: ut patet in Extravangante ſane ne in vinea de Simonia.

DUBIUM IV.

An ſupra nominati caſus Papales fiant quandoque Epiſcopales.

A caſibus qua Papa ſecundum ſe reſervantur, ſi ſint occulti, poteſt Epiſcopus abſolvere. Reſp affirmativè; & hoc I. generaliter verum eſt quotieſcumque ejuſmodi Papales fiunt occulti: ut patet ex Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. in verbis, „ liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſe ipſum ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſitâ pœnitentiâ ſalutari.

Et etiam quando illi ſunt publici. in certis caſibus. II. Caſus Papales etiam publici, ſuperveniente legitimo impedimento adeundi Papam, fiunt Epiſcopales: & hâc ratione excuſantur pauperes mechanici non habentes conſuetudinem mendicandi, ſi incidant in caſum Papæ reſervatum, item ſenes valetudinarii & membris capti: prout patet ex cap. *ea noſcitur.*

Digitized by Google

citur. De Sentent. Excom. præterea qui capitales inimicitias gerunt, ita ut ſine vitæ periculo ſe viæ committere non poſſint: inſuper qui ſui juris non ſunt, ut ſervi & filii familias, ſi illorum Domini aut Parentes obſtent illorum itineri: ut patet ex cap. *Mulieres*.

Præterea qui ob curam adminiſtrandi familiam, gerendi officium publicum, vel ob periculum infamiæ aut ſcandali, impediti ſunt quò minus Romam, causâ petendæ abſolutionis proficiſcantur: quod ſi tamen ejuſmodi impedimenta tantùm ſint temporanea, tunc jurare debet abſolvendus, quod ceſſante impedimento ſeſe Apoſtolico conſpectui præſentabit, non quidem ut iterum abſolvatur, ſed ut debita Eccleſiæ obedientia præſtetur: prout patet ex cap. *Quamvis* de Sentent. Excomm.

Impuberes non habent peccata Pontifici reſervata.

III. Caſus Papales fiunt quandoque Epiſcopales, ratione qualitatis perſonæ: & ita peccata impuberum, licet ex ſe reſervata Pontifici, fiunt Epiſcopales.

Vti nec Religioſi Ordinariè.

IV. Peccata Religioſorum, quamvis ex ſe Pontifici, reſervata, non ſunt talia judicanda, idque ne ſumant occaſionem vagandi & apoſtatandi: quod tamen cum grano ſalis eſt intelligendum; nam, quamvis illi non ſoleant mitti Romam pro petenda abſolutione, poteſt tamen tanta eſſe criminis atrocitas, ut meritò per ſuperiores mitti debeant: ut patet ex cap. *cum illorum* de Sentent. Excomm.

Nec mulieres.

V. Peccata fœminarum quantumvis ex ſe reſervata Pontifici, tamen ob infirmitatem ſexus & periculum incontinentiæ, partim quia ſunt ſub viri poteſtate, reſervantur Epiſcopo.

VI. Ita quoque peccata Viduarum & puellarum, eſto Pontifici reſervata, tamen ob periculum incontinentiæ deſinunt eſſe talia, & reſervantur Epiſcopo.

Tales abſolvi poſſunt ab Epiſcopo, non tamen ſemper ab eo qui habet facultatē à reſervatis Epiſcopo.

Petes, an habens poteſtatem delegatam abſolvendi à reſervatis Epiſcopo, poſſit à ſupra nominatis caſibus Papalibus, jam factis Epiſcopalibus, abſolvere.

Reſp. negativè; niſi Epiſcopus hanc illi poteſtatem ſpecialiter deleget, quia niſi aliter exprimat, cenſetur illi tantùm concedere facultatem circa peccata ſibi propriâ poteſtate & ordinariâ reſervata, non verò circa extraordinaria, qualia ſunt prædicta.

Digitized by Google

DUBIUM V.

Qui caſus ſint reſervati Epiſcopo.

Epiſcopis competit facultas reſervandi certos caſus.

SUpponendum 1. (quod adhuc ſupra inſinuavimus) Epiſcopos & alios Prælatos habentes juriſdictionem in foro interno, poſſe ſibi aliqua peccata reſervare: prout definitum eſt in Trident. ſeſſ. 14. can. 11. excepto tamen mortis articulo, in quo illi nullum caſum reſervare poſſunt, prout & declaravit Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. Solent autem Epiſcopi extra mortis articulum quandoque ſibi reſervare aliqua peccata cum cenſura, quandoque ſine cenſura, prout patet ex uſu & conſuetudine in ſingulis Epiſcopatibus.

Quidā ſunt illis reſervati à jure, alii à conſuetudine.

Porro caſus Epiſcopo reſervati ſunt in triplici differentia, aliqui nimirum de jure communi, quidam ex generali Eccleſiæ conſuetudine, & alii ex ſpeciali conſuetudine & ſtatutis ſingulorum Epiſcopatuum reſervati ſunt.

De facto nullus eſt caſus à jure reſervatus Epiſcopo.

De facto tamen nullus caſus de jure reſervatus, reſervatur Epiſcopo: unde Epiſcopales ſunt illi ſoli qui vel ex conſuetudine vel ex ſtatuto particulari Epiſcopis reſervantur.

DUBIUM VI.

Qui caſus ſint reſervati Archi-Epiſcopo Mechlinienſi.

Caſus reſervati Archi-Epiſcopo Mechlinienſi.

REſp. hi ſequentes.

1. Sodomia cum omnibus aliis delictis ejuſdem generis gravioribus.
2. Raptus Virginum.
3. Homicidium voluntarium.
4. Incendium ex deliberata voluntate procuratum.
5. Simonia.
6. Hæreſis.
7. Apoſtaſia.
8. Inceſtus cum conſanguineis aut Sanctimonialibus.
9. Injectio manuum violenta deliberato propoſito, cum læſione, in parentes facta.
10. Sortilegium.
11. Adulterium notorium.

Et omnia delicta quæ excommunicationem majorem, à Canone vel ab homine latam annexam habent.

Prædicti caſus ſunt etiam reſervati Epiſcopis comprovincialibus.

Et hi omnes caſus reſervantur quoque Epiſcopis ſuffraganeis Archi-Epiſcopo Mechlinienſi ſcilicet Antuerpienſi, Gandavenſi, Brugenſi, Iprenſi, Silvæducenſi, Ruremundenſi; quippè inſerti Concilio Provinciali 1. habito anno 1570. prout & Paſtorali ad uſum totius Provinciæ, impreſſo anno 1607.

Iprenſi præterea reſervatur Sacrilegium

Iprenſis tamen Epiſcopus ſuperaddit adhuc caſum ſacrilegii, prout conſtat ex ſtatutis Synodalibus illius Diœceſis cap. 21.

Et in Diœceſi Mechlinienſi reſervatur caſus cõplicis in mortali externo venereo.

Denique Illuſtr. Dominus Andreas Crueſen Archi-Epiſcopus Mechlinienſis particulariter in ſua Diœceſi reſervavit quodlibet peccatum mortale externum, contra caſtitatem admiſſum, reſpectu Confeſſarii complicis in eodem peccato, ita ſcilicet ut ille, quantumvis habens poteſtatem à reſervatis, non poſſit validè complicem in eodem ſecum delicto abſolvere, nec ad hoc cenſeatur approbatus.

DUBIUM VII.

Qui caſus ſint reſervati Epiſcopo Leodienſi.

Caſus reſervati in Epiſcopatu Leodienſi.

RESp. hi ſequentes. 1. Hæreſis. 2. Apoſtaſia. 3. Homicidium voluntarium. 4. Injectio manuum in parentes. 5. Machinatio in mortem conjugis. 6. Veneficium. 7. Maleficium. 8. Incantatio. 9. Procuratio abortus. 10 Prolis oppreſſio. 11. Stuprum ſive violenta Virginis defloratio. 12. Raptus. 13. Matrimonium contractum poſt votum caſtitatis, aut in gradu prohibito, ſcienter, vel priore conjuge adhuc vivente. 14. Incæſtus cum conſanguineis aut cum Virgine ſacra ſeu moniali profeſſa. 15. Concubitus contra naturam, puta ſodomia, & ejus generis graviora crimina. 16. Falſitas circa monetam. 17. Falſitas circa litteras alicujus Prælati inferioris Papa. 18. Solemne perjurium. 19. Publica & enormis Blaſphemia in Deum aut Sanctos. 20. Inſignis contumelia illata Sacro-Sanctæ Euchariſtiæ aut Sacris Sanctorum Reliquiis.

DUBIUM VIII.

Qui caſus ſint reſervati Epiſcopo Namurcenſi.

Caſus reſervati Epiſcopo Namurcenſi.

RESp. 1. Hæreſis. 2. Apoſtaſia. 3. Homicidium voluntarium. 4. Incendium voluntate deliberatâ procuratum. 5. Concubitus contra naturam. 6. Raptus Virginum. 7. Inceſtus cum Sanctimonialibus, conſanguineis, vel affinibus in primo vel ſecundo gradu. 8. Adulterium manifeſtum. 9. Manuum violenta injectio in parentes. 10. Veneficium. 11. Sortilegium. 12. Ligatura & omne maleficium quo impeditur actus Matrimonialis in conjugibus. 13. Oppreſſio tenellorum ex negligentia qualibet proveniens. 14. Simonia realis, & omnia alia prædictis graviora in eodem gene-

Digitized by Google

re peccati, Apoſtolicæ tamen Sedi ſuis caſibus ſemper ſalvis.

DUBIUM IX.

Qui caſus ſint reſervati Prelatis Religioſorum.

Religioſorum Prælati non poſſunt ſibi reſervare caſus niſi contentos in Bulla Clement. VIII.

NOtandum Clement. VIII. anno 1593. 26. Maii ſpeciali decreto ſtatuiſſe, quod nullus Religioſorum Prælatus ſibi poſſit reſervare plures caſus, quam infra ſcriptos, qui ſunt numero 11. & quidem vel omnes illos, vel aliquot iſtorum, prout ratio & prudentia dictabunt; & quòd ſi quodvis peccatum grave reſervare voluerint, id nequeant, niſi in Capitulo Generali pro toto ordine, vel in Provinciali pro tota provincia, præmiſſo maturo Conſilio & plurium conſenſu. Et quod non liceat ſuperioribus audire confeſſiones ſuorum ſubditorum, niſi habeant caſus reſervatos, aut aliquis ſubditorum ſpontaneè rogaverit ſuperiorem, ut ſuam confeſſionem audire dignetur.

Aut in Capitulo Generali aut ſaltem Provinciali.

Porro caſus à Clemente VIII. pro Religioſis reſervati ſunt hi infra ſcripti.

Qui ſint illi caſus.

1. Veneficia, incantationes, ſortilegia.

2. Apoſtaſia à religione, ſive habitu retento, ſive remiſſo, quando eò pervenerit, ut extra ſepta monaſterii ſeu conventus fiat egreſſio.

3. Nocturna & furtiva ex monaſterio egreſſio facta etiam animo non apoſtatandi.

4. Proprietas etiam contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

5 Juramentum falſum in judicio regulari, ſeu legitimo.

6. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum, poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.

7. Falſificatio manus aut ſigilli Officialium monaſterii ſeu conventus.

8 Furtum de rebus monaſterii ſeu conventus, in ea quantitate, qui ſit peccatum mortale.

9. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

10. Occiſio aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ

11. Malitioſum impedimentum aut retardatio aut apertio litterarum à ſuperioribus ad inferiores aut econtra.

DUBIUM X.

Ad quem ſpectet caſuum Reſervatio?

REſp. ad illum ſuperiorem ad quem ſpectat conceſſio approbationis aut juriſdictionis. Nam ad illum, ad quem ſpectat con-

Caſus reſervare ad illum ſpe-

Stat qui poteſt juriſdictionem abſolvendi dare.

concedere poteſtatem abſolvendi, ad eundem quoque ſpectat ejuſmodi poteſtatem auferre; & eapropter eſto hæc caſuum reſervatio competere poſſet cuilibet ſuperiori, habenti juriſdictionem ordinariam in foro interno (nam illam poteſt conferre cum limitatione) unde & poſſet competere Parocho reſpectu ſuorum Cappellanorum: uſu tamen in Eccleſiâ receptum eſt, ut ſolus Papa reſervet caſus pro totâ Eccleſiâ; Epiſcopus verò pro ſuâ Diœceſi; ſub Epiſcopo comprehenduntur omnes habentes juriſdictionem Epiſcopalem in foro interno, quales ſunt omnes ſuperiores religionum exemptarum.

Papa nullos caſus ſibi reſervat niſi ratione cẽſura annexa ſibi reſervata. Non ita Epiſcopi.

Petes, qualis ſit diſtinctio inter reſervationem Papalem & Epiſcopalem?

Reſp. hæc quod Papa nullos caſus reſervet niſi ratione annexæ cenſuræ; & eapropter ſi conſtet cenſuram eſſe ablatam, aut eam non eſſe incurſam, ratione invincibilis ignorantiæ juris vel facti, caſus ille non amplius eſt reſervatus Pontifici.

Porro Epiſcopus non ſolum ſibi reſervat peccata ratione cenſuræ annexæ, ſed etiam ratione peccati, eſto nulla ſit annexa cenſura.

Petes, quinam poſſint abſolvere à reſervatis?

Quinã à reſervatis poſſint abſolvere.

Reſp. omnes quotquot ordinariâ vel delegatâ ad hoc gaudent poteſtate, ordinariam autem poteſtatem habet Pontifex pro tota Eccleſia, & Epiſcopus pro tota ſua Diœceſi; item Prælati habentes juriſdictionem Epiſcopalem in foro interno, quales cenſentur, ut diximus, ſuperiores religionum exemptarum.

Petes, an ſolus ille qui peccata reſervavit poſſit ab illis ordinaria poteſtate abſolvere.

Qui habeant ordinariam poteſtatem abſolvendi à reſervatis.

Reſp. negativè, ſed etiam ille qui in hoc foro eſt reſervante ſuperior. Ratio eſt, quia poteſtas ſuperioris extendit ſe in hoc foro ad ea omnia, ad quæ ſeſe extendit poteſtas inferioris. Dixi, *in hoc foro* quia non eſt ſatis quod quis ſit ſuperior dignitate, qualis eſt Archi-Epiſcopus reſpectu ſuorum ſuffraganeorum, ſed debet eſſe ſuperior juriſdictione in hoc foro: & eapropter Archi-Epiſcopus, quà talis, non poſſet abſolvere ſubditum Epiſcopi ſuffraganei, niſi forte in viſitatione.

Petes, an habens poteſtatem à reſervatis poſſit tollere reſervationem extra Sacramentum Pœnitentiæ.

Reſp. affirmativè, ſi ſcilicet habeat poteſtatem ordinariam, ſecus vero ſi tantum habeat delegatam.

Petes, quinam habeant pote-

Digitized by Google

ſtatem delegatam abſolvendi à reſervatis.

Qui habeant delegatã poteſtatem abſolvendi à reſervatis. Illa dari poteſt duplici modo.

Reſp. omnes illi quibus eſt conceſſa facultas ab illis abſolvendi ab habente poteſtatem ordinariam.

Porro hæc poteſtas delegatur duobus modis, nempe directè, ut committendo dictam poteſtatem in terminis alicui Confeſſario: vel indirectè, ut dando pœnitenti licentiam eligendi Confeſſarium, qui eum à reſervatis abſolvat.

Non poſſunt Cõfeſſarii abſolvere à reſervatis pœnitentes titulo illo quia ſunt inſcripti certè Cõfraternitati.

Petes, an Confeſſarius aliquis regularis vel ſæcularis, ſic indirectè poſſit abſolvere pœnitentes à reſervatis, titulo Confraternitatis Sanctiſſimæ Trinitatis, Roſarii, Scapularis, vel alterius, cui ſunt inſcripti?

Reſp. negativè, in quo graviſſimè errant quidam Confeſſarii, jam hoc ipſum non ſine ſacrilegio practicantes.

Probatur primò ex conſtitutione Clementis VIII. deſuper edita; & quidem generaliter quoad omnes Confraternitates 24. Decembris 1604. quæ ſic incipit, *quæcumque à ſede Apoſtolica*, in qua expreſsè vult ut Confeſſarii ejuſmodi pœnitentes Confraternitatibus inſcriptos tantùm abſolvant in vim privilegiorum Confraternitatum quatenus ſunt in uſu, & Concilii Tridentini decretis & Romanorum Pontificum conſtitutionibus non adverſantur. Propterea circa medium dictæ conſtitutionis ſic habet, „decernimus „inſuper, ut iidem Confeſſarii „prædictos confratres cujuſcumque gradus, ſtatûs, conditionis & præeminentiæ, etiamſi „ſpeciali nota dignæ fuerint, à „caſibus contentis in litteris, quæ „die cœnæ Domini legi conſueverunt, ac ab aliis caſibus tam à „nobis, quàm locorum Ordinariis reſpectivè reſervatis, & „pro tempore reſervandis, prætextu dictorum privilegiorum „abſolvere, nullo modo poſſint.

Probatur 3. quia non cenſetur Pontifex juri Epiſcoporum præſertim in Concilio Trident. ſtabilito, quale eſt hoc, velle derogare, niſi id expreſsè exprimat.

Pontifex per Bullas ſuas non cenſetur derogare Conciliis Trident. ſtatutis, niſi id exprimat

Petes, an Epiſcopus poſſit ſibi reſervare caſus reſpectu ſuorum Paſtorum; ratio dubitandi eſt quod Paſtores habeant ſuam approbationem & juriſdictionem à jure?

Reſp. illos accipere approbationem à jure, non tamen ideo debent dici habere juriſdictionem independentem ab Epiſcopis ſuis ſuperioribus; unde ut ſupra oſtenſum eſt, ex antiqua conſuetudine hoc ſemper practicatum fuit, ut Epiſcopi certos caſus gravio-

res

Digitized by Google

res ſibi reſervarent, à quibus non poſſent Parochi abſolvere; quod & in Conc. Trid. confirmatum eſt.

Reſervatio caſuũ facta Pontifici aut Epiſcopo non exſpirat per mortem ipſorum.

Petes, an mortuo pontifice vel Epiſcopo, exſpiret caſuum ab ipſis reſpectivè facta reſervatio.

R. neg. quia illi caſus ordinarie reſervantur vel per ſpecialem conſtitutionem pontificiam, quæ habet vim ſpecialis legis; vel per aliquod ſtatutum in ſynodo Diœceſana ad inſtar legis; lex autem etiamnum obligat poſt mortem legiſlatoris; aliter dicendum eſſet, ſi caſus aliquis eſſet ab Epiſcopo perſonaliter reſervatus, nam tunc extincto Epiſcopo, etiam extingueretur reſervatio; eò quod ſublatâ causâ tollatur effectus: unde qui contraxiſſet cenſuram Epiſcopo perſonaliter reſervatam, illo mortuo, poſſet à quocumque abſolvi.

Niſi reſervatio eſſet perſonalis.

Petes, an quando Papa alicui concedit poteſtatem abſolvendi à cenſuris & caſibus reſervatis, nihil aliud exprimendo, cenſeatur illi hoc ipſo concedere facultatem à caſibus Epiſcopo reſervatis?

Habens à Pontif. facultatem à reſervatis, non poteſt abſolvere à caſibus reſervatis Epiſcopo.

Reſp. neg. quia in generali conceſſione, qualis eſt hæc, non veniunt illa quæ quis non eſſet veriſimiliter conceſſurus, prout habet regula juris 18. in ſexto.

Nec à reſervatis in Bulla Cœnæ.

Petes, an ſaltem talis poſſet abſolvere à caſibus contentis in Bulla Cœnæ.

Reſp. neg. idque ob præcellentiam dictæ bullæ, à qua non cenſetur tradere facultatem abſolvendi, niſi illius expreſſam faciat mentionem.

Niſi id exprimatur in facultate.

Petes, an quando Epiſcopus concedit alicui omnimodam ſuã facultatem in audiendis confeſſionibus, uno caſu excepto, poſſit abſolutè is ab omnibus caſibus illi reſervatis, uno illo excepto, abſolvere?

Habens facultatem abſolvendi à reſervatis, non poteſt vi illius abſolvere à cenſuris reſervatis.

Reſp. Aff. quia exceptio firmat regulam in contrarium, ut loquuntur Juriſtæ; quod ſi tamen Epiſcopus concedat alicui facultatem à caſibus ſibi reſervatis, non propterea cenſendus eſt concedere facultatem à cenſuris ſibi reſervatis; quia à diverſis non fit illatio; nam aliud eſt cenſura, aliud caſus reſervatus.

Petes, an eo ipſo quo Epiſcopus alicui dicit, do tibi poteſtatem audiendi ſubditorum meorum confeſſiones, cenſeatur eo ipſo concedere poteſtatem à reſervatis.

Reſp. negativè, eò quod in verbo generali, ut diximus, non cenſeantur conceſſa ſpecialia. Porro licet in hiſce & ſimilibus conceſſionibus ſtandum ſit verbis, ſi agatur in foro contentioſo, tamen in foro conſcientiæ, ubi agitur

agitur de nuda rei veritate, ſufficit ad valorem actus, ut quomodocumque conſtet verè de intentione concedentis.

Petes, an Confeſſarius expoſitus in Diœceſi Mechlinienſi, non habens poteſtatem à reſervatis, poſſit ibidem abſolvere peregrinum aut iter agentem habitantem in patria Leodienſi à caſu reſervato Epiſcopo Leodienſi, & non Archi-Epiſcopo Mechlinienſi.

Reſp. affirmativè; quia imprimis reus judicari debet ſecundùm leges & conſuetudines loci in quo reperitur. 2. Quia eo ipſo quo verſatur in alieno Epiſcopatu, poteſt abſolvi more incolarum iſtius Diœceſis, deſumpto fundamento ex conſuetudine paſſim ab Epiſcopis tacentibus & non contradicentibus approbata; quod ſi tamen idem peregrinus haberet caſum reſervatum utrique Epiſcopo, tunc non poſſet ab illo Confeſſario abſolvi; prout neque ſi habeat ſolùm caſum reſervatum Epiſcopo loci in quo confitetur.

Petes, an in aliquo caſu ſacerdos inferior poſſit abſolvere directè à peccatis reſervatis?

Habens caſum reſervatum & abſolutus in periculo mortis à quocumque, non tenetur poſtea confiteri alteri.

Reſp. affirmativè; ſcilicet in articulo mortis, prout patet ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 7 & eapropter pœnitens ejuſmodi peccatum confeſſus, ſi ſupervivat, non tenetur illud iterum confiteri habenti poteſtatem à reſervatis. Extra verò mortis periculum nullus inferior poteſt abſolvere à reſervatis niſi ex jure, privilegio, vel delegatione conſtet illum ejuſmodi habere poteſtatem. Prout patet ex Trident. loco citato, in quo tantùm excipitur articulus mortis, exceptio autem firmat regulam.

Petes, an quando caſus aliquis eſt reſervatus Papæ ſimul & Epiſcopo an ſublata reſervatione Papali tollatur quoque Epiſcopalis.

Reſp. affirmativè; nempè ſi directè ſit reſervatus Papæ, & per delegationem Epiſcopo: ſecus verò ſi utrique reſervetur directè; & eapropter peccatum hæreſis, licet poſſit de facto non eſſe reſervatum Pontifici, ob ignorantiam invincibilem annexæ cenſuræ, non deſinit propterea eſſe reſervatum Epiſcopo.

Petes, an qui dubitat, an habeat poteſtatem circa reſervata, poſſit pœnitentem abſolvere.

Dubitans an habeat facultatem abſolvendi à reſervatis, manente

Reſp. negativè, quia poſſeſſio ſtat pro reſervatione peccati, quod conſtat eſſe reſervatum, & dubium eſt de juriſdictione, & eapropter quamdiu intellectus Confeſſarii manet ſuſpenſus, nec valet ſeſe determinare,

non

Digitized by Google

dubio non poteſt ab illis abſolvere.

non poteſt ille abſque mortali, per ſe loquendo, abſolvere: eò quod exponeret ſe periculo impendendi abſolutionem invalidam; abſolvere tamen aliquando poſſet ſaltem ſub conditione, puta interveniente aliquâ neceſſitate.

Secus verò ſi dubitet an peccatū ſit reſervatum.

Petes, an confeſſarius non habens poteſtatem à reſervatis, & dubitans an aliquod peccatum ſit reſervatum, poſſit abſolvere.

Reſp. Aff. eò quod reſervatio ſit odioſa, adeoque reſtringenda, & conſequenter peccatum dubium non cenſetur reſervatum. Præterea in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, confeſſarius autem approbatus eſt in poſſeſſione ſuæ juriſdictionis.

DUBIUM XI.

An Regulares virtute privilegiorum ſuorum poſſint abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis.

Regulares in vi ſuorum privilegiorum non poſſunt abſolvere à caſibus reſervatis.

RESp. neg. quod probatur 1. ex conſtitutione Gregorii XIII. in ſacra Congregatione Cardinalium pro interpretatione Conc. Trid. deputatorum, ut teſtatur Sanctus Carolus Borromæus in inſtructionibus Paſtorum ab ipſo compoſitis, & Antverpiæ impreſſis anno 1586. Pag. 153. ubi ſic habetur „ nec „ ipſi Regulares, quantumvis pri„ vilegio quod *mare magnum* vo„ cant, vel aliis quibuſcumque in„ dultis gaudeant, à prædictis ca„ ſibus abſque peculiari noſtra „ licentia abſolvere poſſunt, quem„ admodum Gregorius XIII. ex „ Cardinalium conſilio, ad quos „ interpretatio Conc. Trid. per„ tinet, declaravit.

Probatur 2. ex conſtitutione Clementis VIII. edita 29. Janu. 1601 quam ad longum citat Barboſa, de efficio & poteſtate Parochi parte 2. cap. 19.

Probatur 3. ex conſtitutione Pauli V. data Romæ anno 1617. 7. Januarii, quæ eſt tenoris ſequentis „ quoniam ſacra Con„ gregatio Cardinalium negotiis „ Epiſcoporum & Regularium „ præpoſitorum nuper accepit „ quam plures Regulares tantùm „ facultatis ſeu privilegii ab Apo„ ſtolicâ ſede ſibi conceſſum pro„ fiteri, ut etiam à caſibus loco„ rum Ordinariis in eorum Diœ„ ceſibus reſervatis, abſque alia „ ipſorum Ordinariorum licentia, „ pœnitentes abſolvere minimè „ dubitent; nonnulloſque alios, „ in decreto prohibitionis abſo„ lutionis à caſibus ſedi Apoſto„ licæ vel locorum Ordinariis „ reſervatis, die 9. Januarii anno „ 1610. felicis recordationis. „ Clementis Papæ VIII. juſſu

„ edito, nec non in declaratione „ illius eodem Clement. Pontif. „ jubente die 26. Novemb. 1612 „ promulgata excommunicatio- „ nes Sedi, vel Ordinariis præ „ dictis reſervatas minime com- „ prehenſas aſſerere: unde fit ut „ metus, quo homines à peccan- „ do coercentur abſolutionis fa- „ cilitate exoleſcat, ideo ſacra „ eadem congregatio, de SS. „ Domini noſtri Pauli Papæ V. „ ſpeciali mandato, vivæ vocis „ oraculo deſuper habito, decre- „ tum hujuſmodi, illiuſque decla- „ rationem, nec non cenſuras & „ pœnas, in eis omnibus contenta „ omnia confirmanda, atque in- „ novanda opere pretium duxit, „ prout per præſentes confirmat, „ atque innovat, ab omnibus ſa- „ cerdotibus tam ſæcularibus quã „ regularibus quorumvis ordi- „ num, etiam mendicantium, „ militiarum, congregationum, „ aut cujuſvis alterius inſtituti, „ etiam neceſſario exprimendi, „ quovis nomine nuncupetur, „ inviolabiliter obſervari; ac in- „ ſuper, ut nulli ex ſacerdotibus „ prædictis, quibuſcumque pri- „ vilegiis indultis, & facultatibus „ ſuffulti, ab excommunicatio- „ nibus vel à caſibus iiſdem Or- „ dinariis vel ſedi Apoſtolicæ re- „ ſervatis, tam ad forum conten- „ tioſum eorumdem Ordinario- „ rum deductis, quàm non de- „ ductis, præterquam in mortis „ articulo, abſolvere audeant, „ vel præſumant, vel eorum ali- „ quis audeat, vel præſumat, „ ſub eiſdem cenſuris & pœnis. „ eo ipſo, & abſque alia decla- „ ratione incurrendis, mandat „ ac præcipit; non obſtantibus „ omnibus, quæ idem Clemens „ VIII. in decreto & declara- „ tione ejuſmodi voluit non ob- „ ſtare; datum Romæ 7. Januarii „ anno 1615.

Probatur 4. ex declaratione Urbani VIII. data Romæ 19. Novemb. anno 1628. quæ eſt tenoris ſequentis „ Sacra Con- „ gregatio S. R. E. Cardinalium „ negotiis & conſultationibus „ Epiſcoporum & Regularium „ præpoſita, cenſuit per confir- „ mationem privilegiorum, quæ „ Regulares à ſede Apoſtolica „ poſt ſacrum Conc. Trid. obti- „ nuerunt, nequaquam revixiſſe „ privilegia priùs ab eodem Con. „ Trid. ac deinde ipſius etiam „ Congregationis decretis ſubla- „ ta atque extincta, ſi quæ habe- „ ant, abſolvendi à caſibus con- „ tentis in Bullâ, quæ in die „ Cœnæ legi conſuevit, (utpote „ ſublata per annuam ipſius bul- „ læ publicationem) vires ac „ robur acquiſiviſſe ex ſubſe- „ quentibus privilegiorum con-

firma-

„ firmationibus ; ac proinde „ Regulares cujuſvis ordinis, „ congregationis, ſocietatis, & „ inſtituti etiam neceſſario ex- „ primendi, nec intra nec extra „ Italiam in vim privilegiorum „ aut confirmationum ejuſmodi „ quæ vel hactenus obtinuerunt „ vel deinceps fortè obtinebunt, „ poſſe quemquam abſolvere ab „ iiſdem caſibus in Bulla Cœnæ „ aut Ordinario loci reſervatis, „ ac ſi ſecus egerint, abſolutiones „ nullas at irritas fuiſſe ac fore&c.

Probatur 5. ex litteris Sacræ Congreg. negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præfectæ ſub Innocentio X. directis ad Illuſt. & Reveren. Dominum (cujus memoria in benedictione ſit) Dominum Jacobum Boonen, Archi-Epiſcopum Mechlinienſem, quas mihi videre & habere licuit, ſuntque tenoris ſequentis " Perilluſtris & Reveren. Domine uti „ Fraternæ Amplitudinis Tuæ „ nomine Sacræ huic congrega- „ tioni, negotiis & conſultatio- „ nibus Epiſcoporum & Regu- „ larium præfectæ expoſitum fu- „ erit, quod aliqui iſtius Diœ- „ ceſis Confeſſarii prætendant „ vigore antiquorum privilegio- „ rum ante Sac. Conc. Trid. ab „ hâc Sede ſibi conceſſorum, vel „ poſt ejuſmodi Concilii celebra- „ tionem, ſive per viam confir- „ mationis, ſive communicatio- „ nis renovatorum, tam gene- „ raliter quam ſpecificè, ſub qui- „ buſcumque clauſulis, etiam „ derogatoriarum derogatoriis, „ ad Imperatorum, Regum, „ aliorumque Principum inſtan- „ tiam, ſcripto vel per ſummo- „ rum Pontificum vivæ vocis „ oracula, competere ſibi facul- „ tatem abſolvendi à caſibus „ comprehenſis in Bulla, quæ „ die cœnæ Domini legi conſue- „ vit, nec non à caſibus ab Ordi- „ nario reſervatis aut impoſte- „ rum reſervandis.

„ Eminentiſſimi Patres, decre- „ tis alias hâc in re à præfata Sac. „ Congregatione juſſu Sanctæ „ memoriæ Clementis VIII. & „ Pauli V. atque ultimo loco, „ etiam quoad Confeſſarios, qui „ extra Italiam exiſtunt, de man- „ datò ſimilis memoriæ Urbani „ VIII. ſub 17. Novemb. 1628. „ editis, inhærentes, Sanct. Do- „ mino noſtro Innocentio X. ap- „ probante, cenſuerunt, Con- „ feſſariis quibuſcumque, tam „ ſecularibus, quam regularibus, „ cujuſvis congregationis, Col- „ legii, Societatis, vel inſtituti „ qualicumque privilegio ſuf- „ fulti, ſub clauſulis irritantibus, „ motu proprio, mari magno, „ Bullâ Aureâ, ex certa ſcientia „ & plenitudine Apoſtolicæ po-

 teſtatis,

„ teſtatis, etiamſi expreſſam & „ ſpecialem requirerent mentio- „ nem de verbo ad verbum, ha- „ rum facultatum virtute, non „ licere pœnitentes cujuſcumque „ gradus & conditionis, (præ- „ terquam in mortis articulo, „ cum reincidentiâ ſi convalue- „ rint) abſolvere à caſibus in di- „ cta Bulla Cœnæ Domini, vel „ locorum Ordinariis in ſuis. „ Diœceſibus reſervatis, niſi „ prius petitâ & obtentâ licentiâ „ ab eadem ſancta Sede, vel ab „ ipſis Ordinariis reſpectivè: acſi „ ſecus fecerint, abſolutiones „ nullas, atque irritas fuiſſe, & „ fore &c.

Probatur 6. ex conſtitutione Alexandri VII. data 30. Januarii 1659. occaſione quarumdam propoſitionum ipſi oblatarum à Regularibus mendicantibus Diœceſus Andegavenſis, quarum tertia ſic ſe habet *Regulares ordinum mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo, ad confeſſiones audiendas in ſua Diœceſi, habentur pro approbatis in aliis Diœceſibus, nec novâ Epiſcoporum indigent approbatione; Regulares habent poteſtatem abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis, etiamſi ab Epiſcopo authoritas ipſa ipſis indulta non fuerit.*

Quoad primam partem, inquit Pontifex, *eſt falſa, & ſaluti animarum perniciosa.*

Quoad ſecundam partem, eſt falſa, Authoritati Epiſcoporum & ſedi Apoſtolicæ injurioſa.

DUBIUM XII.

Quomodo Confeſſarius non habens poteſtatem à reſervatis ſe geret erga Pœnitentem gravatum caſu reſervato?

RESP. ſepoſita neceſſitate, & rationabili cauſa non poterit hujuſmodi pœnitentem abſolvere, ſed illum debet mittere ad ſuperiores, aut alios poteſtatem habentes, pro abſolutione à tali caſu reſervato.

Probatur ex Trid. ſeſſ. 14. c. 7. in quo, cum declaraſſet in mortis articulo nullam eſſe caſuum reſervationem, adeoque omnes ſacerdotes etiam à reſervatis in illo articulo poſſe abſolvere, dein addit „ extra quem, cum nihil „ poſſint in caſibus reſervatis, „ id unum pœnitentibus perſua- „ dere nitantur, ut ad ſuperiores „ & legitimos judices pro bene- „ ficio abſolutionis accedant.

Dico 2. in caſu neceſſitatis, qualis eſt implere præceptum annuæ confeſſionis, communicare, vel ſacrum facere, ita ſcilicet, dum illa non poſſunt omitti ſine gravi ſcandalo, aut infamia, neque pro tunc datur acceſſus ad ſuperiores, ſacerdos habens juriſdictio- *In caſibus neceſſitatis extra mortis periculũ poteſt communis confeſſarius.*

Digitized by Google

indirectè abſolvere à reſervatis.

riſdictionem & approbationem circa peccata non reſervata, poterit ſaltem indirectè ejuſmodi pœnitentem abſolvere à reſervatis, eſto quoque excommunicationem haberent annexam; attamen cum onere, ut ſe ſiſtat ſuperiori, à quo directè ea abſolvatur. Addidi, *eſto caſus reſervatus haberet quoque excommunicationem annexam*, nam excommunicatio nec irritat nec invalidat Sacramentum Pœnitentiæ in his caſibus.

Dices, integritas confeſſionis eſt juris divini; ſed confeſſio quæ fit inferiori non habenti poteſtatem à reſervatis non poteſt eſſe integra; quia licet ſit accuſatio peccatorum, non eſt ſacramentalis, quæ fit coram legitimo judice.

Reſp. talem quidem confeſſionem non eſſe materialiter integram, eſſe tamen formaliter; ad quam divinum jus ſolùm obligat

In illis caſibus non ſatisfacit pœnitens confitendo ſola non reſervata.

Petes, an non ſufficiat tali pœnitenti confiteri peccata non reſervata, tacitis reſervatis.

Reſp. negativè, nam licet non poſſit hujuſmodi Confeſſarius directè à reſervatis abſolvere, neceſsè tamen habet cognoſcere an pœnitens circa omnia ſit bene diſpoſitus antequam abſolutionem illi impendat, adeoque opus habet ut totam pœnitentis cauſam cognoſcat.

Neque etiam in illis caſibus abſolvi poteſt à non approbato.

Petes, an ſimiliter pœnitens obſtrictus peccatis venialibus, ut mortalibus non reſervatis, ſi habeat neceſſitatem communicandi, aut celebrandi, nec id poſſit ſine ſcandalo omittere, neque habeat copiam alterius ſacerdotis quàm ſimplicis, & non approbati poſſit ab illo abſolvi?

Reſp. negativè, quia licet ille videatur habere juriſdictionem circa venialia, adeoque tunc videatur poſſe indirectè quoque abſolvere à mortalibus, uſus tamen & conſuetudo univerſalis Eccleſiæ habet oppoſitum, ſcilicet ut fideles habentes venialia ſimul cum mortalibus, illa non poſſint confiteri ſimplici ſacerdoti; ſecus vero ſi tantùm habeant venialia.

Tenebitur talis pœnitens confiteri illos caſus non tamen alios non reſervatos habenti facultatem.

Petes, an ejuſmodi pœnitens accedens poſtea Confeſſarium habentem poteſtatem à reſervatis, ut ab eo abſolvatur, teneatur tunc omnia ſua peccata in præterita confeſſione declarata confiteri.

Reſp. negativè, ſed ſola reſervata, à quibus non eſt directè abſolutus.

Petes, an ſuperior auditis ſolis reſervatis poſſit ab illis abſolvere, remiſſo pœnitente ad alium Confeſſarium qui illum abſolvat à non reſervatis.

Digitized by Google

Abſolutio Sacramentalis non poteſt dari à ſolis reſervatis dum alia mortalia adſunt ſimul. Sed bene extra Sacramentalis.

Reſp. negativè, quia integritas confeſſionis eſt juris divini, unde niſi legitima cauſa ſubſit nullatenus licet dimidiare confeſſionem, neque ſuper dimidiata confeſſione ferre, abſolutionem.

Dices, Romæ invaluit conſuetudo, ut pœnitentiarii ſummi Pontificis tantùm abſolvant à reſervatis, & pro non reſervatis remittant ad alios; ergo.

Reſp. abſolutionem illam non eſſe Sacramentalem, cum enim caſus Papæ reſervati habeant annexam excommunicationem, ab illa tantùm abſolvunt; conſtat autem excommunicationem tolli poſſe non auditis omnibus peccatis.

Petes, an unum peccatum reſervatum poſſit tolli ſine alio.

Reſp. affirmativè; ſaltem ab illo qui habet poteſtatem ordinariam abſolvendi à reſervatis: nam cum is poteſtate ſua uti poſſit extra Sacramentum Pœnitentiæ, clarum eſt illum unam reſervationem poſſe tollere ſine alia; quod ſi tamen quæſtio intelligatur de delegato, reſpondendum eſt negativè; eò quod is tantùm habeat facultatem tollendi reſervationem in Sacramentali confeſſione, in qua unum peccatum tolli nequit ſine alio.

Confeſſus habenti facultatem caſus reſervatos & unius oblitus ab illo cenſetur abſolutus

Petes, quid ſi quis fuerit confeſſus illi, qui habet poteſtatem abſolvendi à reſervatis, & inculpabiliter oblitus ſit unius peccati reſervati, an tollatur quoque reſervatio obliti; ita ſcilicet ut ſufficiat illud poſtmodum confiteri cuicumque ſacerdoti approbato.

Reſp. affirmativè; quia hujuſmodi Confeſſarius ſive habeat poteſtatem à reſervatis ordinariam ſive delegatam, intendit abſolvere quantum potuit; ſed potuit ab illo reſervato abſolvere, ergo fecit.

Ita ut illum poſſit poſtea confiteri cuicumque approbato.

Ex quo collige, quòd pœnitens qui tempore jubilæi aut virtute alterius indulti Apoſtolici abſolvitur à reſervatis maneat quoque abſolutus à caſibus reſervatis inculpabiliter oblitis, ita ſcilicet ut illa poſtmodum poſſit confiteri cuicumque Confeſſario approbato.

Petes, quid ſi pœnitens fuerit invalidè confeſſus habenti poteſtatem à reſervatis. & hoc vel defectu doloris vel integritatis requiſitæ, an remanebit abſolutus à reſervatis.

Quod etiam locum habet etſi illos caſus confeſſus fueris invalidè.

Reſp. affirmativè; per ſe loquendo quia reſervatio ad hoc tantùm ordinatur, ut peccata reſervata aperiantur illi, qui in illa habet juriſdictionem, ut congruā illis imponat pœnitentiam. prętерea actus qui non valet ut agitur, valet

valet quantum valere poteſt; adeoque cum talis abſolutio non valeat ad remiſſionem peccatorum, valebit ſaltem ad ſublationem reſervationis.

Niſi in caſu Iubilæi.

Dices, delegatus nequit tollere reſervationem peccati niſi mediante abſolutione Sacramentali quæ hic non ſubſiſtit.

Reſp. id eſſe verum per ſe loquendo; in hoc vero caſu non tam tollitur ab ipſo delegato, quam à ſuperiore ejus, conſuetudine hoc ipſum ita interpretante.

Dixi per ſe loquendo, quia tempore jubilæi, qui invalidè confitetur non conſequitur abſolutionem à reſervatis, eò quod Pontifex gratiam illam reſtringat ad vere pœnitentes.

QUÆSTIO V.
De Sigillo.

DUBIUM I.

Quid Sigillum & quæ ejus obligatio?

Quid ſigillum confeſſionis.

VOx illa ſigillum proprie ſignificat inſtrumentum iſtud, quo ſigillantur Epiſtolæ, & quo impreſſo non licet cuivis illas legere vel aperire.

Metaphorice ſignificat ſigillum confeſſionis, quod non eſt aliud, quam obligatio à Chriſto introducta ad occultandum id quod in Sacramentali confeſſione eſt detectum; quæ obligatio merito vocatur ſigillum, eo quod ſicut illa quæ in litteris ſigillo munitis continentur legi non poſſunt nec aliis manifeſtari, ita quoque peccata in confeſſione audita, hocque ſigillo munita, nec verbis, nec ſignis, nec directè, nec indirectè, poſſunt aliis manifeſtari.

Petes, quotuplici jure Confeſſarius teneatur ad hoc ſigillum ſive obligetur ad occultanda peccata in Sacramentali confeſſione audita.

Confeſſarius obligatur ad ſigillum, lege naturali, divinâ & humanâ.

Reſp. triplici, nimirum naturali, divino, & Eccleſiaſtico. De jure naturali patet, quia vi illius tenemur cavere infamiam proximi, ſed ex revelatione peccatorum in confeſſione ſequeretur infamia proximi, ergo jure naturæ tenetur Confeſſarius ad illa occultanda.

2. Quia ſi alicui extra confeſſionem aliquid ſit revelatum ſub ſecreto, tenetur jure naturæ illud ſervare; & illud violando peccat contra fidelitatem, teneturque ad reſtitutionem damni, ſi quod ex ſecreti manifeſtatione oriatur, ergo multò magis ad hoc obligabitur Confeſſarius.

De jure divino probatur, quia Chriſtus inſtituit confeſſionem tanquam

tamquam medium facile & ſuave ad obtinendam remiſſionem peccatorum, adeoque hoc Sacramentum Pœnitentiæ inſtituens & Apoſtolis tradens id ita fieri mandavit; ne jugum confeſſionis non ſolùm redderetur difficillimum, ſed maximè odioſum & oneroſum.

De jure Eccleſiaſtico patet quia in Concilio Lateranenſi cap. *Omnis utriuſque ſexus*, ſtrictiſſimè præcipitur Confeſſario ſub pœna depoſitionis, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto monaſterio faciendæ, ne verbo, ſigno, aut alio quovis modo prodat peccatorem; quæ tamen pœna ipſo facto non incurritur ante judicis ſententiam.

Sigillum aliud ſtrictius obligat quàm quodlibet aliud ſecretum.

Petes, an ſigillum confeſſionis ſit ſtrictius, quam ſigillum ſecreti naturalis.

Reſp. Aff. quia ſecretum naturale non obligat omni caſu, eſto quoque foret juramento firmatum, ut puta quando vergeret in perniciem publicam vel privatam alterius temporalem vel ſpiritualem: ſigillum vero confeſſionis ita ſtricte obligat, ut in nullo caſu poſſit infringi, etiam ſi univerſa Eccleſia & tota fides Chriſtiana per impoſſibile deberet deleri, prout nec pro vitando quocumque ſcandalo, nec pro quocumque bono procurando, etiamſi unica revelatione unius peccati quis poſſet totum mundum lucrari, imo etiamſi jam confeſſario eſſet moriendum, ut v. g. ſi maritus adulteræ ſtricto enſe aggrederetur Confeſſarium, cui uxor peccatum eſt confeſſa, volens ſcire an ipſe ſciat de adulterio uxoris.

Porro quod hoc ſigillum in nullo caſu poſſit infringi contra voluntatem pœnitentis, ex eo patet quod confeſſio redderetur omnimodè oneroſa & exoſa contra inſtitutionem Chriſti, ſi vel in unico actu ſeu caſu illud poſſet infringi.

Confeſſarius ſigillum frangens dupliciter peccat.

Petes quotupliciter peccet Confeſſarius frangens ſigillum.

Reſp. dupliciter & primo quidem contra juſtitiam violando ſecretum contra fidem datam, qui ex hoc capite tenetur de damno ſecutò, ſecundo contra religionem perpetrando ſacrilegium, injuriam faciendo Sacramento Pœnitentiæ, eo modo quo duplex peccatum mortale ſpecie diverſum admittit, qui frangit ſecretum naturale juramento firmatum, utpote peccans peccato perjurii & injuſtitiæ.

Petes, an in fractione ſigilli detur peccatum veniale ratione parvitatis materiæ?

Reſp. negativè, quia in qualibet

Digitized by Google

libet minima materia equidem involuitur gravi injuria & irreverentia Sacramenti, & per conſequens gravis offenſa Dei: & eapropter arcta illa obligatio occultandi ea quæ in confeſſione audita ſunt, non fundatur in eo preciſe quod peccata audita ſint magna, ſed potius in eo, quod ſit res maximi momenti & ſummè neceſſaria, ut totum negotium confeſſionis ſit ſecretum; dein quoque, quia licet reſpectu pœnitentis regulariter non eſſet gravis infamia revelatio peccati venialis in confeſſione auditi, tamen reſpectu Sacramenti ſemper erit gravis injuria, eoquod homines per hoc averterentur á confeſſione peccatorum.

DUBIUM II.

Ex quanam confeſſione oriatur obligatio ſigilli.

Obligatio ſigilli oritur ex omni & ſola ſacramentali confeſſione.

RESP. ex omni & ſola Sacramentali.

Petes, quænam ſit confeſſio Sacramentalis.

Reſp. ea quæ fit cum animo ſe accuſandi, & clavibus Eccleſiæ ſubjiciendi peccata ſua, facta illi qui creditur habere poteſtatem abſolvendi: unde oritur non ſolum ex confeſſione valida, ſed etiam ex illa quæ fit cum inſufficienti dolore & inefficaci propoſito ſeſe emendandi.

Non oritur ex confeſſione quæ fieret ſcienter laico.

Petes, an confeſſio ſcienter facta laico inducat obligationem ſigilli.

Reſp. negat. quippe quæ non eſt Sacramentalis, inducit tamen obligationem ſecreti naturalis, quod eſt licitum manifeſtare quando ſic exigeret neceſſitas boni communis.

Secus ſi bonâ fide putaretur Sacerdos.

Confeſſio tamen bonâ fide facta laico exiſtimato Confeſſario inducit obligationem ſigilli: ratio eſt quia licet illa de facto non terminetur ad ſacerdotem, procedit tamen ex intentione ſuſcipiendi Sacramentum, & fit laico formaliter exiſtimato ſacerdoti: & eapropter obligatio ſervandi ſigilli impoſita in favorem pœnitentis & Sacramenti, venit extendenda ad omnem confeſſionem bonâ fide factam ſub intentione ſuſcipiendi Sacramenti: quod, niſi eſſet, latiſſima pateret confeſſiones revelandi janua.

Petes, quid ſi quis extra Sacramentalem confeſſionem revelaret aliquid Confeſſario ſub ſigillo confeſſionis, an ille teneretur ſigillo confeſſionis.

Reſp. negativè, ſed ſolum ſub ſecreto naturali.

Petes, an in dubio quo ſacerdos dubitat an aliquid ſit ſibi dictum in ordine ad confeſſionem,

gitized by Google

illud debeat tenere ſub ſigillo.

Reſp. Aff. idque in favorem confeſſionis, & pœnitentis, ne illa reddatur odioſa.

Petes, quid ſi peccator aliquis veniens ad confeſſionem animo decipiendi Confeſſarium, aut deridendi, vel pertrahendi ipſum ad peccatum; an talis confeſſio induceret ſigillum.

Reſp. negativè, ex eo quod talis confeſſio non ſit Sacramentalis; qualis etiam eſſet quæ fieret à fure Confeſſario ut facilius rem quam ab eo abſtulit, poſſit retinere, & non poſſit ab eo denuntiari: ita, teſte Soto, quidam Cardinalis à Pontifice fuit mulctatus eò quod non manifeſtaſſet conſpirationem in Pontificem, quam alter illi in confeſſione factâ ſine intentione confitendi, ſed Cardinalem pertrahendi in peccatum aperuerat.

DUBIUM III.

Quæ ſit materia Sigilli.

Reſp. omnia quæ ſunt manifeſtata ſacerdoti in ordine ad confeſſionem Sacramentalem: ratio eſt quia ex horum manifeſtatione confeſſio redditur odioſa.

Proinde directè ſub hoc ſigillo cadunt omnia mortalia in genere & in ſpecie 2. omnia venialia in ſpecie 3. omnes circumſtantiæ & objecta peccatorum: de circumſtantiis patet, quia ipſæmet ſunt peccata ſi mutant ſpeciem, vel peccatum augent ſi ſint aggravantes: de objectis etiam patet quaſi quis ſe accuſet de detractione adulterii commiſſi per Petrum, etiam adulterium Petri eſt materia ſigilli; eò quod ſit objectum detractionis detectæ in confeſſione: ita quoque qui confitetur ſe habuiſſe propoſitum interficiendi Joan. interfectio Joannis, eſto poſtmodum ſecuta, retinenda eſt ſub ſigillo, 4. omnia denique quæ dicuntur ad declarandum magis peccatum, reductivè pertinent ad materiam ſigilli confeſſionis.

Petes, an peccata publica quatenus in confeſſione audita ſint materia ſigilli.

Reſp, Aff, & eapropter de fure aut homicida publico non poteſt Confeſſarius dicere talem ſibi eſſe confeſſum illa peccata cum magno dolore: ratio eſt quia hoc modo fit injuria Sacramento quod redditur odioſum: grave etiam per hoc generaretur ſcandalum inter pios & bonos; quod ſignum eſt hanc eſſe revelationem ſigilli: quod ſi Confeſſarius tamen hoc ſciret ex notitia aliunde habita, poſſet quidem de hujuſmodi peccatis publicis loqui, attamen cautè; ne aliis ſuſpicionem

Digitized by Google

nem ingerat revelationis ſigilli. Et ita confeſſarius uſurario publico, vel concubinario publico ſibi confeſſis, ſed non abſolutis, tenetur negare publicè petentibus ſacram communionem, nam utitur ſcientiâ aliunde habitâ quâ hic non prohibetur uti.

Petes, an defectus qui ad famam pœnitentis pertinent cadant ſub ſigillo: ut v. g. ſi pœnitens ad manifeſtandum aliquod ſuum peccatum dicat ſe ſpurium, pauperem, aut revelet aliquem defectum naturalem.

Sub ſigillo comprehenduntur ea omnia quæ ad materiã confeſſionis ſpectant.

Reſp. affirmativè; eò quod hæc omnia ſaltem reductivè ſpectent ad materiam confeſſionis, in quantum ordinantur ad manifeſtationem peccati. Illa tamen quæ ad peccati manifeſtationem non faciunt, neque redundant in infamiam pœnitentis, & quæ incidenter tantum narrantur, ſub ſigillum non cadunt.

Petes, an peccatum perſonæ tertiæ, quod pœnitens narrat explicando ſuum, ſit materia ſigilli ut v. g. peccatum complicis.

Reſp. affirmativè; quia illud à pœnitente narratum eſt tamquam circumſtantia ſui peccati.

Petes, an omnia antedicta ſint materia ſigilli ſine relatione ad pœnitentem; adeoque an Confeſſarius loquens de auditis in confeſſione, ſine manifeſtatione perſonæ pœnitentis, & ſine periculo ut audientes veniant in cognitionem vel ſuſpicionem illius, peccet contra ſigillum.

Reſp. per ſe loquendo negativè, dummodo id prudenter fiat: quod addo, quia ſi quis poſt breve tempus ab audita confeſſione coram multis ageret de rebus in confeſſione auditis, exponeret ſe facile periculo fractionis ſigilli.

Non cenſetur frãgere ſigillum Confeſſarius dicens quod ſciat ex confeſſione in aliqua magna urbe committi gravia peccata. Secus ſi hoc diceret de parva communitate.

Petes, an Confeſſarius non frangeret ſigillum, qui diceret in magna aliqua civitate perpetrari gravia crimina.

Reſp. negativè, quia nulli pœnitenti in particulari facit injuriam, neque per illud ejus dictum eſt periculum quod author illorum peccatorum detegetur; ſecus dic de Confeſſario qui hoc ipſum diceret de loco non ita amplo v. g. monaſterio, vel collegio; ſiquidem ultra hoc quod redundet in injuriam monaſterii, vel collegii, fieri poteſt quod concipiatur ſuſpicio aliqua de aliquo in particulari.

Parce loquendum de iis quæ in confeſſione audita ſunt

Pro praxi notet prudens confeſſarius ut parciſſimè loquatur de auditis in confeſſione; idque non tantum de illis quæ cadunt ſub ſigillum, ſed & de aliis quæ incidenter quandoque in confeſſione dicuntur, eò quod puſilli hoc audientes facillimè ſcandaliza-

Digitized by Google

dalizarentur, maximè ſi fiat in eodem loco, urbe, aut pago ubi peccatum commiſſum eſt, & & poſt breve tempus ab audita confeſſione; multò minus eſt licitum per jocum referre peccata in confeſſione audita, quippe cum hoc fiat contra reverentiam Sacramento debitam, etſi nullum ſubſit periculum infamiæ; ſiquidem primâ fronte apparet valdè irreligioſum, etiam citra periculum revelationis, adhibere ad jocos vel recreationem quæ ex hoc Sacramento ſunt excepta; digni profectò tales qui priventur facultate confeſſiones audiendi, ſimiles illis Babyloniis qui temulenti vinum ex ſacris vaſis templi biberunt Dan. 3.

DUBIUM IV.

Quotupliciter poſſit violari ſigillum.

Sigillum violari poteſt directè, & etiam indirectè.

RESp. dupliciter, nempe directè & indirectè: directè quidem quando explicatur peccatum alicujus in particulari, eſto tantummodo veniale, vel circumſtantia quædam peccatum in particulari concernens: indirectè vero quando aliquid manifeſtatur, ex quo poteſt colligi aliquem peccaſſe ſive mortaliter in genere, ſive venialiter in ſpecie; vel ſaltem illius generari ſuſpicio.

Quandonam violetur ſigillum indirectè.

Hinc peccat contra ſigillum qui dicit aliquem eſſe illegitimum, quod non novit niſi ex confeſſione, dum pœnitens hoc illi aperuit ad explicandum ſuum peccatum. Similiter peccat contra ſigillum qui dicit ſe talem pœnitentem noluiſſe abſolvere; nam inde colligitur illum eſſe in mortali: similiter peccaret contra ſigillum qui diceret de aliquo pœnitente illum eſſe malæ conſcientiæ: prout Paſtor qui negligeret aſſiſtere matrimonio ex ſcientia impedimenti dirimentis habitâ ex ſola confeſſione: ita quoque peccat contra ſigillum qui poſtquam audivit confeſſiones in aliqua Parochia dicit ſe ibi comperiſſe fornicarios vel adulteros, quippè cum dictum ſimile ingerat ſæpe ſuſpicionem erga aliquas perſonas particulares & ipſi communitati aliquam infamiam inurat, unde reddit confeſſionem odioſam.

Eapropter nihil melius quam numquam cum ſæcularibus conferre ſermones de auditis in confeſſione, quantumvis ſolum in genere; quia illi putant confeſſarios ſemper memoria tenere peccata, ſeque propter hæc deſpici. Et ea propter concionatores aliqui male agunt, qui ſub concione produnt audita in confeſſione, maximè dum deſcendunt,

Digitized by Google

Concionatores malè agunt in concione agentes de peccatis quæ audierunt in confeſſione dum eſt periculum ſcandali.

dunt ad particularia; nam pœnitentes putant ſibi peccata ſua tacitè objici & exprobari; adeoque ſcandaloſum ſæpe eſt & periculoſum dicere, tale peccatum audivi; quod ſcandalum facilius oritur quo quis pauciores habet pœnitentes, coram quibus concionatur; ſicuti v.g. ſi Confeſſarius monialium concionetur de peccatis auditis in confeſſione: nam tunc facilè continget pœnitentes rubore ſuffundi.

Petes, an ſaltem conſenſu pœnitentis Confeſſarius non poſſit aperire peccata illius quæ in confeſſione audivit?

Poteſt ex conſenſu pœnitentis Confeſſarius propalare illius peccatum.

Reſp. affirmativè; ſaltem ſubſiſtente juſtâ & rationabili causâ: qualis poteſt eſſe vel ipſius pœnitentis, aut alterius utilitas. Ratio illius eſt, quia licet ſecretum ſigilli ſit injunctum ob reverentiam & dignitatem Sacramenti: principaliter tamen & primario in favorem ipſius pœnitentis, ut ex hoc facilior & ſuavior redderetur confeſſio: qui pœnitens proinde poteſt cedere favori & juri ſuo; quo caſu nulla irrogatur irreverentia Sacramento.

Petes, quomodo pœnitens poteſt Confeſſario dare hanc licentiam, quandoquidem Confeſſarius reſtringatur ad ſigillum jure divino naturali, in quo pœnitens non poteſt diſpenſare.

Reſp. pœnitentem in hoc jure non diſpenſare, ſed per ſuum conſenſum apponere aliquam circumſtantiam, quâ poſitâ, jus divinum naturale deſinit obligare; ſiquidem ſolum obligabat in favorem, ac proinde ſub facta tantum conditione, nempe ſi nolis, ut ſi mihi hoc non concedas.

Petes, an licentia facta Confeſſario à pœnitente debeat eſſe expreſſa, vel ſufficiat præſumpta & interpretativa, quam nimirum pœnitens concederet ſi rogaretur.

Non ſufficit tamen ad hoc conſenſus interpretativus pœnitentis.

Reſp. debere eſſe expreſſam; nam revelans confeſſionem ex ſola conceſſione præſumpta reddit confeſſionem odioſam: ſiquidem fieri poteſt ſæpius ut aliquis ſibi perſuadeat pœnitentem concedere licentiam, quam re ipſa tamen non velit concedere.

Notandum tamen hanc licentiam non debere exprimi his expreſſis verbis, concedo tibi licentiam loquendi de auditis in confeſſione meâ, nam ſicuti Epiſcopus poteſt dare alteri licentiam audiendi confeſſiones etiamſi non utatur his verbis, ita pœnitens poteſt confeſſario dare expreſſam facultatem loquendi de auditis in confeſſione, etiamſi non utatur his verbis; & eapro-

pter ſufficit ut pœnitens det hanc facultatem factis vel verbis exprimentibus ejuſmodi facultatem & ita confeſſarius non peccat contra ſigillum qui cum pœnitente loquitur de peccatis in confeſſione auditis, quando pœnitens primo incipit alloqui Confeſſarium de ipſis, nam hoc modo ſufficenter indicat ſe Confeſſario dare hanc licentiam de illis loquendi.

Qui cõfeſſionem alicujus ſcriptam in carta reperit, tenetur ad ſigillum.

Petes, ad quid teneatur qui chartam invenit in qua exprimebantur peccata confitentis per ordinem ad confeſſionem generalem.

Reſp. eundem obligari non tantum ad ſecretum naturale ſed etiam Sacramentale; eò quod ejuſmodi charta ſit quaſi confeſſio ſcripta, & eapropter inveniens talem chartam eſt illi ſimilis, qui caſu audit confeſſionem alicujus pœnitentis, qui obligatur ad ſigillum: & eapropter nec judex nec ſuperior ex ſola notitiâ habita ex tali charta poteſt procedere ad criminis inquiſitionem aut punitionem; unde pro praxi notãdum quod ſi quis talem ſcedulam inveniret, & ex titulo deprehenderet contineri confeſſionem alicujus, debet ſtatim à lectione ejus abſtinere, eamque comburere; alioqui legendo mortaliter peccaturus.

Confeſſarius aliunde ſciens peccatum quam ex confeſſione poterit illud revelare ex cauſa.

Petes, an ſi Confeſſarius adhuc aliâ viâ noverit peccatum in confeſſione audîtum poſſit illud revelare.

Reſp. affirmativè; eò quod per confeſſionem non amittat jus revelandi id cuius notitiam ante habebat, vel quam poſtea aliâ viâ acquiſivit, alioqui confeſſio quandoque everteret judicia & peccatis patrocinaretur, ut v. g. ſi quis latro ſpectantibus duobus Confeſſariis commiſiſſet homicidium & illis confiteretur, non poſſet ab illis accuſari apud judicem; illud tamen bene animadvertendum ut nihil amplius dicatur quam ſciatur extra confeſſionem.

Pœnitentia publica non imponi poteſt niſi conſentienti pœnitenti.

Dices poteſt aliquando alicui imponi publica pœnitentia, per quam tamen innoteſcit peccatum in confeſſione auditum, ergo ex ſigillo non oritur tam ſtricta obligatio.

Reſp. neg. conſeq. nam hujuſmodi pœnitentia publica ſolum imponitur de conſenſu pœnitentis, vel dum jure naturæ ad hoc obligatur, ad tollendum, nempe ſcandalum, adeoque ut volens eam acceptet ut ſuæ obligationi ſatisfaciat ſi velit à confeſſario abſolvi.

D U.

Digitized by Google

DUBIUM V.

An Confeſſarius poſſit quandoque uti ſcientiâ ex confeſſione habitâ ad externam gubernationem: v. g. faciendo vel omittendo aliquid quod aliàs non eſſet facturus vel omiſſurus.

Non eſt licitum uti ſcientia ex confeſſione habita quandò eſt inde periculũ fractionis ſigilli.

RESp. & dico primo, uſus illius notitiæ eſt prorſus illicitus, ſi fiat cum morali periculo revelationis ſigilli directè vel indirectè. Ratio eſt quia ſicuti non eſt confeſſario licitum expreſſis verbis revelare peccata pœnitentis in confeſſione audita, ita quoque nec factis nec ſignis licitum eſt illa revelare; quippe cum perinde ſit, ſive verbis; ſive factis confeſſio reddatur odioſa & eapropter non eſt licitum confeſſario aliquid agere vel omittere ex notitia peccati in confeſſione auditi, unde alii conjicere rationabiliter poterunt aliquod peccatum pœnitentis.

Dico ſecundo non eſt licitum confeſſario ex ſcientia habita in confeſſione aliquid facere vel ommittere, etiamſi ſolus pœnitens poſſet intelligere, id fieri à confeſſario ob ejus peccatum in confeſſione manifeſtatum. Ratio eſt quia ſicuti non eſt licitum confeſſario pœnitenti loqui extra confeſſionem de rebus in confeſſione auditis aut oretenus illi exprobrare peccata ſua, ita quoque nec factis id agere illi licitum eſt, quippè cum hoc non minus reddat confeſſionem odioſam quam verba, adeoque perinde eſt ſive verbis ſive factis frangatur ſigillum.

Imo nec id licet, etſi non ſit periculum illud, in ordine ad externã gubernationem.

Dico 3. nequidem in praxi eſt licitum ſequi hanc ſententiam, quæ dicit confeſſarium poſſe uti notitia ex confeſſione habita abſolutè ad externam gubernationem etiamſi ex illo uſu neque directa neque indirecta ſequatur fractio ſigilli, eo quod hæc ſententia ſit ſacramento pœnitentiæ maxime odioſa & injurioſa, nam ſi vel pœnitens à longe poſſit ſuſpicari, quod ex peccato à ſe in confeſſione declarato, confeſſarius jus habeat utendi dictâ notitiâ ad externam gubernationem, verebitur impoſterum tali confeſſario aut ſuperiori confiteri, & ea propter Clemens VIII. hoc inhibuit hiſce verbis „ tam ſu„ periores pro tempore exiſten„ tes, quam confeſſarii, qui po„ ſtea ad ſuperioritatis gradum „ fuerint promoti, caveant dili„ gentiſſimè ne eâ notitiâ, quam „ de aliorum peccatis in confeſ„ ſione habuerunt, ad exterio„ rem gubernationem utantur. „

Et

Digitized by Google

& merito; eſſet enim jugum intolerabile attentâ fragilitate humanâ, ſi fas eſſet ſuperioribus uti ſcientiâ peccati ex confeſſione habitâ ad externam gubernationem, adeoque ad privandos ſubditos officiis, dignitatibus, vel aliis muniis; & idcirco etiamſi aliqui ante hoc decretum Pontificium docuerint licere uti confeſſionis ſcientiâ ad externam gubernationem in aliquibus caſibus, & maxime in gratuitis v.g. ubi quis ex mera ſua voluntate poteſt negare vel concedere ſuum ſuffragium, non eligendo illum quem ex ſecreta confeſſione novit indignum qui tamen publicè habetur dignus; attamen hoc tempore hæc ſententia nullatenus eſt docenda aut practicanda, utpote quæ nata eſt retrahere homines à confeſſionibus; & ratio quæ movit Pontificem ad hoc decidendum pro religioſis, militat quoque pro omnibus aliis.

Id tamē licet quādoque ad propriam directionem.

Dico 4. poteſt tamen confeſſarius & ei licitum eſt, uti ſcientiâ ex confeſſione habitâ ad propriam ſuam directionem, dummodo ex uſu illo nulla ſequatur directa aut indirecta fractio ſigilli, & uſus ille pœnitenti non ſit ingratus aut damnoſus; & ita v.g. nullus pœnitens malè capiet ſi confeſſarius ex notitia peccatorum quam ex confeſſione accepit, Deum ferventius pro illo exoret, ſi evolvat libros pro illius inſtructione, ſi ex confeſſione ſciens illum ſummè eſſe cholericum, ſeſe humori illius pro ſalute animæ non parum accommodet.

Ex ante dictis principiis reſolvi poſſunt plurimi caſus.

Quid aget Cōfeſſa. ius cum moribunda puella quam ex ſola confeſſione novit gravidā.

Ac in primis ſi quæratur quid faciendum confeſſario qui audit confeſſionem alicujus honeſtæ filiæ agonizantis, & ex confeſſione cognoſcit illam eſſe gravidam, & fœtum animatum, quod tamen eſt planè occultum, nec ulli mortali vult patefactum, ne famam ſuam, hactenus illæſam, perdat.

Reſp. debet confeſſarius urgere dictam pœnitentem ut hoc alicui perſonæ patefaciat, in finem ut proli proſpiciatur, idque ſub pœna æternæ damnationis, cui & ſe & prolem alioqui exponet; monebit eam quod non tantùm famam, ſed & vitam debeat exponere, pro vita prolis in extrema neceſſitate ſpirituali conſtitutæ; quod ſi facere recuſet, illi tanquam indiſpoſitæ & indignæ neganda eſt abſolutio. Cavebit tamen confeſſarius ne ulli mortalium de ingravidatione illius filiæ, aut animatione fœtus loquatur, ut illi

li proſpiciatur, idque propter ſtrictiſſimam obligationem ſigilli, quod nullo caſu, nequidem indirectè, poteſt infringi.

Item qui ex ſola confeſſione novit ſuum famulum eſſe furem.

II. Sequitur, Paſtorem qui ex confeſſione famuli illum novit eſſe furem, non poſſe ex notitia illa res ſuas accuratiùs cuſtodire quam ante faciebat, aut famulum dimittere, eò quod ille ſtatim poterit conjicere id fieri ob peccatum in confeſſione auditum.

III. Sequitur, Epiſcopum, qui ex confeſſione audivit Petrum eſſe adulterum, adeoque indignum eſſe qui admittatur ad Sacros Ordines, non poſſe illum propterea ab illis repellere, ſed ita ſe debere gerere perinde ac ſi nihil audiviſſet.

IV. Sequitur Confeſſarium Religioſum non poſſe negare ſuum ſuffragium alicui ſuo confratri quem, ex confeſſione novit ad officium indignum, ſi publicè habeatur dignus.

V. Sequitur non poſſe Confeſſarium ob peccata in confeſſione audita, pœnitenti poſtmodum exhibere ſeveriorem aut triſtiorem vultum, ſed in omnibus ſe debere gerere prout ante.

VI. Sequitur, Confeſſarium qui ex confeſſione ſcit à duobus ſibi mortem parari, quorum unus pœnitens factus hoc illi confitetur, non poſſe propterea fugere, vel aliò declinare, ſi alter complex exinde poſſit reſcire hoc fieri ex notitia peccati in confeſſione auditi.

VII. Deducitur, ſacerdotem qui ex confeſſione miniſtri, novit vinum ſibi pro miſsâ paratum, eſſe veneno infectum, non poſſe miſſam prætermittere ſi ille reſciat hoc factum ex peccato in confeſſione audito.

VIII. Deducitur, Paſtorem non poſſe abſtinere à confeſſione facienda illi, cui ſolitus eſt confiteri, etiamſi ex confeſſione illius noverit illum non eſſe ſacerdotem.

IX. Deducitur, Confeſſarium ex notitia peccati in confeſſione habiti non poſſe monere ſuperiorem alicujus loci ut habeat curam talis portæ, cubiculi &c. ad aliqua peccata impedienda, ſed in his omnibus ſeſe debere gerere ac ſi nihil audiviſſet ob reverentiam Sacramenti & ſigilli.

Hoc tamen notandum, quod in ante dictis caſibus, perſona quæ confitetur teneatur ſub peccato mortali periculum imminens quovis modo avertere & impedire, ad quod Confeſſarius illum debet monere, obligationem ſuam, quam habet ſub mortali, illi proponendo, quam ſi

Digitized by Google

recuſet implere, non erit diſpoſitus ad abſolutionem; adeoque Confeſſarius peccabit mortaliter illum ſic abſolvendo: quia tamen hujuſmodi confeſſio, licet invalida, eſt Sacramentalis, tota includitur ſub ſigillo, quod nullo caſu eſt violandum, quantumvis illius ſecretum cederet in perniciem ipſius Confeſſarii, pœnitentis, vel cujuſcumque alterius perſonæ; eò quod ſigillum confeſſionis ſit inſtitutum in bonum totius Reipublicæ Chriſtianæ, adeoque neceſſè ſit illud magis ſervari, ne fideles ab uſu hujus Sacramenti abhorreant timore violationis ſigilli, quam ſalutem cujuſcumque perſonæ particularis tueri.

Confeſſarius interrogatus à judice de crimine quod tantum ſcit ex confeſſione poteſt reſpondere ſe illud neſcire.

An Confeſſarius interrogatus à judice ſuper crimine quod in confeſſione audivit, poſſit dicere ſe illud neſcire.

Reſp. affirmativè; quinimo & hoc ipſum poterit jurare, quia verè illud crimen non ſcit, eo ſcilicet cognitionis modo quo poſſit vel debeat judici reſpondere.

Petes, an hoc ſit uti reſtrictione mentali?

Reſp. negativè, quia verba ex communi uſu admittunt hunc ſenſum cum illa modificatione; & reſponſio interrogationi quadrat, utpote quæ fiat de ſolis peccatis publicis, & ſemiplenè probatis, de quibus judici competit inquirere.

Nec ſic reſpondendo utitur reſtrictione mentali.

Petes, quid ſi judex compellat ipſum reſpondere in terminis, ut dicat quod in confeſſione audivit, ſepoſitâ quavis reſtrictione mentali, an Confeſſarius poterit reſpondere ſe neſcire, eo ſcilicet modo quo poſſum, & teneor tibi dicere.

Si tamen interrogetur an tale crimen non audiverit in cõfeſſione quid debeat reſpondere.

Reſp. negativè, eo quod modum iſtum excludat interrogatio judicis; & eapropter debebit Confeſſarius explodere hanc judicis interrogationem, nec affirmativè nec negativè reſpondendo, ſed dicendo feci officium meum.

QUÆSTIO VI.

De Satisfactione.

DUBIUM I.

Quid Satisfactio & quotuplex.

Remiſsâ culpâ nõ ſemper tota pœna debita remittitur.

SUpponendum 1. eſſe de fide definitum in Tridentino ſeſſ. 14. can. 12. contra noſtri temporis hæreticos, quod remiſsâ, culpâ, & pœnâ æternâ non ſtatim ſimul condonetur tota pœna temporalis, peccato commiſſo debita, prout hoc ipſum dub. 15. de virtute pœnitentiæ

tiæ fusè ex variis Scripturæ locis probavimus; unde hic ab ulteriori probatione ſuperſedemus. Quamvis autem à nobis determinari nequeat, quantum pœnæ temporalis pro peccato remiſſo reſtet perſolvendum, tamen ea ſemper in ſe eſt determinata, & ſoli Deo nota; eſtque varia, pro varietate, gravitate & multitudine peccatorum; imminuitur tamen pro ratione majoris contritionis de peccatis habitæ, quæ nonnumquam poteſt eſſe tam vehemens ut totam illam pœnam deleat, prout liquet ex variis exemplis fide dignis.

Supponendum 2. per peccatum fieri injuriam Deo; & quidem per peccatum mortale adeo gravem, ut tollatur amicitia divina, & peccator reddatur dignus pœnâ æternâ; cum enim Deum infinitè bonum per illud contemnat, non eſt mirum quod pœnam æternam incurrat: & hæc eſt cauſa ob quam pro culpa ſeu injuria mortali, item pro pœna æterna illi correſpondente peccator nullatenus de condigno poſſit Deo ſatisfacere, ſed ſolùm de congruo, quatenus Deus Pater, ob filii ſui paſſionem & merita, peccatoris contritionem ad mortalis injuriæ deſtructionem admittit, & reatum pœnæ æternæ remittit, ilium recipiendo in gratiam.

Quid ſatisfactio Deo facienda

Satisfactio autem in genere non eſt aliud, quam compenſatio injuriæ per peccatum Deo illatæ: diſtinguitur à reſtitutione, quod hæc ſit damni illati compenſatio, qualem peccator Deo non debet eo quod illi ex peccata nullium damnum eveniat, ſed tantum injuria.

Satisfactio alia perfecta, alia ſufficiens, alia imperfecta.

Dividitur ſatisfactio in perfectam, ſufficientem & imperfectam. Perfecta, vocatur in qua reperitur omnimoda æqualitas rei ad rem, qualis fuit ſola satisfactio Chriſti. Sufficiens eſt illa quæ innititur quidem aliquâ operis condignitate, ſed ſimul includit gratiam perſonæ læſæ, & ab ea dependet; & talis eſt omnis illa quàm perſolvit anima Deo grata pro pœna temporali peccatis ſuis remiſſis reſtante. Imperfecta eſt quæ nulla innititur operis condignitate, ſed ſola perſonæ læſæ gratiâ & liberalitate, & talis eſt omnis contritio, & voluntaria pœnarum ſuſceptio facta à peccatore, comparata ad pœnam æternam & culpam mortalem: ſicut enim peccatoris opera non merentur gratiam juſtificationis de condigno ſed ſolùm de congruo, ita quoque non ſatisfaciunt de condigno, ſed habent ſolùm rationem perſolutionis & ſatisfactionis imperfectæ de congruo.

Hhhh 2 Aliter

Digitized by Google

Item alia Sacramentalis alia non Sacramentalis.

Aliter dividitur ſatisfactio in ſacramentalem & non ſacramentalem; illa valet ex opere operato, hæc ſolum ex opere operantis; de priori agemus in ſequentibus.

Hoc tamen hic notandum, quod prior ſit longè præſtantior poſteriore; nam, licet bona opera hominis in gratia conſtituti per ſe habeant virtutem ſatisfaciendi pro pœna temporali perſolvenda in purgatorio, ſicut & habent virtutem merendi gratiam & vitam æternam, longè tamen magis & certiùs ſunt ſatisfactoria, quatenus ex Chriſti inſtitutione in Sacramento Pœnitentiæ à Confeſſario imponuntur ad ſatisfaciendum pro pœnis reſtantibus & luendis in purgatorio.

Satisfactio Sacramentalis efficacior extra Sacramentali.

Petes, an ſit fidei quod peccator poſſit ſatisfacere pro pœna temporali reſtante ex peccato remiſſo.

De fide eſt poſſe hominem ſatisfacere pro pœna tēporali reſtante.

Reſp. affirm. prout patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. can. 3. his verbis, „ Si quis dixerit pro „ peccatis quò ad pœnam tem„ poralem minimè Deo per Chri„ ſti merita ſatisfieri pœnis ab eo „ inflictis, & patienter toleratis, „ vel à ſacerdote injunctis; ſed „ neque ſponte ſuſceptis, ut je„ juniis, orationibus, & eleë„ moſynis, vel aliis etiam pie„ tatis operibus: anathema ſit.

Dices, remiſſio peccati eſt merè gratuita; ergo pro illa nequidem quo ad pœnam reſtantem eſt aliquid perſolvendum.

Ex quo non ſequitur remiſſionem peccatorum non eſſe gratuitam.

Reſp. negando conſequentiam: nam eſto juſtificatio peccatoris hoc ſenſu dicatur gratuita; eò quod nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive bona opera ipſam mereantur: ut habet Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. nihil tamen obſtat, quò minus homo peccator jam Deo reconciliatus, & factus ejus filius per gratiam ſanctificantem, poſſit aliquod condignum pretium offerre Deo pro pœna temporali reſtante, peccatis jam remiſſis; vel, ſi necdum Deo ſit reconciliatus, aliquid, mediante Dei prævenientegratià, facere quod habeat rationem ſatisfactionis de congruo & imperfectæ.

Homo peccator non poteſt ex rigore juſtitia plenè Deo ſatisfacere.

Dices, quidquid homo agit id totum Deo debet titulo creationis, conſervationis, & redemptionis; ergo nihil illi reſtat quod Deo reddat & perſolvat pro injuria illi illata.

Reſp. ex antecedente rectè inferri quod inter Deum & hominem non poſſit intervenire juſtitia rigoroſè dicta, prout neque inter Patrem & Filium quà tales; ex eo tamen non ſequi, quòd ne-

nequeat intervenire aliqua ſaltem ſufficiens & imperfecta, præſuppoſitâ liberali & gratuitâ Dei promiſſione.

Dices, Deus verè pœnitentibus in baptiſmo remittit totam culpam & pœnam, prout & in martyrio; ergo idem quoque faciet in Sacramento Pœnitentiæ.

Cur in Sacramento Pœnitẽtia minùs remittatur tota pœna debita peccatis, quàm in Baptiſmo

Reſp. negando conſequentiam; quod enim in Sacramento Pœnitentiæ aliter fiat, & in eo ita remittantur peccata ut ordinariè reſtet perſolvenda aliqua pœna temporalis remiſſis peccatis debita, eſt fidei, ut ſupra probatum eſt: & eapropter Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. ſic ait, „ divinæ juſtitiæ ratio exigere „ videtur, ut aliter ab eo in gra- „ tiam recipiantur qui ante ba- „ ptiſmum per ignorantiam de- „ liquerunt, aliter verò qui ſe- „ mel à peccatis & Dæmonis „ ſervitute liberati, & accepto „ Spiritus Sancti dono ſcientes „ templum Dei violare & Spiri- „ tum Sanctum contriſtare non „ reformidant; & divinam cle- „ mentiam decet ne ita nobis „ abſque ulla ſatisfactione pec- „ cata dimittantur, ut occaſione „ acceptâ peccata leviora putan- „ tes, veluti injurii & contume- „ lioſi Spiritui Sancto in gravio- „ ra labamur.

DUBIUM II.

Quid opus ſatisfactorium: & quæ conditiones ad illud requiſitæ.

AD opus ſatisfactorium requiruntur hæ conditiones ſequentes.

I. *Ut fiat ab homine viatore*: nam ſicut præſens vita eſt tempus merendi, ita & tempus ſatisfaciendi; defectu hujus Beati in cælo actibus ſuis bonis ſatisfacere non poſſunt, prout nec animæ juſtæ in purgatorio, quæ ibidem tamen ſatiſpatiuntur.

Conditiones requiſita ad hoc ut opus ſit ſatisfactorium.

II. conditio eſt, *ut ſit opus liberum*: ratio eſt, quia debet eſſe opus virtutis, adeoque eſſe in noſtra poteſtate: & eapropter nemo cenſebit amentem aliquem vel dormientem poſſe ſatisfacere pro ſuis peccatis.

Petes, an ergo ſola opera conſilii & ſupererogationis ſint ſatisfactoria.

Opera bona præcepta poſſunt etiã eſſe ſatisfactoria.

Reſp. negativè, ſed & opera aliàs præcepta: ratio eſt quia neque præceptum neque lex tollunt conditiones ab opere ad ſatisfactionem requiſitas; ut videre eſt in jejuniis de præcepto Eccleſiæ conſtitutis, quæ ſunt ſatisfactoria, licet ſint præcepta.

Dices, per unam rem alterâ

debitam non poteſt ſatisfieri novæ obligationi erga tertium contractæ.

Reſp. id quidem eſſe verum in debitis juſtitiæ, in quibus ſpectatur æqualitas inter datum & acceptum; unde ſi debeas Petro centum florenos pro libris ab eo emptis, & Paulo decem pro veſtibus ab eo emptis, non poteris prætio decem florenorum utrique ſatisfacere, eò quod illud non ſit æquale duobus debitis. Aliter ſeſe res habet in debitis legalibus, in quibus uno actu poteſt ſatisfieri duobus præceptis, item in operibus ſatisfactoriis, quæ non fiunt per commutationem inter datum & acceptum, ſed per modum meriti; & eapropter ſicuti obligatio voti nihil obeſt quò minus quis poſſit illo opere mereri vitam æternam, ita nec obligatio præcepti impedit quo minus opus præceptum ſit ſatisſfactorium pro peccatis.

Ad ſatisfactionē de condigno requiritur ut fiat ab homine existente in gratia

III. Conditio eſt, *ut ſit opus bonum præſtitum in ſtatu gratiæ.* Ratio eſt, quia opera etiamſi bona, præſtita à peccatore in ſtatu peccati mortalis exiſtente, ſunt mortua, nec valent ad conſecutionem vitæ æternæ; ergo nec valere debent ex condigno ad imminutionem pœnæ temporalis, quæ retardet conſecutionem vitæ æternæ. 2. Opera hujus vitæ, quantumvis ex objecto bona, per ſe ſumpta nullam habent proportionem cum pœnis vitæ futuræ, unde nec ex ſe habent valorem ut illas remittant: & idcirco neceſſaria eſt gratia, à qua hunc valorem accipiant, & à qua ſatisfactio recipiat ſuum valorem: nec mirum, quia ſatisfactio, quæ fit Deo, debet eſſe aliquo modo reconciliativa, adeoque fieri ab ejus amico, quod non competit operibus peccatoris; & hæc eſt ratio diverſitatis, quod homo qui debet aliquid alteri homini, & exiſtit in peccato mortali illi poſſit ſatisfacere, non vero Deo, quia ſcilicet homo creditor non curat quo animo debitor illi ſatisfaciat, dummodo det æquale: Deus vero non ſuſcipit ſatisfactionem niſi procedentem ab amico quâ tollatur impedimentum ad regnum cælorum.

Ex his collige peccatorem non poſſe ſatisfacere Deo quamdiu manet in ſtatu peccati mortalis, nec opera ejus, quantumvis ex objecto optima in eo ſtatu facta, illi poſtea in ſtatu gratiæ conſtituto profutura ad ſatisfactionem, quia nunquam habuerunt vitam.

Noſtra ſatisfactio innititur me-

IV. Conditio *ut opus illud ſit ſupernaturale & ex Chriſti gratia proficiſcens*: quod probatur ex

Trid.

ritis Chriſti. Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. ubi „ait, quod noſtra ſatisfactio, „quam pro peccato exſolvimus, „non ita eſt noſtra, ut non ſit per „Chriſtum Jeſum, quia qui ex „nobis tanquam ex nobis, nihil „poſſumus, eo cooperante, qui „nos confortat, omnia poſſumus .... facientes fructus dignos pœ„nitentiæ, qui ex illo vim habent.

Opus ut ſit ſatisfactoriũ, debet eſſe aliquo modo pœnale. V. Conditio *ut opus illud ſit aliquo modo pœnale*; & ideo Sacra Scriptura, prout & Sancti Patres nos adhortantes ad pœnitentiam, proponunt opera pœnalia, ut patet Joel. 2. ubi dicitur, *in jejunio, fletu & planctu* &c. Ratio eſt, quia vindicta propriè fit per pœnam, ſatisfactio autem eſt actus juſtitiæ vindicativæ, quo vindicatur injuria Deo facta.

Petes, an ergo ſatisfactio non fiat per quodlibet opus meritorium.

Quodlibet tamẽ opus meritorium poteſt eſſe ſatisfactorium. Reſp. affirmativè; etenim cum per illud poſſimus mereri quod majus eſt, nempè vitam æternam, poſſumus quoque quod minus eſt illi ſubordinatum, nempe diminutionem pœnæ temporalis, nos à conſecutione vitæ æternæ retardantis; ſed addimus omne quoque opus meritorium, homini poſt lapſum eſſe quoque aliquò uſque pœnale & laborioſum, quatenus amiſſâ juſtitiâ originali, anima continuò inclinatur ad ſenſualia & inferiora, adeoque cum labore aſſurgit ad ſpiritualia & ſuperiora. Hoc tamen verum eſt, quod opus aliquod bonum cæteris paribus ſit magis ſatisfactorium, quò eſt magis pœnale & laborioſum; eò quod ratio ſatisfactionis creſcat ex pœnalitate operis, quando quidem per illud in nobis puniatur peccatum.

Petes, an poſitis hiſce conditionibus, opera noſtra ſint de condigno ſatisfactoria pro illa pœna purgatorii, quæ per ſe reſpondet peccato remiſſo? *Condignitas ſatisfactionis noſtræ innititur divinæ promiſſioni.*

Reſp. affirmativè; quia eodem actu quo meremur apud Deum, illi quoque ſatisfacimus; ſed meremur de condigno, ergo & ſatisfacimus de condigno.

Petes, an ad hoc ut opus noſtrum ſit taliter ſatisfactorium, requiratur promiſſio ex parte Dei?

Reſp. affirmativè; nam quamvis opera noſtra bona ex Chriſti gratia profecta habeant aliquam condignitatem ad ſatisfaciendum & merendum, obligatio tamen in Deo ad hujuſmodi opera acceptanda in ſolutionem pro pœnis purgatorii, non oritur per ſe ex ipſa condignitate operis, ſed à liberali Dei promiſſione; eò quod ſine illa non teneatur ejuſmodi opus acceptare in ſolutionem talis pœnæ,

næ: eo modo quo judex, dum certo alicui peccato certa aliqua pœna eſt conſtituta, non tenetur aliam à reo ejus loco acceptare, niſi ipſe velit.

Quid opus ſatisfactorium. Ex dictis liquet quid ſit opus ſatisfactorium, ſcilicet opus bonum, viatoris, pœnale in gratia factum, aſſumptum in ſolutionem pœnæ temporalis reſtantis poſt peccatum remiſſum.

Opera ſatisfactoria præcipua ſunt oratio, eleëmoſyna, & jejunium. Enumerantur vero à Theologis tres actus præcipui ſatisfactionis, ſcilicet, oratio, jejunium & eleëmoſyna, non quaſi per hos ſolùm ſatisfacere poſſimus; nam ut ſupra dictum eſt, omne opus meritorium poteſt eſſe ſatisfactorium, ſed quia virtualiter in his tribus continentur omnia opera ſatisfactoria; nam ſub eleëmoſyna continentur omnia opera externa, quæ poteſt homo erga alios facere in ſatisfactionem: ſub oratione, omnes actus interiores; ſub jejunio, omnes corporis caſtigationes.

Poteſt homo ſatisfacere per ea quæ ipſi neceſſariò accidunt. Petes, an poſſimus quoque Deo ſatisfacere per pœnas quas neceſſariò patimur, ut puta per flagella à Deo immiſſa; ut ſunt, bella, fames, corporis infirmitates &c.

Reſp. affirmativè; dummodo voluntariè à nobis acceptentur, ut docet Trident. ſeſſ. 14. cap. 9. & ratio eſt quia licet homo ab extrinſeco patiatur tales pœnas, dum tamen illas voluntariè acceptat, & offert Deo, facit illas moraliter ſibi proprias.

DUBIUM III.

An noſtræ ſatisfactiones obſcurent aut imminuant ſatisfactionem Christi.

Reſp. hoc unum plenis buccis continuò crepant hæretici dicentes, Chriſtus pleniſſimè ſatisfecit pro peccatis noſtris juxta illud 1. Joann. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Ergo fit injuria ſatisfactionibus ejus, dum noſtras requirimus; eò quod inde ſequatur Chriſti ſatisfactiones eſſe imperfectas, utpote indigentes noſtris.

Satisfactio facta ab homine pro peccatis ſuis non derogat ſatisfactioni Chriſti pro peccatis omnium. Reſp. negando conſequentiam; & dico hoc potiùs cedere in honorem Chriſti, quod nempe non ſolùm ipſe pro nobis ſatisfecerit, ſed & inſuper virtutem ſatisfaciendi nobis dederit; ſicuti cedit in honorem & gloriam Dei, quod non tantùm ipſe operetur omnia in omnibus, ſed etiam creaturis dederit virtutem operandi. Itaque Chriſtus pleniſſimè quidem ſatisfecit, quoad culpam & pœnam omnium

nium peccatorum, & hoc quoad ſufficientiam; nam non omnes à culpa & pœna liberantur, ſed illi ſoli, quibus pretium ab eo oblatum applicatur: unde ſicut impœnitentibus non applicatur ad remiſſionem culpæ aut pœnæ; ita non ſtatim integrè applicatur pœnitentibus pro ſolutione totius pœnæ, ſed tunc demum, quando fuerit illis applicatum Chriſti pretium per Sacramentorum collationem, aut opera ſatisfactoria; nam Chriſti ſatisfactiones mediis ab ipſo inſtitutis applicantur; ita enim Chriſti paſſio in Baptiſmo nobis applicatur ad remiſſionem peccatorum ante commiſſorum: in ſumptione Euchariſtiæ ad augmentum gratiæ; in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum, idque quoad culpam & pœnam æternam; denique operibus pœnalibus ut jejunio, oratione, eleëmoſynâ, applicantur nobis ſatisfactiones Chriſti, ad remiſſionem pœnæ temporalis.

Chriſtus ſatisfecit pro omnium peccatis quoad ſufficientiam. Illa tamen ejus ſatisfactio non applicatur omnibus.

Ex his patet explicatio ſententiæ Apoſtoli ad Coloſſ. 1. dum ait, *Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*, quid quæſo deerat paſſionibus Chriſti, niſi applicatio ſatisfactionis & meritorum ejus, quæ fiebat per labores & alia opera pœnalia, quæ Apoſtolus tolerabat in prædicando Evangelio Chriſti: quod niſi orbi innotuiſſet, ejus paſſio in hominibus nullam vim habuiſſet.

DUBIUM IV.

An unus homo pro alio poſſit ſatisfacere.

Poteſt unus pro alio ſatisfacere.

RESp. Aff. contra noſtri temporis hereticos, qui illud dicunt eſſe novum inventum, propter ſuffragia vivorum quæ applicantur fidelibus defunctis.

Sed probatur primò, quia omnes qui ſunt in gratia ſunt viva membra unius corporis & capitis; ut ſæpe docet Apoſtolus, ad Roma. 10. & ad Ephſ. 4. ſed membrorum ejuſdem corporis inter ſe eſt communio, nam juvant ſe mutuo in officiis propriis; ſuſtinent pro mutua ſalute varios labores & dolores, interdum etiam ſectionem & uſtionem; & ſi patitur unum membrum, compatiuntur reliqua: ergo ſimiliter juſti poſſunt ſe invicem juvare, & pro ſe invicem ſatisfacere. Quod confirmatur ex ſimbolo Apoſtolorum, in quo profitemur communionem Sanctorum, quæ in eo conſiſtit quod fideles

deles ſua bona opera ſibi invicem communicent, adeoque ſibi mutuo per jejunia, orationes, aliaſque pias actiones proſint, tanquam unius corporis membra; & ita Deus propter quinque juſtos voluit parcere civitatibus Pentapolis ut patet Gen. 18. qui & propter Jacob benedixit domui Laban Gen. 30. unde patet quod bona opera unius poſſint prodeſſe alteri ad remiſſionem pœnæ temporalis: nam ſi Deus ſæpe pepercerit impiis, iiſque benefecerit ob preces & merita juſtorum, multò magis ignoſcet pœnam temporalem filiis ſuis ob preces & afflictiones aliorum juſtorum.

Non de condigno ſed tantum de congruo. Petes, an hæc ſatisfactio qua unus pro altero ſatisfacit, ſit de condigno, an vero tantùm de congruo.

Reſp. verius eſſe, illam tantùm eſſe de congruo: adeoque tantum valere per modum impetrationis, idque ex miſericordia Dei acceptantis ſatisfactionem unius pro altero, dum ipſi placet. *Et per modum impetrationis.* Quod probatur, quia nulla extat Dei promiſſio de acceptanda alterius ſatisfactione.

Dices, in republica: unus poteſt pro altero ſatisfacere de condigno apud Principem aut Magiſtratum, ſolvendo gabellam, quam alter debet; ergo & hoc ipſum poteſt fieri apud Deum.

Reſp. quoad debitum pecuniarium verum eſt antecedens, & dico quod in tali ſolutione ſolùm ſpectetur, ut hæc vel illa ſumma detur à reo vel ab alio ejus nomine. Non eſt autem verum generaliter, ſi illud intelligatur de debito conſiſtente in obligatione ad aliquam pœnam ſubeundam; pro hac enim ſi fiat ſolutio & ſatisfactio ab alio, illa tantùm valet pro reo ex miſericordia & liberali acceptatione Principis, qui condonat illi ſuum ſupplicium, ob pœnam quam ejus loco ille alius vult sufferre.

Neque etiam quod unus poſſit pro alio ſatisfacere de condigno probatur ſufficienter ex communione Sanctorum, nam ſicut illa non poſtulat, ut unus alteri de condigno mereri poſſit; ita neque ut condignè ſatisfacere poſſit pro alio.

Dices, ſi ſatisfactio unius tantùm valeat alteri de congruo & per modum impetrationis, ergo non erit infallibilis.

Reſp. concedendo totum, neque enim ex Scriptura, Traditione, aut Patribus, habemus ipſas eſſe infallibiles. *Satisfactio unius pro altero non eſt infallibiliter impetratoria.*

Dices, ergo indulgentiæ non valebunt de condigno.

Reſp. negando conſequentiam;

Digitized

tiam; quia per illas non tantùm applicantur ſatisfactiones Sanctorum, ſed potiſſimùm Chriſti Domini, & quatenus innituntur meritis & ſatisfactionibus Chriſti, ſunt infallibiles.

DUBIUM V.

Quid ſatisfactio Sacramentalis

Quid ſatisfactio Sacramentalis.

RESp. eſt compenſatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo per peccatum illatam, conſiſtens in operibus pęnalibus à Confeſſario taxatis. Hæc eſt pars integralis Sacramenti Pœnit. non vero eſſentialis. Quod inde patet quia Sacramentum illud ſubſiſtere poteſt ſine ſatisfactione, prout contingit, quando pœnitens abſolvitur in mortis articulo nihil valens percipere; vel certè ſi ſibi præſens ſit, non eſt ſufficiens ut pœnitentiam adimpleat.

Eſt pars ſolum integralis Sacramenta Pœnitentia.

Petes, an ſatisfactio Sacramentalis habeat vim ex opere operato & ſimul ex opere operantis?

Eſt efficax ex opere operato & ex opere operantis

Reſp. affir. dummodo habeat omnes conditiones recenſitas; nam ut ſic tantum valet quantum aliud quodcumque bonum opus meritorium: quod verò valeat ex operato patet, quia cum omnia Sacramenta novæ legis habeant hanc virtutem, illa quoque competit partibus Sacramentorum; idque ſecundùm illarum exigentiam.

Porro in ſatisfactione Sacramentali non poteſt aſſignari convenientior effectus, quam remiſſio pœnæ temporalis: ſicuti verò eo major eſt alicujus Sacramenti effectus ex opere operato, quò præſtantior eſt diſpoſitio ſuſcipientis; ita quoque major fit pœnæ remiſſio quo devotiùs & perfectiùs ſatisfactio Sacramentalis mandatur executioni

Ut valeat debet impleri in ſtatu gratia.

Petes, an ut ſatisfactio Sacramentalis conferat hunc effectum requiratur ut pœnitens ſit in ſtatu gratiæ, dum illam peragit?

Reſp. affirmativè; nam quamvis Sacramenta vim ſuam & efficaciam habeant independenter à diſpoſitione miniſtri, requirunt tamen debitam diſpoſitionem in ſubjecto; unde ſicut hæc non conferunt effectum ſuum indigno, ita nec hæc ſatisfactio Sacramentalis.

Petes, an ergo quis validè non poſſit implere pœnitentiam ſibi à Confeſſario injunctam, in ſtatu peccati mortalis.

Qui ſatisfactionem implet in ſtatu peccati mortalis non vere ſatisfacit.

Reſp. negativè quia ſatiſfactio eſt actus virtutis pœnitentiæ ſeu Contritionis, quæ non eſt in homine retinente affectum peccati mortalis, utpote quæ oriri debet ex amore Dei ſuper omnia.

Petes, an ergo quis obligetur repetere pœnitentiam à ſacerdote injunctam dum illam adimplevit in ſtatu peccati mortalis.

Reſp. Affirm. eo quod opus pœnale non habeat rationem ſatisfactionis niſi fiat ex Dei amore ſuper omnia, ut ille ſuper peccatum placetur.

Dices qui in die feſto audit miſſam in ſtatu peccati mortalis ſatisfacit præcepto Eccleſiæ: ergo qui adimplet pœnitentiam in ſtatu peccati mortalis, ſatisfacit præcepto confeſſarii?

Cur minus quā is qui miſſam audit in peccato mortali in die feſto.

Reſp. negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia prior ponit ſubſtantiam operis præcepti, ſcilicet auditionem miſſæ, eſt autem extrinſeca conditio audientis illam, quod ſit hic in ſtatu gratiæ: poſterior vero non ponit ſubſtantiam operis præcepti, non plus quàm legens horas cum voluntaria diſtractione, eo quod Confeſſarius injungat opus pœnale ſub ratione ſatisfactionis, quæ non conſiſtit cum affectu peccati mortalis.

Dices, non ſolùm olim ſed & modo dantur quandoque à confeſſariis aliquæ pœnitentiæ durantes ad notabile tempus v. g. ad aliquot menſes & annos; ſed veroſimile eſt ejuſmodi pœnitentes ſe non tam diu continere à quolibet peccato mortali; ergo.

Quid ergo de pœnitentiis quæ imponūtur per agendæ ante abſolutionē.

Reſp. & dico conſequenter ejuſmodi pœnitentias, in ſtatu peccati mortalis peractas, non valere ad remiſſionem peccatorum apud Deum, adeoque eſſe repetendas; quia tamen hujuſmodi pœnitentes id frequenter invincibiliter ignorant, & difficulter cogi poſſent ad tales pœnitentias repetendas, relinquendi ſunt potius ordinarie in bonâ fide, quàm deſuper ſine fructu monendi.

Petes, an obligetur Confeſſarius pœnitenti ſemper in Sacram. Pœnit. ſatisfactionem imponere?

Reſp. affirmativè, ſaltem per ſe loquendo, quia tenetur procurare integritatem Sacramenti, cujus ſatisfactio eſt pars integralis; inſuper quia ipſe in hoc foro eſt judex, qui tenetur reo imponere pœnam, pro reſarcienda injuria læſo illata: & eapropter Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. ait debere ſacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares pœnitentias injungere.

Petes, an ſit neceſsè ut ſatisfactio illa injungatur à Confeſſario per modum præcepti.

Reſp. affirmativè, quia illam imponit ut judex; judex autem non punit, niſi per poteſtatem coactivam, quæ obligat reum ad ſubeundam pœnam.

Petes,

Digitized by Google

Petes, an illa ſatisfactio rectè definiatur, perſolutio pœnæ impoſitæ à confeſſario cum ſincero propoſito vitam emendandi?

Reſp. affir. nam antiquiſſimo uſu Eccleſiæ receptum eſt, ut ait cathe. Roma: ut cum pœnitentes à pœna ſolvuntur, aliqua illis pœna irrogetur; cujus pœnæ ſolutio, ſatisfactio vocari conſuevit: eodem quoque nomine quodlibet opus pœnale, quod pro peccatis noſtris prompte ſuſcipimus, ſatisfactio appellatur; ſed non Sacramentalis.

Petes, quem effectum habeat opus pœnale à confeſſario injunctum?

Reſp. remiſſionem pœnæ temporalis, ex Chriſti inſtitutione; prout patet ex Trid. ſeſſ. 14 cap. 3. in quantum virtute clavium elevatur ut ſit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ.

Satisfactio Sacramentalis non tollit ſemper totã pœnam peccatis debitam.

An illud opus deleat totam pœnam peccatis remiſſis debitam?

Reſp. negativè ſed tantò majorem quantò ipſa eſt magis proportionata pœnæ debitæ, & pœnitens eam cum majore diſpoſitione adimplet: nam ſicuti Sacramenta majorem conferunt gratiam magis diſpoſitis, ita quoque hoc opus ſatisfactorium.

Satisfactio Sacramentalis eſt efficacior quam non Sacramentalis.

Unde hîc bene notandum, quod pluris valeat ad remiſſionem pœnarum unum *Ave Maria* à Confeſſario pro pœnitentiâ injunctum, quam viginti recitata ex propria devotione; quippè cum illud habeat vim Sacramentalem ex opere operato, alia verò non; optandum proinde ut confeſſarii pœnitentibus ſuis paulo graviores imponant pœnitentias, ut citius delere poſſint pœnas in purgatorio alioquin ſolvendas.

Petes, an opus illud, quod pro ſatisfactione Sacramentali imponitur, debeat eſſe determinatum & particulare.

Reſp. affirmativè; ſi ſe ſolo imponatur, eò quod actiones ſint particularium, ut ait Philoſophus: poſſunt tamen illi ſalubriter injungi aliqua opera generalia indeterminata, ut ſi v. g. Confeſſarius ulterius dicat: *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ Virginis & quidquid boni egeris, vel mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum.* Siquidem hujuſmodi opera generalia, vi clavium tunc elevantur ad ſatisfaciendum ex opere operato, pro peccatis in illa confeſſione tunc manifeſtatis; eò quòd per hujuſmodi injunctionem fiant pars ipſius Sacramenti: & propterea obſervant quidam magni nominis Theologi expedire hanc præmittere; quia in quo defecit pœnitentia particularis injuncta,

juncta, ſuppleri poteſt per bona opera facta, vel per mala in vita tolerata.

Petes, an liceat Confeſſario pro Sacramentali pœnitentia injungere officium defunctorum, aut alias preces pro defunctis: & ratio dubitandi eſt, quia ſatisfactio Sacramentalis eſt inſtituta ad tollendam pœnam peccatis pœnitentis debitam, & conſequenter videtur contra illius naturam, ſi illa applicetur alteri.

Reſp. ſatisfactionem Sacramentalem habere duplicem vim ſatisfaciendi, nempe ex opere operato, & ex opere operantis, & conſequenter dico quidem eſſe contra illius naturam ſi vis illa ſatisfaciendi, quam habet ex opere operato, applicetur alteri; ſecus vero de illa quam habet ex opere operantis, quam poteſt Confeſſarius velle alteri applicare: quod probatur ulterius nam ſicuti Confeſſarius poteſt alicui injungere eleëmoſynam corporalem pro pœnitentia, ut proſit animabus purgatorii, ita quoque poterit ſpiritualem.

Poteſt Confeſſarius pro peccatis publicis imponere publicam pœnitentiam.

Petes, an Confeſſarius poſſit imponere pœnitentiam publicam?

Reſp. affirmativè; ſi nimirum peccata ſunt publica, quinimo ad hanc tunc obligatur pœnitens, idque in aliorum ædificationem quos ille peccando ſcandaliſavit: ſecus vero ſi illa peccata ſint occulta, eſto enim non eſſet contra ſigillum, quia, ut ſupponitur, aſſumeretur illa publica pœnitentia cum conſenſu pœnitentis, graviter tamen læderet famam pœnitentis quæ ſine neceſſitate & gravi cauſa exponeretur periculo.

Confeſſarius etiam tēpore Iubilæi tenetur pœnitenti imponere ſatisfactionem.

Petes, an ſaltem Confeſſarius tempore Jubilæi aut alterius Indulgentiæ plenariæ, non poſſit impendere abſolutionem ſine ſatisfactione? & ratio dubitandi eſt, quia cum illo tempore concedatur plenaria peccatorum remiſſio, ſuperflua videtur talis ſatisfactio.

Reſp. nihilominus affirmativè; quia tenetur procurare integritatem Sacramenti, & in eo agit officium medici; & hinc eſto ſatisfactio non eſſet neceſſaria in ratione debiti, erit tamen neceſſaria in ratione medicinæ ad præcavendas recidivas.

Satisfactio impoſita in Sacramento Pœnitētiæ non poteſt adimpleri per aliū.

Petes, an ſatisfactio Sacramentalis à Confeſſario injuncta poſſit impleri per alium.

Reſp negativè, eò quod obligatio ſatisfaciendi ſit perſonalis, conſiſtens in actibus pœnitentis, prout & obligatio confeſſionis & contritionis, ut ait Concilium Trident. obligatio verò perſonalis venit adimplenda à perſona

Digitized by Google

na quæ tali obligatione tenetur.

Petes, an ergo pœnitens obligatus à Confeſſario dare eleëmoſynam non ſatisfaciat eam dando per famulum.

Reſp. affirmativè, eſto & illam famulus elargiretur in ſtatu peccati mortalis; neque enim actio famuli, ſed actio qua pœnitens mandat eleëmoſynam præſtari per famulum, eſt pars integralis Sacramenti valens ex opere operato.

DUBIUM VI.

Cujuſmodi ſatisfactio ſit Pœnitenti imponenda.

Deſcriptio pœnitentiæ quæ in primitiva Eccleſia exigebatur à Pœnitentibus.

PRænotandum ex Tertuliano, Cypriano, & aliis antiquis deſcribentibus Chriſtianorum pœnitentiam in primitiva Eccleſia, olim graviſſimas pœnitentias, juxta præſcriptum Canonum pœnitentialium, ſolitas imponi, & inter cæteras eos extra Eccleſiam ſolitos fuiſſe ſtare in lugubri veſte, ſacco & cilicio indutos, caput cinere conſperſ.s; & primo quidem die quadrageſimæ tundebantur publicè pœnitentibus crines, exceptis fœminis, quæ caput velabant, & exinde nulli convivio poterant intereſſe, nec equis incedere, nec intereſſe ſpectaculis, omnibuſque recreationibus illis interdictum erat; & quod gravius erat, quamdiu eſſent in numero pœnitentium, ſacramenta illis non miniſtrabantur, niſi in Paſchate & mortis articulo. Hæc pœnitentia, juxta gravitatem peccatorum erat gravior aut levior, & ita quidem ob quædam peccata etiam ſimplicis fornicationis trium 4. 5. aut 6. aut 7. annorum pœnitentia injungebatur, quo inſuper tempore affligebantur cilicio, flagellis, & aliis pœnalibus operibus. Audiendus eſt ſuper his Jo. Climachus in ſua ſcala „cum „perveniſſem (inquit) ad mo„naſterium pœnitentium, vidi „revera quæ Deo vim inferre „poſſent; quoſdam noctibus totis „ſtare pervigiles, pedeſque im„mobiles tenere, & contra ſom„num vim naturæ inferre: alios „miſerabiliter in cœlum intuen„tes, Dei audientiam cum ge„mitu & ſuſpirio poſtulantes: „alios in oratione, more reo„rum manibus poſt terga revin„ctis, humi luridas facies incli„nantes, indignos ſe, qui cœ„lum aſpicerent, vociferantes; „nonnullos in pavimento ſtra„to cinere & cilicio ſedentes & „faciem genibus operientes, „alios pectora jugiter tunden„tes &c.

Atque olim hanc ſeveram pœnitentiam agebant non ſolum plebei,

plebeii, ſed & Reges, Imperatores & Epiſcopi.

Nota eſt pœnitentia Theodoſii Imperatoris. Othonis etiam tertii, quam narrat S. Petrus Damiani in vita Sancti Romualdi. Occiderat Otho Creſcentium virum nobilem, quod ſcelus cum S. Romualdo detexiſſet in confeſſione, injunxit illi pœnitentiam ut nudis pedibus ad Garganum montem Apuliæ S. Michaëli ſacrum, proficiſceretur. Paruit Imperator & per quadraginta dies ſolemni jejunio deſtinatis, aſpero indutus ſacco, duro in ſtrato cubavit, aliiſque operibus pœnitentiæ ſtitit.

Eſt memorabile quod in Concilio Toletano X. legitur de Potamio Epiſcopo Bracarenſi, qui quod ſemel tactu fœmineo fœdaverat ſemetipſum, eapropter novem menſium ſpatio ſe in ergaſtulo quodam incluſit, ac deinde propriis litteris hoc ſuum peccatum Concilio indicavit, à quo illi pro pœnitentia eſt injunctum ut toto vitæ ſuæ tempore in abjectis officiis deſerviret. Sed heu quàm longè ab illo antiquo rigore diſceſſum eſt! Etenim ſi aliquot dies jejunii ob multa crimina commiſſa modò imponantur, videre eſt, pleroſque ſeſe excuſare, mitiorem pœnitentiam rogare, vel illam apertè renuere.

Obligantur etiam hoc tempore Cōfeſſarii pœnitentias proportionatas imponere peccatoribus.

Hoc interim verum eſt, etiam pro hoc tempore, quod in imponendis operibus ſatisfactoriis & pœnitentiis, nihil poſſit confeſſarius pro ſuo arbitratu, ſed pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ut ait Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. convenientes debent ſatisfactiones injungere, ne ſi fortè peccatis conniveant, vel indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Confeſſariis neceſſaria eſt Canonum pœnitentialium notitia.

Et ut in injungenda pœnitentia, & ſatisfactionis pœna, peccata juſtè metiantur, optat Catechiſmus ad parochos, qui Romanus appellatur, ut omnes confeſſarii ad manus habeant Canones pœnitentiales, ut ex illis interdum pœnitentibus ſignificent quæ pœnæ quibuſdam delictis ex Canonum præſcripto fuerint conſtitutæ; quos in illum finem S. Carol. Borr. in unum collegit, & ſecundum decem præcepta Decalogi diſtribuit, ut unicuique peccato præſto ſemper eſſet remedium, dicens quemlibet confeſſarium Canones pœnitentiales ſcire oportere. Nam quamvis illi poſſint & debeant hoc tempore, attentâ hominum fragilitate, mitigari, idque ſecundùm exigentiam

tiam

Digitized by Google

tiam contritionis, & qualitates pœnitentium: utiliſſimum tamen eſt Confeſſariis ad illos, tanquam ad regulas reſpicere pro injungendis pœnitentiis; prout & utile erit illos ipſis pœnitentibus proponi, ut ex illis ſcelerum ſuorum gravitatem, magis diſcant ponderare. Neque propterea putent peccata ſua modò eſſe levia, quia leves pro illis imponuntur pœnitentiæ, ſed hoc fieri, ne, ſi ea quæ pro culpæ gravitate injungenda eſſet, perſolvi jam deberet, delinquentes periculum ſalutis incurrerent, dum implere illas pœnitentias omitterent.

Porro etſi opus externum frequentiùs pro pœnitentia imponatur, eò quod illud certiùs & faciliùs impleri poſſit, non obſtat tamen quo minus, pro ſtatu pœnitentis, aliqua interna meditatio pro pœnitentia imponatur v. g. de morte, judicio, inferno, præſentia Dei, gravitate peccati, paſſione Domini, item aliquot actus contritionis; etenim eſto illi actus per ſe ſint merè interni, per accidens tamen redduntur ſenſibiles, dum à Confeſſario imponuntur, & à pœnitente acceptantur.

Petes, an opera aliàs ex præcepto debita, poſſint à Confeſſario pro pœnitentia imponi.

Reſp. affirmativè; nam eſto illa regulariter debeant eſſe opera conſilii & ſupererogationis, idque ut detur pœnitenti major occaſio plura bona opera exercendi, poſſent tamen quandoque validè & licitè imponi opera aliqua ex præcepto debita, ut v. g. auditio duarum miſſarum in die feſto, quarum una eſt ex præcepto; eò quod lex aut præceptum conditiones ad opus ſatisfactorium requiſitas minimè tollat ab opere. Unde, conſideratâ pœnitentis diſpoſitione, ſæpe expediet illi imponere pœnitentiam, cujus medietas ſita ſit in opere præcepto, & altera medietas in opere conſilii v. g. ut ſingulis Dominicis audiat duas miſſas. *Vti & opera bona aliunde præcepta.*

Notandum tamen hic, quòd, niſi Confeſſarius particulariter explicet, pœnitentiam injunctam intelligi deberi de opere conſilii, & non aliàs præcepti.

Petes, an quandoque pœnitentia non poſſit injungi ſub conditione?

Reſp. affirmativè; ſiquidem plures ejuſmodi pœnitentiæ conditionatæ multùm quandoque conducunt ad coërcendos habitus pravos, & malas conſuetudines. Debet tamen prudens Confeſſarius, cum his, abſolutam aliquam pœnitentiam injungere,

gere, ne Sacramentum fruſtretur parte ſuâ integrali, v. g. alicui juveni conſuetudinario, qui ſemel incidit in mollitiem, injungere poterit lectionem ſeptem Pſalmorum cum Litaniis, & ſi adhuc relabatur, quòd toties, tribus diebus jejunabit in pane & aqua.

Monendus pœnitens cui levior pœnitentia imponitur, peccatû mereri graviorem.

Ultimò hic reſtat notandum, dum Confeſſarius ob juſtas cauſas, animum ejus moventes, imponit pœnitentiam minorem, debere tunc monere pœnitentem, ejuſmodi pœnam non eſſe commenſuratam pœnæ peccatis debitæ, quæ proinde vel in futuro ſæculo veniet expianda: quod ideo illi revocatur in memoriam, ne forſan ob levitatem pœnitentiæ, peccata ſua leviora æſtimet & ut per hoc potius excitetur ad ſpontaneas pœnitentias, etiam in hac vita pro peccatis ſubeundas,

DUBIUM VII.

Ad quot Capita reducatur omnis ſatisfactio Sacramentalis.

Ad orationem, jejunium & eleëmoſynam omne opus ſatisfactorium refertur.

RESp. ex Catechiſmo Romano, „ omne ſatisfactionis „ genus ad hæc tria capita præ„ cipuè referendum eſſe ſc: ora„ tionem, jejunium & eleëmo„ ſynam; quæ quidem tribus „ bonis, animæ, corporis, & iis „ quæ externa commoda dicun„ tur, quæ omnia à Deo acce„ pimus, reſpondent. Nihil ve„ rò aptius & convenientius ad „ exſtirpandas omnium peccato„ rum radices eſſe poteſt. Nam „ cum omne quod eſt in mundo, „ concupiſcentia carnis ſit, aut „ concupiſcentia oculorum, aut „ ſuperbia vitæ: nemo non vi„ det, hiſce tribus morbi cauſis, „ totidem medicinas, priori ſci„ licet jejunium, alteri eleëſy„ nam, tertiæ orationem, rectiſ„ ſimè opponi. Præterea, ſi eos „ etiam, qui peccatis noſtris of„ fenduntur, ſpectemus, facilè „ erit intelligere, cur ad hæc tria „ potiſſimùm omnis ſatisfactio „ referatur. Hi verò ſunt, Deus, „ proximus, & nos ipſi. Qua„ re Deum oratione placamus, „ proximo eleëmoſynâ ſatisfaci„ mus; nos ipſos verò jejunio „ caſtigamus. Sed quoniam mul„ tæ variæque ærumnæ & cala„ mitates, dum in hac vitâ ſu„ mus, nos premunt: illud „ maximè fideles docendi ſunt, „ eos qui animo patienti, quid„ quid Deus laborioſi & incom„ modi immiſerit, ferant, am„ plam ſatisfaciendi & merendi „ materiam nactos eſſe. Qui au„ tem inviti & repugnantes pœ„ nam hujuſmodi ſuſtinent,

„ omni

„ omni ſatisfactionis fructu pri„ vari, ſed Dei tantùm, pecca„ ta juſto judicio ulciſcentis, ani„ madverſionem & ſupplicium „ perferre.

DUBIUM VIII.

An ſatisfactio debeat adimpleri ante abſolutionem an verò poſt illam.

RESp. prænotandum hic, quod, ſicuti Mater Eccleſia, quæ ab uno eodemque Dei Spiritu ſemper gubernatur & regitur, in accidentalibus Sacramentorum & ceremonialibus, perſæpe multa variavit & addidit: ita quoque, pro temporum, locorum, & hominum diverſitate, non ſemper eundem uſum & ordinem, quoad impletionem ſatisfactionis Sacramentalis, ſervavit; ſed variavit illam modò anteponendo, modò poſtponendo abſolutioni ſacerdotis, prout hoc, ſecundùm varietatem temporum, judicavit expedire ſaluti animarum. Et ita quidem multis anterioribus ſæculis, in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ, hunc ordinem ſervavit. Ut primò præcederet confeſſio. 2. Pœnitentiæ poſtulatio. 3. Impoſitio pœnitentiæ. 4. Ejuſdem adimpletio. 5. Tandem abſolutio. Prout videre licet in antiquiſſimo Tertuliano libro de Pœnitentiâ. In Cypriano epiſt. 2 lib. 1. item epiſt. 2. lib. 4. & clariſſimè hoc indicat Sanctus Leo Papa epiſtola 91. in qua ſic ait: *Chriſtus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad Sacramentorum communionem, per januam reconciliationis admitterent.*

Olim ſatisfactio imponebatur implenda ante abſolutionem.

Hoc ipſum quoque patet ex 3. Concil. Tolet. can. 11. ubi Patres veterem Eccleſiæ morem collapſum, reſtaurandum cenſentes, ſic ſtatuunt. „Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm Canones, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties ſe à preſbyteris reconciliari expoſtulent: ideo pro coërcenda tam execrabili præſumptione, id à S. Concilio jubetur, ut ſecundum formam canonum antiquam detur pœnitentia; hoc eſt, ut priùs eum, quem pœnitet ſui facti, à communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere, expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicut ſacerdotalis con-

"templatio probaverit, eum "communioni reſtituat. Complura hujuſmodi videre licet apud Gratianum de Pœnitentia.

Qui uſus in occidentali Eccleſia viguit uſque ad finem ſeculi undecimi.

Et quidem hic uſus & Canonum obſervantia viguit in Eccleſiâ occidentali uſque ad ſæculum undecimum completum. Prout manifeſtum evadit ex decretis Burchardi Epiſcopi Wormacienſis, & Ivonis Epiſcopi Carnutenſis, nam ſcribebat Burchardus ad finem ſeculi decimi, Ivo ad finem ſæculi 11. quorum amborum collectiones non ſunt ferè aliud quam Canones Pœnitentiales. Patet etiam hoc ex S. Petro Damiani. Qui obiit anno 1071. prout videre eſt in libro, quem Gomorrianus inſcripſit, in quo plurimùm invehitur in illos, qui Canones Pœnitentiales falſificando laxarent.

Eccleſia tamen ob juſtas rationes illum uſum mutavit.

Porro poſterioribus ſæculis Eccleſia hunc Canonum Pœnitentialium rigorem diſſimulavit potiùs quam ſuſtulit: divino tamen prorſus conſilio proſpiciens morum corruptelam fidelium animos infeciſſe, ne, volendo filios ſuos reducere ad Canonum obſervantiam exactam, eos faceret Apoſtatas, & aliis juſtis rationibus mota, hunc ſatisfactionis ordinem immutavit; & verè pœnitentibus cenſuit impertiendam abſolutionem, etiam ante adimpletam ſatisfactionem. Qui mos uſque modò ab Eccleſiâ probatur & retinetur, judicante non minorem fructum ex hac anticipata abſolutione fideles conſecuturos, quam ex dilata, quin & majorem; quippè qui jam à peccatis ſuis abſoluti & effecti Filii Dei & ejus amici magis efficaciter & de condigno pro peccatis ſuis poſſent ſatisfacere. Unde merito in Concilio Complutenſi. Sub Sixto IV. damnatus eſt hic Petri Oxomenſis articulus, „non eſſe abſolvendos pœnitentes, niſi peractâ „pœnitentiâ ipſis injunctâ.

DUBIUM XI.

An Confeſſarius poſſit quandoque immutare aut imminuere Pœnitentiam impoſitam.

Poteſt Confeſſarius pœnitentiã injunctã ex cauſa mutare.

RESp. & dico primo Confeſſarius poteſt ex juſta cauſa, in tribunali confeſſionis, ſuppoſitis ſupponendis commutare pœnitentiam à ſe in priori confeſſione injunctam; ratio eſt, quia ſicut judex ſupremus poteſt in foro externo moderari ſuam ſententiam, ita quoque poteſt Confeſſarius in foro interno, quippè qui nulli, hoc faciendo, irroget injuriam, cum nullius uſurpet juriſdictionem.

Dixi

Digitized by Google

Dixi ſuppoſitâ juſtâ causâ, quia ſi nemo poſſit diſpenſare in voto aut juramento ſepoſitâ juſta causâ, multo minus poterit mutare ſententiam Sacramentalem. Porro juſta cauſa eſt, vel notabilis utilitas pœnitentis, vel gravis ejuſdem difficultas in ea adimplenda.

Etiamſi eſſet injuncta ab alio Confeſſario etiã ſibi æquali.

Dico 2. Confeſſarius poteſt quoque commutare pœnitentiam ab altero Confeſſario ſibi æquali injunctam, ratio eſt, quia Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum in ſalutem animarum, ſed quandoque expedit bono animarum illa commutatio; ergo &c

Dices par in parem non habet imperium, ergo unus Confeſſarius non poteſt deſtruere ſententiam alterius Confeſſarii.

Reſp. ſecundum Confeſſarium non exercere imperium in priorem, neque in ejus ſententiam; ſed cùm peccata poſſint, apud ipſum ſubjici clavibus adeoq; poſſint eſſe nova materia confeſſionis; poterit de illis judicare & ferre ſententiam, non quidem per modum appellationis (quia omnes ſacerdotes in ordine ad perſonas & peccata, in quæ habent juriſdictionem, ſunt pares, tanquam Chriſti Vicarii, nec unus alteri eſt ſubordinatus) ſed per modum novi judicii: cum ergo ſecundus Confeſſarius æqualem habeat poteſtatem, cum eo qui prior abſolvit, ſicuti prior potuit mitigare ſuam ſententiam, ſic quoque poterit ſecundus, dummodo pœnitens eadem peccata illi denuò ſubjiciat.

Imo etiã id poſſet in pœnitentia à impoſita Superiore etiam pro reſervatis.

Dico 3. Confeſſarius inferior poteſt commutare pœnitentiam impoſitam à ſuperiore, etiam pro peccatis reſervatis. Ratio eſt, quia hoc faciendo, nullam exercet juriſdictionem in ſuperiorem ſed in pœnitentem ſibi ſubjectum ejuſq; peccata, quæ denuo confitetur nec refert illa fuiſſe reſervata, quia, ut ſupponitur, reſervatio per poteſtatem ſuperioris eſt ablata.

Hoc tamen bene hic notandum, Confeſſarium non debere ſe facilem exhibere in mutandis vel minuendis pœnitentiis, ne pœnitentes occaſionem arripiant majoris laxitatis, ſuaſque pœnitentias non adimplendi.

2. Notandum ad pœnitentiæ commutationem aut diminutionem requiri, ut pœnitens eadem peccata denuo dicat apud hunc Confeſſarium quæ in priori confeſſione; eo quod judex, nequeat judicare incognitâ causâ.

Illa commutatio non poteſt fieri extra confeſſionem.

Petes, an ergo commutatio non poſſit fieri extra confeſſionem?

Reſp. negat. eò quod commutatio illa ſit actus juriſdictionis clavium, cujus ratio ulterior eſt, quod in foro interno ſit ea-

dem poteſtas ligandi quæ eſt ſolvendi, & eapropter ſicuti Confeſſarius nequit imponere pœnitentiam Sacramentalem extra confeſſionem, ita neque extra confeſſionem poterit illam relaxare.

Petes, quid ſi commutatio pœnitentiæ petatur ab eodem Confeſſario qui illam injunxit, & habeat adhuc memoriam ſtatûs pœnitentis, an erit neceſsè ut in ſecundâ confeſſione omnia peccata, ob quæ illa pœnitentia eſt injuncta, exprimat

Reſp. negativè, ſed ſufficere explicare in generali. Quòd ſi tamen ſecundus Confeſſarius, à quo petitur immutatio pœnitentiæ, ſit alius à primo qui illam injunxit, vel ſit idem, ſed qui nullam prioris confeſſionis habet memoriam, tunc neceſsè erit, ad commutationem pœnitentiæ, priorem confeſſionem repetere, ut ſupra dictum eſt.

Petes, an non ſufficiat, quod pœnitens in ſecundâ confeſſione exprimat pœnitentiam, quam vult immutari.

Reſp. ſic complures viros doctos ſentire, eò quod ex illa cognoſcat Confeſſarius ſufficienter ſtatum pœnitentis, quantum ſufficit ad commutandum pœnitentiam. Quod quamvis ſpeculativè poſſit improbari, tamen ob authoritatem Doctorum, eſt ſatis tutum in praxi.

Petes, quid facturus ſit pœnitens, ſi prioris ſuæ pœnitentiæ ſit prorſus oblitus, an tenebitur denuo peccata ſua confiteri?

Qui oblitus eſt pœnitentiæ ſibi injunctæ non tenetur idèo repetere priorem confeſſionem.

Reſp. neg: ſive inculpabiliter ſive culpabiliter illius fuerit oblitus: nam ſi teneretur, id procederet ex ſequentibus capitibus. 1. Ut obtineret remiſſionem peccatorum quoad culpam, quod non eſt neceſsè, quia ut ſupponitur, eſt verè confeſſus & abſolutus, adeoque obtinuit remiſſionem peccatorum quoad culpam. 2. Vel ad id teneretur ut obtineret remiſſionem pœnarum temporalium: ſed neque hoc eſt neceſsè, cum illorum remiſſionem poſſit obtinere piis operibus aut indulgentiis. 3. Vel teneretur, ut Sacramentum Pœnitentiæ eſſet integrum, ſed hoc eſt impoſſibile; quia, ut ſupponitur, jam diu tranſivit. Quod ſi tamen culpabiliter fuerit oblitus illius pœnitentiæ, tenebitur hanc ſuam negligentiam in ſecunda confeſſione explicare.

Tenetur pœnitens pœnitentiam ſibi injunctã acceptare ſi velit abſolvi.

Petes, an pœnitens teneatur pœnitentiam acceptare ſi velit abſolvi.

Reſp. affirmativè, ſi nimirum illa ſit rationabilis & humanæ fragilitati accomoda, ratio eſt quia Confeſſarius tenetur illam injun-

injungere, ergo & pœnitens tenetur illam acceptare, eo quod duæ illæ obligationes ſint reciprocæ, & una inferat aliam.

Dixi ſignanter, ſi velit abſolvi: nam ante abſolutionem, ſi pœnitentia videatur pœnitenti nimiùm difficilis, aut impoſſibilis, poterit dicere ſe alteri Confeſſario velle confiteri potiùs, quàm illam acceptare, neque enim in ea acceptanda aliter tenetur parere Confeſſario, niſi in quantum venit ut ab illo abſolvatur.

Petes, an pœnitens peccet mortaliter, non adimplendo pœnitentiam.

Peccat mortaliter pœnitens non implendo injunctam pœnitentiam gravem.

Reſp. affirmativè, ſi illa ſit gravis & notabilis; eſto quoque tantùm imponatur pro venialibus, quia facit contra obligationem in materia gravi, quod eſt peccatum mortale, ſecus verò ſi ſit materia levis, eſto iniuncta pro peccato mortali, eò quod faciat contra obligationem in materia levi.

RECOLLECTIO.

O æterna veritas, & vera charitas & chara æternitas Deus meus, ecce ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ, humi proſtratus hâc meâ pauperculâ confeſſione tibi confiteor, quia peccavi peccatum grande, & multorum mihi conſcius ſum delictorum: & inprimis agnoſco ingratitudinem meam, quod toties tam parvi feci & contempſi Majeſtatem tuam, dum ſtetiſti ante oſtium cordis mei, quod multifariis inſpirationibus pulſaſti, cupiens à me tibi illud aperiri, & neglexi. Confiteor tibi Domine Pater cæli & terræ, quia ego ſum filius ille prodigus, qui receſſi à te Patre meo ſummè bono, convertendo me ad glandes ſiliquaſque porcorum, ad brutales appetitus meos, & affectus inordinatos, dum te dereliqui Deum meum, fontem aquæ vivæ, & fodi mihi ciſternas è quibus bibi aquas turbidas, quas mihi propinârunt concupiſcentiæ meæ.

Eapropter iterum te rogo, redemptor animæ meæ, ab occultis meis munda me & ab alienis parce ſervo tuo: reſpice me obſecro

oculis

Digitized by Google

oculis miſericordiæ tuæ, quibus reſpexiſti Magdalenam in convivio, Petrum in Pontificis atrio, latronem in Crucis patibulo, rogo te Domine Jeſu per ſacratiſſimam effuſionem pretioſi ſanguinis tui, da mihi poſt hac veram cordis contritionem, humilem cordis confeſſionem & perfectam pœnarum pro peccatis meis debitarum remiſſionem. Quamdiu ego miſer jactabor in fluctibus mortalitatis hujus, quaſi à te derelictus Deo meo. Heu mihi quamdiu dicetur, ubi eſt Deus quamdiu dicetur mihi exſpecta, reexſpecta, & nunc quæ impoſterum erit exſpectatio mea, niſi tu Deus meus ſolus qui reformabis corpus humilitatis meæ, configuratum corpori claritatis tuæ. Amen

Digitized by Google

De Cenſuris Eccleſiæ.

QUÆSTIO I.

De Cenſuris in Generali.

QUia hæc quæſtio magnam cum Sacramento Pœnitentiæ habet affinitatem (ſpectat enim ad poteſtatem clavium non modo dignos abſolvere in foro interno & indignos repellere; verùm etiam in foro externo contumaces & rebelles Eccleſiaſticis cenſuris ligare, & obedientes ab illis abſolvere) idcirco poſt explicatam poteſtatem clavium in foro interno, reſtat ut paucis explicemus praxim exercendi poteſtatem clavium in foro externo.

DUBIUM I.

Quid Cenſura & quotuplex.

Quid cenſura. & unde ſic dicta.

CEnſura, attentâ nominis etimologiâ, derivatur à verbo, cenſeo, quod ſignificat, ferre ſententiam; & hinc apud Romanos ſignificabat ſententiam cenſoris, qui à republica conſtituebatur ad mores corrigendos. Et hinc eadem vox tranſlata eſt ad ſignificandam pœnam, quam Prælati Eccleſiæ refractariis & rebellibus infligunt.

Cenſura definitur hoc modo eſt pœna ſpiritualis medicinalis ab Eccleſiaſtica poteſtate inflicta privans hominem baptiſatum uſu aliquorum bonorum ſpiritualium, ut à contumacia deſiſtat.

Cenſura eſt pœna ſpiritualis.

Pro cujus definitionis intellectu nota 1. quod vocetur *pœna ſpiritualis*, quia primariò privat quibuſdam bonis ſpiritualibus; quamvis ſecundariò quoque privet temporalibus, ut convictu humano, adminiſtratione officii vel beneficii. 2. Dictum eſt, *inflicta ab Eccleſiaſtica poteſtate*, ut oſtendatur cauſa ejus efficiens, quæ eſt perſona Eccleſiaſtica, habens juriſdictionem in foro externo. 3. Dicitur *privans hominem baptiſatum*, ut inſinuetur ejus ſubjectum; neque enim claves Eccleſiæ extendunt ſe ad illos, qui foris ſunt. 4. Dicitur, *privans uſu aliquorum bonorum ſpiritualium*, quia per cenſuram non privatur homo bonis mere internis, v. g. fide, ſpe, charitate & gratia, prout neque poteſtate ordinis, ſed quibuſdam tantùm externis & publicis, quæ

Eſt actus poteſtatis Eccleſiaſtica.

 habent

habent aliquem ſpiritualem effectum, aut commodum, ut ſunt Sacrificium Miſſæ, officium divinum, ſuſceptio Sacramentorum, indulgentiæ, & quæcumque alia Eccleſiæ ſuffragia, eò quod hæc externa ſolùm ſubſint diſpoſitioni Eccleſiæ, non verò interna. 5. Additur, *ut à contumacia deſiſtat*, ut inſinuetur cauſa finalis cenſuræ, quæ eſt reſipiſcentia à contumaciâ: quæ eapropter appellatur quoque pœna medicinalis; nam ſicuti ægro ſanato tollitur medicina, ita peccatore liberato à ſua contumaciâ tollitur cenſura: & eapropter illa ſpiritualem poteſtatem non aufert, ſed uſum ſolum ejus & exercitium impedit, donec & quouſque peccator à contumacia deſiſtat. Qua ratione à definitione cenſuræ excluduntur irregularitas & degradatio, quia hæc ipſam poteſtatem ſpiritualem quodammodo adimunt & auferunt, ſine ſpe eam ampliùs recuperandi: neque enim hæc inferuntur ad frangendam contumaciam, ſed ad puniendum delictum; adeoque ex ſe ſunt perpetua. Addo irregularitatem ſæpe non eſſe pœnalem; ut v.g. quando oritur ex defectu: quæ verò eſt ex delicto, eſto ſit pœnalis, non eſt tamen medicinalis; neque tollitur abſolutione, ſed diſpenſatione. Ex quibus collige, quod, dum alicui datur poteſtas abſolvendi à cenſuris, non detur eo ipſo poteſtas abſolvendi ab irregularitate, eò quod non veniat nomine cenſuræ.

Cenſura eſt pœna medicinalis.

Irregularitas & degradatio cur non ſint ſpecies cenſuræ.

Porro quod in Eccleſia detur poteſtas ferendi cenſuras, eſt de fide, quod probatur Joann. 21. *paſce oves meas.* Ubi Petro & ſucceſſoribus ejus datur poteſtas paſcendi oves Chriſti: quod autem illa poteſtas quoque ſe extendat ad coërcendas fideles oves per pœnas & cenſuras, vel inde patet, quod ille qui confert alicui officium, eo ipſo cenſeatur conferre omnia neceſſaria ad ritè illud adminiſtrandum, inter quæ eſt poteſtas coërcitiva.

In Eccleſia eſt poteſtas ferendi cenſuras.

Petes, quotuplex ſit cenſura.

Reſp. dividitur, tamquam genus in ſpecies, in excommunicationem ſuſpenſionem, & interdictum; prout patet ex capite *querenti* de verborum ſignificatione. Dividitur ſecundò in eam quæ eſt à jure, ſive quæ ſtabili lege fertur per canones & conſtitutiones: & in eam quæ fertur ab homine, nempe vel à Prælato, per modum mandati, vel à judice per modum ſententiæ judiciariæ. Inter illas autem illud eſt diſcrimen, quod cenſura lata ab homine generaliter vim ſuam amittat poſt mortem vel depoſitionem ejus

Cenſura eſt triplex, excommunicatio, ſuſpenſio & interdictum.

Alia eſt à jure alia ab homine lata. ejus qui illam tulit: cenſura verò lata à jure adhuc duret mortuo legiſlatore; cujus diſcriminis hæc eſt ratio, quod lex ſit quædam vitæ norma, quâ hominum vita dirigitur; & eapropter debet eſſe perpetua, niſi revocetur: *Cenſura lata ab homine ceſſat morte latoris.* ſententia verò hominis præſentem tantùm ſtatum reſpicit: unde morte ferentis tollitur, niſi à ſucceſſore confirmetur. Vide ſuper his cap. *finale. De officio delegati.*

Cenſura alia lata ſententia alia tantùm ferenda. Quælibet harum cenſurarum ſubdividitur in eam quæ eſt latæ ſententiæ & in eam quæ eſt ſententiæ ferendæ: prior eſt illa quam jus aut judex ſtatuit incurrendam ipſo facto, quo quis contra legem aut ſententiam ejus facit, abſque ulteriori judicis ſententia: poſterior eſt, quam jus aut judex non vult inferre ipſo facto, ſed per ſententiam infligi.

Unde colligi poſſit an cenſura ſit lata an ferenda ſententia Pro quibus dignoſcendis, ponderanda ſunt verba quibus cenſura fertur, quæ ſi ſint indicativi modi, ut *excommunicamus*, *ſuſpendimus anathematiſamus*, *item qui hoc fecerit ſit excommunicatus, ſuſpenſus* &c. ſignificant cenſuram ſententiæ latæ. Quod ſi verò ſint verba comminatoria, aut futuri temporis, aut includant alterius actionem, ſignificant cenſuram ſententiæ ferendæ, niſi tamen ex adjunctis aliud intelligatur.

Petes, quid ſit dicendum de formula qua ſæpius utitur Concilium Tridentinum, ſcilicet, *anathema ſit.*

Reſp. hæc continet excommunicationem latæ ſententiæ; quia idem eſt ac ſi diceretur *ſit excommunicatus*: ſiquidem anathema idem eſt quod excommunicatio major, ut habetur capite *certum*; & quia hæc vox majore terrore percellit, ideo illâ frequenter utuntur Concilia.

Petes, quid agendum dum dubitatur an cenſura ſit latæ ſententiæ an verò ferendæ.

Reſp. tunc judicandum eſſe ſententiæ tantùm ferendæ; eò quod in pœnis benignior interpretatio ſit facienda, ut habetur 49 reg. juris in ſexto. *In dubio judicandum cenſuram eſſe ſententia tantùm ferenda.*

Petes, cur hæc verba, *Ipſo facto*, *ipſo jure*, ſignificent cenſuram latæ ſententiæ, cum hanc non ſignificent in legibus pœnalibus; quippe ad quas inſuper requiritur ſententia declaratoria.

Reſp. id non eſſe univerſaliter verum de omni lege pœnali: non enim de illâ cujus executio conſiſtit ſolùm in abſtinentia ab aliquâ actione, aut inhabilitate, v. g. ad matrimonium, ad beneficium, ad ferendum ſuffragium &c.

Digitized by Google

DUBIUM II.

Quis poſſit ferre cenſuram.

Poteſtas ferendi cenſuras competit Eccleſiaſticis habentibus juriſdictionem in foro externo.

RESP. omnis & ſolus ſuperior Eccleſiaſticus habens in foro externo juriſdictionem ordinariam, vel delegatam. Ratio eſt, quia omnis poteſtas Eccleſiaſtica fori externi ordinatur ad Chriſtianam diſciplinam per leges & præcepta ritè ſervandam; quæ poteſtas in Superioribus nullius erit momenti, niſi ſimul haberent poteſtatem coërcitivam per pœnas & cenſuras. Ordinariam hanc poteſtatem habet Papa; Epiſcopus habens proprium Epiſcopatum; non verò Epiſcopus titularis, utpote non habens ſubditos. Inſuper & alii Prælati juriſdictione gaudentes Epiſcopali in foro externo, habent hanc poteſtatem ordinariam, quia hanc delegare poſſunt cuicumque clerico, clericali privilegio gaudenti, prout patet capite ultimo *de officio Ordinarii*, non tamen alicui laico, quia jure poſitivo eſt illius poteſtatis incapax, multò minus fœminæ, quæ jure divino illius eſt incapax, quia hæc poteſtas pertinet ad poteſtatem clavium, quæ ſolis Apoſtolis à Chriſto eſt tradita: unde quamvis in monaſteriis permittatur Abbatiſſis & Prioriſſis aliqua poteſtas ad gubernandum, illa tantùm eſt œconomica, non verò ad ligandum aut ſolvendum.

Non laicis;

Aut fœminis.

Petes, an particularis aliquis Paſtor habeat poteſtatem ferendi cenſuras?

Reſp. negativè, quia non habet juriſdictionem in foro externo, ſed tantùm in foro conſcientiæ.

DUBIUM III.

In quos poſſit ferri cenſura.

RESP. in omnes & ſolos reſpectivè ſubditos alicui Superiori Eccleſiaſtico, in foro externo: ex quo ſequitur eam non poſſe ferri in non baptiſatos, aut in homines mortuos, qui cum non ſint ſubditi juriſdictioni Eccleſiæ, ab ea non poſſunt puniri: unde ſi quandoque cenſura videatur ferri in homines mortuos id ſolùm fit indirectè & impropriè, quatenus nimirum declarantur in vitâ ſua incurriſſe cenſuram, aut prohibetur vivis ne cum illis communicent pro ipſis orando, aut comitando eorum funus: qui & impropriè quandoque dicuntur abſolvi ab excomunicatioe, quatenus nimirum conceditur fidelibus pro ipſis orare aut comitari ipſorum funus.

Cenſura non poteſt ferri in non ſubditum.

Unde non baptizatus, aut mortuus non poteſt illam incurrere.

Petes, an nemo poſſit ferre cenſuram in ſe ipſum?

Reſp.

Reſp. negativè, eò quòd nemo in ſeipſum habeat juriſdictionem coactivam.

Petes, an ſubditus Archi-Epiſcopi Mechlinienſis non incurrat cenſuram latam per ſtatutum ſynodale, ſi contra illud agat extra Diœceſim, vel intra Diœceſim in loco aliquo exempto?

Exiſtens extra territorium ſuperioris non poteſt incurrere cenſuram latam à ſtatuto ejus.

Reſp. negativè, quia ut habetur Cap. *Animarum* de conſtitutione, in ſexto, extra territorium jus dicenti, impune non paretur: quod tamẽ intellige quamdiu is abeſt à Diœceſi Mechlinienſi: nam ſi revertatur & vocetur in jus ab Archi-Epiſcopo, & citatus non compareat, poterit ab eo ligari cenſura ob novam contumaciam & inobedientiam.

Poteſt tamen incurrere cenſuram latam per ſententiam.

Petes, an ſi ſubditus Archi-Epiſcopi Mechlinienſis contra perſonalem Archi-Epiſcopi ſententiam aliquid prohibentem ſub cenſura, delinquat extra Diœceſim, aut in loco exempto, an non incurret cenſuram.

Reſp. Aff. eo quod ſententia perſonalis immediatè afficiat perſonam, ubicumque terrarum exiſtat; ex quo colligitur ratio diverſitatis, cur delinquens extra territorium contra ſtatutum ſynodale non afficiatur cenſura, delinquens verò contra ſententiam perſonalem Archi-Epiſcopi eâdem afficiatur, quia nimirum ſtatutum aut lex immediatè afficit territorium, illique cohæret, hinc neminem extra illud exiſtentem ligat; ſententia verò immediatè afficit perſonam, quæ proinde ubicumque terrarum extiterit illà afficitur.

Petes, an ergo Epiſcopus non poſſit Canonicum non reſidentem, quantumvis extra Diœceſim degat, per ſententiam ſuſpendere, aut alia cenſurâ ligare.

Reſp. affirmativè; nam licet commiſſio illa reſidentiæ phyſicè alibi committatur, moraliter tamen cenſetur committi in loco in quo debet reſidere.

Prælatus Regularis habet juriſdictionem in ſubditum ubicumque ille degat.

Petes, an ergo ſuperior regularis, per ſtatutum provinciale nequeat ligare ſubditum ſuum agentem extra provinciam?

Reſp. affirmativè, quia Religioſus, ubicumque terrarum exiſtit; Prælato ſuo ſubjectus eſt; uſque adeo ut hujuſmodi Prælatus cenſeatur, reſpectu ſubditorum ſuorum, habere totum mundum pro ſuo territorio.

Peregrinus faciens contra ſtatutam habens annexã cenſuram illam nõ incurrit.

Petes, an Peregrinus hic paucis diebus exiſtens Mechliniæ, & interea admittens aliquod crimen cui cenſura eſt annexa ex particulari ſtatuto ſynodali, aut particulari inhibitione Archi-Epiſcopi, illam cenſuram non incurrat?

Reſp. negativè, quia illatio cen-

Digitized by Google

cenſuræ eſt actus juriſdictionis, qui ſolùm exerceri poteſt in ſubditum: talis autem peregrinus non eſt ſubditus.

Petes, an ergo ejuſmodi peregrinus committens hic furtum, ſub excommunicatione prohibitum, ſaltem non fiat ſubditus ratione criminis?

Reſp. Aff. adeoque citari poſſe & cogi ad ablatorum reſtitutionem ſub pœna cenſuræ; non tamen peccare contra legem quatenus eſt propria hujus Diœceſis, ſub excommunicatione furtum prohibentis.

Petes an Epiſcopus extra ſuam Diœceſim exiſtens poſſit ſubditum ſuum ligare aliquà cenſurà?

Reſp. per ſe loquendo negat. eò quod extra territorium ſuum non poſſit exercere juriſdictionem contentioſam, eò quod extra illud non habeat tribunal, ad quod poſſit ſubditum ſuum citare, aut audire; prout habetur Clement I. de foro competenti.

Dixi per ſe loquendo, quia in alia Clementina datur poteſtas Epiſcopis vi ex ſua Diœceſi expulſis, ut in inſigni aliquo loco, Diœceſi ſuæ vicino, exercere poſſint juriſdictionem ſuam in ſolos expulſores, fautores, & eorum conſiliarios.

DUBIUM IV.

Ob quæ peccata poſſit ferri Cenſura.

Reſp. certum eſt, quod, ad ferendam cenſuram, requiratur aliqua juſta & rationabilis cauſa; eoquod poteſtas ferendi cenſuras ſit à Chriſto Eccleſiæ ſuæ data in ædificationem, & non deſtructionem: cum verò cenſura præſertim major, ſit gravis pœna, certum quoque eſt, illam non poſſe infligi, niſi ob grave peccatum. *Cenſura non poteſt incurri niſi propter peccatum*

Petes, quale debeat eſſe peccatum ob quod incurritur cenſura?

Reſp. debere eſſe mortale externum, cenſuræ commenſuratum, & conſummatum in illa ſpecie, quæ prohibetur ſub cenſura. *Illud debet eſſe mortale externũ.*

Pro quarum particularum explicatione nota 1. eſto quandoque ob peccatum veniale poſſit incurri levis aliqua cenſura, v. g. ſuſpenſio ab officio, ad unum, aut alterum diem, nullatenus tamen major, de qua hìc agimus; eò quod pœna juſta debeat eſſe proportionata culpæ.

Petes, quare debeat eſſe peccatum mortale externum, ſeu tale, quod verbo, opere, aut ſigno aliquo manifeſtatur.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. quia Eccleſia per ſe de internis non poteſt judicare; quippè cum illa non poſſit cognoſcere; adeoque nec illa punire.

Dices, peccata interna poſſent per Eccleſiam reſervari, ſi vellet, ergo & illa poterunt puniri cenſurâ.

Reſp. negando conſequentiam; quia ad reſervationem, ſufficit ſubſtractio juriſdictionis vel approbationis: ad ferendam verò cenſuram neceſsè eſt ferre judicium, quod capi non poteſt de merè internis.

An propter peccatum internũ poſſit ferri cenſura

Dices, poſſunt excommunicari qui non legunt divinum officium cum attentione interna, aut confitentur non cum debito dolore. Ergo Eccleſia poteſt punire actus internos.

Reſp. actum internum dupliciter poſſe ſpectari: primò nudè ſecundùm ſe; ſecundò quatenus eſt conjunctus actui externo: priori modo non poteſt ſubjici cenſuræ Eccleſiæ, ſecus verò hoc modo; nam ut ſic, ſaltem indirectè, actus ille ſubjacet judicio Eccleſiæ, ut patet in exemplis allegatis; quamvis tunc non tam puniatur actus internus, quàm ipſemet actus externus quatenus procedit à tali actu interno.

Excommunicatio non fertur niſi ob peccatum proprium excommunicandi.

Petes, an peccatum ob quod incurritur cenſura, debeat eſſe perſonale proprium.

Reſp. ſaltem excommunicationem non incurri niſi per peccatum proprium: & eapropter cap, *Romana* de ſent. Excomm. in ſexto decernitur, excommunicationem ferri non poſſe in univerſitatem vel communitatem; eò quod ſic innocentes aliqui poſſent involvi excommunicatione. Quod tamen attinet ad ſuſpenſionem & interdictum, illa inferri poſſunt ob peccatum alterius, prout patet ex eodem capite, quamvis tamen cenſura non feratur in pœnam illius, qui non peccavit, ſed in pœnam delinquentis, qui punitur in alio.

Non ſic ſuſpenſio aut interdictũ.

Petes, an ſufficiat qualecumque peccatum mortale ad incurrendam cenſuram.

Peccatũ illud debet eſſe contra præceptũ Eccleſiaſticum.

Reſp. negativè, ſed debet eſſe tale contra præceptum Eccleſiæ, ſub interminatione cenſuræ. Et eapropter cenſura nequit ferri ob peccatum mortale, quod ſolùm eſt contra jus divinum naturale, eò quod cenſura ſit ſpecialiter inſtituta ad medendam & frænandam inobedientiam & contumaciam contra Eccleſiam commiſſam, juxta illud Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus.*

Porro non eſt inobediens aut contumax Eccleſiæ, niſi is, qui mandata ejus ſpernit, aut admonitus contemnit.

Petes,

Digitized by Google

Non requiritur ut illud peccatum ſit mortale ſecundùm ſe. ſufficit ſi ſit tale, ratione cõtumaciæ.

Petes, an ſit neceſſè quod peccatum, ob quod incurritur cenſura, ſit ſemper mortale ſecundùm ſe.

Reſp. negativè, ſed ſufficit ſi ipſa contumacia aut inobedientia ſit mortalis, nam illa conſummat cauſam, ob quam fertur cenſura. Unde ſi quis legitimè citatus nolit comparere, nec obtemperare judicis mandato, licet cauſa ob quam citatus eſt, ſit levis, poteſt excommunicari, quia inobedientia ejus poteſt eſſe gravis.

Petes an ad incurrendam cenſuram ſufficiat actum externum eſſe peccatum mortale, quatenus imperatur ab affectu mortali interno.

Vt judicetur an quis incurrat cenſuram per aliquem actum attendenda mens & verba legis.

Reſp. neg. ſed debet eſſe talis ob ſubſtantiam operis externi, & capropter leviter percutiens clericum, ex intentione mortali, non incurrit excommunicationem. Quinimo debet eſſe in ſua ſpecie conſummatus & perfectus juxta intentionem legiſlatoris verbis expreſſam, præſertim in materia odioſa: quæ ſunt diligenter notanda, ut ſciatur quando quis incurrat cenſuram. Ex quibus ſequitur, quòd cenſurâ latâ contra facientes aliquod peccatum, eo ipſo non ligentur mandantes aut conſulentes, niſi in ipſa ſententia cenſuræ exprimantur ipſi mandantes aut conſulentes.

Sequitur 2. ſi quis alteri inflixerit vulnus non lethale, ex quo tamen læſus occaſionaliter moritur, eum non incurrere cenſuram latam in homicidam.

Sequitur 3. ſi verba legis requirant ad cenſuram actum voluntarium perfectum & directum, eam non incurri, ſi actus ille tantùm ſit indirectè voluntarius; ſimiliter ſi verba legis requirant contemptum, non ligari cenſurâ eum, qui ex paſſione fecit actum legi contrarium.

Ad incurrendã cenſuram à Iudice requiritur trina monitio.

Petes, an quando cenſura fertur ab homine ob culpam præteritam vel præſentem, in qua reus adhuc actu perſiſtit, debeat præcedere canonica monitio.

Saltem ob culpã præſentẽ aut præteritam.

Reſp. affirm. ut patet ex cap. *Conſtitutionum* de ſent. excomm: in ſexto. & ea debet eſſe formaliter trina, interpoſito ſaltem unicuique duorum dierum intervallo, vel una æquivalens tribus, præfixo uni tali temporis ſpatio quod pro trina ſufficeret, niſi forſitan in aliquo caſu particulari aliud exigeret neceſſitas. Quorum ratio eſt, quia cenſura ferri non poteſt, niſi in rebelles & contumaces Eccleſiæ; tales verò ſunt illi ſoli, qui præviâ admonitione obedire detractant.

Petes an ejuſmodi canonica admonitio

Non ſic ad incurrendam cenſuram à jure.

admonitio etiam requiratur ad incurrendam cenſuram de facto, latam à jure, aut latam ab homine pro culpâ futura; ut ſi dicatur, qui hoc vel illud furtum commiſerit ipſo facto erit excommunicatus.

Reſp. affirmativè; ſed notantandum, quòd ipſa lex, aut judicis generale præceptum hoc vel illud prohibens, ſubeat vices monitionis, & continui monitoris; ita ut inobediens & contumax cenſeatur qui illi obedire detrectat.

DUBIUM V.

Quæ ſint cauſæ excuſantes ab incurſione cenſuræ.

Cauſæ excuſantes à culpa excuſant ab incurſione cenſuræ.

Reſp. prænotandum generaliter, quod quidquid excuſat à peccato mortali, hoc ipſum excuſat ab incurſione gravis cenſuræ, eò quod pœna ſemper præſupponat culpam; cauſæ autem excuſantes ſunt v. g. metus gravis, impotentia legis adimplendæ, ignorantia &c. Quia verò ignorantia eſt multiplex utpote alia juris, alia facti, alia pœnæ, quarum quælibet rurſum dividitur invincibilem & invincibilem, prout fusè oſtendimus Tract. 6. de Act. Hum. per plura dubia. Hic ſolùm inquirendum reſtat, quænam ignorantia excuſet ab incurſione cenſuræ: pro cujus quæſtionis enodatione.

Ignorans invincibiliter legem, non incurrit cenſuram agens contra illam.

Reſp. & dico primò, is qui ignorantiâ invincibili legis Eccleſiaſticæ aliquid præcipientis vel prohibentis ſub aliqua cenſura, agit contra illam, non incurrit cenſuram. Ratio eſt quia invincibiliter ignorans legem non poteſt cenſeri illius contemptor, adeoque nec contumax: quod tamen requiritur ad incurrendam cenſuram.

Similiter & ille qui ita ignorat factum ſuum eſſe contra legem.

Dico 2. qui ſcit hujuſmodi legem Eccleſiaſticam, ſed invincibiliter ignorat opus ſuum quod agit, eſſe contra illam, non ligatur quoque cenſurâ: quia ignorantia invincibilis tollit voluntarium circa objectum quod ſic ignoratur, ac proinde cum talis non peccet contra legem Eccleſiæ, nullam quoque incurrit cenſuram.

Sciens legem & ſuum factum eſſe contra legem ſed ignorans eſſe annexam cenſuram illam nõ incurrit.

Dico 3. qui ſcit legem Eccleſiaſticam aliquid inhibentem, novit quoque factum eſſe illi legi contrarium, ſed ignorat cenſuram illi annexam, non incurrit cenſuram; quippè cum nemo illam incurrat, niſi ſit contumax contra cenſuram; qualis nemo poteſt eſſe, qui illam invincibiliter ignorat. Ex his deducitur, quod is qui percutit clericum, invincibiliter ignorans legem Eccleſiæ id prohibentem,

Digitized by Google

quamvis peccet contra præceptum divinum naturale, non tamen peccet contra legem Eccleſiaſticam, adeoque nec incurrat cenſuram.

2. Eum, qui ſcit quidem legem Eccleſiaſticam latam, prohibentem peccuſſionem clerici, ſed invincibiliter ignorat hominem, quem percutit, eſſe clericum, non incurrere cenſuram.

3. Eum, qui ſcit eum quem percutit eſſe clericum, & novit etiam legem Eccleſiaſticam prohibentem clerici percuſſionem, ſed invincibiliter ignorat cenſuram excommunicationis annexam, illam non incurrere.

Qui clericum percutit cum ignorantia concomitante, non excommunicatur.

Petes, an qui percutit clericum cum ignorãtia concomitante; id eſt, an is qui clericum percutit invincibiliter ignorans ipſum eſſe clericum, & ita equidem interius conſtitutus eſt, ut etſi ipſum ſciret eſſe clericum, equidem percuteret, incurrat cenſuram?

Reſp. neg. eò quod cenſura Eccleſiaſtica tantùm infligatur, ob contumacem præcepti Eccleſiaſtici tranſgreſſionem, non verò ob internam aliquam malam affectionem.

Qui facit cōtra legem ex ignorantia ſtricte vincibili nō incurrit cenſurā annexā.

Petes, quid ſi quis faciat aliquid ex ignorantia vincibili ſtrictè dicta legis eccleſiaſticæ, aut facti, aut cenſuræ, quæ tamen neque ſit affectata, neque craſſa, neque ſupina, an incurret cenſuram annexam.

Reſp. neg. quod probatur ex cap. 2, de *conſtitution.* in ſexto, ubi ait Pontifex „ ut animarum periculis obuietur, ſententiis per ſtatuta quorumcũque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina; quod cum locum habeat tam in Pontificiis cenſuris, quam Epiſcoporum, idem quoque de omnibus illis in praxi eſt judicandum: & cum Pontifex, ut ſupra inſinuavimus, nullos caſus ſibi reſervet niſi ratione cenſuræ, quam contingit ob ignorantiam non incurri, conſequens eſt, caſum illum non ampliùs eſſe Papalem, ſed Epiſcopalem.

Adeoque non omnis qui peccat cōtra legē aliquid prohibētem ſub excommunicatione illā incurrit.

Ex dictis pro praxi notet prudens Confeſſarius, quamplurimos non incurrere excommunicationẽ aut alias cenſuras, quamvis in aliquo actu peccent mortaliter contra legem Eccleſiaſticam aliquid vetantem ſub cenſura, idque propter ignorantiam invincibilem, aut vincibilem ſtrictè dictam, ipſius cenſuræ, quod inde colliget eò quod nihil vel de illo audiverint, aut notitiam illius ſibi comparare non potuerint; qua ratione non ſolùm ruſtici

ſtici, ſed & plurimi cives, à multis cenſuris excuſari poſſunt quàvis committant peccatum, cui cenſura eſt annexa; quod ipſe pro prudentiâ ſuâ præviis quibusdam interrogationibus debet interrogare.

Quãdoq; ab incurrenda cenſura excuſat ignorantia quælibet non affectata

Notandum tamen, ſi lex aliquid prohibeat ſub cenſura additis hiſce vel ſimilibus particulis, *ſcienter, qui præſumpſerit, qui auſu temerario hoc fecerit*, tum ignorantia vincibilis quantumvis craſſa, modò non ſit affectata, excuſabit ab incurſione cenſuræ; ratio eſt quia lex pœnalis cum ſit odioſa, non eſt amplianda ſed potiùs reſtringenda: ſed ampliaretur, ſi, dum requirit ſcientiam & præſumptionem, comprehenderet quoque ignorantes; nec refert quod ignorantia ſit mortaliter culpabilis, quia cum verè tollat ſcientiam & præſumptionem à lege requiſitam, dicendum eſt non quodlibet peccatum mortale, ſed tale quod procedit ex clarâ ſcientia, requiri in hoc caſu ad incurrendam cenſuram.

Ignorantia affectata non excuſat à cenſura

Porro quod ignorantia affectata non excuſet, patet; quia illa æquivalet ſcientiæ, utpote directè volita, ut v.g. ſi quis, directè nolit ſcire ſtatuta ſynodalia, ut liberiùs peccet.

Petes, an cenſura lata à judice contra innocentem ſit valida,

Cenſura cõtra innocentem lata in foro conſcientiæ eſt invalida.

Reſp. neg. ſaltem quoad forum conſcientiæ; qui innocens proinde non aliter obligabitur parêre hujuſmodi cenſuræ quam quatenus eſt neceſſe ad vitandum ſcandalum: neque enim veroſimile eſt tam graviter velle eum punire qui verè innocens eſt.

Unde nec talis celebrando incurret irregularitatem.

Petes, an ergo ejuſmodi ſententia, ſecundùm legitimas probationes lata, ſit irrita.

Ad quid talis cenſura illũ obliget.

Reſp. nega. quia illa ejuſmodi homini innocenti, tamen reo probato, neceſſitatem imponit, ut in facie Eccleſiæ coram iis, qui ſciunt latam cenſuram, abſtineat ab uſu Sacramentorum, aliiſque per cenſuram prohibitis, idque ne publicè condemnatus legitimæ poteſtati reſiſtere videatur.

DUBIUM VI.

Quinam poſſint abſolvere à cenſuris.

Abſolvere poteſt à cenſura lata ab homine, is qui eã tulit, ſuperior, ſucceſſor aut ejus delegatus.

Reſp. & dico primo, à cenſura lata ab homine per ſententiam particularem, iſtantùm poteſt abſolvere, qui eam tulit, vel ejus ſuperior, ſucceſſor, vel delegatus; prout patet ex cano. 47. Concil. Nicæni in quo habetur, *nullus Epiſcopus ſolvat quod alius Epiſcopus ligavit* idque conformiter ad

ad Regulam receptam *illius eſt ſolvere cujus eſt ligare*,

Ex quo infertur, quod, ſi ſubditus quiſpiam Archi-Epiſcopi Mechlinienſis ab eo propter crimen aliquod per ſententiam excommunicatus, poſtea domicilium mutet, transferendo ſeſe ad aliam Diœceſim, non poſſit, ab altero Epiſcopo abſolvi; eò quod Archi-Epiſcopus Mechlinienſis, ob cauſam in ſuo tribunali cæptam,& non abſolutam,jus in illum excommunicatum adhuc retineat, juxta regulam juris, quod præventus à judice, forum ejus in ea cauſa declinare non poteſt.

Petes, an mortuo Archi-Epiſcopo Mechlinienſi, qui ejuſmodi ſententiam tulit, ejuſmodi excommunicatus ſit liber à ſua cenſura quam defacto incurrit.

Cenſura ab homine lata non ceſſat per ejus mortem.

Reſp. negativè, quia cenſuræ, ſive ſint latæ ab homine, ſive à jure, ita ſunt inſtitutæ, ut non pendeant, quo ad durationem, à vita vel juriſdictione illas ferentis, ſed tantùm in fieri, non autem in facto eſſe, & inde dicunt jura, pœnam per legitimam judicis ſententiam inflictam tranſire in rem judicatam.

Petes, à quonam ergo talis, mortuo Epiſcopo, abſolvetur.

Reſp. à capitulo, ſede vacante, eò quod juriſdictio Epiſcopalis ad illud, mortuo Epiſcopo, devolvatur.

Quis abſolvere poſſit à cenſura lata à jure.

Dico 2. à cenſura reſervata, quæ fertur à jure, ille ſolus poteſt abſolvere, qui jus illud condidit, vel ejus ſuperior, aut ſucceſſor in dignitate, prout & quilibet ejus delegatus.

Si illa nemini ſit reſervata, poteſt tolli per quẽlibet Cõfeſſarium.

Dico 3. à cenſura quæ fertur à jure, & nemini eſt reſervata, poteſt abſolvere quilibet Confeſſarius potens abſolvere à mortalibus. Ratio eſt, quia dum ſuperior non reſervat abſolutionem, cenſetur cuicumque Confeſſario concedere poteſtatem abſolvendi, teſte conſuetudine ubique receptâ.

Epiſcopus poteſt abſolvere ab omni cenſura reſervata Papæ, dum eſt occulta.

Dico 4. Epiſcopus poteſt abſolvere per ſe vel per ſuum Vicarium ad hoc ſpecialiter deputatum, ab omnibus cenſuris ſummo Pontifici reſervatis, quando illæ ſunt occultæ; uti patet ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. ubi prædicta poteſtas ipſi conceditur.

Quando cenſeatur occulta.

Porro illa cenſura vocatur occulta, prout & delictum, quod non eſt publicum, notorium, aut famoſum, quamvis poſſet probari teſtibus, neque etiam deductum ad forum contentioſum; cenſetur autem delictum deductum ad forum contentioſum, quamprimum accuſatio de illo coram legitimo judice eſt attentata: quod ſi tamen reus in judicio deſuper non potuerit convinci, ſed ſe expurgavit,

purgavit; quamvis per falſos teſtes, poterit tunc Epiſcopus, eum adhuc ab illo abſolvere; quia illud perinde tunc ſe habet, acſi non eſſet deductum ad forum contentioſum, adeoque manet occultum.

Petes, an Epiſcopus poſſit abſolvere à cenſura publica Papæ reſervata, illum qui laborat impedimento adeundi ſummum Pontificem: v. g. ſi ſit ſenex, infirmus, pauper, fœmina, impubes &c.

Item poteſt Epiſcopus abſolvere à reſervatis Papæ etiam publicis, quando ligati Papam non poſſunt adire.

Reſp. affirmativè; & ratio deſumitur ex benigna Pontificis voluntate, qui non præſumitur velle, cùm tanto animarum incommodo, abſolutionem reſervare, adeoque caſus Papales tunc fiunt Epiſcopales.

Petes, an detur caſus quo quilibet ſacerdos, quantumvis non approbatus, poſſit aliquem abſolvere ab omnibus cenſuris, quomodocumque reſervatis.

In mortis articulo poteſt quilibet ſacerdos abſolvere ab omni cenſura.

Reſp. affirmativè; ſcilicet in periculo mortis; ut patet ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8.

Petes, an ergo ſacerdos ſuſpenſus ab ordine, & irregularis exiſtens in periculo mortis, poſſit à quocumque ſacerdote abſolvi à ſua ſuſpenſione & irregularitate.

Sacerdos tamen

Reſp. negativè; nam abſolutio à cenſuris, quæ cuicumque ſacerdoti conceditur in articulo mortis, intelligitur ſolùm de illis cenſuris, quæ obſtant ſusceptioni Sacramentorum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis: nam adhoc concedit Mater Eccleſia hujuſmodi facultatem abſolvendi à cenſuris in articulo mortis, ne occaſione illarum aliquis damnetur & pereat; ſed tales ſunt ſolæ illæ quæ obſtant ſuſceptioni Sacramentorum; ergo &c.

Suſpenſus non poteſt à quocumque ab illa abſolvi etiã in periculo mortis.

Petes, an ſimplex ſacerdos abſolvens pœnitentem in articulo mortis à cenſuris reſervatis, non debeat exigere juramentum à pœnitente, quòd præſentabit ſeſe illi ſuperiori, qui illum de jure poteſt abſolvere.

Sacerdos ſimplex abſolvens à cenſura in neceſſitate debet juramentũ exigere ab abſolvendo.

Reſp. affirmativè; patet ex cap. *eos* de ſentent. Excomm. in ſexto; quod intellige, ſi ægrotus ſit ſibi præſens, & ſpes ſit convaleſcendi: nota tamen illum ſeſe debere præſentare ſuo ſuperiori, non quaſi directè à cenſura ſua non ſit abſolutus, ſed ut oſtendat ſeſe obedientem ad exhibendum majorem ſatisfactionem, ſi ſuperior judicaverit majorem exhibendam.

Petes, an ſi pœnitens convaleſcens negligat adire ſuperiorem, aut quemcumque alium ſacerdotem, qui extra mortis articulum à tali cenſura, de jure ...

Si taliter abſolutus negligat adire cũ qu...

vert, reincidit in cenſuram

dinario vel delegato poteſt abſolvere, reincidet in ſimilem cenſuram.

Reſp. affirm: quia abſolutio tunc data fuit ad reincidentiam.

Dupliciter datur abſolutio; à cenſura cum reincidentia.

Porro abſolutio datur ad reincidentiam duobus modis, primo v. g. prout facit ſummus Pontifex, dum conferens alicui beneficium, abſolvit eum ab excommunicatione, ſolùm ut collatio valeat. 2. Cum apponitur certa conditio, quam niſi abſolutus intra præfixum tempus adimpleat: v. g. Ordinario ſuo ſeſe ſiſtat, aut parti læſæ ſatisfaciat, in ſimilem cenſuram denuo reincidat.

Habent facultatem abſolvendi à cenſuris ex Bulla, intelligitur quoad forum internum.

Petes, an quando in bullis Pontificiis conceditur poteſtas abſolvendi à cenſuris, id intelligi debeat de utroque foro.

Reſp. negativè, ſed id intelligi de foro conſcientiæ; nam ſicuti, quiſpiam virtute bullæ Pontificiæ abſolutus ab enormibus peccatis, in foro conſcientiæ, nihilominis in foro exteriori accuſari & puniri poteſt, ita quoque ſi quis virtute bullæ Pontificiæ in foro conſcientiæ fuerit abſolutus à cenſura, equidem in foro externo conveniri poterit, ex eo quod tale beneficium ad contentioſum forum non porrigatur: ſiquidem longè diverſum eſt judicium fori conſcientiæ, à judicio fori externi; quia in priori ſpectatur ſalus animæ, & divinæ offenſæ compenſatio, in hoc verò, attenditur ad vindictam publicam, & reipublicæ ſatisfactionem.

An ſacerdos abſolutus ab excõmunicatione in vim Iubilai, ſi celebret, poſſit in foro externo puniri tamquam irregularis

Eapropter ſacerdos qui commiſſo homicidio in foro conſcientiæ per Jubilæum aut aliud privilegium ab excommunicatione ſua eſt abſolutus, ſi ejus excommunicatio ſit notoria, perinde à Sacrificio Miſſæ & aliis rebus quæ excommunicato interdicuntur, in facie Eccleſiæ abſtinere debet, ac ſi abſolutus non eſſet, idque tamdiu, quàm de ejus legitima abſolutione publicè non conſtat; quare ſi interea publicè celebrare præſumat, ab Eccleſiaſtico judice perinde ac irregularis puniri poterit: quamvis ſi velit judex ejuſmodi abſolutionem in foro conſcientiæ datam, etiam pro externo foro acceptare, id poterit; adeoque accuſationem Fiſcalis, quòd reus in excommunicatione celebravit, repellere.

Quod ſi tamen excommunicationis cenſura fuerit occulta, tunc non prohibetur is, qui ab eâ in foro conſcientiæ fuit abſolutus, etiam publicè celebrare. Quod ſi tamen accidat, ejus excommunicationem poſtea innoteſcere, & cauſam ad exter-

Digitized by Google

num forum deferri, puniri quidem propter crimen, cujus causâ cenſuram incurrerat, poterit; ſed nequaquam ob celebrationem, tamquam irregularis, condemnari, dummodo de abſolutione fidem facere poſſit per teſtimonium Confeſſarii.

Quare Confeſſarii diligenter cavere debent, præſertim privilegiati, ne abſolvant à reſervatis caſibus & cenſuris notoriis, ſi ad forum contentioſum fuerint deductæ, vel probabiliter deducendæ exiſtimentur. Ratio eſt, quia tunc abſolutio non eſt danda niſi priùs parti læſæ, aut Eccleſiæ fuerit ſatisfactum.

DUBIUM VII.

Quomodo danda ſit abſolutio à cenſuris.

Quæ ſit forma abſolutionis à cẽſuris.

RESP. quod ad forum externum attinet, ſervanda eſt forma cujuſcumque Epiſcopatus, in foro autem conſcientiæ hæc ſequens fere eſt in uſu. *Ego te abſolvo à vinculo v. g. excommunicationis, ſuſpenſionis, quam incurriſti propter talem aut talem cauſam &* (ſi ſit excommunicatus) *reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ & communioni fidelium* (ſi verò ſit ſuſpenſus) *reſtituo te executioni tuorum ordinum, officiorum vel beneficiorum in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti* Amen.

Petes, an habens poteſtatem abſolvendi in foro conſcientiæ à cenſura poſſit id facere etiam extra confeſſionem.

Reſp. ſic probabiliter aliquos doctos viros ſentire.

QUÆSTIO II.

De Excommunicatione.

DUBIUM I.

Quid Excommunicatio.

EXcommunicatio ſic dicta, quaſi extracommunio, eò quod quis per illam ſeparetur à communione fidelium; Græcè dicitur anathema, à quo tamen differt accidentaliter nempe ratione ſolemnitatis, eò quod Epiſcopum ferentem anathema, circumſtent duodecim ſacerdotes cum candelis ardentibus, quas ſub fine projiciunt in terram, & pedibus conculcant.

In quo differat anathema ab excommunicatione.

Dividitur in excommunicationem majorem & minorem; minor ſolâ ſuſceptione Sacramentorum privat, & contrahitur per communicationem cum excommunicato vitando, ſive non tolerato.

Excommunicatio alia major, alia minor.

Porro nomine excommunicationis abſolutè poſitæ, ſemper intelligitur excommunicatio major; habens fundamentum in

Scripturâ

Scripturâ Sacrâ Matth. 18. ubi dicitur, *Si Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*

Quid excommunicatio.

Definitur autem hoc modo. Eſt cenſura Eccleſiaſtica privans hominem baptizatum directè aliquâ communione fidelium; quæ definitio ut bene intelligatur, prænotandum, juxta ſymbolum Apoſtolorum, eſſe in Eccleſiâ Sanctorum communionem, conſiſtentem in participatione bonorum ſpiritualium, nempe Sacramentorum, Sacrificiorum, orationum, eleëmoſynarum, & aliarum virtutum actuum, quibus fideles, tamquam viva unius corporis membra, quod eſt Eccleſia, ſe invicem juvare poſſunt juxta illud Pſalmiſtæ, *Particeps ego ſum omnium timentium te.*

In Eccleſia eſt communio Sanctorum, & in quo hæc conſiſtat.

Eſt autem in Eccleſia triplicis generis bonorum communio; una merè interna per fidem, ſpem, & charitatem. 2. Partim interna, partim externa, conſiſtens in orationibus publicis, Sacrificiis, & Sacramentis, quæ ſunt bona quædam externa ſecundùm ſe, interna verò ratione effectuum. 3. purè externa & politica, conſiſtens in convictu humano & Societate, colloquiis, contractibus &c. Primâ communione, utpote merè internâ, non privat Eccleſia, eò quod non ſubſit illius poteſtati, ſed illam aufert ſolum peccatum mortale, 2. tamen & 3. communione privat, quatenus ſunt bonorum quorundam communium & externorum, puta ſuffragiorum & ſubſidiorum &c. curæ & diſtributioni ſuæ commiſſorum.

Quorū bonorum communione privare poteſt excommunicatio.

Petes, quid ſint illa communia ſuffragia.

Reſp. ſunt quædam ſpiritualia ſubſidia, quibus Eccleſia ſuffragatur membris ſuis, juvando illa, ſive in ordine ad ſatisfactionem pro pœna temporali, ſive in ordine ad meritum de congruo, ſive in ordine ad impetranda bona quædam ſpiritualia.

Quid ſint communia ſuffragia Eccleſiæ.

Porro hæc ſubſidia ſpiritualia poſſunt fideles, tamquam membra Eccleſiæ, ſibi invicem privatim exhibere, tamquam privatæ perſonæ pro ſe invicem orantes, & ſatisfacientes; interdum verò poſſunt hæc applicare aliis fidelibus, tamquam Eccleſiæ miniſtri, & ex communi Eccleſiæ theſauro: & hæc propriè ſunt bona, quibus excommunicatio privat, quæ poſſunt revocari ad tria. 1. Eſt Sacrificium Miſſæ quod offertur Deo nomine totius Eccleſiæ. 2. Orationes, benedictiones & conſecrationes, quæ fiunt à miniſtris Eccleſiæ, quatenus talibus. 3. Sunt indulgentiæ.

Itaque

Digitized by Google

Itaque excommunicatio privat hiſce communibus Eccleſiæ ſuffragiis, quod eſt indubitatum, & habetur cap. *à nobis* de ſent. excomm.

Peccat mortaliter miniſter Eccleſiæ applicans illa ſuffragia excommunicatis nomine Eccleſiæ. Id tamẽ licet in die Paraſceves.

Hinc collige ſacerdotem, quatenus miniſtrum Eccleſiæ applicantem communia ſuffragia, ut horas canonicas, Sacrificium Miſſæ, orationes publicas excommunicato, peccare mortaliter: nam eo ipſo quo Eccleſia hiſce bonis excommunicatum privat, aliis inhibet, ne hæc pro ipſis offerant. Excipitur tamen feria ſexta paraſceves, quo die ſpecialiter orat pro illis, ad imitationem Chriſti, qui eadem die pro crucifigentibus ſe oravit.

Licitum eſt tamẽ privatim pro excommunicato orare.

Porro hujuſmodi privatio bonorum communium non eſt contra benignitatem Matris Eccleſiæ, quæ illam privationem ordinat ad majus bonum excommunicati; bonorum inquam communium, quatenus proficiſcuntur à miniſtro publico ipſius Eccleſiæ, non verò quatenus ab eo promanant tamquam à perſona privata: neque enim Eccleſia preces, &, ſuo modo, etiam Sacrificia pro excommunicatis vetuit offerre ſacerdoti prout eſt perſona privata, ideſt ut tali ſanctitate vel devotione prædita, cui proinde eſt licitum pro ipſis orare in ſuo memento, & in aliis orationibus ſuis privatis, quæ non fiunt nomine Eccleſiæ.

Excommunicatio alia eſt à jure alia ab homine.

Excommunicatio dividitur in eam quæ fertur à jure, & in eam quæ fertur ab homine, ſive per ſententiam generalem, ſive per particularem, utraque ſubdividitur in eam quæ eſt latæ ſententiæ, & in eam quæ eſt ſententiæ ferendæ.

DUBIUM II.

Quænam ſit diſtinctio inter excommunicatum toleratum & non toleratum.

Antequam effectus excommunicationis enumeremus, præmittere oportet, quiſnam ſit excommunicatus toleratus, & quiſnam ſit excommunicatus vitandus, ſive non toleratus, eò quod in illis explanandis ſæpiùs horum duorum fiat mentio. Pro quo notandum.

Poſt Con. Conſtantienſe ſoli nominatim excommunicati &

Eſto olim omnes excommunicati eſſent vitandi, adeoque nulli eſſent tolerati, tamen poſt conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, quam approbavit & confirmavit Martinus V. in extravaganti *ad Evitanda* ſolum nominatim excommunicatum & denuntiatum, prout & notorios clericorum percuſſores eſſe vitandos; reliquos verò excommunicatos

denuntiati, & notorii clericorũ percuſſores ſunt vitandi.

municatos eſſe toleratos; quod decretum communi Eccleſiæ uſu eſt receptum, & recitat illud S. Antoninus, qui circa tempora illius Concilii vixit, de verbo ad verbum 3. parte tituli 26. capite 3. quod ſic ſe habet, „ ad evitanda ſcandala & „ multa pericula, quæ conſcien-„ tiis timoratis contingere poſ-„ ſunt, Chriſti fidelibus, tenore „ præſentium miſericorditer in-„ dulgemus, quod nemo dein-„ ceps, à communione alicu-„ jus in Sacramentorum admini-„ ſtratione, vel receptione, vel „ aliis quibuſcumque divinis, „ vel extra, prætextu cujuſcum-„ que ſententiæ aut cenſuræ, à „ jure vel ab homine generaliter „ promulgatæ, teneatur abſtine-„ re, vel aliquem vitare, aut „ interdictum Eccleſiaſticum ob-„ ſervare, niſi ſententia vel cen-„ ſura ejuſmodi fuerit in vel con-„ tra perſonam, Collegium, Uni-„ verſitatem, vel locum certum, „ aut incertum à judice publica-„ ta vel denuntiata, ſpecialiter „ vel expreſsè, Conſtitutioni-„ bus Apoſtolicis & aliis in con-„ trarium facientibus non obſtan-„ tibus quibuſcumque; ſalvo ſi „ quem, pro ſacrilega manuum „ injectione in clericum, ſenten-„ tiam latam à canone adeo no-„ toriè conſtiterit incurriſſe, „ quod factum non poſſit aliquâ „ tergiverſatione celari, neque „ aliquo ſuffragio excuſari; nam „ à communione illius, licet de-„ nuntiatus non fuerit, volu-„ mus abſtineri, juxta canonicas „ ſanctiones. Per hoc tamen hu-„ juſmodi excommunicatos, ſu-„ ſpenſos, & interdictos ſeu „ prohibitos, non intendimus in „ aliquo relevare, nec eis quo-„ modolibet ſuffragari.

Ex qua conſtitutione deducitur Catholicos & fideles exiſtentes in Hollandia, Zelandia, Anglia, Germania, &c. licitè cum hæreticis poſſe converſari & inire contractus, eò quod illi omnes ſint tantùm excommunicati tolerati, niſi forſitan ex alio capite, nempe ob periculum perverſionis, hoc ipſis eſſet jure divino aut naturali prohibitum.

Petes, quiſnam ſit cenſendus excommunicatus denuntiatus.

Quis cenſendus denuntiatus.

Reſp. ille, qui expreſſo nomine proprio, vel ſignis ſingularibus illum exprimentibus, denuntiatur & publicè ut talis declaratur, v. g. ſub concione vel tempore majoris Miſſæ, vel per chartas affixas in loco publico, juxta morem regionis; quæ denuntiatio à proprio & competenti judice fieri debet.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM III.

Quinam ſint effectus Excommunicationis.

RESp. ſequentes.

Effectus excommunicationis primus eſt privatio ſuſceptionis Sacramentorum.

Primus quidem eſt, privatio ſuſceptionis Sacramentorum, prout patet ex cap. *ſi quem* de ſentent. excomm. & eapropter nullus excommunicatus, ſive toleratus ſive non toleratus, poteſt ſuſcipere licitè ulla Sacramenta, quippè quorum ſuſceptio illi ſub peccato mortali eſt interdicta, niſi illum excuſet ignorantia invincibilis aut gravis neceſſitas, puta ad vitandum periculum mortis, aut magnæ infamiæ, eò quod præcepta Eccleſiaſtica non obligent cum tanto rigore.

Licitè tamen excommunicatus in neceſſitate ſuſcipere poteſt Sacramenta.

Dixi, quod excommunicatus non poſſit licitè ſuſcipere Sacramenta, quia validè poteſt omnia ſuſcipere quoad ſubſtantiam, etiam quandoque Sacramentum Pœnitentiæ, ſi nimirum adſit ignorantia invincibilis: Ratio eſt, quia valor Sacramentorum quoad ſubſtantiam, ex Chriſti inſtitutione, eſt independens à jure Eccleſiaſtico.

Excommunicatio privat excommunicatum ſuffragiis communibus Eccleſiæ.

2. Eſt privatio communium Eccleſiæ ſuffragiorum quæ ex publicis Miniſtrorum Eccleſiæ officiis, orationibus, & functionibus provenire ſolent; prout & ex fructu ſatisfactionum, quæ ex communi Eccleſiæ Theſauro, per indulgentias depromuntur, & per Prælatos applicantur; ut patet ex cap. *Sacris* de ſentent. excomm. nec mirum, quia, ut ſupra diximus, horum communium bonorum ſpiritualium Eccleſia eſt diſpenſatrix, quibus proinde contumaces & rebelles privare poteſt, prout eos de facto privat, partim ob bonum publicum, partim ob privatum ipſorum, ut illi hoc terrore perculſi celeriùs revertantur ad cor; non tamen privat privatis ſuffragiis fidelium: & eapropter non tantùm quivis particularis fidelis, ſed etiam ſacerdos, tamquam perſona privata, poteſt pro excommunicatis orare, prout & in privato memento Sacrificii Miſſæ eorum meminiſſe. Irritæ ſunt tamē illius omnes preces quas ut miniſter Eccleſiæ publicus pro illis offert.

Sacerdos ut perſona privata poteſt orare pro excommunicatis.

Excommunicatio privat jure adminiſtrandi Sacramenta.

3. Eſt privatio adminiſtrationis Sacramentorum; prout patet ex cap. *ultimo* de clerico excom. & ratio eſt, quia adminiſtratio Sacramentorum eſt miniſterium publicum, à Chrſto relictum diſpoſitioni Eccleſiæ, quod proinde contumacibus inhibere poteſt: per accidens tamen excommunicato tolerato aliquando eſt licita adminiſtratio alicujus Sacramenti; ut puta

Digitized by Google

quando urget neceſſitas, nec adeſt alius ſacerdos, qui illud adminiſtret; ut v. g. ſi proprius Paſtor ſit excommunicatus toleratus, & aliquis ſubditus ejus ſit in periculo mortis, poterit, ſi non adſit alius ſacerdos, illi miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ unctionis: excommunicato autem non tolerato illicita prorſus eſt omnium Sacramentorum adminiſtratio, præterquam in caſu extremæ neceſſitatis: extra quam tamen validè quodcumque Sacramentum adminiſtrabit, præterquam Sacramentum Pœnitentiæ; eò quod illud requirat expeditam juriſdictionem; quam ille habet ligatam.

Excom. extra caſum neceſſitatis extremæ invalidè adminiſtrat Sacramentũ Pœnitentiæ.

4. Eſt privatio perſonalis præſentiæ in divinis officiis; prout patet ex capite *Nuper* de ſent. excomm Porro nomine divinorum officiorũ, intelliguntur ſacræ functiones, quæ ab Eccleſia ſolemniter fiunt; prout ſunt miſſæ ſacrificium, publica oratio, proceſſio, cantus horarum canonicarum, benedictio chriſmatis, olei, aquæ, candelarum, palmarum: in quibus omnibus fideles non obligantur vitare excommunicatos toleratos, obligantur tamen ſub mortali vitare non toleratos: Et eapropter ſi ejuſmodi excommunicatus vitandus ſit præſens, monendus eſt ſtatim ut diſcedat; & ſi nolit, debet vi extrudi, eſto eſſet Sacerdos; quod ſi fieri nequeat, eò quod fortè ipſe eſſet robuſtior, tunc omittendum eſt divinum officium, etiam in die feſto, & celebrans, ſi necdum inceperit canonem miſſæ, debet miſſam abrumpere & diſcedere ab altari: quinimo etiamſi inchoaſſet Canonem Miſſæ, ſed necdum perveniſſet ad conſecrationem: ubi tamen pervenerit ad verba, *qui pridie quàm pateretur accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas*, tunc ipſe debet miſſam proſequi cum ſolo miniſtro, & pergere uſque ad communionem incluſivè; & tunc diſcedere ab altari, & reliqua perficere in ſacriſtia; alii verò omnes protinus tenentur diſcedere, quia ipſis cum excommunicato vitando, in divinis officiis communicare non licet.

Excom. prohibetur intereſſe publicis Eccleſiæ functionibus, aut illas exercere.

Quid faciendũ miniſtro dum functioni publicæ inter eſt excommunicatus non toleratus

Petes, an ergo ſacerdos excommunicatus, ſive toleratus, ſive non toleratus, non obligetur recitare horas canonicas.

Reſp. affirm.; neque enim ex delicto ſuo debet reportare commodum, non poteſt tamen dicere *Dominus vobiſcum*; eò quod hæc verba ſignificent perſonæ publicæ, ſeu miniſtri cum populo communicationem, quæ excommunicato cuivis eſt prohibita.

5. Eſt

Excom. privatur electione ad beneficia Eccleſiaſtica.

5. Eſt privatio capacitatis & habilitatis ad quodcumque beneficium Eccleſiaſticum impetrandum; quod patet ex cap. *poſtulatis*; & eapropter omnis præſentatio, collatio & inſtitutio in aliquod beneficium facta excōmunicato, ipſo jure eſt nulla & irrita. Ratio horum eſt, quia nullus excommunicatus, nequidem toleratus, poteſt cum fidelibus communicare in divino officio, ex quo ſequitur eum eſſe incapacem beneficii, eò quod illud detur propter officium: quod verum eſt, etſi invincibiliter ignoret ſuam excomunicationem; nam licet ignorantia talis excuſet à culpâ, non tamen ſupplet defectum conditionis requiſitæ ad valorem actûs.

Excom. privatur exercitio & uſu juriſdictionis ſpiritualis.

6. Eſt privatio omnis exercitii & uſûs juriſdictionis ſpiritualis, ita ut omnia acta excommunicati ſint invalida; prout patet ex cap. *ſi is cui* de off. deleg. quod tamen intelligendum venit de excommunicato vitando; nam acta excomunicati tolerati valida ſunt niſi oppoſitâ exceptione repellantur in judicio: & eapropter excommunicatus vitandus non poteſt validè eligere, præſentare, conferre beneficium, ferre ſententiam &c. & qui ab excommunicato non tolerato beneficium accepit, dicitur intruſus, & obligatur iſtud ſtatim dimittere; Paſtor tamen excommunicatus vitandus, validè aſſiſtit matrimonio; eò quod illa aſſiſtentia non ſit actus juriſdictionis.

Quod intelligitur de excommunicato vitando.

Excommunicatus vitādus non poteſt exercere functiones forenſes etiam politicas.

7 Eſt privatio omnis communicationis forenſis, ita ut excommunicatus nequeat eſſe Advocatus, actor, aut teſtis in judicio, etiam in cauſa civili, prout patet ex cap. *decernimus* de ſent. excom municat. quod tamen intellige de excommunicato vitando, unde ſi toleratus ſit, poterit quidem judex illum repellere, ſi ejus excommunicatio ſit publicè nota, non tamen ad hoc obligatur, niſi pars adverſa de excomunicatione excipiat, prout habetur cap. ultimo de exceptione *in ſexto*;

Excommunicatis prohibetur externa communicatio cum fidelibus.

8. Eſt privatio omnis communicationis, etiam civilis & politicæ cum fidelibus, ita ut ipſe excommunicatus non toleratus, cum fidelibus, neque fideles cum ipſo poſſint communicare in caſibus ſequenti verſu comprehenſis, ut patet ex cap. *ſi quem* de ſent. excom.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Quibus verbis prohibetur omnis humana ſocietas ſive fiat per verba, nutus, litteras, contractus, munera &c. Et hoc convenienter ad mentem Apoſtol. 1. ad Corinth. *cum ejuſmodi nec cibum*

ſumere & 2. Joan. *nolite recipere eum in domum nec ave ei dixeritis.*

Excommunicatus per annum in excommunicatione perſeverans, ſuſpectus eſt de hæreſi.

9. Si excommunicatus integro anno in ſua excommunicatione perſeveret, contra ipſum, tamquam de hæreſi ſuſpectum, procedi poteſt, ut patet ex Tridentino ſeſſ. 25. cap. 3.

Et ſi in excommunicatione moriatur, privatur ſepulturâ Eccleſiaſticâ.

10. Eſt privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi nimirum in ſua excommunicatione ſit mortuus, qui proinde in loco ſacro aut benedicto ſepeliri non poteſt; quod ſi factum ſit, & poſſit corpus diſcerni, debet exhumari, & templum debet reconciliari, quod intellige ſi fuerit vitandus; nam ut habetur cap. *Sacris* de ſepulturâ, „Sacris „canon. inſtitutum eſt, ut quibus „non communicamus vivis, ne„que mortuis communicemus; ſi tamen ejuſmodi excommunicatus ante mortem dederit ſigna

Si in Eccleſ. aut cæmeterio ſepultus fuerit excom. vitandus reconcilianda eſt.

pœnitentiæ, nec per illum ſteterit, quo minus abſolutionem conſequeretur, etiam poſt mortem ab excommunicatione abſolvi debet, ad eum finem, ut Eccleſiæ ſuffragiis & Eccleſiaſticâ ſepulturâ fruatur; prout habetur cap. *Sacris* de ſent. excom.

Non ita ſi excom. non vitandus erat.

Dixi, ſi fuerit excommunicatus vitandus, nam ſi fuerit excommunicatus toleratus, qui eſt in Eccleſiâ aut cæmiterio ſepultus, propterea non debet Eccleſia aut cæmiterium reconciliari.

In his locis non licet hæreticos ſepelire in Eccleſia aut cæmeterio.

Petes, an ergo liceat milites hæreticos, aut alios excommunicatos toleratos, in Eccleſia aut cæmiterio ſepelire.

Reſp. negativè; ſaltem in hiſce Provinciis Belgicis; nam eſto ejuſmodi ſint tolerati, adeoque ex hoc capite ſit licitum etiam cum ipſis communicare, quia tamen non obſervant præceptum Eccleſiæ de communicando in paſchate, idcirco ex illo capite privantur, & privari debent Eccleſiaſticâ ſepulturâ.

Petes, quam pœnam incurrat clericus exercens aliquem actum ordinis in excommunicatione?

Reſp. irregularitatis, ut patet ex cap. *Is qui*, de Sent. excom.

Petes ob quam cauſam incurratur excommunicatio minor, quæ non eſt aliud quam cenſura privans paſſivâ ſuſceptione Sacramentorum.

Reſp. ob hanc unam ſolam, ſi quis ſcilicet communicet ſine cauſa cum aliquo excommunicato vitando: ob hanc tamen nullam irregularitatis pœnam incurrit: peccat tamen mortaliter, tranſgrediendo præceptum Eccl. in materia gravi, ſicut colligitur ex cap. *Illud Dominus* de clerico excom: excuſant tamen invincibilis ignorantia, item neceſſitas, pietas & utilitas, juxta hunc verſum

In quibus caſibus licita ſit com-

municatio cum excommunicatis.

verſum communiter receptum.

Utile, lex, humilis, res ignorata, neceſſe.

Et ita ratione humilitatis, ſeu ſubjectionis, excuſatur filius converſans cum patre, famulus cum domino; ſic lex matrimonialis excuſat conjugem converſantem cum conjuge excommunicato; utilitas ſpiritualis excuſat ſacerdotem ut agat cum excommunicato, eum viſitando ad hoc ut ipſum convertat. Ita quoq; excuſat neceſſitas omnes perſonas quæ ratione alicujus contractûs ſunt obligatę alicui excommunicato: & eapropter debita juſtitiæ excommunicato ſunt ſolvenda.

DUBIUM IV.

De excommunicatione ob percuſſionem clerici.

Quia excomunicatio lata contra percuſſores clericorum famoſa eſt & frequenter accidit, idcirco hic de illa particulariter tractabimus, eò quod illius notitia Confeſſariis ſit maximè neceſſaria: verba canonis referuntur in decreto Gratiani diſtinct. 17. q. 4. ubi Innocentius II. excommunicat omnes, violentas manus in clericos injicientes, hiſce verbis, „ ſi quis ſuadente diabolo, „ manus in monachum vel clericum injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum illum prę ſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur ut ejus mandata recipiat. „ Quæ verba ut particulariter explicentur.

Injiciens manus violentas in Clericum excommunicatis eſt vitandus.

Quinam illo Canone comprehendantur.

Nota 1. quod vox, *ſi quis*, comprehendat omnes utriuſque ſexus perſonas, cujuſcumq ordinis aut dignitatis, etiam impuberes, dummodo rationis capaces.

Quinam Clerici ibi intelligantur.

Nomine *Clerici* ſecundum Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 26. venit ſolus ille clericus, qui vel beneficium Eccleſiaſticum habet, vel clericalem habitum, vel tonſuram deferre ſolitus, alicui eccleſię, de mandato Epiſcopi deſervit, & quaſi in viâ ad majores ordines verſatur: etſi enim Con. Tr. ibidem ſolùm loquatur de privilegio fori, colligitur tamen idem ſenſiſſe de privilegio Canonis, quia primum difficilius amittitur quàm ſecundum; eo quod primum ſit juris divini, ſecundum verò ſit juris Eccleſiaſtici.

Nomine *Monachi* veniunt omnes utriuſque ſexus Religioſi, etiam laici, quinimo & ipſi novitii, quippe qui in favorabilibus veniunt nomine Religioſorum.

Quando cenſeatur fieri violenta manuum injectio.

Per *manus violentas* intelligitur quævis actio injurioſa externa, ex ſe mortaliter peccaminoſa, contra aliquam perſonam Eccleſiaſticam, vel res ei adhęrentes attentata, ſive interim illa ſit executioni

cutioni mandata manibus aut pedibus, baculo, bombardâ, gladio, aut quocumque alio inſtrumento. Porro particulariter nominatur manus, eò quod illa ſit ordinarium & conſuetum inſtrumentum, quo actio injurioſa ſolet inferri.

Quid illa percuſſio quæ dicitur fieri ſuadente diabolo.

Per particulam, *ſuadente diabolo*, intelligitur talis Clerici percuſſio quæ eſt mortale peccatum; & eapropter ſi injuria ſit levis ex ſe, eſto fiat affectu mortali, non incurritur cenſura, attamen creſcit injuria illa pro ratione dignitatis perſonæ quæ percutitur, adeoque minor violentia requiritur ad conſtituendum peccatum mortale in percuſſione clerici, quàm in percuſſione laici.

Quæ requirantur ad excom. propter percuſſionem Clerici.

Ex his deducitur, tria ad incurrendam excommunicationem hanc requiri: 1. Violentam manuum injectionem. 2. Ut hæc fiat ſuadente diabolo, ideſt, ut in ratione injuriæ externæ ſit peccatum mortale. 3. Ut illa attingat clericum, vel monachum, aut res ei adhærentes.

Et in quibus caſibus illa incurratur.

Eapropter hanc excommunicationem incurrunt non ſolùm illi, qui violentè & per injuriam clericum percutiunt, lacerant ejus veſtes, luto conſpurcant, aquâ conſpergunt, pallium aut chlamydem illi vi auferunt, vi ipſum detinent aut incarcerant, aut violentè è manibus ejus aliquid auferunt: ſed etiam qui violentas manus injiciunt in equum cui clericus inſidet, illum ſiſtendo per frænum, aut illum lædendo: non tamen eam incurret fur qui clerico aufert crumenam; aut veſtes ejus furtivè tollit, quia ejuſmodi actiones non ſunt violentæ, ſed potiùs fraudulentæ.

Impuberes illam poſſunt incurrere

Petes, an clerici impuberes inter ſe rixantes & ſe invicem percutientes ſint excommunicati.

Reſp. quoties actio externa, attentâ perſonarum qualitate, & quantitate nocumenti, non pertingit ad culpam mortalem, non incurritur excommunicatio: & eapropter tales ſæpe poſſunt excuſari ab incurſione hujus cenſuræ, eò quod eorum percuſſio ordinariè non reputetur graviter injurioſa.

Item mandantes, non impedientes & percuſſionem clerici.

Petes, an conſulentes, mandantes, aut omittentes impedire percuſſionem clerici, dum ex officio ad hoc obligantur, hanc cenſuram incurrant?

Reſp. affirmativè; nam eſto excommunicatio lata contra facientes, non ſit in materia odioſa extendenda ad mandantes & conſulentes: tamen quia in cap. *quanta* de ſentent. excommun. habetur, non ſolum illos ſubjici

jici

Digitized by Google

jici huic excommunicationi qui percutiunt, ſed etiam mandantes, item conſentientes, & non impedientes dum ex officio tenentur: ideo dicere cogimur Canone hoc, *ſi quis ſuadente diabolo*, ejuſmodi concauſas quoque comprehendi, quod Eccleſiæ conſuetudo confirmat,

Ad quē pertineat abſolvere ab illa excommunic.

Petes, quiſnam poſſit abſolvere ab excommunicatione incurſa ob clerici percuſſionem?

Reſp. antequam hoc decidamus, diſtinguere oportere triplicem clerici percuſſionem; etiamſi omnes tres tamen ſint peccatum mortale etiam in ratione injuriæ. Prima vocatur levis. 2. mediocris. 3. enormis ſeu gravis: Porrò quænam talis aut talis cenſeatur, pendet à prudenti virorum judicio: viri autem prudentes plerumque judicabunt illam percuſſionem eſſe levem, quæ fit pugno, manu, pede, baculo, aut lapide, non relinquente ullam ſugillationem carnis, aut veſtigium in carne: dixi, plerumque, quia ex circumſtantiis perſonæ & qualitatibus, fieri poteſt ut ejuſmodi percuſſio cenſeatur enormis. Mediocris percuſſio vocatur illa quæ prudentum judicio mediat inter levem & enormem, qualis eſt illa qua dens alicui excutitur, vel capilli in magna copia evelluntur; aut magna copia ſanguinis effunditur, aut ſugillatio carnis relinquitur, abſque tamen gravi læſione.

Quænā percuſſio cenſenda levis.

Et quæ enormis

Percuſſio enormis vocatur illa quæ eſt conjuncta cum gravi læſione aut cum gravi injuria, attentâ dignitate perſonæ, qualis quoque eſt illa, quæ fit cum membri mutilatione, cum magna ſanguinis effuſione non proveniente ex naribus, vel cum magno vulnere aut ictu notabili, eſto nullus ſanguis egrediatur: Talis quoque cenſetur illa quæ fit in ſuperiorem.

Porro ſpectat ad Epiſcopum vel alium virum prudentem, judicare quænam percuſſio ſit cenſenda levis vel enormis; & in dubio qualis ſit, judicanda eſt gravis, prout patet ex extravag, quæ incipit: *perlectis*.

Epiſcopus poteſt ab illa exco. abſolvere quando delictum eſt occultum

His ſuppoſitis dico primò, poteſt Epiſcopus abſolvere quoslibet ſuos ſubditos ab excommunicatione contracta etiam ob clerici percuſſionem enormem, quādo delictum illud eſt occultum nec deductum ad forum contentioſum, prout patet ex Trid. Seſſ. 24. cap. 6.

Et etiam quandoq; quando eſt per-

2. Poteſt Epiſcopus ab hac abſolvere quando percuſſio, eſto ſit peccatum mortale, tamen judicio prudentum cenſetur levis

cuſſio notoria. comparata cum enormi, ut ſi fiat cum manu, palma, pugno, & nullam poſt ſe maculam, lacerationem carnis, membri mutilationem, aut multorum capillorum evulſionem relinquat; prout patet ex cap. *pervenit* de ſent. excom.

3. Poteſt Epiſcopus abſolvere, quando percuſſio eſt notoria & publica, mediocris etiam, vel enormis, ſed commiſſa inter clericos collegialiter inter ſe viventes: prout patet ex cap. *Quoniam* de vita & honeſt. cleric. idem dicendum de religioſis ſe invicem percutientibus, qui abſolvi poſſunt à ſuis Prælatis, prout patet ex cap. *cum illorum* de ſentent. excom.

IV. Poteſt Epiſcopus abſolvere ab excommunicatione contractâ etiam per percuſſionem enormem & publicam clerici omnes laborantes legitimo impedimento adeundi Pontificem, quales ſunt mulieres, eſto quoque ſacerdotem occidiſſent (idque ob periculum & fragilitatem ſexûs) impuberes, ægroti, pauperes, ſi nimirum euntes Romam cogerentur præter ſuum ſtatum mendicare; item ſenes cæci &c: cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi qui laborent temporali impedimento tantùm, illo ſublato, teneantur ſe præſentare Summo Pontifici, prout patet ex cap. *Eos*, de ſent. excomm.

Petes quinam excuſentur ab incurſione hujus cenſuræ eſto violentas manus injicerent in clericum.

Quinã clericum percutientes excuſentur ab excom. Reſp. in primis omnes illi, qui in hoc facto excuſantur à peccato mortali, prout poteſt contingere per ignorantiam invincibilem juris aut facti; qualis eſt etiam filia quæ non valens aliter ſe liberare è manibus impudici clerici, illum inſigniter percutit: quales quoq; illi qui in ſui defenſionem, vel famæ vel pudicitiæ, clericum aggreſſorem percutiunt: qualis quoque maritus qui clericum turpiter cum uxore, matre, ſorore, vel propriâ filiâ agentem, incontinenter percutit: licet enim mortaliter peccet, tamen pænam canonis non incurrit: prout quoque Pater aut Magiſter causâ correctionis clericum percutiens.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO III.
De ſuſpenſione.

DUBIUM I.
Quid ſuſpenſio & quotuplex.

Quid ſuſpenſio.

RESP. eſt cenſura qua clericus privatur uſu & exercitio officii vel beneficii Eccleſiaſtici: dixi *uſu*, quia per ſuſpenſionem non privatur quis ipſo officio, ordine, vel beneficio Eccleſiaſtico, ſed uſu tantùm, non tamen quatenus ille eſt, quædam communicatio cum fidelibus (nam ſub illa formalitate privat excommunicatio) & eapropter quamvis excommunicatio aut ſuſpenſio conveniant in privatione materiali iſtius uſûs: differunt tamen in privatione formali; prout quoque hæ duæ cenſuræ differunt ſubjecto, nam ſubjectum ſuſpenſionis eſt ſolus clericus: excommunicationis verò quilibet fidelis.

In quo differt ab aliis cenſuris.

Suſpenſionis varia ſpecies.

Porro ex hac definitione colligitur ſuſpenſionem multipliciter poſſe dividi, alia enim eſt ſuſpenſio ab officio tantùm, ſive illud ſit ordinis, ſive juriſdictionis: alia eſt à beneficio tantùm, hoc eſt ab adminiſtratione & fructibus beneficii percipiendis; alia eſt ab officio & beneficio ſimul. Rurſus quælibet ſuſpenſio dividitur in partialem & totalem; & ita ſuſpenſio partialis v.g. ab officio, eſt, dum quis ſuſpenditur ab unica functione officii: v. g. dum quis ſuſpenditur à miſſæ celebratione, vel ab audiendis confeſſionibus; alia eſt totalis, qua nimirum quis ſuſpenditur ab omni functione officii ſui ordinis, vel juriſdictionis.

Poteſt quis eſſe ſuſpenſus ab una functione & non ab aliis.

Petes, an quis ſuſpenſus ab exercitio ordinis, eo ipſo ſit ſuſpenſus ab exercitio juriſdictionis?

Reſp. negativè; eò quod ordo non ſit neceſſariò conjunctus juriſdictioni; prout patet in Epiſcopo titulari, aut Epiſcopo confirmato, necdum tamen conſecrato; hoc addito, quod pœnæ ſint potiùs reſtringendæ quàm ampliandæ.

Petes, an ſuſpenſus ab officio abſolutè ſine ulla limitatione non ſit ſuſpenſus tam ab officio ordinis quam juriſdictionis?

Reſp. affirmativè; quia uſus ordinis & juriſdictionis veniunt nomine officii abſolutè prolati.

Petes, quinam poſſint ſuſpendere.

Qui poſſint ſuſpendere.

Reſp. omnes qui poſſunt ferre cenſuras.

Petes, quale peccatum ſit exercere actum ſub pœna ſuſpenſionis prohibitum.

Digitized by Google

Suſpenſus ab ordine ſi ſolemniter actū ordinis exerceat ſit irregularis.

Reſp ex genere ſuo eſt mortale; unde & irregularitatem infert; ut patet in eo qui violat ſuſpenſionem per exercitium ſolemne majoris ordinis à quo eſt ſuſpenſus; ſecus verò ſi actum illum non ſolemniter exerceat; ita quoque ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ fit irregularis celebrando in Eccleſiâ. Quod ſi tamen ſuſpenſus toleratus ſeſe ſponte non ingerat, ſed ab aliis in neceſſitate rogetur adminiſtrare aliquod Sacramentum, non peccabit illud adminiſtrando, adeoque nec incurret irregularitatem.

Petes, an ſuſpenſus non toleratus validè adminiſtret Sacramentum Pœnitentiæ.

Reſp. negativè; quia illud validè nequit adminiſtrari ſine juriſdictione, quam talis non habet; vel ſi habet, non habet expeditam, ſed ligatam.

Petes, an ſuſpenſus à beneficio non cenſeatur eo ipſo ſuſpenſus ab officio; & ratio dubitandi eſt quia beneficium datur ob officium.

Suſpenſus à beneficio non cenſetur ſuſpenſus ab officio

Reſp. tamen neg. quia ſuſpenſus à beneficio hoc ipſo tantùm intelligitur ſuſpenſus à perceptione fructuum beneficii, adeoque quod ſit illi conſtituendus œconomus; proinde non tantùm poteſt ſed & debet officio ſuo ſatisfacere, poteſtq; juriſdictionem, ratione beneficii ſibi competentem, exercere; neque eo ipſo, quo quis eſt ſuſpenſus à beneficio, amittit jus collationis beneficio annexum, eò quod ejuſmodi collationes vel præſentationes ſint potiùs actus officii, aut juriſdictionis ratione beneficii competentis, quam fructus ipſius beneficii: & eapropter canonis author, dum aliquem ab officio & beneficio vult ſuſpendere, & inſuper à jure conferendi, id ipſum exprimit particulariter, ut videre licet cap. *in cunctis* de electionibus.

Petes, an ſuſpenſus ab ordine inferiori poſſit exercere actus ordinis ſuperioris?

Suſpenſus ab inferiori ordine cenſetur ſuſpenſus ab altiori, non contra.

Reſp. negativè; niſi in ipſa ſententia aliter exprimatur; ratio eſt, quia cui non licet minus, nec ei debet licere majus; quod tamen intelligi debet quando majus habet connexionem cum minori, eò quod tunc ſuperior ordo ſupponat inferiorem, tamquam ſuum fundamentum; econtra verò ſuſpenſus ab ordine majori non ideo eſt ſuſpenſus à minori, eo quod inferior non fundetur in ſuperiore.

Petes, an ſuſpenſus ab officio, ordine, vel juriſdictione, prohibeatur illos actus exercere in omni loco?

Reſp. affirmativè; quia ſuſpenſio

Suſpenſus in uno loco eſt ubique ſuſpenſus.

ſpenſio immediatè afficit perſonam; & idcirco quoque comitatur illam extra territorium ſui Epiſcopatus exiſtentem; & idcirco ſuſpenſus in uno loco eſt ſuſpenſus in omni, donec legitimè abſolvatur.

Petes, an ſuſpenſus ab officio poſſit Sacramenta ſuſcipere?

Reſp. affirmativè; nec refert quod non poſſit illa adminiſtrare; eò quod ſuſceptio non ſit actus juriſdictionis, prout eſt adminiſtratio. Hoc tamen verum eſt quod talis non poſſit ſuſcipere ſacros ordines: eò quod illi ſuſcipiantur ut functiones ipſorum exerceantur; quibus autem vetitum eſt ordines exercere, illis quoque vetitum eſt ſuſcipere.

Petes an ſuſpenſus à divinis officiis poſſit miſſam audire, cantare epiſtolam ſine manipulo.

Suſpenſus debet miſſam audire, horas recitare &c.

Reſp. Aff. quia hæc non facit ex officio: quin imo beneficiatus, aut in ſacris conſtitutus & ſuſpenſus à divinis, tenetur horas canonicas privatim legere, ne alioqui commodum ex ſuo delicto reportet.

Petes, an acta ſacerdotis ſuſpenſi ab officio ſint valida.

Acta ſuſpenſi an ſint rata & valida.

Reſp. Affir. Si nempe ſit ſuſpenſus toleratus, & non nominatim denuntiatus ſuſpenſus: nam cum talis ab Eccleſia toleretur, non adimitur illi ſua juriſdictio; quod ſi vero ſit nominatim denuntiatus ſuſpenſus ab officio, omnia acta ejus erunt invalida. quippe ſine juriſdictione facta, quam talis non habet.

Petes an ſolæ perſonæ ſingulares poſſint ſuſpendi.

Reſp. neg. ſed etiam tota aliqua clericorum communitas v.g. integrum Capitulum, ut patet ex cap. *ſæpe* de electione in ſexto; porro dupliciter fertur ſuſpenſio in aliquam communitatem, nimirum collectivè, & diſtributivè; collectivè quidem dum v.g ipſum corpus capituli quod habet jus collationis aut adminiſtrationis talis Beneficii ab ipſo ſuſpenditur; diſtributivè vero dum ſinguli de communitate aut Capitulo, ſi ſint noxii, particulariter ſuſpenduntur. Suſpenſio tamen lata in capitulum, dum aliud non exprimitur, non extendit ſe ad perſonas ſingulares, eo quod vox Capitulum, collectionem ſignificet.

DUBIUM II.

Quænam ſuſpenſiones jure communi contrahantur à Clericis.

Referuntur variæ ſuſpenſiones.

RESP. tales eſſe multiplices; quarum precipuas pro notitia confeſſariorum hic recenſebimus,

...nes à jure decreta.

Sacerdos benedicens aut aſſiſtens matrimonio alienorũ eſt ſuſpenſus.

I. Sacerdotes ſive parochi ſive non parochi aſſiſtentes matrimonio, vel benedicentes ſponſis alienæ Parochiæ, ſine licentia parochi ſponſorum, manent ipſo facto ſuſpenſi, donec Ordinarius iſtius alienæ Parochiæ illos abſolverit. Prout ſtatuit Con. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1.

Item clerici notoriè concubinarii.

II. Clericus concubinarius notorius jure antiquo incurrit ſuſpenſionem ipſo facto, ut habetur cap. *quæſitum* de cohab: clericorum & mulierum: quam eandem pœnam innovavit Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 14. & præter pœnas illis antiquis canonibus latas ſtatuit, ut ſi à ſuperioribus moniti, non reſipiſcant, privatione Beneficiorum & excommunicatione majori, incarceratione, aliiſque pœnis plectantur.

Ordinati ſine dimiſſorialibus proprii Epiſcopi.

III. Omnes clerici qui ſine dimiſſorialibus ſui proprii Epiſcopi ordinantur, ipſo facto ſuſpenduntur, ut patet ex extravaga. Pii II. quæ incipit *cum ſacrorum*.

Aut cum ficto titulo.

IV. Suſcipientes ſacros ordines ſub titulo ficto Patrimonii vel beneficii, ipſo facto ſuſpenduntur, ut patet ex bulla Pii V. quæ incipit, *Romanus Pontifex*.

Aut extra tempora, vel ante legitimam ætatem.

V. Qui ordines ſacros ſuſcipiunt extra tempora ab Eccleſiâ conſtituta, vel ante legitimam ætatem, vel abſque dimiſſorialibus ſui propii Epiſcopi, ipſo facto ſuſpenduntur, ut patet ex Extrav. Pii II. quæ incipit, *cum ſacrum*.

Suſcipiẽtes plures ordines ſimul.

VI. Suſcipientes duos ordines ſacros eodem die, aut duobus diebus continuis, aut eodem die ſuſcipientes minores ordines cum ſubdiaconatu, ipſo facto ſuſpenduntur, ut patet ex cap. *litteris* de tempor. ordina.

Ordinati cum dimiſſorialibus capituli.

VII. Ordinati cum dimiſſorialibus capituli ſede vacante, dum ratione beneficii non arctantur ſacros ordines ſuſcipere, ipſo facto ſuſpenduntur ut habetur in Trid. ſeſſ. 7. cap. 10.

Aut per ſaltum.

VIII. Clericus per ſaltum, promotus, hoc eſt qui recipit ordinem ſuperiorem, antequam recepit inferiorem, ipſo facto ſuſpenditur: ut habetur in c. unico de clerico per ſaltum promoto. Et in Trid. ſeſſ. 23. cap. 14.

Vel per Simoniam.

IX. Qui ſcienter recipit aliquem ordinem per ſimoniam, quamvis occultam, ſuſpenditur ipſo facto, ut patet ex cap. *per tuas* de ſimonia.

Aut ligatus aliquâ cenſurâ.

X. Qui innodatus aliquâ cenſurâ ſcienter aliquem ordinem recipit, ſuſpenditur ab illo, ut habetur cap. *cum illorum* de ſenten. excomm.

Vel furtivè ordinem recipit.

XI. Qui furtive aliquem ordinem recipit, eſt ſuſpenſus ab illo, ut habetur cap. 1. de eo qui furtive.

Suſci-

Aut poſt contractum matrimonium.

XII. Suſcipiens ſacrum ordinem poſt matrimonium contractum, quamvis non conſummatum, ſuſpenditur ab illo, ut patet extrav. *antiqua* de voto.

Aut ab Epiſcopo excomm. vel ſuſpenſo.

XIII. Recipiens ſacrum ordinem ab Epiſcopo excommunicato vel ſuſpenſo, ſuſpenditur ipſo facto, uti patet ex cap. 1. & 2. de ſchiſmaticis,

XIV. Clericus committendo ſimoniam, ſive committatur dando, ſive recipiendo ſacros ordines ſimoniace, ipſo facto ſuſpenditur, ut patet ex cap. *perpetuas* de ſimonia:

Ab illis ſuſpenſionibus dum ſunt ex delicto occulto &c. poteſt Epiſcopus abſolvere.

Porrò hic bene notandum Epiſcopos jure novo Con. Tr. ſeſſ. 24. c. 6. abſolvere poſſe ab omni cenſura, quamvis illa ut pura pœna in perpetuum vel ad certum tempus ſit decreta, dummodo veniat ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentioſum; qui tamen advertere debent ante abſolutionem exigendam eſſe ſatisfactionem, vel ſaltem cautionem ſatisfaciendi parti læſæ, imo in criminibus enormibus exigendum præterea eſt juramentum, parendi Eccleſiæ.

Suſpenſio tamen lata ab homine in particulari non poteſt tolli, niſi ab eo qui illam inflixit, vel ejus ſucceſſore, aut ſuperiore, ut patet ex cap. *Paſtorali* de officio ordinarii: ratio eſt, quia alioqui diſciplina Eccleſiaſtica perturbaretur.

Non poſſunt ab illis ſimplices Confeſſarii abſolvere ſine ſpeciali licentia.

Paſtores tamen aut alii confeſſarii communiter expoſiti, abſolvere non poſſunt à ſuſpenſionibus incurſis jure communi etiam non reſervatis, niſi ſpeciale privilegium, vel ad hoc delegatam poteſtatem acceperint, nec refert quod illi poſſint abſolvere ab excommunicatione non reſervata, quia hæc abſolutionem à peccatis præcedere debet, non ſic abſolutio à ſuſpenſione vel interdicto.

DUBIUM III.

Quid degradatio, & quomodo à ſuſpenſione differat.

Quid degradatio.

Reſp. degradatio eſt pœna Eccleſiaſtica, qua clericus ab omni officio aut beneficio Eccleſiaſtico depoſitus, omni clericali privilegio, per ſolemnem ſententiam privatur.

Forma degradationis clerici.

Dicitur degradatio, quia clericus per illam extra gradum clericorum dejicitur, & traditur brachio ſæculari, à quo capi, incarcerari, & juxta leges civiles de criminibus commiſſis puniri poteſt. Solemnitates ad degradationem requiſitæ deſcribuntur cap. 2. de pœnis in ſexto, & in Pontificali Romano: ſunt autem hæ. Epiſcopus veſtibus Pontifica-

ficalibus indutus, in Eccleſia vel in oratorio in quo ordines ſacri conferuntur, ſeſe ſiſtit, ubi degradandus comparet omnibus veſtibus indutus officio ſuo propriis: manibus ſuis portans omnia inſtrumenta in ordinatione ſua ſibi tradita. Quibus tunc inverſo ordine exuitur, eo quod illis per crimina ſua ſit abuſus; & in abſolutione ſingulorum profert Epiſcopus verba horrorem incutientia, quibus explicat ſe illum à tali ordine abjicere; quo facto caput ejus abraditur, vel ita tondetur ut non appareat amplius ejus corona; ac tandem Epiſcopus profert hæc verba, *auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii, ac Spiritus Sancti ac noſtrâ, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus te omni ordine, beneficio, & privilegio clericali.* Dein ſi tradendus ſit brachio ſæculari, aſſiſtit quoque judex ſæcularis, cui degradatus traditur puniendus, à quo tamen rogat Epiſcopus ut ſententiam moderetur citra mortis pœnam.

Petes, quænam ſint crimina ob quæ clericus eſt degradandus.

Reſp. debent eſſe graviſſima, eaque in jure expreſſa, qualia ſunt hæreſis manifeſta, ſodomia, calumnia proprio Epiſcopo irrogata.

Ex dictis patet quomodo degradatio differat à ſuſpenſione, ſcilicet quod illa non ſit cenſura, neque privet ſolo uſu officii vel beneficii, ſicut ſuſpenſio.

QUÆSTIO IV.

De Interdicto.

DUBIUM I.

Quid interdictum & quotuplex.

Reſp. interdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica qua prohibetur uſus activus & paſſivus aliquorum Sacramentorum, officia divina, & Eccleſiaſtica ſepultura. *Quid interdictum Eccleſiaſticum.*

Pro cujus intellectu notandum quod etſi interdictum cum aliis cenſuris, excommunicatione, nempe, & ſuſpẽſione materialiter convenire videatur, quia & ipſæ privant ſpiritualibus bonis: formaliter tamen ab illis diſtinguitur; nam excommunicatio privat illis quatenus ſunt bona quædam communia quibus fideles inter ſe communicant: ſuſpenſio privat illis, quatenus ſunt uſus poteſtatis Eccleſiaſticæ; interdictum vero privat illis, quatenus ſunt bona quædam à fidelibus *In quo differt ab aliis cenſuris.*

Digitized by Google

libus poſſidenda, quæ Eccleſia juſtis de cauſis ſubtrahit.

Interdictum locale. Interdictum generaliter acceptum aliud eſt locale, aliud perſonale, aliud mixtum. Locale eſt, quo interdicitur locus ne in eo divina officia celebrentur, aut audiantur, aut Sacramenta adminiſtrentur, aut mortui ſæpeliantur.

Perſonale. Perſonale eſt quo prohibetur populus, aut perſona particularis audire, vel celebrare divina officia.

Mixtum Mixtum eſt quod componitur ex locali & perſonali.

Rurſum ſubdividitur interdictum tam locale, quam perſonale, in generale & particulare. Hoc eſt quo locus aliquis particularis interdicitur, v. g. ob crimen aliquod in eo patratum, vel particularis aliqua perſona interdicitur, quia tale vel tale facinus perpetravit. Generale locale eſt, quo interdicitur locus univerſalis, ut Regnum, Provincia, Civitas; Generale perſonale eſt, quando interdicitur aliqua communitas, aut Societas, aut Collegium.

Interdicta civitate interdicuntur ejus ſuburbia. Notandum autem quod interdictâ civitate cenſeantur quoque interdicta ſuburbia, eſto quoque forent alterius Diœceſis, eò quod ſine illis interdictum foret fruſtraneum, nam poſſet populus adire ſuburbia, ibique divina audire. Patet hoc ipſum, ex cap. *ſi civitas* de ſentent. excom. in ſexto; nec refert quod in pœnalibus ſtrictior ſit adhibenda interpretatio, nam id tantùm eſt verum, quando alioqui ſententia non redderetur fruſtranea.

Notandum autem eſt, quòd quando interdictum eſt generale perſonale, quod, ſi quis deſinat eſſe de illa congregatione, deſinit eſſe interdictus, modo cauſam interdicto non dederit; ratio eſt, quod tale interdictum per ſe primò reſpiciat communitatem ipſam; unde ſi quis incipiat eſſe pars illius communitatis, incipit eſſe interdictus.

Interdictum ob quam cauſam infligi poſſit. Porro interdictum ſpeciale vel generale loci, item generale perſonale, ferri non poteſt, niſi ob culpam mortalem, quæ major ſit quàm requiratur ad excommunicationem, eò quod hæc pœna gravior ſit extenſivè quam excommunicatio, utpote involvens quoque innocentes: & eapropter ob culpam privati alicujus hominis non poteſt ferri interdictum generale, locale vel perſonale, ſed debet eſſe culpa Domini, vel ſuperioris loci, ita ut ſi illi puniantur ob ejus culpam, ille cenſeatur puniri in ipſis. Hoc quoq; hic bene notandum, quòd in interdicto locali omnes qui

Pppp non

non ſunt cauſa interdicti, poſſint alibi audire divina officia, ſuſcipere Sacramenta, & ſepeliri; quod in interdicto perſonali non habet locum.

Interdicto loco non ideo interdictus populus. Unde alibi poteſt ſacris intereſſe.

Porro interdicto loco non cenſetur per hoc interdictus populus, niſi aliud exprimatur: nec poſito interdicto perſonali cenſetur interdictus locus, niſi id ſimiliter exprimatur, eò quod verſemur in materia odioſa, quæ non eſt extendenda: & eapropter interdictà aliquâ Eccleſiâ Parochiali, poſſunt ſacerdotes illius Eccleſiæ alibi celebrare, modò ipſi non fuerint cauſa interdicti, ut colligitur cap. *ſicut.* de ſent. excom. in ſexto.

Petes quot ſint effectus interdicti?

Qui ſint effectus interdicti.

Reſ. potiſſimum tres, quorum 1. eſt prohibitio uſus activi ut & paſſivi omnium Sacramentorum, quæ in jure non ſunt excepta: porro tria Sacramenta jure excipiuntur, ſcilicet baptiſmi, confirmationis, & pœnitentiæ; prout patet ex cap. *alma Mater*: de ſentent. excomm. in ſexto, Euchariſtia tamen poteſt quoque moribundis adminiſtrari, & quidem publicè, & ſolemniter; prout & tria præfata Sacramenta; Matrimonium quoque poterit celebrari, eò quod ejus miniſter non ſit ſacerdos; extrema unctio autem tempore interdicti conferri non poteſt, neque Sacramentum Ordinis, neque Euchariſtiæ, niſi, ut diximus, per modum viatici: unde nequidem clericis aut laicis, quibus moderatione c. *alma Mater* licet aſſiſtere divinis officiis, conceſſum eſt percipere Euchariſtiam: nec obſtat quòd ſacerdos celebrans tunc communicet; nam hoc facit quatenus communio eſt neceſſaria ad complementum Sacrificii.

Tempore interdicti generalis localis licitum eſt ſacra peragere occultè.

Ad quorum majorem explicationem notare oportet, quòd Bonifacius VIII. in c. *alma Mater* de ſent. excomm. in ſexto, concedat clericis; quòd tempore interdicti generalis localis, poſſint quotidie miſſam in Eccleſia dicere & alia officia ſubmiſſâ voce, januis templi clauſis, & non pulſatis campanis; quodque illud interdictum generale locale, ſuſpendatur pro quatuor majoribus feſtivitatibus, nimirum, Natalis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Mariæ, quibus diebus celebrari poſſunt divina officia ſolemniter januis apertis, alta voce, excluſis excommunicatis, interdictis verò admiſſis, dummodo illi, ob quorum culpam impoſitum eſt interdictum, altari non appropinquent, id eſt nullo modo communicent; prout patet ex

Et quibuſdam diebus etiam publicè.

ex dicto cap. *alma Mater*. Hæc conceſſio extenſa eſt poſtmodum quoque pro feſto corporis Chriſti, & per totam octavam, à Martino V. in conſtitut. ultimâ incipiente, *ineffabile Sacramentum*.

Tempore interdicti generalis prohibentur officia publica divina.

Secundus effectus eſt, quod loco interdicto, vel perſonis generaliter, vel particulariter interdictis, prohibeantur celebrari divina officia, vel illis intereſſe, prout habetur ex cap. *permittimus* de ſentent. excomm. in ſexto; nomine autem officii divini veniunt omnes illæ functiones, quæ ex intentione Chriſti & Eccleſiæ à ſolis clericis debent fieri, quale eſt Sacrificium Miſſæ, benedictio fontis baptiſmalis, aquæ, olei &c. prout & officium horarum canonicarum, ſaltem ſolemne, & in Eccleſia; privatim enim & in loco privato illud recitari poteſt. tempore tamen interdicti non prohibetur in Eccleſia fieri examen conſcientiæ, legi privatè Litanias, Orationes particulares &c.

Item ſepultura in loco ſacro.

Tertius effectus, eſt prohibitio Eccleſiaſticæ ſepulturæ in loco ſacro, prout habetur cap. *Epiſcoporum* de privilegiis in ſexto, quo tamen non comprehenduntur clerici, qui tunc poſſunt ſine ſolemnitate vel ſonitu campanæ ſepeliri in Eccleſiâ vel cæmiterio; imo omnes laici, qui ex cauſa aliqua tempore interdicti poſſunt audire miſſam, poſſunt quoque ſic ſepeliri in loco ſacro; nam quibus communicamus vivis, poſſumus quoque communicare defunctis.

Poſſunt tamen clerici & laici qui cauſam interdicto non dederunt ſine ſolemnitate ſepeliri in loco ſacro.

Petes, an perſonaliter interdictum teneamur vitare?

Reſp. antequam denuntietur, negativè, conformiter ad conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, quæ incipit, *ad evitanda*, & ita ſacerdos, aut quivis alius clericus non tenetur in obeundo divino officio vitare aut extrudere aliquem interdictum ſpecialiter vel generaliter, niſi denuntiatum.

Petes, quinam poſſint interdicere?

Quis poſſit interdicere.

Reſp. omnes qui ex poteſtate ordinaria vel delegata poſſunt excommunicare, vel ſuſpendere.

Petes, quale peccatum ſit violatio interdicti?

Reſp. mortale, quia eſt violatio præcepti Eccleſiæ in materia gravi. Porro clericus tripliciter poteſt violare interdictum, 1. cũ ipſe generaliter vel ſpecialiter interdictus, facit aliquem actum Ordinis Sacri, quo eſt interdictus. 2. Si recipiat Sacramentum dum eſt prohibitum. 3. Si ſolemniter obeat actum Ordinis Sacri in loco interdicto.

Pppp 2 Porro

Digitized by Google

Porro laicus perſonaliter interdictus peccat mortaliter audiendo ſacrum, aut alia divina officia, prout & Euchariſtiam percipiendo, aut extremam unctionem.

Interdicto loco tantum, non peccat laicus ibi audiens divina officia. Quod ſi tamen locus ſit tantùm interdictus, laicus ibi audiens ſacrum non peccat mortaliter, eò quod in interdicto locali, præceptum non imponatur laicis, ſed clericis quibus præcipitur, ut ibi ſervent interdictum; neque januas aperiant, aut laicos admittant, prout patet ex Clement. I. de ſentent. excomm.

Clericus violans interdictum incurrit irregularitatem. Petes, quas pœnas incurrant clerici per exercitium Ordinis Sacri aut aliter violantes interdictum?

Reſp. eos fieri irregulares, eò quòd omnis violatio cenſuræ generatim per exercitium Ordinis Sacri inducat irregularitatem.

QUÆSTIO V.
De irregularitate.

DUBIUM I.
Quid irregularitas.

Quid irregularitas. REſp. eſt impedimentum canonicum impediens ſuſceptionem ſacrorum ordinum, & uſum ſuſceptorum. Loco generis pono *impedimentum*, non pœnam, eo quòd hæc non omni irregularitati conveniat, utpote non illi quæ oritur ex defectu.

Et quomodo diſtinguatur à cenſuris. Diſtinguitur à cenſuris, partim quia non omnis eſt pœna, partim quia quæ pœna eſt, non eſt tamen medicinalis, ſed eſt ex ſe perpetua. Dicitur *canonicum*, eo quòd omnis irregularitas ſit jure humano introducta, quare incapacitas ad ſacros ordines, orta ex jure divino, prout eſt in fœmina, non dicitur irregularitas.

Petes quotuplex ſit irregularitas?

Irregularitas alia eſt ex defectu, alia ex delicto. Reſp. duplex una nimirum ex defectu vel indecentia, quæ oritur abſque culpa, altera verò quæ oritur ex delicto; prima habet multas ſpecies, prout ſunt irregularitas proveniens ex defectu animi, ex defectu corporis, ex defectu natalium, ex defectu ætatis, ex defectu Sacramenti, ex defectu lenitatis; ſecunda quoque diverſas habet ſpecies, quarum prima eſt illa quæ oritur ex iteratione Baptiſmi, ſecunda ex indebita ſuſceptione vel uſu ordinis ſacri. Tertia ex hæreſi. Quarta ex infamiâ. Quinta ex homicidio illicitè perpetrato.

Subjectum irregularitatis eſt omnis homo capax ordinis ſacri, nam illa formaliter eſt quædam privatio, quæ ſupponit capacitatem.

Digitized by Google

tatem ſubjecti in ordine ad formam, qua privat.

Non incurritur irregularitas niſi in caſibus à jure expreſſis.

Cauſa efficiens eſt jus canonicum ſeu ſummus Pontifex eam per ſacros canones exprimens; ratio eſt quia poteſtas ferendi irregularitatem ad eum pertinet qui poteſt jus canonicum condere; unde nulla incurritur irregularitas niſi ſit jure expreſſa, prout habetur cap. *is* de ſent. excom. Nomine autem juris, non tantùm venit corpus canonicum, verùm etiam Bullæ Pontificiæ, & Concilia generalia à ſummo Pontifice approbata; ex quibus concluditur non poſſe Epiſcopos ferre irregularitates, neque illas induci poſſe ob ſolas authoritates Doctorum, aut ob conſuetudinem, aut ob argumentum à minori ad majus. Et eapropter non eſt ſatis quòd irregularitas ſit poſita in ſimili caſu vel minori, ſed requiritur ut lata ſit in propria ſpecie talis delicti; nam quod infertur per argumentum à ſimili, vel per argumentum à minori ad majus, non poteſt dici expreſſum à jure; & eapropter quando adeſt dubium juris, quod contingit quando quis dubitat an lata ſit lex, continens irregularitatem, ob tale factum vel defectum, poſt adhibitam diligentiam ſufficientem in indagando, nemo idcirco cenſendus eſt

Dubitās prudenter de ju-

re aut facto excuſatur ab irregularitate.

irregularis; & idcirco talis poteſt practicè dubium deponere, judicando non eſſe latam irregularitatem; & conſequenter talis non tenetur ſe ut irregularem gerere. Ratio eſt, quia in tali dubio non adeſt expreſſum jus ſufficienter indicans irregularitatem. Similiter non eſt cenſendus irregularis, qui, etſi de jure conſtet, tamen dubitat de facto; excipitur tamen dubium homicidii cōmiſſi, nam in hoc dubio facti quilibet debet ſeſe gerere ut irregularem in utroque foro, prout patet ex cap. *ſignificaſti* de homicidio; ratio eſt quia jura ſic ſtatuerunt in deteſtationem homicidii, eo quod hoc peccatum maximè dedeceat Eccleſiaſticam manſuetudinem; cur autem in aliis caſibus nemo tam in dubio juris quam facti ſit cenſendus irregularis, hæc eſt ratio, quia in pœnis benignior interpretatio eſt adhibenda, quando tenor verborum eam patitur; & inſuper, quia in dubio nemo ſpoliandus eſt jure ſuo.

Excepto caſu homicidii dubii.

Petes, quid ergo prudenti Confeſſario faciendum cum adoleſcente pœnitente, qui filiæ à ſe ingravidatæ dedit pharmacum ad procurandum aborſum, ſed dubitat, an fœtus erat animatus.

Reſp. cum illo agendum ſicut cum homicida tam animæ quam corporis: cum enim ille verſetur in

in dubio facti, judicandus eſt ut irregularis in utroque foro: prout patet ex cap. *ſignificaſti* ſup. cit.

Ex eodem titulo, mandans aut conſulens homicidium tenetur ſe gerere ut irregularem quando dubitat an conſilium vel mandatum ſuum in homicidium influxerit; nam in his & ſimilibus poſſeſſio non ſtat pro dubitante, ſed potius contra ipſum; quippe cum pro eo ſtet poſſeſſio pro quo ſtat juris præſumptio.

DUBIUM II.

Quinam ſint effectus irregularitatis.

NOtandum 1. quod nulla irregularitas privet uſu illarum actionum, quæ nullum includunt exercitium Ordinum, adeoque irregularis præter ſacros ordines poteſt recipere omnia alia Sacramenta, cum aliis ſuſcipere S. Communionem, officium divinum facere, exceptis iis quæ in illis ſunt Ordini ſacro annexa ut dicere *Dominus vobiſcum*; ita quoque irregularis poteſt exercere omnes actus tam juriſdictionis ordinariæ quam delegatæ, idque tam in foro externo quam interno, qui non includunt actum ordinis ſacri, adeoque validè & licite poterit abſolvere à cenſuris, diſpenſare in votis, non tamen abſolvere à peccatis in foro conſcientiæ, ſi ſit denuntiatus: quòd ſi vero ſit toleratus, abſolvet quidem validè, attamen illicitè, quippe per irregularitatem factus inhabilis ad actus Ordinis.

Quibus prænotatis.

Irregularitas privat receptione ordinum omnium.

Dico 1. triplex ſolummodo eſt effectus irregularitatis: quorum primus eſt inhabilitas ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, idque uſque ad tonſuram incluſive: prout patet ex cap. *Curandum*: Diſt. 34. & cap. ult. de Temp. Ordinand. Sacer ordo tamen collatus irregulari erit validus, eò quod irregularitas ſolùm faciat eum illicitè ſuſcipi: neque enim Eccleſia poteſt ordinatione ſua invalidare Sacramenta, dum adhibentur omnia quæ Chriſtus ad illorum valorem requiſivit.

Validè tamen ab irregulari ſuſcipiuntur.

Irregularitas privat uſu ordinum ſuſceptorum

Secundus effectus eſt inhabilitas ad uſum & exercitium SS. Ordinum ſuſceptorum: prout patet ex Cap. *Si celebrat*. De clericis excomm. & cap finali de Tempore Ordinand. proinde Clericus mortaliter peccat, exercens actum Ordinis in irregularitate, qui tamen non incurrit ſecundam, eo quod hoc nullo jure exprimatur.

Privat acquiſitione novi beneficii.

Tertius effectus eſt incapacitas ad beneficium de novo acquirendum, prout patet ex c. *Poſtulaſtis*. De Cler. excom. & jure no-

vo

vo Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. & meritò, cum enim beneficium detur propter officium, jure privatur receptione novi beneficii, qui officium propter quod datur, exercere non poteſt: inde quoque ſequitur, eum eſſe incapacem juriſdictionis ordinariæ de novo acquirendæ; eò quod hæc detur ratione beneficii, cujus ipſe eſt incapax, ſecus verò juriſdictionis delegatæ de novo acquirendæ.

Petes, an irregularitas ſuperveniens privet quoque beneficio ante irregularitatem obtento.

Non tamen privat beneficio ante obtento.

Reſp. negativè, & ratio eſt quia irregularitas omnium maxima, quæ oritur ex homicidio voluntario, non privat ipſo facto beneficio; ergo neque ulla alia ſuperveniens: ex quo ſequitur beneficiatum irregularem non teneri reſtituere fructus beneficii ſi muneri ſuo per ſe vel per alium ſatisfecerit: quod probatur ex cap. *Fraternitati* de Cleric. excom

Petes, an valida ſit abſolutio Sacramentalis, facta à Confeſſario irregulari.

Valida eſſe poſſunt acta irregularis.

Reſp. affirmativè; dummodò non ſit obex ex parte pœnitentis: neque enim irregularitas tollit juriſdictionem ſemel obtentam, prout neque invalidat actum ordinis, ſed tantum, prohibet illum exerceri ab irregulari.

DUBIUM III.

Quæ ſint irregularitates contractæ ex delicto.

Reſp. ſunt variæ, magis tamen uſitatæ ſunt hæ ſequentes,

Iteratio baptiſmi inducit irregularitatem tam in baptizante quam in baptizato.

1, Irregularitas oritur ex iteratione baptiſmatis, tam in baptizante, quam in baptizato: ut patet ex cap. *Litterarum* de Apoſt. ex iteratione verò confirmationis aut ordinis nulla talis contrahitur: & hoc ideo, quia reſpectu ſuſceptionis iſtorum Sacramentorum, nulla in jure exprimitur, quæ tamen expreſſio ad incurrendam irregularitatem eſt neceſſaria.

Ligatus cenſura exercens ſolemniter actū Ordinis fit irregularis.

2. Oritur ex violatione alicujus cenſuræ ut v. g. dum aliquis excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus, ſolemniter exercet aliquem actum Ordinis Sacri; prout patet ex cap. *is cui*, de ſentent. Excomm.

Item clericus exercens ſolemniter actum Ordinis quem 1.ō habet.

3. Oritur dum clericus ſolemniter exercet aliquem actum Ordinis quem non habet: ut ſi Diaconus faciat Sacrum, & Subdiaconus cantet Euangelium &c. Probatur ex c. 1. & 2. de Cler. non ordinato miniſtran.

Petes, an ergo clericus minorum ordinum ſit irregularis, qui in officio ſolemni cantat Epiſtolam

Digitized by Google

ſtolam aut Euangelium ſine ſtola aut manipulo, prout frequenter fit in monaſteriis, in quibus eſt defectus Diaconi aut Subdiaconi (quamvis hoc in Eccleſiis Cathedralibus non ſit in uſu)

Reſp. negative, quia non exercet actus illos ſolemniter, utpote quorum ſolemnitas conſiſtat in adhibitione ſtolæ aut manipuli: quod ſi tamen unus Acolitus canat Epiſtolam cum manipulo fieret irregularis.

Perſonæ infames ſunt irregulares. 4. Contrahitur irregularitas à clerico ratione actûs commiſſi, cui infamia juris vel facti eſt annexa; infamia juris eſt duplex, una quæ oritur ex proprio delicto, qualia ſunt adulterium, raptus, incæſtus, perjurium in judicio, ſodomia, ſimonia, uſurarum uſura, ſacrilegium, duellum, hæreſis, prout & crimen læſæ Majeſtatis: alia oritur ex delicto alieno, qualem contrahunt filii hæreticorum; aut ex vili conditione perſonæ, qualem contrahunt hiſtriones.

Porro hæc infamia juris facit hominem irregularem & inhabilem ad ordines ſuſcipiendos, prout & ad uſum ſuſceptorum: nam, ut habet axioma juris infamibus perſonis portę non pateant dignitatum, ſive beneficiorum Eccleſiaſticorum. Hæc tamen eſt diſtinctio inter infamiam juris, & facti, quod prior privet beneficiis acquiſitis & acquirendis; poſterior verò repellat quidem aliquem ipſo jure à beneficiis acquirendis (unde collatio beneficii facta irregulari eſt irrita,) non privat tamen ante poſſeſſis.

Filii hæreticorũ in his partibus non ſunt irregulares. Quod tamen ſupra diximus de filiis hæreticorum, ipſos eſſe infames ex delicto parentum, adeoque irregulares, hoc non habet locum in regionibus noſtris ſeptentrionalibus ſeu ſeptemdecim provinciis, prout neque in Germania: & eapropter Epiſcopi illos ſine ſcrupulo ordinare ſolent, eò quod tales in foro civili non repellantur à dignitatibus & officiis honeſtioribus.

Homicida voluntarius eſt irregularis. 5. Oritur irregularitas ex homicidio voluntario: prout patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. prout quoque ex homicidio indirectè voluntario ſeu caſuali, & qualibet injuſta mutilatione, ut patet ex Clement. *Furioſus*: item cap. ult. de homicidio in ſexto. *Vti & caſualis.*

Illud autem homicidium hîc appellatur voluntarium, quod eſt directè tale, ſeu quod committitur per expreſſam voluntatem occidendi, vel cujus cauſa proxima directè intenditur, ut dum quis infert vulnus lethale, aut propinat efficax remedium ad aborſum: & eapropter in eo differt

differt homicidium directè voluntarium à caſuali, quòd hoc ſit ſolùm voluntarium in cauſa non ita propinqua; illud verò ſit in ſe directè voluntarium, vel in cauſa adeo propinqua, ut non ſtent ſimul velle talem cauſam, & non velle homicidium. Conc. Trid. loco ſupra citato, homicidium voluntarium diſtinguit à caſuali, in eò quod illud per inſidias vel de induſtria committatur; caſuale verò abſque illis, conformiter ad illud Ex: 22. *ſi quis per induſtriam occiderit proximum ſuum & per inſidias, ab altari meo avelles illum.*

Ex his collige eum qui occidit injuſtum invaſorem nonnihil etiam excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, non commiſiſſe homicidium directè voluntarium; ſicuti neque is qui aliquem leviter ſolùm intendit lædere, & præter intentionem occidit.

Petes, quænam ſit diſtinctio inter irregularitatem ortam ex homicidio voluntario, & inter ortam ex caſuali.

In irregularitate ex homicidio voluntario, ſolus Pontifex diſpenſat

Reſp. hæc, quòd ſolus Pontifex diſpenſet in prima: prout patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. ubi conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in omni inhabilitate proveniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario: cum autem exceptio firmet regulam, ſequitur Epiſcopum in homicidio caſuali poſſe diſpenſare, modò delictum ſit occultum; prout quoque in ea quæ oritur ex mutilatione occulta. Eſt autem mutilatio, abſciſſio alicujus membri quod proprium officium habet ab aliis membris & partibus corporis diſtinctum, ut manus, oculus, &c. aliæ verò partes quæ hiſce membris conjunguntur, non veniunt nomine membrorum: unde qui digitum alicui amputaret, aut cartilaginem circa aures, quamvis graviſſimè peccaret, non eſſet tamen irregularis.

Quid mutilatio.

Inducit irregularitatem.

Petes, quid ſi plures de communi conſenſu aggrediantur Petrum, à quorum uno Petrus occiditur, an omnes ſint irregulares.

Quid cenſendum quando plures ſimul unũ occidunt aut mutilant.

Reſp. affirmativè; quia omnes ſunt rei homicidii, quippè cum ad illud omnes ſint cooperati, ſe invicem incitando: quod ſi tamen ſe invicem non concitaverint, nec præmiſerint conſilium; ſed ſubitâ quâdam irâ inflixerint vulnera, & unus tantùm vulnus lethale inflixit, ille tantùm erit reus homicidii, modò conſtet quis ille ſit: quando verò neſcitur quiſnam lethale vulnus inflixerit, tunc omnes qui dubitant an illud ab ipſis ſit inflictum, debent ſe gerere tamquam irregulares.

Digitized by Google

Iudex & alii cooperantes morti juſtè damnati ſunt irregulares.

Petes, an irregularitas oriatur ex occiſione judiciaria factâ in judicio.

Reſp. affirmativè; quod patet ex c. finali ne Clerici vel Monachi: vocatur autem hæc irregularitas ex defectu lenitatis vel manſuetudinis Chriſti; eò quod is qui ordinatur, eligatur ad conficiendam Euchariſtiam in qua continetur Chriſtus, qui tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt; ac proinde decet, ut ejus miniſtri hanc manſuetudinem imitentur: & eapropter repelluntur ab Ordinibus Sacris etiam ejuſmodi juſti homicidæ, eò quod actu ſuo crudeli potiùs repræſentent Chriſti crucifixores, quam Chriſtum.

Ex hac doctrina collige omnes judices ferentes ſententiam mortis, vel mutilationis, eorumque aſſeſſores, cooperatores conſultores, ſatellites reum comprehendentes, tortores, morte ſecutâ, eſſe irregulares: prout quoque qui reum comitantur ad patibulum causâ ſecuritatis, cuſtodes carceris, fabricatores patibuli, & generaliter omnes aliquid facientes quo mors reo acceleretur, ſecutâ morte, fieri irregulares defectu lenitatis, eò quod ipſorum facta vel dicta influant proximè in mortem vel mutilationem.

Petes, an Dominus temporalis, committendo alteri officium judicis in criminalibus, fiat irregularis effectu ſecuto.

Reſp. negativè; dummodò debito modo faciat; ut ſi committat tantùm in genere ad adminiſtrandam juſtitiam, non verò determinatè punitionem volendo ad mortem; prout habetur cap. ult. ne Clerici vel Monachi: & eapropter Epiſcopus vel Abbas, habens temporalem juriſdictionem, poteſt & debet illam delegare, ſine metu irregularitatis. Ratio eſt, quia eſto commiſſio illa moveat alios ad adminiſtrandam juſtitiam, unde ipſi irregularitatem incurrant, tamen reſpectu committentis tantùm habet rationem cauſæ remotæ.

An qui interſunt ſupplicio nocentis fiant irregulares.

Petes, an clerici aſſiſtentes executioni ſententiæ ſint irregulares.

Reſp. negativè; eò quod ad illam non cooperentur; quinimo nec peccant, eſto ipſis in c. ſi Clerici vel Monachi ſit inhibitum; eò quod caput illud contraria conſuetudine ſit abrogatum.

Petes, an Confeſſarius fiat irregularis, dum judicem nolentem punire reum qui eſt dignus morte, non vult abſolvere.

Reſp. negativè, quia hic caſus

Digitized by Google

ſus per epykëiam cenſetur excceptus; eò quod Confeſſarius nequeat abſolvere pœnitentem in mortali permanentem: ſimiliter excuſatur Confeſſarius ab irregularitate, qui pœnitentem reum juridicè interrogatum, hortatur ad dicendam veritatem in judicio, etiamſi mors inde ſequatur; nam hortatur ad id, ad quod tenetur, & præſtat munus ſuum: ſecus verò ſi conſuleret pœnitenti ut veritatem aperiat, antequam ejus delictum ſit ſemiplenè probatum.

Petes, quomodo ſe geret Prælatus rogatus ab Officialibus ſuis, quid faciendum in cauſa ſanguinis.

Clericus accuſans furem ſecutâ morte hujus, an fiat irregularis.

Reſp. eum dicere debere hoc conſilium à ſe ferri non poſſe, ſed peritos conſuli debere, & faciendum quod leges ſtatuunt.

Petes, an ſacerdos, qui accuſat injuſtum damnificatorem de damno aut injuria ſibi illata, aut furem rerum ſuarum indicat judici, fiat irregularis ſecuta morte vel mutilatione.

Reſp. negativè, dummodo ſervet ea quæ præcipiuntur in cap. *Prælatis* de homicidio in ſexto. Porro quæ dicto cap. præſcribuntur, ſunt hæc duo 1. ut accuſans non petat vindictam, ſed tantùm ſatisfactionem pro injuria ſibi illata. 2. Ut expreſsè proteſtetur quod non intendat vindictam vel pœnam ſanguinis: quorum ratio eſt, quia illo capite ita expreſsè diſponitur, ne alioquin laici ſcientes non poſſe clericos abſque nota irregularitatis querelam coram judicè deponere, fierent audaciores ad inferendas illis injurias.

Petes, an teſtis in cauſa ſanguinis ſit irregularis.

Teſtis in cauſa ſanguinis contra reum ſit irregularis ſecuta morte.

Reſp. affirmativè; per ſe loquendo ſecutâ morte, quia quicumque cooperatur morti vel mutilationi ſit irregularis, uti patet ex capite *Viduam*; ſed teſtis maximè cooperatur, quandoquidem ab ipſius atteſtatione pendeat ſententia judicis.

Petes, an clericus poſſit cogi ad ferendum teſtimonium in cauſa ſanguinis.

Nequit clericus cogi ad dicendum teſtimonium in cauſa ſanguinis.

Reſp. negativè, ut patet ex dictis; quia cooperaretur ad mortem, adeoque fieret irregularis, poſſet tamen teſtari ad favorem rei, ad ipſum à morte liberandum idque de licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii.

Petes, quiſnam poſſit diſpenſare in irregularitate provenientе ex occiſione judiciaria juſta.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularit. ex homicidio juſto.

Reſp. valdè probabiliter Epiſcopus, eò quod illud homicidium æquiparetur homicidio caſuali, in quo Epiſcopus diſpenſare poteſt.

In bello juſto hoſtes occidentes ſunt irregulares.

Petes an occidens alium in bello ſive juſto ſive injuſto, incurrat irregularitatem.

Reſp. Affirm. prout patet ex cap. *Petitio tua* de homicidio: ratio eſt, quia eſt cauſa mortis.

Petes an ſimiliter aſſiſtentes in bello juſto ſive ſint clerici ſive laici, hortantes milites ad fortiter pugnandum ſint irregulares dummodo neminem occiderint aut mutilaverint.

In bello injuſto omnes qui interſunt pugnæ.

Reſp. neg. quod patet ex cap. *Petitio tua* de homicidio; ubi hoc ſtatuitur, in favorem belli juſti, ne alioquin innumeri ligarentur irregularitate: ſecus verò de aſſiſtentibus in bello injuſto, qui omnes irregularitatem incurrunt eſto ipſi propriâ manu non occiderint aut mutilaverint.

Petes an occidens alium ad defenſionem propriæ vitæ, non fiat irregularis quando id facit cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Reſp. negat. prout patet ex Clement. *Si furioſus* de homicidio: ratio eſt, quia hujuſmodi homicidium non tam eſt voluntarium, quàm neceſſarium.

DUBIUM III.

Quænam ſint irregularitates ortæ ex defectu.

SIcut alii ſunt defectus animi & alii defectus corporis, ita quoque ſunt aliquæ irregularitates quæ oriuntur ex defectu animi, & aliquæ, ex defectu corporis. Et ita

Defectus ſcientiæ facit irregularẽ.

1. Defectus ſcientiæ facit jure Canonico irregularem: prout patet ex cap. *Illiteratos* diſt. 36. & ex cap. de tempore Ordin. in ſexto. Quinimo ipſum jus naturale dictat, non admittendos ad aliquod munus eos qui neſciunt ea quæ ad illud ſpectant.

Illegitimus eſt irregularis.

Porro inter defectus corporis, qui abſque culpa contrahuntur, & pariunt irregularitatem, primus eſt defectus natalium contractus in ipſa generatione; ita ut omnis illegitimus, quantumvis occultus, ſit irregularis: quæ irregularitas eſt introducta à Jure Canonico, partim in deteſtationem ſceleris paterni, partim ob turpitudinis notam, quam filius ex tali nativitate contrahere cenſetur, partim quod filius paternæ incontinentiæ ſoleat exiſtere imitator.

Nota tamen, quod illegitimus legitimetur per ſubſequens matrimonium, non ſolùm ad ſucceſſionem hæreditariam & dignitates ſæculares, ſed etiam ad ordinem & Eccleſiaſticas dignitates, eò quod matrimonium ſubſequens purget omnia antecedentia: modò tamen parentes tempore conceptionis vel nativitatis habiles eſſent ad contrahendum

hendum matrimonium, nec aliquod inter illos eſſet impedimentum dirimens.

Tribus modis tolli poteſt illa irregularitas.

Porro hæc irregularitas proveniens ex illegitimatione, auferri poteſt tribus modis. 1. Per legitimationem. 2. Per profeſſionem in religione approbata, nam illegitimus per profeſſionem fit habilis ad ordines, non tamen ad Prælaturam, ſive ſit monachus ſive monialis. 3. Tollitur per diſpenſationem, quam dare poteſt ſolus Pontifex ad majores ordines & ad beneficium curatum. Epiſcopus autem diſpenſare poteſt cum eo ad Minores Ordines & ad unum beneficium ſimplex non requirens Ordinem Sacrum.

Petes, an puer expoſitus cujus parentes ignorantur, ſit cenſendus illegitimus.

Expoſitii reputantur illegitimi.

Reſp. affir; eò quod in tali caſu conjecturæ ſint ita vehementes, ut ferè certò conſtet expoſitum eſſe illegitimum cum filii legitimi vix ſoleant exponi, tum etiam in obſcuris inſpici ſolet quod eſt veroſimilius, aut quod plerumque fieri ſolet.

Petes, quid dicendum de filio adulteræ, habito pro legitimo ſed tamen ex alio genito.

Filius nõ tenetur credere matri adulteræ dicenti eum eſſe illegitimum.

Reſp. eum qui natus eſt ex matre adultera, ex qua intelligit ſe eſſe illegitimum non teneri hoc credere ob ſolum teſtimonium matris id aſſerentis, niſi ſufficienter probetur tempore conceptionis non fuiſſe cognitam à viro ſuo: nam quamvis credat matrem ſuam eſſe adulteram, non tamen hoc ipſo convincitur ſe debere tenere pro illegitimo, quandoquidem etiam ex adultera matre poſſint oriri filii legitimi.

Qui defectus corporales inducant irregularitatem.

Petes, quinam defectus corporales inducant irregularitatem.

Reſp. omnes illi qui vel impediunt executionem ordinis, vel inducunt notabilem deformitatem aut horrorem: prout patet ex cap. ult. de corpore vitiat. & cap. 2. de Cler. ægrot. & meritò, nam æquitas naturalis dictat, eum ad ordines, vel ad eorum uſum non eſſe promovendum, qui nequit illos exercere, aut incutit horrorem adſtantibus.

Ex hoc capite irregulares ſunt leproſi, paralytici, phrænetici, epyleptici, furioſi.

Petes, an monſtroſi ſint irregulares.

Qui monſtroſi ſint irregulares.

Reſp. monſtroſos eſſe in quadruplici ſpecie: & primi quidem ſunt, qui habent plura membra ut v. g. duo capita, quatuor manus &c. & hi tales, ſunt notabiliter deformes neque computantur inter proles, quoad ſucceſ-

 ſionem,

Digitized by Google

ſionem, & ſunt irregulares. 2. qui licet debita membra habeant quoad numerum, tamen quoad ea eſt maxima diſproportio quo ad quantitatem. 3. propter exceſſum debitæ quantitatis, ut gigantes; vel ob defectum illius ut pigmæi. 4. propter exceſſum in aliqua parte corporis, ut gibboſi. Secundi generis irregulares ſunt, ſi talis diſproportio horrorem aut deformitatem inducat. Tertii generis & quarti tunc ſunt irregulares, quando eſt tam notabilis deformitas in illis, ut ludibrio & riſui viderentur futuri ſi ſacros Ordines ſuſciperent: quod judicio Epiſcoporum relinquitur diſcutiendum.

Defectus impediẽs ſuſceptionem ordinis non ſemper impedit ejus exercitium.

Petes, an eadem tenenda ſit in omnibus regula, tam Ordinum ſuſcipiendorum, quam miniſterii in ſuſceptis jam ordinibus

Reſp. neg. nam licet defectus qui reddit inhabilem ad uſum ordinum, reddat quoque inhabilem ad eos ſuſcipiendos, tamen ſi superveniat Ordinibus jam ſuſceptis, non ſemper reddit inhabilem ad uſum eorum: & ita amputatio pollicis vel indicis vel ſimilis alius defectus, licet reddat inhabilem ad ſuſcipiendum ſacerdotium, tamen, ſi ſacerdotio ſuſcepto ſuperveniat, non reddit inhabilem ad uſum ſacerdotii; niſi forte adſit notabilis deformitas; ut in Epyleptico ſæpius cadente & ſpumas ex ore emittente.

Porro hic bene notandum ſpectare ad Summum Pontificem diſpenſare in irregularitate proveniente ex defectu vel deformitate; ad Epiſcopum verò judicare de deformitate, an ſcilicet talis defectus vel deformitas inducat irregularitatem.

Petes, an defectus legitimæ ætatis de jure requiſitæ inducat irregularitatem.

Ordinatus ante legitimã ætatem eſt irregularis.

Reſp. affirm. idque quamdiu ille durat: unde qui ante legitimam ætatem ſuſcipit aliquem ordinem ſacrum ipſo facto eſt ſuſpenſus: ut patet ex Conſtit. Pii II. quæ incipit *cum ex Sacramento* & ſi actum Ordinis Sacri in ipſa ſuſceptione exerceat, incidit in novam irregularitatem à ſolo Papa diſpenſabilem.

Petes, an bigamia inducat irregularitatem.

Bigami ſunt irregulares.

Reſp. affirmativè; quod probatur ex Apoſtolo ad Timoth. 3. in Sacerdote aut Diacono deſiderante ut non ſit bigamus: ratio autem cur bigami cenſeantur irregulares eſt, non quod ſecundæ nuptiæ non ſint Sacramentũ, ut malè interpretantur hæretici, ſed quia carent Sacramenti ſignificatione, ſcilicet Chriſti cum Eccleſia, cujus perſonam Clerici debent

Digitized by Google

debent geſtare; & idcirco hæc irregularitas dici ſolet ex defectu Sacramenti, eò quod matrimonium conſummatum in nova lege ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem, teſte Apoſtolo ad Epheſ. 5. quæ ſignificatio eſt perfectior in matrimonio contracto cum una ſola, eàque Virgine, quandoquidem Filius Dei copulavit ſibi Eccleſiam unam, ſolam, eamque Virginem: in Matrimonio autem cum ſecunda uxore, vel vidua, vel corrupta, non ita apparet hæc perfecta ſignificatio.

Bigamia triplex. Porro triplex eſt bigamia inducens irregularitatem; ſcilicet vera, interpretativa, & ſimilitudinaria.

Vera vocatur dum quis duas uxores legitimas habuit, cum quibus matrimonium conſummavit.

Interpretativa eſt quando quis revera non contraxit cum duabus ſed ſecundùm juris interpretationem; quod contingit quando duxit viduam à viro cognitam.

Similitudinaria eſt dum quis poſt profeſſionem in religione approbata matrimonium contrahit & conſummat, vel poſt votum caſtitatis in Ordine Sacro, eodem modo nuptias celebrat & conſummat.

Petes, an vir incurrat bigamiam interpretativam qui ante matrimonium ſæpe eſt fornicatus cum una vel pluribus, & poſtea ducit uxorem Virginem.

Reſp. negativè, quia tale matrimonium non patitur defectum Sacramenti; eò quod bigamia ſe teneat ex parte mulieris à pluribus viris cognitæ: unde, ubi reperitur maritalis conjunctio viri cum unica, ab alio non carnaliter cognita, conſiſtit perfecta ſignificatio Sacramenti.

Petes, an Epiſcopus poſſit diſpenſare in bigamia.

Reſp. negativè, quia non poteſt diſpenſare in jure communi niſi quatenus conceditur illi à Sede Apoſtolica: & eapropter nequidem ad tonſuram vel beneficium ſimplex poteſt diſpenſare cum bigamo: prout colligitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 13. Summus Pontifex verò diſpenſat in omni bigamia: nec refert quòd ſit præceptum Apoſtoli dicentis, *oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*, adeoque videatur eſſe bigamia juris divini, quia Apoſtolus fecit hoc præceptum tamquam Epiſcopus particularis, non verò illud promulgavit tamquam latum à Deo: Pontifex autem poteſt diſpenſare in legibus latis ab Epiſcopis, prout quoque in legibus latis ab Apoſtolis tamquam Epiſcopis. *In bigamia non poteſt Epiſcopus diſpenſare.*

QUÆ-

QUÆSTIO VI.
De Indulgentiis.

PRiuſquam claves Eccleſiæ circa uſum indulgentiarum cum fructu explicemus. Præmittendum 1. eſt, tamquam certum fidei dogma, quòd aliter in baptiſmo, aliter verò in ſacramento pœnitentiæ detur peccatorum omnium remiſſio: etenim in Baptiſmo ita remittuntur peccata, ut ſimul etiam remittatur omnis pœna temporalis, adeo ut nulla in futuro ſæculo ſuper his reſtet perſolvenda: in ſacramento pœnitentiæ vero ſic remittuntur peccata, ut tamen plerumque non omnis pœna temporalis, peccatis remiſſis debita, condonetur: quod divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, prout innuit Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerunt, aliter verò qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati & accepto Spiritûs S. dono, ſcienter templum Dei violare & Spiritum S. contriſtare non formidârunt: & eapropter Can. 15. ejuſdem Seſſionis ita pronuntiat „Si „quis dixerit claves Eccleſiæ eſſe „datas tantùm ad ſolvendum & „non etiam ad ligandum: & fictionem eſſe quod virtute clavium ſublatâ pœnâ æternâ, pœna temporalis plerumque exſolvenda remaneat: anathema ſit.

Aliter in Baptiſmo & aliter in pœnitentia peccata remittuntur.

Quibus ſuppoſitis, ſit

DUBIUM I.
An in Eccleſia ſit poteſtas conferendi Indulgentias.

REſp. Affirm. quod eſt de fide, definitum in variis conciliis, ac imprimis in Concil. Conſtant. in quo ſeſſ. 8. damnatur Articulus Joannis Wiclefi qui primus apud Bohemos docuit, fatuum eſſe credere Indulgentiis Papæ & Epiſcoporum: quem errorem poſtea reſuſcitavit Martinus Lutherus hæreticorum omnium ſuperbiſſimus, damnatus hæreſeos à Leone X.

In Eccleſia eſt poteſtas concedendi indulgentias.

Probatur hoc ipſum ex Con. Trid. Seſſ. 25. Decreto de Indulgentiis, in quo ferit eos anathemate, qui Indulgentias aut inutiles eſſe aſſerunt vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. Quod eſt conforme ſcripturæ S. Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cœlis; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Item Matth. 16. *Quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in*

Digitized by Google

in cælis; cum enim hoc verbum, *ſolveris*, ſit generale, continet poteſtatem ſolvendi quælibet vincula nata impedire homines à conſecutione regni cælorum: cujuſmodi ſunt varia; v.g. culpæ, pœnæ, cenſuræ, legis, voti, juramenti: à quibus omnibus (quandoquidem Chriſtus ſolutionem non reſtringat ad determinatam ſpeciem) ſolvere poteſt Petrus, ejuſque ſucceſſores, quamvis hæc vincula non omnia eodem modo ſolvantur; nam culpa Sacramento ſolvitur; pœna temporalis, tam ſatisfactione in Sacramento Pœnitentiæ, quàm indulgentiis; cenſura autem, abſolutione judiciali; vincula verò legis, prout voti & juramenti, tolluntur diſpenſatione

II. Probatur ratione, quia in omni republica bene inſtituta, pertinet ad Magiſtratum vel Principem ſupremum diſpenſare bona communia; & non tantùm delicta punire, ſed etiam punitionem ex cauſa condonare; ergo quoque in Eccleſia, quæ eſt quædam divina reſpublica, eſt ſimilis poteſtas valde expediens ad populi pietatem exercendam, & religionis Chriſtianæ ſtudium augendum.

Dices, ſi verbum illud, *ſolveris*, Matth. 16. ſignificet poteſtatem ſolvendi quælibet vincula, prout dictum eſt, ergo & matrimonii conſummati.

Reſp. negando conſequentiam; eò quod, teſte Salvatore, vinculum illud ſit indiſſolubile.

DUBIUM II.

An indulgentiæ à primis Eccleſiæ temporibus uſque modò fuerint uſitatæ.

QUidam, etiam Catholicorum, arbitrati ſunt uſum indulgentiarum non extitiſſe ante quingentos aut ſexcentos annos: cujus rationem reddunt, quòd priorum temporum fideles zelo pœnitentiæ ducti, relaxationem pœnitentiarum detrectabant, adeoque parati pro pœnis temporalibus, peccatis remiſſis debitis, plenariè ſatisfacere: qui certè plurimùm falluntur, & hoc dicendo, præter intentionem ſuam multùm favent hæreticis: etenim ſi ſecundùm ipſos indulgentiæ ſpatio mille annorum & ampliùs in Eccleſia fuerint ignotæ & inuſitatæ, inferent hæretici nec illas poſtmodum debuiſſe credi, eò quod Eccleſia non poſſit pro libitu ſuo, quæ ante erant ignota, proponere tamquam credenda, ſed tantùm illa quæ vel ex Scriptura Sacra, vel Apoſtolica Traditione revelata ſunt.

Digitized by Google

Poteſtas conferendi Indulgentias eſt à Chriſto data Eccleſiæ.

Hoc itaque repudiato errore, firma ſtat determinatio Concil. Trid. ſeſſ. 25. decreto de Indulgentiis, quod poteſtas conferendi Indulgentias ſit à Chriſto Eccleſiæ conceſſa, eamque ejuſmodi poteſtate divinitùs ſibi traditâ antiquiſſimis etiam temporibus fuiſſe uſam: quamquam tamen verum ſit, quòd Indulgentiæ antiquitus fuerint rariores; eò quod fideles tunc eſſent ferventiores ad ſatisfaciendum pro peccatis ſuis per rigorem pœnitentiarum; quorum poſtea refrigeſcente charitate, præſertim poſtremis ſæculis, illæ multò largiùs ab Eccleſia ſunt conceſſæ, partim ut hoc modo conſuleretur ſaluti animarum languidarum, partim ad fidem Indulgentiarum magis aſſerendam, contra inſurgentes hæreticos.

Porro quòd Indulgentiæ à primis Eccleſiæ temporibus fuerint uſitatæ & ab Apoſtolis ipſis practicatæ.

Eccleſia illâ poteſtate etiã temporibus Apoſtolorum uſa fuit

Probatur 1. ex 2. ad Corinth. cap. 2. ubi ait Apoſtolus, *cui aliquid donaſtis, & ego; nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti, ut non circumveniamur à Sathana*: quo loco agit Apoſtolus de Indulgentia quam conceſſerat incæſtuoſo excommunicato; cum enim ille antea ſeriam pœnitentiam agere continuaſſet, à Corinthiis rogatus eſt Paulus, ut id quod ſupererat agendæ pœnitentiæ, illi condonaret, quæ condonatio non erat aliud quàm Indulgentia.

Et ille uſus ad noſtra tẽpora perſeveravit.

Poſt tempora Apoſtolorum autem uſus ille perpetuò peſeveravit in Eccleſia, ut patet ex vetuſtiſſimo Tertulliano ad Martyres c. 1. item ex Epiſt. S. Cypriani, ſignanter 11. 12. & 13. in quibus habetur, quòd peccatoribus ob gravia quædam perpetrata crimina, gravis quoque pœnitentia peragenda imponebatur; non tantùm ut Eccleſiæ ſatisfacerent, ſed etiam ut ipſi apud Deum ſua peccata debitâ ſatisfactione delerent: cum verò hæc pœnitentia multis quandoque annis deberet durare, illa nonnumquam pro parte vel pro toto remittebatur ab Epiſcopis, ob Martyrum & confeſſorum in carceribus detentorum interceſſionem; quæ condonatio pœnitentiæ, non erat aliud, quàm indulgentia.

Hujus quoque rei probatio deſumitur ex Conc. Nycæno 1. can, 13. & 14. in quo ſtatuitur, licere Epiſcopis, circa eos pœnitentes, qui converſationem ſuam bonam non ſolùm verbis, ſed & opere manifeſtant, aliquid humanius cogitare; quod non eſt aliud quàm de rigore pœnitentiæ.

Digitized by Google

tentiæ aliquid remittere, adeoque indulgentiam concedere.

Similia leguntur in Concil. Carthag. IV. cui S. Auguſt. interfuit: ſignanter can. 75. & 76.

Rarior tamen antiquitùs quàm modò.

Porro poſt tempora S. Auguſtini, S. Gregorius Magnus, prout teſtatur Guillielmus Altiſiodorenſis lib. 4. ſuæ ſummæ tract. 6. cap. 9. inſtituit Romæ ſtationes ad Sanctorum Baſilicas, pro conſequendis Indulgentiis; poſt quem uſus & nomen Indulgentiarum magis in Eccleſia cœpit fieri uſitatum, quàm ante.

Certè refert Baronius ad annum 847. in quodam marmore, quod exſtat Romæ in Eccleſia S. Martini, inſcriptum eſſe, quòd temporibus Sergii Papæ multa Sanctorum corpora in hanc Eccleſiam ſint tranſlata; quodque dictus Pontifex conceſſerit omni anno in feſtivitatibus eorum, Indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum, omnibus ad ea devotè venientibus.

Similiter teſtatur idem Baronius, Alexandrum III. circa annum Domini 1177. conſecraſſe Altare majus Eccleſiæ Ferrarienſis: & eo die, qui erat VIII. Idus Maii, omnibus pœnitentibus & confeſſis illud viſitantibus, conceſſiſſe unum annum de criminalibus; & ſeptimam partem venialium relaxaſſe.

Ita quoque Innocentius III. anno 1215. in Conc. Lateranenſi IV. ſtatuit, quia per indiſcretas & ſuperfluas Indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur; ſtatuit, inquam, ut in dedicatione alicujus Eccleſiæ, non extendatur indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive à pluribus Epiſcopis dedicetur: deinde ut in anniverſario dedicationis tempore, 40. dies de injunctis pœnitentis indulta remiſſio non excedat.

Sic etiam Urbanus IV. cum anno 1264. memoriam inſtitutionis SS. Sacramenti per orbem univerſum ſtatuiſſet, indulgentias plurimas conceſſit: prout habetur in Clementina de Reliquiis & veneratione Sanctorum; nimirum omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui matutinali Officio feſti ejuſdem in Eccleſia, in qua idem celebratur, interſuerint, centum: qui miſſæ, totidem: qui primis veſperis, totidem: qui ſecundis veſperis, totidem: illis verò qui primæ, tertiæ, ſextæ, & nonæ ac Completorii Officio interfuerint, pro qualibet horarum iſtarum 40. dies: illis verò qui per Octavas illius feſti Ma-

tutinalibus, veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum horarum officiis interſuerint, centum dies, ſingulis octavarum ipſarum diebus, de omnipotentis Dei miſericordia, de injunctis pœnitentiis relaxat.

Poſtmodum Bonifacius VIII. qui vixit anno Domini 1294. inſtituit pro quolibet centeſimo anno Jubilæum; quod Clemens VI. qui vixit anno 1342. revocavit ad annum quinquageſimum, & demum Sixtus IV. qui vixit ad annum Domini 1471. revocavit illud ad quemlibet annum vigeſimum quintum.

Profectò S. Franciſcus accepit ab Honorio III. qui vixit anno 1216. indulgentias publicandas pro Portiuncula quas ipſemet à Chriſto Domino impetraverat.

DUBIUM III.

An Indulgentiæ valeant tantùm pro remittendis pœnis quæ ſecundùm Canones pœnitentiales erant ſubeundæ an vero valeant etiam pro relaxandis pœnis purgatorii.

Indulgētia valent pro remiſſione pœnæ aliàs in purgatorio perſolvendæ.

DIco 1. fuit error cujuſdam Petri Oxonienſis quòd Papa non poſſit alicui indulgere pœnam purgatorii: quem damnavit Sixtus IV. Eundem errorem ante ipſum tenuerunt Joan. Wicclef, & poſtea Lutherus dicentes; per indulgentias tantùm relaxari pœnitentias quæ peccatori in hac vita injunguntur. Quod quàm ſit à Catholica veritate alienum.

Probatur I. ex poteſtate ipſa à Chriſto Eccleſiæ collata concedendi indulgentias Matth. 16. & 18. *Quidquid ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis*: Ex quo loco conſtat, ejuſmodi pœnas ſatisfactorias pro peccatis remiſſis taliter per indulgentias relaxari, ut ſint quoque remiſſæ in cælo, id eſt in judicio Dei.

II. Niſi per indulgentias remitteretur pœna in purgatorio, alioquin ſolvenda, graviter deciperentur fideles, qui per indulgentias, relaxatis tantummodo pœnis, quas pro peccatis ſecundùm Canones Pœnitent: hic cogerentur ſubire, earum loco cogerentur graviores ſubire in purgatorio; & tunc eſſet verum illud Lutheri dictum, *Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium.*

III. Epiſcopi & Martyres tempore S. Cypriani peſſimè conſuluiſſent pœnitentibus, remittendo illis pœnam quam ſecundùm Canones ſufferre debebant, ut interea gravioribus pœnis

Digitized by Google

nis affligerentur in purgatorio: cum tamen S. Cyprianus Epiſt: 14. apertè dicat eos qui libellos à Martyribus acceperunt, auxilio eorum adjuvari apud Dominum pro delictis ſuis poſſe.

IV. Conſuetudo modernæ Eccleſiæ Catholicæ id certiſſimè demonſtrat & manifeſtum facit; ſiquidem hodie per indulgentias nihil tollitur de pœna præſentis ſæculi, quia nihil per eas minuitur de pœnitentia à Confeſſario impoſita, quæ ordinariè eſt ſatis parva: ac eapropter ſi non valeant pro remittenda pœna purgatorii, erunt inanes & inutiles, ut calumniantur hæretici.

Dices ſi reatus pœnarum purgatorii tolli poſſit per indulgentias, enervabitur divina juſtitia, & irritæ fient quandoque pœnæ purgatorii.

Reſp. neg. conſeq. eſto enim per accidens contingere poſſit, quòd aliqui, minùs pii & minùs ſpirituales, omittant opera ſatisfactoria, ad per ſe divinæ juſtitiæ ſatisfaciendum pro pœnis purgatorii; alii tamen magis pii, dum indulgentias lucrantur, redduntur promptiores & alacriores ad opera pœnitentialia exequenda.

Dices, dantur alia remedia in Eccleſia pro remittendis pœnis purgatorii, prout ſunt ſacrificium miſſæ, extrema unctio, eucharistia, ſanctorum ſuffragia; ergo indulgentiæ ſunt ſuperfluæ.

Reſp. inde bene ſequi: indulgentias non eſſe neceſſarias, non tamen ſequi, quòd ſint inutiles aut ſuperfluæ: nam ut ait Conc. Trid. Seſſ. 25. ſunt populo maximè ſalutares, eò quod per illas exerceatur fides purgatorii; prout & valor Chriſti ſatisfactionum, per illas fidelibus applicatur.

DUBIUM IV.

Quotuplices ſint Indulgentiæ

Quamvis omnium indulgentiarum ſit unus ſpecie effectus, nimirum remiſſio pœnæ temporalis pro peccatis remiſſis apud Deum debitæ, tamen ex majoris vel minoris pænæ remiſſione, indulgentiæ dividuntur: interdum enim conceduntur aliquot dies, v. g. dum datur una quadragena, carena &c. aliquando unus aut plures anni; interdum datur indulgentia plena, plenior, & pleniſſima. Præterea dantur indulgentiæ aliquæ perpetuæ, aliquæ temporales; prout & aliquæ perſonales, & aliquæ reales.

Indulgentiæ ſunt variæ, pro varietate quantitatis pœnæ quæ per illas remittitur.

Petes, an quando per Bullas Pontificias conceduntur indulgentiæ 40. dierum, aut 50. 100. aut 1000. annorum, illorum verbo-

Google

rum ſenſus ſit, quòd quis per talem indulgentiam liberetur reſpectivè à pœna purgatorii quæ duraret 40. 50. 100. aut 1000. annis.

Per indulgentia 100. annorum non intelligitur concessa remiſſio pœnæ purgatorii duratura 100. annis.

Reſp. negativè, ratio eſt, quia dantur quandoque indulgentiæ 8000. annorum aut ampliùs, cum tamen non ſit veroſimile purgatorium tam diu duraturum: inſuper pœnæ purgatorii perſæpe non tam menſurantur diuturnitate temporis quàm pœnarum acerbitate: & hinc aliquæ animæ nonnumquam in purgatorio tam graviter puniuntur, ut indulgentia 100. annorum vix correſpondeat pœnis uno die in purgatorio luendis: & eapropter aliqui diu in purgatorio hærent, ſed cum leviori pœna, aliqui non tanto tempore ſed cum cruciatu maximo: non eſt autem veroſimile tot annos æqualiter remitti, ſive debeantur pœnæ graviores ſive leviores.

Et eapropter ſenſus illorum verborum eſt, quòd is qui conſequitur indulgentiam 40. 100. &c. annorum obtineat tantam remiſmiſſionem pœnarum in purgatorio, quantam obtinuiſſet ſi tanto tempore pœnitentiam ſecundùm Canones Pœnitentiales impoſitam perſolviſſet: & proinde numerus ille annorum ſignificat remiſſionem pœnarum quas ſecundùm Canones Pœnitentiales quis pro peccatis ſuis ſubire debebat; & præterea ſignificat remiſſionem tantæ pœnæ purgatorii, quanta per pœnitentiam tot annorum ſecundùm Canones impoſitam, premitteretur.

Porro quanta hæc ſit, ſoli Deo notum eſt.

Modus autem injungendi pœnitentias ſecundùm Canones Pænitentiales ut aliquouſque dignoſcatur, erat v. g. ille, nempe ut duplicaretur, triplicaretur vel quadruplicaretur pœnitentia ſecundùm duplicationem, triplicationem aut quadruplicationem ipſius delicti, ita nimirum ut ſecundùm multiplicationem delictorum hæc pænitentia creſceret in immenſum: ita v g. qui unum incæſtum commiſerat, debebat pœnitere annis ſeptem, qui duos commiſerat, annis quatuordecim; qui quatuor, annis viginti octo & ita conſequenter: ſimiliter qui unam ſimplicem fornicationem commiſerat debebat pœnitere annis 3. qui duas, annis 6. qui quatuor, annis 12. qui octo, annis 24. Porro unius anni pœnitentia ſecundùm Burchardum Wormacienſem Epiſcopum & Ivonem Carnutenſem, perſolvebatur duodecim triduanis, quodlibet verò triduanum in ſe com-

comprehendebat ter lectionem totius pſalterii, cum trecentis flagelli percuſſionibus poſt cujuſque pſalterii lectionem: & ſecundùm hunc modum, prout narrat S. Petrus Damiani, aliqui viri ſancti ſæpe pœnitentias centum, imo mille annorum pro peccatoribus in ſe ſuſcipiebant, quas frequenter paucis diebus abſolvebant: & ita particulariter narrat de S. Dominico loricato, quod pœnitentiam 10. annorum ſpatio ſex dierum perſæpe exequeretur, ſcilicet toties multiplicando lectionem pſalterii & repetendo flagella: quinimo memini, inquit idem Damianus, quòd in initio alicujus quadrageſimæ, quidam pœnitentiam mille annorum ſibi imponi poſtularit, quam totam, ante quadrageſimam elapſam, compleverat.

Qua pœna intelligatur remitti per indulgentiam 100. annorum.

Itaque ut hæc res bene capiatur, per indulgentiam tot vel tot annorum remittebatur pœna tot vel tot annis, ſecundùm Canones pro peccatis debita; & inſuper tanta pœna purgatorii quanta fuiſſet ſublata per pœnitentia tot annorum ſecundùm Canones executioni mandata.

Petes, quid ſignificet Carena, item quadragena.

Reſp. Carena eſt indulgentia qua remittuntur tot pœnæ purgatorii quot fuiſſent remiſſæ peragendo pœnitentiam quadraginta diebus cum ſeptem annis. Quadragena verò eſt indulgentia quâ remittitur pœna purgatorii correſpondens pœnitentiæ, quæ per quadrageſimam erat ſubeunda.

Petes, an quando datur indulgentia de injunctis, quales ordinariè ſunt indulgentiæ Epiſcoporum, pro quadraginta diebus, an tunc quoque per illas remittatur tanta pœna purgatorii, quanta remitteretur per pœnitentiam quadraginta dierum ſecundùm Canones ſubiri ſolitam.

Quem effectum habeat indulgẽtia de injunctis pœnitentiis.

Reſp. affirmativè, neque enim particula, *de injunctis*, tam eſt reſtrictiva quàm ampliativa, ut ſenſus ſit, *etiam de non injunctis*: quod ſaltem verum videtur ſpectatâ modernâ Eccleſiæ conſuetudine, quia alioqui indulgentiæ eſſent fruſtraneæ, & nullam ferè utilitatem haberent; & quod pœnitentiæ quæ modo peccatis injunguntur, ſint valdè exiguæ, imponanturque ſimul per modum medicinæ, quas proinde expedit implere.

Petes, quomodò inter ſe differant indulgentia perſonalis, realis, & localis.

Reſp. in eo quòd perſonalis directè concedatur perſonæ, ſine determi-

determinatione ad certam rem materialem; realis verò ſit affixa alicui rei materiali: ut v. g. alicui numiſmati aut roſario: localis verò ſpecialiter ſit affixa alicui loco.

Petes, quomodo differant indulgentia plena, plenior & pleniſſima.

In quo differat Indulgẽtia Plenaria à pleniore & pleniſſima.

Reſp. Bonifacius VIII. qui primus illis terminis uſus eſt, ita diſtinxit, ut plenam retulerit ad remiſſionem totius pœnitentiæ injunctæ à ſacerdote, pleniorem ad remiſſionem totius pœnitentiæ, quæ ſecundùm Canones injungi debuiſſet; pleniſſimam ad remiſſionem totius pœnitentiæ, quæ à divino judicio exigi poſſet: hoc tamen tempore volunt Doctores per quodlibet illorum membrorum deſignari Indulgentiam Plenariam & totalem: ita ſcilicet ut hæc membra, quo ad effectum ipſius indulgentiæ non differant, qui nec cenſent Plenariam Indulgentiam quoad effectum ipſius indulgentiæ differre à Jubilæo, ſed tantùm quoad cauſæ præſtantiam & quædam alia privilegia communiter in Jubilæo adjungi ſolita, qualia ſunt poteſtas commutandi vota, abſolvendi à reſervatis &c.

Item à Jubilæo.

Ubi nota jubilæi nomen deſumptum eſſe ab Hebræo vocabulo *Jubal*, & adhiberi ad ſignificandam plenariam remiſſionem ſicut in antiquo teſtamento in anno jubilæi remittebantur omnia debita, domus & agri alienati, priori Domino reſtituebantur.

Quo ſenſu intelligatur quandoque concedi Indulgentia Plenaria ſimul cũ partiali.

Petes, an poſſit dari Indulgentia Plenaria & inſuper adhuc quadraginta dies.

Reſp. affirmativè; ſaltem certo ſenſu, ita ſcilicet ut hæc referantur ad diverſa, ita ut ſenſus ſit, ultra indulgentiam plenariam, quam quis ſibi poteſt lucrari, poſſe inſuper lucrari 40. dies pro animabus in purgatorio: & hoc modo ſunt explicandæ aliquæ formulæ indulgentiarum.

Petes, an uno & eodem actu poſſit quis lucrari diverſas indulgentias, diverſis titulis conceſſas; ut ſi quis habeat diverſa numiſmata, & uni ſint annexæ indulgentiæ 40. dierum recitanti Pater & Ave, alteri verò ſint annexæ indulgentiæ 100. dierum ſimiliter recitanti Pater & & Ave, an lucrabitur utraſque indulgentias legendo unum Pater & Ave.

An quis eodem actu poſſit lucrari diverſas indulgentias.

Reſp. quæſtionem illam coincidere cum hac, quâ quæritur. An quis uno actu poſſit ſatisfacere diverſis obligationibus. Ad quam reſpondendum eſt ſtandum eſſe intentioni legiſlatoris: & conſequenter ſtandum intentioni

intentioni concedentis indulgentias, qui præſumitur pro qualibet indulgentia conſequenda exigere particulare opus; prout patet in ſimili, in eo cui à Confeſſario in diverſis confeſſionibus ſæpius idem opus pro pœnitentia eſt impoſitum, qui per illud opus ſemel præſtitum, non poteſt ſatisfacere multiplici obligationi ſibi à Confeſſario impoſitæ.

Petes, an ſaltem uno & eodem tempore non poſſit quis diverſis actibus plures indulgentias conſequi; ut v. g. an qui eodem tempore audit Miſſam & recitat Officium B. Virginis, non poſſit ſimul percipere indulgentias conceſſas audientibus miſſam & recitantibus Officium B. Virginis; quod eſt petere, an quis uno & eodem tempore poſſit ſatisfacere pluribus præceptis.

Poteſt quis lucrari ſimul plures indulgentias per diverſa opera.

Reſp. affirmativè; dummodo unus actus non impediat alium: nam ſicuti quis uno & eodem tempore poteſt audire miſſam & recitare officium divinum ad quod tenetur ratione Ordinis aut voti: ita poterit uno & eodem tempore conſequi plures indulgentias pluribus actibus correſpondentes; eò quod faciat omnia opera præſcripta ad plures indulgentias conſequendas.

Petes, an quis ſæpius eodem die poſſit conſequi indulgentias conceſſas viſitantibus Eccleſiam tali die à primis Veſperis uſque ad ſecundas.

Reſp. negativè, niſi aliud exprimatur; nam ideo præſcribitur breve tempus, ut oſtendatur eandem indulgentiam non poſſe ſæpiùs obtineri: ſecus, dicendum, quando indulgentiæ conceſſæ ſunt ſine temporis determinatione.

Petes, quomodo differat indulgentia perpetua & temporalis

Reſp. in eò quòd indulgentia perpetua, ſive detur perſonæ, ſive loco, ſive alteri rei, ita conceditur; ut tamdiu duret, quàmdiu durat res, locus, aut perſona, quibus illa eſt conceſſa, niſi à ſuperiore revocetur: temporalis verò vocatur illa, quæ tranſacto certo tempore finitur.

Petes, an indulgentia conceſſa alicui templo, illo diruto pereat.

An conceſſa indulgentia pro certa Eccleſia illâ dirutâ ceſſet.

Reſp. ſi templum illud denuo reſtauretur, retinebit eaſdem indulgentias, prout & alia ſua privilegia, quippe cum moraliter cenſeatur eadem Eccleſia: quod ſi verò non reædificetur, locus ille privabitur indulgentiâ; quippe quæ non ſimpliciter ipſi loco ſed Eccleſiæ ſit conceſſa: quod ſi verò deſtruatur Eccleſia & in alium locum transferatur ſub

 eodem

Digitized by Google

eodem patrono & titulo, transferuntur quoque indulgentiæ ſi conceſſæ ſint abſolutè & non reſpectivè ad ſitum loci.

DUBIUM V.

An ad concedendas Indulgentias, item ad lucrandas requiratur cauſa.

Ad valorem indulgentiarum ex parte concedentis requiritur rationabilis cauſa.

RESP. affirmativè; probatur I. ex Extravag. *unigenitus* de Pœnitent. & Remiſſ. in qua Clemens VI. docet Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ ſuæ theſaurum per ſuos in terris Vicarios ſalubriter diſpenſandum ex propriis & rationabilibus cauſis.

II. Quia Pontifex non eſt dominus, ſed ſolùm diſpenſator & adminiſtrator theſauri Eccleſiæ; qui proinde non pro libitu ſuo, ſed juxta rationabilem voluntatem Domini ſui, diſtribuere debet bona ſibi commiſſa.

III. Quia Pontifex concedendo indulgentias, diſpenſat in jure divino, relaxando pœnas alioquin jure divino debitas; ſed Pontifex nequit diſpenſare in jure divino ſine cauſa: prout patet in diſpenſatione juramentorum & votorum.

IV. Quia in conceſſione indulgentiarum Dominus Deus tamquam ſupremus Dominus, non tantùm cenſetur remittere pœnas ex eo quod Pontifex ex ejus commiſſione illas remittat, ſed etiam ſingulas remiſſiones approbare; ſed Deus nequit approbare indulgentias irrationabiles; ergo nec Pontifex illas poteſt concedere.

In quo ſita ſit juſtitia talis cauſa.

Petes, in quo conſiſtat juſtitia cauſæ ad valorem indulgentiarum requiſitæ.

Reſp. in duobus ſcilicet 1. in fine Deo grato quem ſibi præfigit concedens indulgentias, qualis eſt converſio infidelium, hæreſum extirpatio, Principum Chriſtianorum concordia, urgens Eccleſiæ neceſſitas; aut alius ſimilis finis, cujus aſſecutio ſit Deo futura gratior, quàm ſatisfactio propria quę per indulgentiam remittitur. 2. In opere aliquo bono apto ad finis conſecutionem.

Petes, an ſufficiat quælibet cauſa pia ad valorem indulgentiarum.

Debet eſſe proportionata valori indulgentiæ.

Reſp. negativè, ſed requiritur inſuper proportionata valori indulgentiarum, quâ cauſæ proportione deficiente, indulgentia quoque, quoad exceſſum, erit nulla; ita ut, ſicut indulgentiæ conceſſæ ſine cauſa non valent, ſic quoque indulgentiæ magnæ conceſſæ ſine magna cauſa non valeant, niſi pro proportione cauſæ.

Probatur hoc ipſum ratione, quia

quia non tantùm ille eſt infidelis diſpenſator, qui ſine cauſa profundit bona Domini ſui, ſed etiam qui pro minima cauſa profundit maximos theſauros Domini ſui; unde ſicut Dominus, cujus nomine famulus relaxat debitum, non habet ratam relaxationem ingentis debiti pro minima cauſa, eò quod prodiga illa effuſio non debat approbari, ita nec Deus ratas habet hujuſmodi indulgentias.

Dices, ob unam & eandem cauſam nonnumquam dantur indulgentiæ modò majores modò minores; ſed una & eadem cauſa nequit eſſe proportionata majori & minori indulgentiæ; ergo non requiritur proportio cauſæ.

Reſp. negando conſequentiam: neque enim proportio illa requiſita conſiſtit in indiviſibili, ſed habet gradus ſuos, ſicut pretia rerum: addo fieri poſſe quod una cauſa ſit uno tempore magis proportionata quàm alio, idque ob neceſſitatem: ita enim oratio, jejunium, aut eleëmoſyna majorem habent proportionem cum majori indulgentia, quando adeſt major neceſſitas Eccleſiæ.

Dices, dantur quandoque indulgentiæ plenariæ pro cauſa valde levi; uti dum Pontifex eas concedit adſtantibus ante fores Eccleſiæ S. Petri.

Reſp. negando aſſumptum: nam quamvis opus præceptum in ſe videatur leve, tamen ſpectatum in ordine ad finem Pontificis eſt magnum: neque enim magnitudo cauſæ venit ſpectanda ex ſolo opere, ſed potiſſimùm ex fine ad quem conducit: & eapropter, quamvis aſſiſtentia illa populi ad fores Eccleſiæ S. Petri videatur levis, attamen eſt gravis, quatenus eſt aptiſſimum medium ad proteſtandam fidem quam habet populus de capite Eccleſiæ: ita quoque eſto videatur leve legere roſarium benedictum, eſt tamen valde utile ad fidei Romanæ contra hæreticos profeſſionem. *Cauſa judicatur rationabilis non tam ratione operis quam finis.*

Dices, fundamentum indulgentiarum non eſt opus injunctum, ſed merita Chriſti & Sanctorum; ergo eſto nec opus injunctum, nec operis cauſa ſit proportionata, valebunt tamen indulgentiæ ob infinitum valorem meritorum Chriſti.

Reſp. & dico, eſto Chriſti & Sanctorum ſatisfactiones ſint cauſa principalis indulgentiarum, non tamen excluduntur aliæ cauſæ; eo modo quo, licet poteſtas ſummi Pontificis ſit cauſa diſpenſationis voti, non tamen ſequitur inde rationabilem aliquam cauſam non requiri ut diſpenſatio ſit valida.

Dices, commune Theologorum axioma eſt, quod indulgentiæ tantum valent quantum ſonant; ergo dum Pontifex dat indulgentias plenarias, omnes facientes opera requiſita, lucrantur plenarias.

Quomodo intelligendum quod indulgentia tantum valeant quantum ſonant.

Reſp. negando conſequentiam; & quod ad axioma attinet: dico illud debere intelligi, dummodo adſint omnia requiſita, inter quæ eſt proportio cauſæ; quæ, ſi non adſit, valebunt quidem indulgentiæ, non tamen quo ad exceſſum.

Dices, ergo Pontifex nos decipit dum dat indulgentias plenarias, & tamen illas plenarias non aſſequimur.

Reſp. negando conſequentiam; quia hoc intelligitur quantum eſt ex parte concedentis; idcirco enim diximus cauſam debere eſſe proportionatam, tam ex parte concedentis quàm ſuſcipientis indulgentias: neque enim putare oportet ad earum valorem ſufficere magnitudinem cauſæ ex parte concedentis, niſi ad eam proportionaliter quoque accedat qui vult illas lucrari: qui accedit per opus, cujus intuitu ei applicatur indulgentia: & eapropter prout plus vel minus per illud opus accedit ad illam cauſam, quatenus nimirum opus illud eſt plùs vel minùs aptum conſequi finem à Pontifice præſcriptum, eo plùs vel minùs participabit de indulgentia: & eapropter is qui plurima, eaque gravia peccata commiſit, niſi opus aliquod majus, aut majori fervore faciat opus præſcriptum, longè minùs eſt diſpoſitus ad conſequendas plenarias indulgentias, quam is qui unum vel alterum peccatum tantùm admiſit: & eapropter, inquit Adrianus, duorum qui opus faciunt, unus plus conſequitur de indulgentia, quàm alius; eò quod unus ad cauſam tanti beneficii majori quadam proportione accedat; quam alter & hinc collige eos qui plurima eaque gravia peccata admiſerunt, non ſtatim conſequi plenariam peccatorum remiſſionem per indulgentias plenarias, eſto faciant opera præſcripta, niſi majori devotione, contritione, aut ſatisfactione cauſam indulgentiarum ex parte ſua faciant magis proportionatam, qui tamen proportionaliter conſequuntur aliquid de indulgentiis plenariis; eò quod ſit mens Pontificis indulgentias concedentis, ut, ſi per tale opus, cum habitudine ad talem finem, non poſſint obtinere remiſſionem totius pœnæ, ſaltem obtineant illam quam poſſunt.

Ad effectum indulgentiarum non ſolū requiritur cauſa ex parte concedētis, ſed etiam ex parte accipientis.

Ex his collige, quòd, ſi duo præſtent idem opus ad lucrandas indul-

Duo idē opus præ-

Digitized by Google

ſtantes non ſemper æqualem indulgentiam cõſequuntur.

indulgentias plenarias, unus poſſit illas lucrari, alter verò non, eſto eodem fervore idem opus præſtent; eò quod unus poſſit habere debitum minoris pœnæ, adeoque indulgentia in ipſo habeat cauſam proportionatam ad talem pœnam remittendam; quæ tamen cauſa, etiam cum tali opere ſpectata, non erit proportionata remiſſioni majoris pœnæ, quam alter debet.

Secundo quoque colligi poteſt, quòd ſi duo debeant conſimilem pœnam fieri poſſit, quòd unus lucretur totius illius pœnæ remiſſionem per indulgentias, alius verò non; quia ſcilicet unus ex majori devotione opus exequitur quàm alius; quæ devotio plurimum confert ad cauſæ complementum & proportionem.

Petes, an ſaltem indulgentiæ non valeant tantum quantum ſonant, ſi cauſa prudenter putetur proportionata tantæ remiſſioni pœnarum, eſto à parte rei non ſit.

Reſp. negativè; eò quod remiſſio pœnæ ſit facienda per Deum, qui optimè poteſt noſſe proportionem cauſæ ad remiſſionem pœnæ; qui proinde in ſuo foro non liberabit à tanta pœna, niſi cauſa à parte rei inveniatur proportionata.

Denique nota hic, quod hoc tempore longè faciliùs poſſint concedi indulgentiæ majores, quam olim, dum poteſtas illas concedendi non impugnabatur ab hæreticis; eo quod tacita pontificiæ poteſtatis proteſtatio concedendi indulgentias, contra hæreticos illam impugnantes, plurimùm conducat ad gravitatem cauſæ.

DUBIUM VI.

Quid ſint indulgentiæ.

Quid indulgentiæ.

RESP. materialiter illas conſiderando, non ſunt aliud quam remiſſio pœnæ temporalis reſtantis ex peccato condonato.

Petes, quomodo fiat illa remiſſio, an ſcilicet per nudam abſolutionem, abſque interventu ſolutionis alicujus pretii.

Non ſunt puræ abſolutiones à pœnis.

Reſp. negativè; ſed per abſolutionem à pœna, interveniente ſolutione ex theſauro Eccleſiæ, ad juſtam pœnæ illius compenſationem.

Petes, quare nequeat conſiſtere in nuda abſolutione à pœna.

Sed etiã ſolutiones per applicationem theſauri Eccleſiæ.

Reſp. ſic ſenſiſſe Franciſcum Maironis, ſed perperam: quia ut patet ex Clement VI. in Extravag: *unigenitus* de Pœnit. & Remiſſ. „ unigenitus, inquit, Dei „ filius non guttam ſanguinis „ modicam (quæ tamen propter

„ unionem ad verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet) ſed copioſè, velut quoddam profluvium, noſcitur effudiſſe ; & ne ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit, volens ſuis theſauriſare filiis pius pater: quem theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per beatum Petrum cæli clavigerum, ejuſque ſucceſſores, ſuos in terris vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ.

Petes, an ſuppoſito hoc theſauro, poſſit dici conſiſtere indulgentia in nuda perſolutione pretii ex theſauro Eccleſiæ.

Conceſſio indulgētia eſt actus juriſdictionis. Reſp. negativè ; quia conceſſio indulgentiarum eſt actus poteſtatis clavium, non quidem ordinis, ſed juriſdictionis : & eapropter indulgentia conceſſa vivis non eſt valida niſi detur ſubditis : prout patet ex cap. *quod autem* de Pœnit. & Remiſſ. ubi Alexander III. apertè dicit, Epiſcopos non poſſe conferre indulgentias niſi ſuis ſubditis, quia nemo, niſi à ſuo judice, ligari vel abſolvi poteſt : & certè niſi juriſdictio eſſet neceſſaria, quilibet particularis diceretur concedere indulgētiam qui alteri applicaret ſuam ſatisfactionem : & eapropter hæ in litteris pontificiis paſſim vocantur abſolutiones. Quòd tamen intervenire debeat ſolutio ex theſauro Eccleſiæ, patet ex Extravaganti citata: ratio eſt, quia judex quatenus talis debet ſatiſfacere juſtitiæ ; ſed Prælatus Eccleſiaſticus eſt à Deo conſtitutus judex in concedendis indulgentiis ; ergo debet ſatisfacere juſtitiæ, & conſequenter nequit pro ſuo arbitrio pœnam temporalem remittere, ſine ulla compenſatione facta, ſed debet aliquid perſolvere ad æqualitatem.

Dices Pontifex poteſt ſibi concedere indulgentias quas aliis concedit, ſed non poteſt in ſe ipſum exercere actum juriſdictionis : ergo indulgentia non conſiſtit in actu jurisdictionis.

Reſp. negando conſequentiam, & dico duplicem eſſe actū jurisdictionis, unum ſcilicet juriſdictionis coactivæ ſive contentioſæ, alterum verò jurisdictionis voluntariæ ; hunc poteſt quis exercere in ſe ipſum, prout patet in diſpenſatione voti : hæc abſolutio eſt actus juriſdictionis voluntariæ, non verò contentioſæ, quæ inter pares jus diſtribuit.

Dices, indulgentiæ conceſſæ defunctis

defunctis non conſiſtunt in abſolutione, ſed in ſimplici ſolutione pro pœna.

Indulgētia quæ dantur pro defunctis dantur per modum ſolutionis non abſolutionis

Reſp. hoc eſſe verum, idque ideo quia defuncti non ſubduntur Pontifici, eò quod ipſe tantùm præſideat Eccleſiæ militanti in terris conſtitutæ, adeoque tantùm habeat ſubditos in terra: unde Pontifices concedentes indulgentias pro defunctis, dicunt ſe eas tantùm concedere per modum ſuffragii; ac proinde hæc objectio militat pro nobis, cum inde pateat indulgentias vivis applicatas eſſe actum abſolutionis judiciariæ.

Petes, quomodo indulgentiæ concedantur vivis per modum abſolutionis, quandoquidem per illas tollatur pœna debita apud Deum in purgatorio, in quam Eccleſia non habet poteſtatem, adeoque ex parte objecti videatur repugnantia, quò minùs indulgentia poſſit conferri per modum abſolutionis.

Reſp. quidquid ſit, Pontifices Romani, nominatim Leo X. contra Lutherum, clarè tradidere per poteſtatem clavium tolli omnia impedimenta & obſtacula impeditiva regni cælorum: quod & manifeſtum evadit ex Scripturis ante citatis Matth 16. & 18. *quidquid ſolveris ſuper teram* &c. adeoque dicendum Pontificem habere poteſtatem in pœnas purgatorii ſaltem indirectè.

Petes, quid ergo ſit indulgentia propriè & formaliter ſumpta.

Quid indulgentia formaliter.

Reſp. eſt abſolutio judiciaria à pœna temporali peccato remiſſo debita, facta à Prælato Eccleſiæ per applicationem ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum.

Petes, quinam Prælati Eccleſiæ habeant poteſtatem conferendi indulgentias.

Qui habeant poteſtatem conferendi indulgentias.

Reſp. & dico 1. hæc poteſtas reſidet primò in ſummo Pontifice: nam ille tanquam univerſalis Eccleſiæ rector conſtitutus eſt à Deo diſtributor illius theſauri, juxta illud Chriſti ad Petrum Joann. 21. *Paſce oves meas*, & Matth. 16. *quidquid ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis*: competit autem hoc Pontifici eo ipſo quo eſt legitimè electus, eſto necdum ordinatus, eò quod hæc poteſtas non ſit ordinis, ſed juriſdictionis.

Porro Archi-Epiſcopi & Epiſcopi Papâ inferiores habent etiam hanc poteſtatem jure ordinario, ratione nimirum officii vel dignitatis ſuæ, cui talis poteſtas, etſi non ſit neceſſaria, tamen eſt valde conveniens; & eapropter hanc aliis committere poſſunt, non tamen laicis, eò quod nequeant diſpenſare in jure

com-

Epiſcopi non poſſunt concedere indulgentias plenarias

communi. Hanc tamen poteſtatem Epiſcoporum conferendi indulgentias Innocentius III. in Concil. Lateranenſi reſtrinxit, ut nempe non poſſint, niſi in die dedicationis Eccleſiæ, unius anni indulgentiam conferre, aliàs verò non niſi 40. dies: ratio autem hujus reſtrictionis additur; quia alioqui per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiæ Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio evertitur.

Petes, an hæc poteſtas conferendi indulgentias conceſſa Epiſcopis, cenſeatur quoque conceſſa aliis Prælatis non Epiſcopis, habentibus tamen juriſdictionem Epiſcopalem in ſæculares.

Prælati inferiores non poſſunt indulgentias concedere.

Reſp. etiamſi hi quoque veniant nomine Epiſcoporum in his quæ ſunt juriſdictionis, ad quam pertinet conceſſio indulgentiarum; nihilominus tamen, quoad hoc punctum, praxim eſſe in contrarium.

Petes, an Archi-Epiſcopus ſolùm in ſua diœceſi poſſit conferre indulgentias.

Archi-Epiſcopus poteſt illas concedere pro tota ſua provincia.

Reſp. negativè, ſed etiam per totam provinciam: ut patet ex cap. *noſtro* de Pœnit. & Remiſſ.

Petes, an Religioſi exempti poſſint lucrari indulgentias Archi-Epiſcopales affixas imaginibus.

Reſp. affirmativè: quia exemptio conceſſa eſt in favorem exemptorum in oneroſis, non autem in favorabilibus; & eapropter in hac cauſa favorabili cenſentur à ſuperioribus ſubdi Epiſcopo, quemadmodum Epiſcopi cenſentur ſubjicere ſuos ſubditos volentes lucrari indulgentias ab alieno conceſſas: & eapropter externi quoque poſſunt lucrari indulgentias conceſſas ab Ordinario loci in alio Epiſcopatu.

Petes, an quando Prælatus alicujus Ordinis admittit aliquam perſonam ſæcularem in communionem bonorum operum ac meritorum totius religionis, hæc admiſſio habeat rationem indulgentiarum.

Prælatus ordinis admittens extraneum ad communionem ſpiritualiū operum ordinis, non confert indulgentias.

Reſp. negativè, eò quòd illæ quoad vivos ſint actus juriſdictionis, ipſi autem in ſæculares non habeant juriſdictionem: Inſuper quia per hujuſmodi admiſſionem non applicantur ipſis immediatè ſatisfactiones ſubditorum, eò quod opera bona cujuſque etiam Religioſi, antequam fiant, vel dum fiunt, ſubjaceant dominio ipſius Religioſi operantis; & eapropter hæc non debent cenſeri bona communia quæ à Prælato applicari poſſunt cui ipſe velit: neque enim Religioſi, ſicut ſubſtantiarum ſuarum,

Digitized by Google

rum, ita & liberorum actuum ſuorum deſinunt eſſe Domini per profeſſionem, ſed ſolùm per obedientiæ votum ita voluntatem ſuam ſuperioris imperio ſubjecerunt, ut contra illud nihil licitè agere poſſint.

Ex quo patet cur ante dictum ſit, *immediatè*, ſiquidem negandum non eſt, quin fructus ſatisfactionum, ejuſmodi in religionem adſcito, prodeſſe ſoleat mediatè, interveniente ſcilicet ipſorum Religioſorum generali vel ſpeciali applicatione.

DUBIUM VII.

Quæ conditiones requirantur ad lucrandas indulgentias.

Vt quis lucretur indulgentiam debet eſſe in ſtatu gratiæ.

RESP. ultra baptiſmum requiri ut ſuſcipiens ſit in ſtatu gratiæ pro tempore quo lucrabitur indulgentias: neque enim pœna apud Deum debita illi remittitur niſi ablatâ culpâ, adeoque niſi ſubjectum Deo exiſtat gratum: quinimo ultra ſtatum gratiæ requiritur ut ipſum peccatum ſit remiſſum ad hoc ut per indulgentiam tollatur pœna iſti peccato debita; & eapropter nemo, quantumvis in gratia conſtitutus, obtinet remiſſionem pœnæ peccati venialis cujus veniam necdum eſt conſecutus.

Ad lucrandam indulgentiam an ſit neceſſaria confeſſio.

Petes, an ſit neceſsè aliquem eſſe conſtitutum in ſtatu gratiæ per confeſſionem.

Reſp. negativè, niſi hoc in bulla particulariter exprimatur, ut ſi dicatur, *contritis & confeſſis*: quando tamen in bulla exprimitur confeſſio, illa neceſſitate medii non eſt prætermittenda, ſi quis ſit in peccato mortali; ſecus verò ſi quis ſit tantùm in veniali: nam niſi Pontifex aliter declaret, requirit confeſſionem ſolùm per modum diſpoſitionis, ad hoc ut homo ponatur in ſtatu gratiæ.

Petes, an omnia opera præſcripta debeant fieri in ſtatu gratiæ ut quis lucretur indulgentias.

An ad illam lucrandam neceſſe ſit omnia opera præſcripta fieri in ſtatu gratiæ.

Reſp. affirm. ſaltem ut illas lucretur plenè & completè: ratio eſt, quod is qui perficit opera præſcripta in ſtatu peccati mortalis, minus gratum Deo præſtet, obſequium, adeoq; non ſatis efficaciter operetur ad finem ab Eccleſia intentum, ut integram indulgentiam conſequi poſſit, eò quod cauſa integræ indulgentiæ conſequendæ non ſit proportionata. Addo, Chriſti ſatisfactiones non poſſe completè applicari ad remiſſionem pœnarum per opera mortua: quia tamen preces & jejunia facta in ſtatu peccati mortalis valere poſſunt de

congruo ad avertendam Dei iram prout patet in Ninivitis, valent quoque ad diſponendum populum ad vitæ emendationem; quales fines Pontifex in conceſſione indulgentiarum ſolet intendere: hinc, addo quòd ſi quis aliqua opera præſcripta compleat in ſtatu peccati mortalis, ultimum tamen, in quo indulgentiam obtinet, perficiat in ſtatu gratiæ, quod aliquam partem indulgentiæ proportionatam cauſæ ſuæ conſequetur.

Petes, an ergo neceſsè ſit ut omnia opera præſcripta phyſicè ponantur ab eo qui vult indulgentias lucrari.

Reſp. negativè, ſed ſufficere ut ponantur moraliter: & eapropter ſi præſcribatur eleëmoſyna, Dominus eam per famulum diſtribuens merebitur indulgentiam: ſimiliter ſi quis ponat opus præſcriptum exceptâ parvulâ parte quæ moraliter vix æſtimatur, ut ſi præſcripta ſit auditio miſſæ, & parvula illius particula omittatur, cenſebitur tamen miſſa moraliter poni.

Petes, an ſufficiat ponere opus præſcriptum ſecundùm ſubſtantiam bonum, ſed vitiatum pravo fine veniali.

Opera præſcripta debent fieri ex bono fine.

Reſp. negativè, eò quod opus præſcriptum debeat ſupplere juſtitiam cauſæ finalis, & cauſam ex parte indulgentias ſuſcipientis reddere proportionatam; quod non poteſt facere opus ex fine vitiatum, quantumvis ex ſubſtantia bonum.

Petes, an omnia opera debeant fieri tempore à Pontifice præſcripto.

Et eo tĕpore quod præſcriptum eſt à concedente indulgentias.

Reſp. affirmativè; & eapropter ſi requiratur confeſſio inſtituenda certo tempore, non ſufficit illam ante vel poſt inſtituere. Quod tamen ad ordinem operum attinet, niſi aliter exprimatur, raròille in bullis videtur eſſe ſubſtantialis, & idcirco quando in jubilæis duæ ſeptimanæ præſcribuntur, videtur aliquod opus poni poſſe priori & aliud poſteriori hebdomada; quamvis tamen jejunia videantur debere impleri intra eandem hebdomadam, utpote cum hoc faciat ad majorem carnis mortificationem.

Petes, an quando in bulla dicitur opera præſcripta poſſe commutari à Confeſſario, id ſit intelligendum reſpectu omnium indifferenter.

Reſp. negativè, ſed ſolùm reſpectu illorum qui juſta ex cauſa impediuntur.

Poteſt ex rationabili cauſa commutari opus præſcri-

Petes, an illa commutatio operum dum fit, ſubeſtque juſtum impedimentum, debeat neceſſariò fieri in confeſſione vel per ipſum Confeſſarium.

Reſp.

…tum. à Sacerdo-te

Reſp. negativè, & dico fieri poſſe per quemlibet ſacerdotem idoneum: quod ita declaraſſe Gregòrium XIII. aſſerit Henriquez lib. 7. cap. 10.

DUBIUM VIII.

An Indulgentiæ proſint defunctis.

Poteſt Pontifex defunctis indulgentias applicare.

DIco 1. certum eſt quod ſummus Pontifex animabus in purgatorio detentis poſſit dare indulgentias; nam cum quilibet homo privatus ſatisfactioctiones ſuas defunctis applicare poſſit, atteſtante Script. Mach. 2. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare ut à peccatis ſolvantur*, cur ſummus Pontifex tamquam diſtributor theſauri Eccleſiaſtici non poterit ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum illis applicare cum ſint membra Eccleſiæ.

Petes, an indulgentia defunctis conceſſa certò & infallibiliter illis proſit.

Illa non applicantur defunctis infallibiliter ſed per modum ſuffragii.

Reſp. negativè, ſed ſolùm per modum impetrationis & ſuffragii ſecundùm liberalem Dei voluntatem id acceptantis: & ratio eſt; quia judex ſupremus non tenetur commutationem pœnæ ſibi debitæ admittere, niſi aliqua promiſſione ſeſe ad hoc obligarit, quod Chriſtus non fecit; nam promiſſio illa Matth. 16. *quidquid ſolveris ſuper terram* &c. ad vivos tantùm refertur, eò quod his verbis ſit Petro ejuſque ſucceſſoribus tradita poteſtas judiciaria, qualis non eſt data ipſi in defunctos.

Hoc ipſum probatur ex communi ſenſu fidelium qui acceptâ unâ indulgentia plenariâ pro defuncto, aliam de novo ſolent accipere, & celebrata unâ miſsâ in Altari Privileg. aliàs plures in eodem altari pro eodem defuncto curant celebrari, ipſo facto ſignificantes indulgentiam, eſto juſtæ cauſæ ſubnixam, non habere effectum infallibilem: eò quod fieri poſſit quod Deus priorem indulgentiam non acceptaverit pro illo defuncto: ſicuti enim Princeps aliquis qui ex vinculis alterius Principis vult reum liberare, eſto offerat condignam ſatisfactionem, liberum tamen manet alteri compenſationem ab alio oblatam acceptare vel non acceptare: ita quoque quamvis Pontifex cupiat aliquam animam defuncti per indulgentiam, tamquam per compenſationem æqualem liberare, tamen ſupremo Principi Deo liberum eſt illam compenſationem acceptare.

Per indulgẽtias

Et ex his non improbabiliter infert Henriques lib 7. cap. 8.

maximè juvantur illæ animæ quæ in vita hoc meruerunt.

Deum longe facilius acceptare indulgentias oblatas pro animabus illorum fidelium qui pro peccatis ſuis ipſimet ſatisfacere in vita, & indulgentias ſtudioſè lucrare fuerint conati, & pro defunctis ſedulo & diligenter oraverint.

Petes, quænam ſit differentia inter eum qui deſiderat lucrari indulgentiam pro vivis & eum qui deſiderat lucrari pro defunctis.

Ut quis lucretur indulgentiam pro defunctus non eſt neceſſe ut ſit in ſtatu gratiæ.

Reſp. hæc, quod qui indulgentiam lucrari deſiderat pro vivis, debeat eſſe in ſtatu gratiæ dum eam conſequitur; qui verò pro defunctis illam conſequi deſiderat per exhibitionem alicujus operis, non debeat neceſſariò eſſe in ſtatu gratiæ: quamvis enim exiſtens in mortali nequeat ſatisfacere pro ſe vel pro alio, poteſt tamen indulgentiam lucrari pro defunctis, ſi faciat opus præſcriptum ad obtinendum indulgentiam pro defunctis: neque enim tunc ipſe dicitur ſatisfacere, ſed ponere conditionem ſolam, quâ poſitâ, Pontifex applicat defuncto ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum.

Petes, in quo differat indulgentia data à Pontifice per modum abſolutionis, ab ea quæ datur per modum ſuffragii.

Conceſſio

Reſp. in eò quod in prima remittatur ab eo pœna tamquam à judice locum Dei tenente; in ſecunda verò non remittatur pœna, ſed ſolum offeratur Deo pretium ſufficiens ut Deus illam remittat.

Indulg. pro defunctis eſt actus clavium.

Petes, an utraque indulgentia ſit actus juriſdictionis clavium.

Reſp. affirmativè; nam quamvis indulgentia pro defunctis non ſit actus juriſdictionis in ſubditos, prout eſt indulgentia conceſſa pro vivis, eſt tamen actus juriſdictionis ad bona communia, id eſt theſaurum Eccleſiæ diſpenſandum.

QUÆSTIO VI.

De Purgatorio.

DUBIUM I.

An poſt hanc vitam detur Purgatorium.

Hæretici qui purgatorium negaverunt.

DAri purgatorium poſt hanc vitam negarunt varii tam antiqui quã hujus temporis Hæretici: & primus teſte S. Epiphanio Hæreſi 75. videtur fuiſſe Aërius, qui docuit non eſſe orandum pro defunctis: hunc ſecuti ſunt Apoſtolici apud S. Bernardum ſerm. 66. in Cant. & Waldenſes, & deinde Albigenſes apud S. An-

S. Antoninum. Denique noſtro tempore purgatorium omnino negarunt Lutherus & Calvinus, prout & omnes ipſorum aſſeclæ.

De fide eſt dari Purgatorium.

Contra quos omnes certâ fide tenendum eſt eſſe purgatorium, ſeu locum aliquem in quo animæ juſtorum, quæ in hac vita non fuerunt plenè à peccatis expurgatæ, expiantur: quod eſt de fide definitum in Concil. Florent. de Purgatorio, item in Trid. ſeſſ. 6. can. 30.

Probatur ex Scripturis.

Probatur 1. quia Judas Machabæus 2. Machab. cap. 12. pro peccatis eorum qui in bello occubuerant juſſit *Offerri Sacrificium, juſtè & religiosè de reſurrectione cogitans*: & additur, *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*: ex quo loco, cum variæ fidei veritates eluceſcant, ut ſunt immortalitas animę reſurrectio mortuorum, & quod animæ defunctorum precibus vivorum juvari poſſint: tamen particulatiter oſtenditur veritas purgatorii; nam quamvis ipſum purgatorii nomen non ponatur, tamen Scriptura ita loquitur ut nomen ſignificatā declaret; ſupponit quidem animas ex hac vita poſſe decedere non plenè purgatas, & puniri donec vel perfectè pro peccatis remiſſis ſint expurgatæ, vel auxilio vivorum ſit illis ſubventum; adeoque partim declarat, partim ſupponit eſſe locum, ſeu purgatorium in quo tales animæ puniantur.

Dices, cum hæreticis, hunc librum Machabæorum non eſſe Canonicum.

Reſp. id eſſe falſum: prout patet ex S. Auguſt. lib. 18. de Civitate Dei cap. 36. in quo ait, „Machabæorum libros, non „judæi ſed Eccleſia pro canonicis habet: „idem docent alii Patres prout videre eſt apud Bellarminum lib. 1. de Purgatorio cap. 3.

Dices S. Auguſtinus lib. 2. contra Gaudentium cap. 23. ait ſcripturam Machabeorum receptam ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobriè legatur: quâ loquendi formâ inſinuat quidem librum illum eſſe utilem, non tamen habere infallibilem auctoritatem.

Reſp. negando, confirmationem: nam ſic quoque Cantica Canticorum ſunt ſobriè legenda, prout & alia multa in ſcriptura, quæ tamen propterea non deſinunt eſſe canonica: & eapropter per verba illa non vult S. Auguſtinus detrahere auctoritati illius libri, quaſi contineret aliquem errorem, cum bis terve ibidem Scripturam illam appellet Sanctam; ſed hoc dicit propter exemplum Raziæ cap. 14. qui ſeipſum

 ſum

ſum occidit, quod exemplum monet non eſſe imitandum, quo tamen errorem ſuum confirmabant Donatiſtæ.

Dices, eodem libro dicitur ſuperfluum fore & vanum orare pro mortuis ſi ipſi non reſurgant; quod tamen falſum eſt; nam, eſto anima numquam reverteretur ad corpus, poſſet tamen pati pœnas, & per conſequens utiliter juvari.

Reſp. in Scriptura, illa paſſim haberi pro eiſdem, non eſſe reſurrectionem mortuorum, & animam eſſe mortalem: prout patet 1. Cor. 15. ubi Apoſtolus probat nec ſupereſſe pœnas nec præmia, ſed animas una cum corpore interire, ſi non detur reſurrectio mortuorum: & hoc meritò, nam ſi anima eſt immortalis, non poteſt perpetuo carere ſuo corpore cujus naturaliter eſt forma: quibus ſuppoſitis bene ſequitur, ſuperfluum eſſe orare pro mortuis ſi illi non reſurgant, hoc eſt ſi corpore & animâ intereant.

II. Prob. hæc veritas Math. 12 ubi Dominus ait eſſe quoddam peccatum quod neque in hoc ſęculo neque in futuro remittitur; ſuper quo S. Aug. lib. 21 de Civit. Dei cap. 24 ait, „quod non „veraciter diceretur, niſi eſſent „quibus, etſi non in iſto, tamen „remitteretur in futuro ſæculo.

III. Probatur 1. ad Cor. 3. ubi ait eos qui ſuper hoc fundamentum, ſcilicet ſuper fidem Chriſti, ædificant lignum, fænum, ſtipulas, ſalvos quidem fore, ſic tamen quaſi per ignem. Ex quo loco frequenter Patres & Concil. Flor. probant dari purgatorium.

IV. Probatur ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine quæ ſemper conſuevit orare pro defunctis prout patet ex omnibus, quę umquam extiterunt, liturgiis, Jacobi Clementis, Baſilii, Chryſoſtomi, Ambroſii, Æthiopum.

V. Idem probatur ex Conc. Lateran. 4. ſub Innocentio III. in quo approbantur exequiæ pro defunctis & Trid. ſeſſ. 6. can. 30.

VI. Probatur ex Patribus & I. quidem ex S. Dionyſio parte 3. Hirarch. cap. 7. in quo ſic loquitur „divinus Antiſtes ipſi „mortuo ſancte precatur, pre„cibus à divina benignitate con„tendit, ut & omnia peccata „quæ humanâ fragilitate admiſſa ſunt, ei qui exceſſit è vita, remittat„ & poſtmodum ait ſe à divinis præceptoribus, id eſt Apoſtolis, tradita accepiſſe ea, quæ de precatione quâ Antiſtes, ſuper eo qui mortuus eſt, utitur. *Orandũ pro defunctis certũ eſt ex traditione Eccleſiæ.*

VII. Ex S. Cyrillo Hieroſolimitano Cathec. 5. „pro omni„bus oramus, inquit, qui inter nos *Probatur Purgatorium ex PP.*

„nos vita functi ſunt, maxi-„mum credentes eſſe animarum „juvamen, pro quibus offertur „obſecratio ſancti illius & tre-„mendi, quod in altari poſitum „eſt, ſacrificii.

Porro hoc traditum eſſe ab Apoſtolis S. Chryſoſtomus diſertis verbis aſſerit homil. 69. ad pop. Antioch.

VIII. Eandem veritatem pluribus locis aſſerit S. Auguſt. ſignanter l. 20. de Civ. Dei cap. 25. & lib. 21. cap. 3. & 24. & lib. 50. homiliarum, in 16. ſic ait, „qui temporalibus pœnis „digna geſſerunt, per ignem „quemdam purgatorium tran-„ſibunt, de quo Apoſtolus, *ſal-„vus erit ſic tamen quaſi per ignem*:„ Et eapropter Enchir. cap. 69. dum ait, quæri poſſe an poſt hanc vitam animæ torqueantur igne purgatorio, non vult eſſe dubium de pœna animarum, ſed de modo & qualitate.

IX. S. Gregorius Magnus lib. 4. Dial. cap. 39. & 40. hoc ipſum ex profeſſo confirmat.

X. Idem teſtatur S. Gregorius Nyſſenus dum in quadam oratione ait, non eſſe dolendum de obitu illorum qui in fide dormierunt, „non poterit „tamen, inquit, Spiritus à cor-„pore digreſſus divinitatis par-„ticeps fieri, niſi maculas animi „purgatorius ignis abſtulerit.

XI. Ex variis animarum apparitionibus apud Bedam Hiſtor. Anglorum lib. 3. cap. 19. aliiſque fide dignis hiſtoricis.

Probatur ratione.

XII. Probatur ratione: quia certum eſt, culpâ remiſsâ, ſæpè reſtare debitum pœnæ temporalis: item certum eſt eſſe quædam peccata venialia ob quæ homo non damnantur igne infernali: fieri autem poteſt quod quis cum tali debito pœnæ, vel cum peccato veniali moriatur; ergo neceſsè eſt ut talis poſt hanc vitam purgetur & puniatur; non poteſt autem æternaliter puniri, cum ſit in charitate, nec tamen inexpiatus poteſt cælum ingredi; neque poſſunt hujuſmodi homines dici morte puniri, quia hæc pœna communis eſt tam bonis quam malis, tum quia in ipſa morte poſſunt accedere multi inordinati affectus, qui per mortem tolli non poſſunt; ergo.

Objicies Eccl. 11. dicitur, *ſi ceciderit lignum ad auſtrum, ſive ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*; ergo non ſunt niſi duo loca poſt mortem, ſcilicet auſtri & aquilonis, hoc eſt cæli & inferni.

Reſpondetur ad objectiones contra purgatorium.

Reſp. neg. conſequentiam: neque enim hic locus plus eſt contra purgatorium, quam contra limbum Patrum: unde ſicut illi pertinebant ad auſtrum id eſt

ad cælum, ita illi qui ſunt in purgatorio. Scriptura hic duos ſtatus hominum morientium ſignificat, unum ſcilicet ſalutis, qui per auſtrum ſignificatur, alterum damnationis, qui per aquilonem; quotquot autem moriuntur in gratia, eſto tranſeant ad purgatorium, cadunt ad ſtatum ſalutis, à quo numquam excident, ſicut illi, qui moriuntur in ſtatu damnationis, in eo æternaliter permanebunt.

Dices S. Auguſt. lib. 5. Hypognoſticon ait eſſe ſolùm duo loca ſcilicet regnum cælorum, & gehennam, tertium autem penitus ab Eccleſia ignorari

Reſp. authorem illum, quiſquis ſit, loqui de locis æternis & ſtabilibus & perpetuis contra Pelagianos qui exiſtimabant eſſe tria hujuſmodi loca, ſcilicet cælum, infernum, & locum in quo infantes non baptizati collocabuntur.

Dices, Chriſtus in extremo judicio duos ſolùm ordines ponit, & duo loca, dum ait, *Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum*: & rurſum, *diſcedite à me maledicti in ignem æternum*.

Reſp. id eſſe verum, ſed Chriſtus ibi loquitur de extremo judicio, poſt quod non amplius durabit purgatorium, ſed omnes juſti tunc recipientur in cælum.

Dices 2. Cor. 5. ait Apoſtolus, *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti ut referat unuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo ſive bonum ſive malum*; ſed ſi eſſet purgatorium, & animæ juvantur aliorum precibus, non referret unuſquiſque prout geſſit.

Reſp. neg. ſubſumptum: nam & illi, qui juvantur aliorum precibus, hoc ipſum referunt prout geſſerunt in corpore, eo ipſo quo, dum in corpore exſtiterunt, reddiderunt ſe dignos tali auxilio: prout quoque Sancti in cælo, in hac vita meruerunt ut orationes ſuæ, quas poſt hanc vitam in cælo funderent, exaudirentur.

Dices Sap. 4. habetur *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, ergo non in igne.

Reſp. negando conſequentiam: nam dicitur eſſe in refrigerio, quia non ampliùs patitur aliquid ex tentationibus hujus ſæculi: quia verò non omnis juſtus eſt poſt mortem in pleno refrigerio, utpote ſentiens ardorem Purgatorii, idcirco in canone Miſſæ adhuc pro illo petitur locus refrigerii

Dices 1. Cor. 5. dicitur *ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur habemus domum non manufactam in cælis*: item Apocal. 14. dicitur *Beati mortui qui in Domino moriuntur à modo jam dicit Spritius*

tus, ut requieſcant à laboribus ſuis.

Reſp. ex primo non ſequi juſtos ſtatim ire ad cælum, ſed tempore ſuo; poſtquam debitè fuerint purgati.

Ad ſecundum, requieſcunt quidem juſti omnes à laboribus quos hic pertulerunt, pugnando contra mundum, carnem, & diabolum, à quibus requiem eis precatur Eccleſia, ſed non à pænis.

Dices Eccl. 9. habetur *Quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia apud inferos, quò tu properas* ergo nullum poſt mortem ſupereſt remedium, & per conſequens nec purgatorium,

Reſp. neg. conſequentiam: ait enim nullum poſt mortem ſupereſſe ſalutis remedium, illis qui hinc diſcedunt extra ſtatum gratiæ.

DUBIUM II

Vbi ſit Purgatorium.

CAlvinus lib. 3. inſtit. cap. ult. ait eſſe aniles fabulas quæ dicuntur de locis animarum; qui proinde non tantum negat purgatorium, ſed etiam omnem locum ſubterraneum animatum: & addit Patres, qui fuerunt in limbo, non fuiſſe ſub terra, ſed in cælo; & ſolum caruiſſe viſione divina: infernum quoque ait non eſſe ſub terra, ſed ubique; & pænas inferni ait non eſſe aliud quam terrorem & anxietatem, quâ animæ afficiuntur dum cogitant Deum ſibi iratum. Contrà quem hæreſiarcham.

Infer in damnatorum & locus ſub terraneus.

I. Fide tenendum eſt, infernum ſeu locum damnatorum eſſe ſubterraneum: quod probatur ex Scriptura S. Deut. 23. ubi dicitur, *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo & ardebit uſque ad inferni noviſsima.* Item Job 21. *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*: Item ex nominibus quibus locus ille infernalis appellatur in Scriptura S. ſcilicet abyſſus, puteus abyſſi, ſtagnum ignis & ſulphuris, lacus, profundum laci, &c.

Vti & erat limbus patrum.

2. Fide tenendum eſt limbum Patrum eſſe locum ſubterraneum: quod probatur 1. ex Symbolo Apoſtolorum, in quo dicitur Chriſtus deſcendiſſe ad inferos: & ad Epheſios 4. ubi dicitur deſcendiſſe ad inferiores partes terræ

Similiter & locus purgatorii.

Porrò locus Purgatorii ſimiliter eſt ſub terra: quod, etſi non ſit fidei, eſt tamen fidei proximum; nam, præterquam quod hoc habeat communis ſententia Theologorum, eſt quoque communis ſenſus totius Eccleſiæ, quæ in Miſſa Defunctorum ſic orat „Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de „ pœnis inferni; & de profundo

 lacu

Digitized by Google

lacu: nec deeſt ratio; cum enim animæ illæ patiantur ſimilem pœnam quam patiuntur damnati, ſcilicet damni & ſensûs, cum ſola differentia quoad perpetuitatem, congruum videtur ut eodem loco & ab eodem igne patiuntur.

Quandoq. Deo permittente animæ è purgatorio egrediuntur. Imo ex illis veriſimile eſt aliquas ad vitam fuiſſe revocatas.

Petes, an animæ illæ poſſint per ſe egredi ex purgatorio ante debitam expurgationem.

Reſp. neg: nam ſunt ibi juſſu Dei tamquam in carcere; quæ quandoque tamen ex Dei permiſſione egrediuntur, ut vivorum ſuffragia implorent: ut conſtat ex pluribus exemplis; aliquando quoque ſunt aliquæ animæ ex purgatorio revocatæ ad vitam; cum enim tam Chriſtus, quam Sancti plurimos fideles reſuſcitaverint, credibile eſt multas animas ex illis fuiſſe in purgatorio, & per omnem vitam fuiſſe confirmatas in gratia, ut à ſalute excidere ampliùs non poſſent, quia alioquin maximo ſuo incommodo fuiſſent reſuſcitatæ, utpote certæ de ſuo ſalute in Purgatorio, quam certitudinem per revocationem ad corpus amiſiſſent.

Ex inferno autem ſine Dei diſpenſatione nemo umquam egreditur: quod ſi tamen quandoque Dei diſpenſatione permiſſum fuerit, id factum eſt, ut hominibus ad terrorem & vitæ emendationem obtingeret.

Petes, an animæ Sanctæ poſſint egredi è cælo,

Reſp. Affirmativè: quod expreſſè docet S. Hieronymus dialogo contra Vigilantium „ ſi agnus, inquit, ubique; ergo & hi „qui cum agno ſunt: & cum „ Dæmones toto vagentur orbe „ Martyres poſt effuſionem ſui „ ſanguinis arcâ operientur „ incluſi, & inde exire non poterunt?

Petes, quæ ſint conditiones animarum in purgatorio detentarum.

Reſp. Supponendum 1. nullam animam in purgatorio expurgari niſi in charitate hinc diſceſſerit, obſtricta tamen adhuc aliquâ culpâ veniali, vel ſaltem aliquo reatu pœnæ.

Animæ in purgatorio exiſtentes non poſſunt à charitate excidere.

Petes, an animæ in purgatorio detentæ non poſſint à charitate excidere.

Reſp. non: eſto enim ab intrinſeco nondum ſint impeccabiles, eò quod Deum necdum clarè videant; ſunt tamen ab extrinſeco tales, Deo illas particulariter protegente & dirigente: ſicuti D. Virgo, eſto ab intrinſeco fuerit peccabilis, ità tamen à Deo fuit cuſtodita & protecta ut nullum vel minimum umquam peccatum veniale admiſerit: & hanc quidem cuſtodiam debet

Deus

Deus de congruo animabus in purgatorio detentis, eò quod receperint jam ſententiam ſuam, & quidem immutabilem; quæ proindè ità debent dirigi ut numquam committant aliquid, per quod à gratia Dei excidant.

Et ſunt certæ de ſua ſalute

Petes, an ergò ſint certæ de ſua ſalute.

Reſp. Affirmativè: ſiquidem ſciunt ſe eſſe in purgatorio, qui eſt locus ſalvandorum, adeoque ſciunt neminem in purgatorio detentum aliquando damnandum.

Quo ſenſu Eccleſia ait ut Deus eas liberet à pœnis inferni.

Dices, Eccleſia in officio defunctorum ſic orat „ libera Domine animas omnium fidelium „ defunctorum de pœnis inferni „ & de profundo lacu, libera „ eas de ore Leonis, ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in „ obſcurum, „ &c. ergo ſignum eſt quod ſint incertæ de ſua ſalute

Reſp. negando conſequentiam; neque enim quod Eccleſia ſic oret, oritur ex incertitudine ſalutis iſtarum animarum, ſed quia repræſentat illas tamquam needum judicatas, quaſi adhuc in via & diſcrimine ſalutis conſtitutas; idque ad excitandum majorem affectum in fidelibus ad orandum pro illis; prout quoque facit in aliis feſtis, ita nobis repræſentans iſtorum myſteria acſi tunc contingerent; & ſic in Adventu v. g. orat „ rorate cæli deſuper „ &c. acſi Chriſtus primò deberet naſci: idem & facit in feſto Nativitatis, Paſſionis, & reſurrectionis repræſentans dicta myſteria ut præſentia, ad excitandum affectum devotionis, idque ut fructus iſtorum myſteriorum nobis applicetur.

Quandonam anima recipiat ſuum judicium

Petes, quandonam anima judicetur.

Reſp. ordinariè primo inſtanti quo à corpore ſeparatur, nulla enim eſt ratio cur hoc judicium differatur; quippe quod non eſt aliud quam quædam ſpiritualis locutio, quà Chriſtus ut homo manifeſtat animæ ſpiritualiter ſuam ſententiam; quam locutionem nulla locorum intercapedo poteſt impedire: & quidem latâ ſententiâ, ſi anima omnino pura ſit, ſtatim ab Angelis deducitur ad cælos; prout colligitur ex Lucæ 16. Anima Lazari ab Angelis deportata eſt in ſinum Abrahæ: quod ſi verò anima ſit impia ſtatim à Dæmonibus rapitur ad inferos ſuâ ſponte eò non iturâ: ſi ſit purganda, credibile eſt eam à ſuo Angelo cuſtode deduci ad purgatorium qui conſolatur eam prout colligere licet ex variis viſionibus.

Dixi *ordinariè*, ob aliquas revelationes, quarum aliquæ indicare videntur aliquas animas

ante mortem fuiſſe judicatas, aliquas verò aliquanto tempore poſt: quæ, ſi contigerint, plane ſunt extraordinaria; & dici inſuper poteſt judicium illo tempore non fuiſſe peractum, ſed ſolum manifeſtatum ad aliorum inſtructionem, quaſi ſententia tunc declararetur.

DUBIUM III.

Quales ſint pœnæ quas animæ patiuntur in purgatorio.

Animæ in purgatorio patiuntur pœnam damni.

DIco I. certum eſt animas in purgatorio detentas ibidem pati aliquam pœnam damni; ſiquidem privantur pro tempore viſione beatificâ: ex qua privatione naſcitur illis maximus dolor, prout obveniret filio qui ob delicta ſua non admitteretur ad aſpectum patris.

Dices illæ animæ cum diligant Deum, conformant ſe ejus voluntati, ac proinde cum ſciant hanc carentiam viſionis beatificæ eſſe ex Dei voluntate, eſt ipſis voluntaria, ac proinde non triſtantur ob illam, eò quod triſtitia ſit de illis quæ nobis contra voluntatem accidunt.

Reſp. negando conſequentiam: & dico hanc carentiam viſionis beatificæ, quatenus eſt neceſſaria ad perfectè ſatisfaciendum pro peccatis, ipſis quidem eatenus eſſe voluntariam, attamen eſſe involuntariam quatenus eſt contra inclinationem charitatis, & deſiderium beatitudinis; & eatenus illas valde contriſtat.

Et inſuper pœnā ſenſus.

Dico 2. in Purgatorio præterea eſt pœna ſenſus, id eſt dolor aliunde proveniens quàm ex carentia viſionis beatificæ; nam, ſicut animæ illæ inordinatè ſe converterunt ad creaturas, & ex illis delectationem perceperunt, æquum eſt ut ab illis quoque patiantur, juxta illud Sap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Petes, an hæc pœna ſenſus procedat ab hoc igne corporeo.

Reſp. hanc quæſtionem ventilatam fuiſſe inter Latinos & Græcos in Conc. Flor. in quo Latini profitebantur eam purgationem fieri per ignem, juxta verba Apoſtoli 1. ad Cor. 3. *uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit &c. Ipſe autem ſalvus erit ſic tamen quaſi per ignem.* Græci verò verba Apoſtoli trahentes in alium ſenſum, hanc pœnam, non per ignem, ſed per obſcurum quendam locum, & plenum clamorum eſſe cenſebant.

Illa pœna infertur per ignē.

Porro quamvis nec in Conc. Flor. nec in Trid. quidquam deſuper ſit definitum, conſtans tamen eſt Eccleſiæ latinæ ſententia, hanc pœnam, ſenſus fieri per ignem corporeum, juxta

ante

Digitized by Google

ante dicta Apoſtoli verba : ita enim docet S. Gregorius lib. 4 Dial. cap. 29. & eodem propendet S. Aug. l. 21. de civ. Dei c. 10

Petes, quomodo animæ poſſint pati ab igne corporeo, cum ignis non poſſit producere niſi qualitatem corpoream, quæ non poteſt afficere animam à corpore ſeparatam.

Et hoc virtute divinâ.

Reſp. etiamſi hoc naturaliter non poſſit, poteſt id tamen elevatus à Deo per potentiam obedientialem: nam ſi ignis naturaliter poteſt agere in animam corpori unitam, cur non etiam virtute divinâ in animam ſeparatam: & ſi calor ab igne productus in corpore poteſt concurrere cum potentia ſentiendi ad actum ſenſationis qui juxtà veriorem ſententiam eſt qualitas ſpiritualis exiſtens in anima, cur, divinâ virtute cooperante, non poterit concurrere ad producendam qualitatem ſpiritualem: & ità quoque Dæmones patiuntur ab igne tamquam inſtrumento divinæ juſtitiæ; cui æternaliter ſunt alligati, etiam dum in hoc aëre verſantur, ità ut realiter ab igne torqueantur, ubicumque ſint; eo modo quo anima torqueri ſolet ab igne, dum corpus quod informat, comburitur, ubicumque ſit; ità ut ignis à Deo elevatus ſimilem dolorem & cruciatum cauſet in ipſis qualem cauſat in anima corpus informante, dum illud comburitur; quâ de re S. Auguſtinus lib. 21. de civ. Dei cap. 1. ſic ait, „ cur non dicamus, quamvis miris, tamen „ veris modis, ſpiritus incorpo- „ reos poſſe ſpirituali ignis cor- „ porei pœna affici, ſi ſpiritus „ hominum includi potuerint „ corporalibus membris.

Minima pœna purgatorii major eſt maximâ pœnâ hujus ſæculi.

Petes, an minima pœna purgatorii ſit gravior maximâ pœnâ hujus ſæculi.

Reſp. affirmativè juxta S. Auguſt. in pſal. 37. ubi de pœna purgatorii loquens ſic ait „ gra- „ vior tamen erit ille ignis, quam „ quidquid poteſt homo pati in „ hac vita, & noſtis quanta hic „ paſſi ſunt Martyres & poſſunt „ pati „ : ſed & S. Greg. ſcribens in Pſal. 3. Pœnit. „ illum, „ inquit, tranſitorium ignem „ omni tribulatione præſenti æ- „ ſtimo intolerabiliorem „ & certè, niſi tam acerba foret illa pœna, non tam ſollicitè mater Eccleſia adhortaretur filios ſuos, ad opera Pœnitentiæ in hac vita peragenda, neque etiam tanto ſtudio commẽdaret uſum indulgentiarum, per quas illæ pœnæ relaxantur; aut alia ſuffragia pro defunctis facienda.

Petes, quis dolor in animabus illis ſit gravior, an ille qui percipitur

pitur ex carentia viſionis beatificæ, an verò is, qui ſequitur ex cruciatu ignis.

Utra major ſit ibi pœna, ſenſus an damni.

Reſp. priorem appretiativè eſſe majorem, eò quod ſequatur ex abſentia rei præſtantiſſimæ & ſuper omnia dilectæ, quod & intenſivè verum eſt; eò quod hujuſmodi carentia nata ſit cauſare dolorem maximum in anima Deo per charitatem conjuncta, dum conſiderat, quod propter ſua peccata retardetur à conſecutione illius ſummi boni, qui dolor non minuitur.

Petes, an pœna purgatorii ſit diuturna.

Quamdiu duret pœna purgatorii.

Reſp. ſupponendum hîc eſt illam non duraturam ultra diem judicii: nam ut patet ex Matth. 25. in die judicii ſolùm erunt duo ordines, unus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram; unus qui mittetur ad ignem æternum; & alter qui ad cælum rapietur: eapropter, licet nulla anima liberetur à pœna purgatorii, antequam ſit plenè expurgata, vel per propriam ſatiſpaſſionem, vel per aliorum preces & ſuffragia; ſi quæ vero anima circa judicii extremi tempus adhuc habeat aliquid expurgandum, id pœnarum acerbitate compenſabitur.

Porro ad quæſtionem propoſitam reſpondet Sotus in 4 diſt. 19. quæſt. 3. & ait, quod nulla anima maneat in purgatorio ultra decem annos: quod ejus dictum paſſim ab omnibus reprobatur, utpote nulli fundamento innixum, imo ſenſui univerſalis Eccleſiæ repugnans; quia illa celebrat anniverſaria pro defunctis, etiamſi conſtet eos à ducentis vel trecentis annis obiiſſe; ergo ſupponit eos tanto tempore poſſe detineri in purgatorio. Sane Capitulum Metropolitanum Mechlinienſe quotannis adhuc celebrat anniverſarium Domini de Zellaer 30. Januarii, qui tamen obiit jam à 400. annis: adde quòd & Tornaci 28. Martii celebratur anniverſarium Chilpetici Regis Francorum, qui ante mille annos obiit: & in S. Amando Regis Dagoberti. Imo Beda l. 5. Hiſt. cap. 13. refert. oſtenſas alicui fuiſſe pœnas purgatorii, dictumque illi, quòd aliquæ animæ ibidem exiſtentes priùs ſint ſalvandæ in die judicii, quædam verò priùs, per vivorum ſuffragia. Inſuper quidam moriuntur a multis & gravibus peccatis recenter abſoluti, quibus multorum annorum pœnę reſtant luendæ; nec refert quòd Deus pœnarum diuturnitatem poſſit earumdem acerbitate compenſare, quia non propterea id ſemper facit, ſed quandoque diutiùs punit juxta rationem juſtitiæ ſuæ: porro unus

Digitized by Google

unus citiùs altero liberatur juxta inæqualitatem peccatorum.

DUBIUM IV.

An animæ in purgatorio detentæ aliorum ſuffragiis poſſint adjuvari.

Animas Purgatorii poſſe ſuffragiis vivorum adjuvari probatur ex Eccleſiæ perpetua praxi.

NEgant hoc mordicùs hæretici: ſed certiſſimum & evidentiſſimum purgatorii & ſuffragiorum teſtimonium; eſt univerſalis Eccleſiæ authoritas; quæ ſemper in Sacrificio Altaris & in multis aliis ad id inſtitutis officiis pro defunctis orat, eorum liberationes à Deo petens: de qua agens S. Auguſt. epiſt. 118. ſic loquitur, „ quidquid „ per totum orbem, quacumque „ terrarum diffuſa, univerſa ſervat Eccleſia, pari authoritate „ habendum eſt quâ id, quod habetur in Scriptura: unde & cap. 1. lib. de cura pro mortuis ad hoc probandum adductâ authoritate ex libro Machabæorum ſic ait, „ etſi numquam in Scri„ pturis veteribus legeretur, non „ parva eſt Eccleſiæ univerſæ, „ quæ in hac conſuetudine claret „ authoritas, ubi in precibus Sa„ cerdotis, quæ ad ejus altare „ funduntur, locum habet hæc „ commendatio mortuorum: „ & hoc ipſum toto illo libro confirmat, prout & in Enchiridio & lib. 9. Confeſſ. loquens de Matre ſua. Hoc ipſum S. Ambroſius in Orationibus funebribus Valentiniani Imperatoris & Theod. apertè confirmat, prout & S. Gregorius Magnus adductis multis Miraculis in 4. Dial. juvari ſcilicet defunctorum animas orationibus vivorum & Sacrificiis. Et ut aliquid de Græcis Doctoribus adjungamus, S. Joannes Damaſcenus in Oratione hac de re habita (in qua probat juvari defunctorum animas viventium orationibus) adducit omnium ferè antiquorum Græcorum teſtimonia, incipiens à Dionyſio Areopag. qui cap. ultimo Eccleſ. Hierarchiæ, de ritu Eccleſiæ circa defunctos agens, apertè dicit Sacerdotem ad altare pro illis orare, adductis verbis quibus hodie in commendatione defunctorum utitur Eccleſia: tum etiam citans SS. Greg. Nazian. Nyſſen. Chryſoſtom. & aliorum plurimorum adducens teſtimonia, intrepidè aſſerit hoc ab Apoſtolis traditum eſſe Eccleſiæ.

Denique id certâ fide conſtat ex Concil. Trident ſeſſ. 25. Decreto de Purgatorio, ubi definit, animas ibidem detentas fidelium ſuffragiis, ac potiſſimum acceptabili Altaris Sacrificio juvari.

Petes,

Quid intelligẽdum per ſuffragiũ

Petes, quid ſignificetur nomine, *ſuffragii*.

R. vocem illam derivari à ſuffragando, & ſignificare quandoque votum quod in favorem alterius fertur in electionibus ad officium vel beneficium; hic vero ſignificat auxilium quod unus præbet alteri ad conſequendam remiſſionem pœnæ temporalis.

Quædã ſuffragia pro defunctis talent ex opere operato quædam tãtum ex opere operantis.

Notandum verò hæc ſuffragia eſſe duplicis generis, nam alia ſunt ſatisfactoria ex opere operato, ut ſunt Sacrific. Miſſæ & indulgentiæ: alia vero ex opere operantis, qualia ſunt Orationes eleëmoſynæ, jejunia, flagella, peregrinationes, aliaque opera pœnalia quæ huc referuntur.

Petes, an reſtitutio rei alienæ non ſpectet ad ſuffragium defunctorum.

Quo ſẽſu animæ in Purgatorio juvari poſſent per reſtitutionem quã in hac vita non fecerunt.

Reſp. negative; nam ſive fiat ſive non fiat, nec obeſt, nec prodeſt per ſe defuncto; eò quod Deus non puniat niſi culpam propriam in hac vita contractam, niſi forſi tan fiat per modum eleëmoſynæ; ut quando fit ab eo qui non tenebatur reſtituere, vel niſi fiat meritoriè ex amore juſtitiæ, ſiquidem omne opus bonum referri poteſt ad alterius auxilium per modum deprecationis. Ad hanc reſtitutionem veniunt referendæ quædam animarum apparitiones petentium ut fiat reſtitutio quarumdam rerum quas ipſæ neglexerunt; quod certè fit Deo permittente hoc ad inſtructionem viventium, ut quilibet in vita reſtitutionem facere ſatagat.

Petes, quænam requirantur in eo qui ſuffragia & ſatisfactiones pro aliis offert.

Quæ requirãtur ex parte agentis ut ipſius opera aliis valeant per modũ ſuffragii.

Reſp. I. ut offerens habeat intentionem offerendi pro alio; nã quamdiu non dirigit intentionem ſuam in alterum, retinet ſibi ſuffragium, cum ſit opus ipſius.

II. Requiritur ut opus illud ſatisfactorium fiat à viatore, adhuc in vita exiſtente; nam, ſicuti poſt hanc vitam non poſſumus promereri, ita nec ſatisfacere: quod ſi fieri poſſet, certè illæ piæ animæ brevi tempore ſatisfacerent pro maximis pœnis, cum ferventiſſimos ſæpe charitatis & contritionis actus eliciant.

Petes, an ergo defunctis non proſint orationes Sanctorum in cœlis,

Orationes Beatorum proſunt defũctis per modum impetrationis.

Reſp. affirmativè, non tamen per modum ſatisfactionis, ſed per modum impetrationis: ita enim Eccleſia in oratione quæ incipit *Deus veniæ largito* ſic orat Deum ut intercedente B. Maria Virgine & omnibus Sanctis, animas defunctorum ad perpetuæ beatitudinis conſortium perducere dignetur.

III.

III. Requiritur ut opus voluntariè ſuſtineatur, aut fiat.

IV. Ut operans ſit in gratia, intellige dum ſuffragium eſt ſatisfactorium ex opere operantis: ratio eſt; quia exiſtens in mortali eſt indignus tam remiſſione culpæ quam pœnæ, & conſequenter impotens ad obtinendam alteri remiſſionem pœnæ.

Dixi ſignanter, *quando ſuffragium eſt ſatisfactorium ex opere operantis:* nam ſi tale ſit ex opere operato, proderit, eſto offerens ſit improbus, eò quod valor illius ſuffragii non pendeat à bonitate offerentis.

Qui obligatur ſuffragiū offerre pro alio & illud fecit in peccato mortali, tenetur reiterare opus.

Petes, an qui ex injuncta pœnitentia vel aliunde tenetur defuncto ſuffragium offerre, & illud in mortali eſt executus, obligetur illud reiterare.

Reſp. affirmativè; ſi nimirum debuerit illud offerre in perſona propria; eò quod per tale non ſit ſatisfactum defuncto: ſecus verò ſi loquamur de ſuffragio valente ex opere operato, aut oblato ex nomine Eccleſiæ.

Niſi illud valeat ad hoc ex opere operato.

Ex quo patet quid dicendum de ſacerdotibus & aliis Clericis qui ad celebranda anniverſaria vel officia mortuorum conducuntur, eaque exſolvunt in peccato mortali; cum enim valor illorum operum non pendeat ab illorum bonitate, quippe cum ea perſolvant nomine Eccleſiæ, videntur ſatisfacere; non ſecus ac famulus qui nomine ſui Domini diſtribuit eleëmoſynam in mortali.

Quæ conditiones requiramur in eo pro quo offertur ſuffragium.

Petes, quænam requirantur ex parte illius pro quo ſuffragium offertur.

Reſp. ut is illo indigeat; alioquin enim ſequeretur illud poſſe offerri pro beatis: addo, ſuffragia applicata alicui pro tempore quo non indiget, illi non profutura pro tempore ſequenti; nemo ſiquidem poteſt ſolvere debitum quod nemo contraxit.

II. Requiritur ut is pro quo ſuffragium offertur, ſit in gratia; nam qui eſt in peccato mortali, dignus eſt æterna pœnâ, & per conſequens indignus remiſſione pœnæ temporalis: & eapropter opus ſatisfactorium oblatum pro aliquo exiſtente in peccato mortali, vel illo non indigente, convertitur in utilitatem ipſius offerentis juxta illud Pſal. 34. *Oratio mea in ſinu meo convertetur*; aut certè aggregatur theſauro Eccleſiæ.

Google

TRACTATUS VI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

DUBIUM I.

An detur in Eccleſia Sacramentum extremæ unctionis.

Extrema unctio eſt unum ex 7. Eccleſiæ Sacramentis.

QUintum novæ legis Sacramentum, inſtitutum ad privatam ſingulorum hominum ſalutem, eſt extrema unctio: nam reliqua duo, ſcilicet Ordo & Matrimonium, ſunt inſtituta causâ boni publici tam ſpiritualis quam temporalis.

Cur dicatur unctio extrema.

Vocatur autem extrema unctio, ut diſtinguatur ab aliis unctionibus, quæ ſanis in vita conferuntur; quarum prima eſt unctio Cathecumenorum, quâ ſacerdos, antequam infantem baptizet, eum ungit in pectore & inter ſcapulas, idque oleo ſimplici benedicto. Secunda qua ſacerdos ungit baptizatum Chriſmate in ſummo vertice. Tertia quâ ab Epiſcopo unguntur qui confirmantur in fronte &c.

Primi qui hoc Sacramentum negarunt, fuerunt Albigenſes & Waldenſes Hæretici, quosſecutus eſt Joannes Wiccleff. teſte Thoma Waldenſi tom. 2. cap. 163.: deinde Calvinus & Lutherus & omnes eorum ſectarii. Contra quos omnes.

Certâ fide tenendum eſt, extremam unctionem eſſe verum & propriè dictum novæ legis Sacramentum: prout patet ex Concil. Conſtant. ſeſſ. 15. ubi Martinus V. decrevit, ab eo, qui de hæreſi ſuſpectus eſſet, quærendum, „an credat, quod Chriſtianus, contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis vel extremæ unctionis, peccet mortaliter.„

Probatur II. ex Conc. Flor. in quo Eugenius IV. in decreto Armenis dato, inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, enumerat extremam unctionem, ejusque uſum & effectum aſſignat, & ex Jacobi Apoſtoli teſtimonio confirmat: quod & manifeſtè

conſtat

Eſt à Chriſto inſtitutũ & ab Apoſtolo Iacobo promulgatum.

conſtat ex Conc. Trident. quod ſeſſ. 7. cau. 1. extremam unctionem inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta enumerat: & dein ſeſſ. 14. inſtitutionem illius graviter explicat his verbis, „ ſi „ quis dixerit extremam unctio„ nem non eſſe verè & propriè „ Sacramentum à Chriſto Do„ mino inſtitutum, & ab Apo„ ſtolo Jacobo promulgatum, ſed „ ritum tantùm acceptum a Pa„ tribus, anathema ſit.

III. Probatur etiam ex Epiſt. S. Jacobi cap. 5. in his verbis, *Infirmatur quis in vobis? inducat preſbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ..... & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*: quo loco Apoſtolus deſcribit extremam unctionem, tamquam ſignum externum collativum gratiæ, & remiſſionis peccatorum, idque ſtabiliter in Eccleſia duraturum; ergo deſcribit Sacramentum: quinimo de nullo alio Sacramento habemus in Scriptura tale teſtimonium, in quo determinatè ſic omnia explicantur: ſiquidem hic locus materiam, formam, miniſtrum & effectum hujus Sacramenti exprimit.

Dices Jacobus Apoſtolus dicto loc. agit de ceremonia quæ illo tempore adhibebatur ad recuperandam ſanitatem corporalem.

Reſp. negando antecedens, & patet ex eo quod dicto loco dicat inducendos Presbyteros Eccleſiæ, cum tamen tunc potiùs eſſent advocandi Medici; nec ſufficit dicere, inducendos presbyteros ob donum quod habebant curationum: quia donum illud, neque tempore Apoſtolorum, neque poſtea, fuit reſtrictum ad ſolos ſacerdotes: quod patet Marci 6. ubi Apoſtoli curabant infirmos, antequam eſſent ſacerdotes.

Petes, an ergo hæc veritas nequeat probari ex Marci 6. ubi Chriſtus Apoſtolos binos miſit deditque poteſtatem curandi infirmos.

Reſp. negativè; eò quod illæ unctiones indifferenter adhiberentur omnibus infirmis, ſive eſſent in periculo mortis conſtituti, ſive non; ſive baptizatis, ſive non baptizatis: adde Apoſtolos tunc nondum fuiſſe ſacerdotes.

Probatur illius ſacramenti inſtitutio ex PP.

Teſtimonia Patrum quibus hæc veritas probatur, ſunt propemodum infinita: & inter cæteros, hujus Sacramenti meminit Innoc. ante annos 1200. in Epiſt. ad Decentium cap. 81. Item S. Joan. Chryſoſt. lib. 3. c. 6. de ſacerdotio. Meminit quoque illius V. Beda. qui vixit anno 731. in Comment ſuper Epiſt. S. Jacobi: ubi hanc Eccleſiæ conſuetudinem eſſe affirmat, ut oleo conſe-

 crato

crato infirmi à Presbyteris ungantur: idem ſcribens in Luc. Cap. 8. meminit olei pro infirmis conſecrati: prout quoque diſcipulus ejus Alcuinus qui vixit anno 780. in lib. de Divinis officiis Cap. de infirmis, ſic ait „Hàc auctoritate (ſcilicet Jacobi Apoſtoli) quotieſcumque „fideles infirmantur, ingrediuntur Fratres ad ægrotum, cum „cereis ſive incenſo ante oleum „Sanctum, & peragunt omnia „ſicut in Sacramentorum libro continetur.

DUBIUM II.

Quid extrema unctio.

Quid extrema unctio.

RESp. eſt ſignum externum quo aliquæ partes corporis infirmi à ſacerdote unguntur, ſub præſcripta verborum formula.

Petes, an hoc Sacramentum ſit à Chriſto inſtitutum.

Reſp. affirma. quod eſt de fide: prout conſtat ex Con. Trid. Seſſ. 7. can. 1. illud de omnibus Sacramentis definiente: & particulariter Seſſ. 14. can. 1. „ſi „quis dixerit, extremam unctio„nem non eſſe verè & propriè „Sacramentum, à Chriſto Dom. „noſtro inſtitutum, & à B. Ja„cobo Apoſtolo promulgatum „&c. anathema ſit. „ Nec mirum, cum enim Sacramenta ſint fundamenta novę legis, pertinuit ad Chriſtum, tamquam ad legiſlatorem, hæc fundamenta jacere.

Petes, quo tempore ſit inſtitutum hoc Sacramentum,

Quo tempore iſtud Sacramentum fuerit inſtitutum.

Reſp. nihil deſuper certi ex Scriptura S. haberi: refert quidem S. Iacobus hujus Sacramenti inſtitutionem, ſed temporis non meminit: & eapropter Doctores in diverſas abierunt ſententias, quibusdam volentibus Chriſtum illud inſtituiſſe in ultima cæna; aliis verò aſſerentibus, id inſtituiſſe poſt reſurrectionem, quando nimirum contulit Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata Ioan. 20. quæ quidem poſterior ſententia apparet convenientior, & rationi conformior; eo quod illo tempore ſit inſtitutum Pœnitentiæ Sacramentum, cujus Extrema unctio eſt conſummativa; quippe quæ inſtituta eſt ad tollendas peccatorum reliquias: & eapropter, quod aliqui opinentur hoc Sacramentum inſtitutum eſſe Mar. 6. (ubi Apoſt. miſſi à Domino *ungebant oleo multos ægrotos & ſanabantur*) falluntur: neque enim illa unctio fuit Sacramentalis, eoquod indifferenter conferretur etiam non baptizatis, & quod Apoſtoli illo tempore necdum eſſent ſacerdotes.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM III.

An extrema unctio ſit unicum numero Sacramentum.

Extrema unctio eſt unũ tantũm Sacramentum.

RESp. affirmativè; quia Concilia ſupra cit. enumerant illud inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta; & alioquin eſſent plura Sacramenta quàm ſeptem.

II. Probatur; quia eſto hoc Sacramentum conferatur pluribus partialibus unctionibus, non habet tamen niſi unam integram & perfectam ſignificationem, ex omnibus partialibus unctionibus ſimul junctis, exſurgentem: & eapropter, etiamſi non ſit unum per ſe, ſicut eſt corpus naturale, dicitur tamen unum numero, quia conſtat pluribus partibus inter ſe unitis unione accidentali, prout domus aut navis; eò quod ſingulæ unctiones ſint quaſi diverſæ materiæ partiales, unam integram conſtituentes, prout & ſingulæ formæ unctionibus correſpondentes, ſunt quædam partiales formæ conſtituentes unam totalem; adeo ut ex una totali materia & totali forma exſurgat integrum & perfectum Sacramentum: eſt itaque hoc Sacramentum eodem modo unum, ſicuti Euchariſtia: nam ſicuti in Euchariſtia reperiuntur duæ materiæ & duæ formæ partiales quæ ſimul junctæ componunt unum integrum & perfectum Sacramentum, ita quoque hîc plures unctiones, cum formis partialibus ſibi correſpondentibus, conficiunt unum perfectum Sacramentum completum in ratione ſigni; quo ſignificatur perfecta animæ curatio.

Quot unctiones ſint neceſſariæ ad eſſentiam illius.

Petes, quot unctiones ſunt neceſſariæ ad eſſentiam hujus Sacramenti, in tantum ut unâ etiam deficiente, non ſubſiſtat Sacramentum.

Reſp. quinque, nempe unctiones quinque ſenſuum externorum: ratio eſt, quia Chriſtus Dominus inſtituit hoc Sacramentum in ratione ſigni integræ animæ curationis perfectè ſignificativi; proinde quod confertur adinſtar perfectæ medicinæ, ad tollendos omnes animæ morbos; ad quod ſignificandum non ſufficit unctio unius aut alterius ſenſûs, ſed requiritur omnium quinque ſenſuum, ut ſignificetur expreſsè, omnes primarias peccatorum radices & cauſas; qui ſunt quinque ſenſus, per illas curari.

Probatur 2. ex praxi & conſuetudine univerſalis Eccleſiæ; nam eſto diverſæ Eccleſiæ particulares diverſas alias unctiones accidentales addant vel omittant, omnes tamen unanimiter adhi-

bent quinque unctiones circa quinque organa ſenſuum, quod clariſſimum ſignum eſt, eas non poſſe omitti ſalvâ Sacramenti ſubſtantiâ, quin imo ſi ſacerdos ipſe deficiat, aut moriatur ante peractas quinque unctiones, ſtudiosè providetur, ut ſubſtituatur alius qui omiſſas ſuppleat: porro hæc Eccleſiæ ſollicitudo manifeſtum ſignum eſt, quo vult indicare quinque unctiones ſenſuum eſſe de eſſentia Sacramenti.

Dices, neque ex Epiſtola S. Jacobi, neque ex SS. Patribus colligi poteſt, requiri plures unctiones; quinimo in Paſtorali Mechlinienſi impreſſo an. 1598. can. 9. de Extrema Unctione, ſic dicitur „in morbis contagio„ſis, peſte graſſante, ut peri„culum vitetur, ſufficit inungi „organum ſenſûs magis ad un„ctionem expoſitum ac dete„ctum, dicendo *per iſtam S. Un„ctionem, & ſuam piiſſimam miſe„ricordiam, indulgeat tibi Dominus „quidquid deliquiſti per viſum, audi„tum, odoratum, guſtum, tactum, „& greſſum*: „ Inſuper complures viri docti arbitrantur in neceſſitate ſufficere unicam unctionem.

Reſp. ad primum: eſto hoc non habeamus ex Scriptura Sacra, habemus hoc tamen ex conſuetudine univerſalis Eccleſiæ; quæ, cum ſit columna & firmamentum veritatis, per ſe ſufficit ad hoc probandum: nam, ut ait S. Auguſt. epiſt. 118. „ quid„quid per totum orbem, quo„cumque terrarum diffuſa ſer„vat Eccleſia, pari authoritate „habendum eſt, qua habetur id „quod continetur in Scriptura.

Ad Patres quod attinet, non ſolent ipſi ſemper ponere eſſentialia Sacramentorum, ſed ſolùm reſpondere ad quæſita.

Ad Canonem 9. Paſtoralis Mechlinienſis quod attinet, re prius communicata cum Theologis ad tollendum omne periculum animarum & invaliditatem Sacramenti, in ſequentibus editionibus correctus eſt, & omiſſo hoc, quod ſufficiat injungi unum organum ſenſûs, ſimpliciter tantùm eſt poſitum „in morbis „contagioſis & peſte graſſante, „ut periculum vitetur, preces „quæ præmittendæ & ſubjun„gendæ forent, poterunt in Ec„cleſia coram Venerabili Sacra„mento, devotè legi: „ præterea cum hæc Eccleſia ſit particularis, non mirum ſi hac in parte, ſecuta ſententiam aliquorum particularium Doctorum, erraverit; quod & accidit compluribus aliis Eccleſiis particularibus.

Et certè quidquid ſit de ſpeculatione quoad adminiſtrationem

extremæ

Digitized by Google

extremæ unctionis ſub unica unctione, an valeat, nullo tamen modo ſine graviſſimo ſacrilegio licet hoc practicare, & hoc Sacramentum ſub unicâ unctione conferre; eò quod ſine gravi ſacrilegio non ſit licitum Sacramentum exponere periculo nullitatis, cum graviſſimo præjudicio ſalutis proximi, quia hoc Sacramentum interdum poteſt eſſe neceſſarium ad ſalutem. Quod confirmatur ulterius, quia in materia Sacramentorum numquam eſt licitum ſententiam minus tutam & minus probabilem ſequi relicta tutiori aut probabiliori.

Et ſane oppoſita ſententia ob alium finem non videtur excogitata, quam ad ſubterfugienda pericula quæ in morbis contagioſis poſſunt imminere ſacerdoti adminiſtranti: quod periculum ex hoc capite moraliter non augetur; nam illæ quinque unctiones poterunt fieri in capite conſequenter ſub quinque ramis ſibi correſpondentibus; poteritque ſacerdos curare ut æger aperto loco exponatur quam remotiùs, poteritque ungere bacillo tangendo unum organum oculi, unum auris, narem, labium & genam pro tactu: quod ſi quis ita faciat, moraliter loquendo non poteſt oriri majus periculum quam ex unica unctione cum prolatione formæ: nam iſtæ unctiones poſſunt æquè cito fieri; ſane oppoſita ſententia eſto à multis ſpeculativè teneatur, non poteſt ſine magno periculo animarum de induſtria & ex propoſito uſurpari.

Petes, an partialis ſaltem ratio hujus Sacramenti nequeat conſiſtere in unica unctione, cum forma ſibi correſpondente.

Reſp. affirma. eo quod in ſingulis unctionibus cum formâ proportionata inveniatur partiale compoſitum, attamen incompletum in ratione ſigni Sacramentalis, eo quod completa ratio Sacramenti conſiſtat in ſigno perfectè ſignificante curationem morborum animi, quæ perfecta ſignificatio elucere non poteſt in unica unctione.

Probatur 2. quia ſi ſacerdos poſt datam unam unctionem moritur, alius ſacerdos poteſt pergere, non repetendo priorem illam unctionem cum ſuâ formâ; ergo ſignum eſt, illam priorem cum ſuâ formâ ſubſiſtere ſe ſola, & conficere Sacramentum, ſaltem partiale.

Petes, an hæc ſubſiſtant cum doctrinâ ſuprà datâ quâ diximus ad eſſentiam Sacramenti extremæ unctionis requiri quinque unctiones.

R. affir. quia diximus illas requiri-

quiri eſſentialiter ad completam rationem hujus Sacramenti, quæ, ut diximus, conſiſtit in ſigno perfectè ſignificante curationem omnium morborum animi, ſeu in ratione perfectæ medicinæ, quæ ſic plura requirit, ut tamen ſingula rationem quamdam medicinæ imperfectæ poſſint participare, non verò perfectæ; quorum omnium ratio eſt, quia omne peccatum actuale prærequirit ſaltem aliquam interpretativam intellectus notitiam, quâ poſſit advertere, etiamſi actu non advertat; cum vero intellectûs notitia hauriatur à ſenſibus, ſequitur primas peccatorum radices eſſe quinque ſenſus; & eapropter, cum extrema unctio conferatur ſub ratione perfectæ medicinæ, ſequitur illos quinque, tanquam peccatorum radices, debere injungi ſimul: & non ſufficere unam inunctionem.

Dices, Concilium Florentinum in decreto Armenorum enumerat ſeptem unctiones, ergo quinque non ſufficiunt. Quod probatur ulteriùs, quia Paſtorale Mechlinienſe, prout & alia Paſtoralia Belgica paſſim ultra unctiones organorum quinque ſenſuum, adjiciunt unctiones pectoris & pedum.

Reſp. ita quidem eſſe, & idcirco pro explicatione Concilii Florentini dico illud quidem enumerare ſeptem unctiones, non tamen quaſi velit eas omnes eſſe neceſſarias ad ſubſtantiam Sacramenti, ſed tantùm per hoc vult indicare, quod non repugnet huic Sacramento, quod quædam Eccleſiæ recepta conſuetudine plures unctiones adhibeant Unde dico duas illas unctiones pectoris & pedum, eſſe tantùm ritus quoſdam accidentales, nullo modo ex opere operato concurrentes ad effectum hujus Sacramenti; adeoque quæ pro variâ Eccleſiarum conſuetudine poſſunt omitti, prout notat ipſum Paſtorale Mechlinienſe dum agens de unctione pectoris ſic ait „obſervetur hujus unctio iis in „locis, ubi fieri conſuevit. Audeo & ego ſub humili correctione adjicere, plurimum expedire, ſi duæ illæ unctiones pectoris & pedum, cum tantùm ſint ritus accidentales, & nullatenus requiſiti ad eſſentiam Sacramenti, omitterentur, ſaltem pro ſexu fæmineo, idque propter diverſas tentationes, & pericula ex illis nata obvenire, prout experientia docet Confeſſarios & Paſtores. Quod proinde Epiſcopi & Eccleſiarum Prælati, curam animarum habentes, dignabuntur maturè conſiderare, & an

Digitized by Google

an, ſicuti honeſtatis causâ unctio renum, & umbilici paſſim omittitur, ita quoque non expediret, præſertim quoad fæminas, omittere has duas unctiones accidentales pectoris & pedum.

Petes, an ex neceſſitate Sacramenti, ſit inungendum utrumque organum ſenſus, quando illud eſt duplex, ut v.g. duo oculi aut duæ aures.

Reſp. negativè; & idcirco, quando ſubeſt periculum ne Sacramentum perfici poſſet, aut in morbis quoque contagioſis, ſufficit inungi unum organum; attamen extra neceſſitatem non inungere utrumque organum erit grave peccatum mortale, eò quod unctio utriuſque organi ſit neceſſaria neceſſitate præcepti.

Petes, an unctio manuum ſit de neceſſitate Sacramenti?

Reſp. ex ante dictis negativè; nam cum ſenſus tactûs ſit diffuſus per totum corpus, illud ſubſiſtet qualiſcumque pars corporis pro ſenſu tactus inungatur, & idcirco in morbis contagioſis, ut ſupra notavimus, quandoque expedit genam pro ſenſu tactus, loco manuum inungere; hoc etiam nota, quando Sacramentum adminiſtratur ſacerdotibus tunc non in palma manus, prout fit laicis, ſed in exteriore manus parte, juxta Rituale Romanum, eos debere inungi, eò quod in ordinatione interius ſint inunctæ; attamen juxta Paſtorale Mechlinienſe illi quoque ſunt ungendi in vola manus, eo quod unctio in ordinatione adhibita, non ſit facta oleo infirmorum; adeoque ſit alterius rationis: unde in his ſervanda eſt locorum conſuetudo.

Si æger careat alicujus organo ſenſus ubi facienda unctio.

Petes, quid ſi æger careat organo aliquorum ſenſuum v.g. careat oculo, aut aures ſint illi amputatæ; aut organum illud nunquam habuerit, adeoque per illud nunquam peccaverit.

Reſp. tunc locum organi ipſius ſenſus eſſe inungendum, aut ſaltem partem organo vicinam: nam eſto nunquam per illud peccaverit externè, potuit tamen peccaſſe deſiderio interiori actûs illius ſenſus.

Sicuti ad validitatem Sacram. hujus requiruntur quinque unctiones, ita & quinque partiales formæ.

Petes, an ſicuti de neceſſitate Sacramenti, ſunt neceſſariæ quinque unctiones ipſorum ſenſuum: ita quoque eodem modo ſint neceſſariæ quinque expreſſæ formæ, quinque unctionibus correſpondentes.

Reſp. affirma. quod patet ex communi uſu & conſuetudine Eccleſiæ, quæ ad quamlibet unctionem formam repetit.

Dices, hæc forma *Per iſtas ſanctas unctiones & ſuam piiſſimam miſericordiam,*

Digitized by Google

ſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, per auditum, per odoratum, per guſtum, per tactum commiſiſti æquivalet quinque expreſſis:

Expreſſio SS. Trinitatis non eſt de eſſentia formæ hujus Sacra-

Reſp. hoc quidem probabiliter eſſe verum; quia tamen in materia Sacramentorum oportet incedere viâ tutâ, relictâ minus tutâ, non putarem in praxi, hac forma utendum, præſertim cum breviſſimo tempore, etiam in morbis contagioſis, forma poſſit quinies repeti; nec opus ſit illi addere, ſaltem de neceſſitate Sacramenti, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen*; eo quod ex doctrinâ communi Theologorum conſtet, invocationem SS. Trinitatis ad eſſentiam hujus formæ non eſſe neceſſariam.

DUBIUM IV.

Quotuplex ſit materia hujus Sacramenti.

Materia remota eſt olivarum.

RESp. duplex, nempe remota, & proxima; materia remota eſt oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum, ut habet Conc. Trid. Seſſ. 14. cap. 1. Item Florentinum in decreto Eugenii. Porro quod debeat eſſe oleum, patet ex Epiſt. S. Iacobi *ungentes*, quod vero non ſufficiat oleum nucum, aut amigdalorum, ſed debeat eſſe oliuarum; patet ex eo, quod uſu Eccleſiaſtico oleum ſimpliciter poſitum ſumatur pro oleo oliuarum; ratio primaria eſt Chriſti inſtitutio. ratio congruentiæ vero eſt, quod oleum optimè ſignificet effectum hujus Sacramenti; nam primò lenit; per quod ſignificatur alleviatio infirmi. 2. curat vulnera, & intima penetrat; per quod ſignificatur remiſſio peccatorum, & curatio vulnerum animæ: Cur autem hoc oleum debeat eſſe ab Epiſcopo benedictum, ratio eſt, divina inſtitutio: congruentia vero eſt, quod materia externa, quæ ad Sacramentum adhibetur, hujuſmodi ſacra benedictione debeat quaſi diſponi & elevari ad ſuſcipiendam formam ſacramentalem, quia verò materia baptiſmi, item Euchariſtiæ, ipſo Chriſti contactu eſt ſanctificata, & adaptata ad formam ſacramentalem, idcirco non indiget alia benedictione: quia verò materiâ Confirmationis aut extremæ unctionis Chriſtus numquam fuit uſus, congruum fuit, ut hæc aliqua benedictione priùs ad formam ſacramentalem adaptaretur.

Oleum illud debet eſſe benedictum.

Petes, an hæc benedictio olei ſit neceſſaria neceſſitate Sacramenti.

Reſp. affirmativè; quod patet in

in ſimili de Confirmatione; & deducitur, tam ex Conc. Flor. quam Trid.

Porro, licet hæc benedictio ſit juris divini, modus tamen & formula benedictionis relicta eſt poteſtati Eccleſiæ, quæ proinde poteſt immutari; & conſequenter poteſt fieri, ut benedictio uno tempore ſufficiens, ſit alio tempore inſufficiens.

Petes, an hæc benedictio olei debeat neceſſario fieri per Epiſcopum.

Non tamen neceſſariò ab Epiſcopo.

Reſp. negativè, nam ut refert Petrus Arcudius de concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis, ſacerdotes in Eccleſia orientali ſolent benedicere oleum infirmorum, idque ex antiquâ conſuetudine, etiam ante ſciſma; non eſt autem exiſtimandum totam illam Eccleſiam errasſe in re tanti momenti, præſertim cum in eo non culpetur ab Eccleſia latina, à quâ uſus ille quoque approbatur, preſertim à Clemente VIII. dum in ſua inſtructione ſuper ritibus græcorum, editâ anno 1595. ultima Auguſti, ita loquitur „non ſunt „cogendi presbyteri græci præ„ter chriſma ab Epiſcopis latinis „Diæceſanis accipere, cum hu„juſmodi olea ab eis in ipsâ oleo„rum & Sacramentorum exhi„bitione ex veteri ritu confician„tur ſeu benedicantur.

Ex quo patet, poſſe ſimplicem ſacerdotem ex commiſſione Pontificis benedicere oleum infirmorum: & eapropter Concilia, quæ videntur illi adimere hanc poteſtatem, veniunt intelligenda de poteſtate ordinariâ quæ ſolis competit Epiſcopis.

Sed illa benedictio poteſt à ſacerdote ſimplici fieri ex commiſſione Pōtificis.

Petes, an ſi oleum infirmorum intra annum ita deficiat ut non videatur poſſe ſufficere, poſſit Paſtor oleo benedicto ſuperaddere aliquid olei non benedicti.

Reſp. affirma. quod habetur *cap. quod in dubiis*, de conſecrat: Eccleſiæ: quod tamen ita intellige modo id quod additur, minus ſit quantitate; vel ſi non ſit minus, fiat additio ſenſim & paulatim: ſi enim id quod additur, ſuperet, vel etiam æquale ſit ei, cui additur, non cenſetur eſſe idem quod ante fuit: ſi autem paulatim fiat additio, ſemper cenſetur eſſe idem, quod immediate ante erat: & eapropter cum ante eſſet benedictum, etiam poſt additionem cenſetur benedictum; quinimo ſi oleum novum benedictum haberi non poſſit, poterit Sacramentum illud conferri in oleo antiquo.

Petes, quænam ſit materia proxima hujus Sacramenti.

Reſp. unctio quinque ſenſuum facta à ſacerdote; liqui-

Digitized by Google

dem hoc eſt generale omnibus Sacramentis, quæ conſiſtunt in uſu alicujus materiæ externæ, pro ut eſt hoc Sacramentum extremæ unctionis, habere pro materia proximà applicationem ipſius materiæ externæ, per quam applicationem proxime deſignatur effectus ipſius Sacramenti.

Dixi unctionem quinque ſenſuum, quia quinque ſenſus ſunt quaſi quinq; radices ſeu quinque origines peccatorum omnium quæ per extremam unctionem debent abſtergi & tolli: nam omne peccatum oritur ex cogitatione, & omnis cogitatio oritur ex ſenſu, juxta receptum axioma, *nihil eſt in intellectu quod non fuerit in ſenſu.*

Petes, an ſit de eſſentia unctionis ut fiat in formam Crucis.

Reſp. negativè; quia Trid. Conc. accuratè explicans naturam hujus Sacramenti, nullam facit mentionem Crucis, quod & patet ex ipſa formà in qua dicitur *per iſtam ſanctam unctionem*, ad cujus veritatem ſufficit quælibet vera & proprie dicta unctio, imo ſepoſito contemptu & ſcandalo non eſt mortale, eo quod conſuetudo formandi Crucem non cenſeatur tam graviter obligare; prout neque neceſſitate Sacramenti requiritur ut miniſter immediate tangat membrum inungendum, ſed ſufficit ut virgula aut alio inſtrumento decenter id faciat.

Petes, in qua quantitate debeat oleum diſtillare ad inungendum infirmum.

Reſp. in ea, in qua poteſt moraliter dici unctio: unde ſi una guttula ſolùm diſtillaretur, Sacramentum redderetur ſaltem dubium.

DUBIUM V.

Quæ ſit forma hujus Sacramenti.

CONcilium Florent. hanc ſic tradit. *per iſtam Sanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum &c.*

Petes, an ſit neceſsè hanc formam eſſe deprecativam.

Reſp. affirma. quod tamen aliqui inefficaciter colligunt ex his verbis Iacobi Apoſtoli, *orent ſuper eum, & oratio fidei ſalvabit infirmum*, nam Sancti Patres paſſim omnium Sacramentorum formas vocant preces myſticas: quare id meliùs probatur ex Conciliis, item ex uſu & Traditione Eccleſiæ: nam ſi deprecativa forma non eſſet à Chriſto inſtituta, non poſſet Eccleſia uſum talis formæ præſcribere, utpote quæ aliam formam non poteſt præ-

ſcribere

ſcribere, quàm illam, quam à Chriſto accepit: ratio congruentię poteſt eſſe, quia hoc Sacramentum confertur infirmo, qui indiget alieno auxilio, quod ſignificatur per ipſum Sacramentum, dum in forma deprecativa petitur quaſi ab altero auxilium.

Dices talis forma deprecativa non habetur in Scriptura.

Reſp: id verum eſſe, neque enim neceſſè eſt in ſacra Scriptura formam Sacramentorum quoad ſingula ejus verba haberi, cum Spiritus Sanctus non intenderit dictare Scripturam per modum ritualis; unde neque formæ aliorum Sacramentorum expreſſè continentur in Scriptura, ſed ſolùm habentur per Traditionem Apoſtolorum.

Dices omnia Sacramenta ſignificant effectum ſuum quem efficiunt; ſed forma deprecatoria non ſignificat ſuum effectum, ergo.

Reſp. negando ſubſumptum: nam etſi forma hæc deprecatoriè dicatur, non tamen vim ſuam habet ex opere operantis, pro ut ſolent preces ex devotione prolatæ, ſed ex opere operato: & eapropter hæc forma deprecatoria ex Chriſti inſtitutione eſt efficax, conferens effectum ex opere operato.

Dices, in aliis Sacramentis formæ ſunt indicativæ; ergo quoque debet eſſe in hoc.

Reſp. negando conſeq. quia in illis quæ pendent à voluntate alterius, non valet argumentum à ſimili; ratio interim diſſimilitudinis eſt, quod in hoc Sacramento repræſentetur ſtatus infirmi, indigentis alieno auxilio, à quo illud petitur, quod in aliis Sacramentis non cernitur.

Forma ſi exprimitur indicativo aut imperativo modo, an ſit valida.

Petes, an ſi forma hujus Sacramenti proferretur indicativo vel imperativo modo eſſet valida.

Reſp. veroſimiliùs negativè, quia cum Chriſtus hoc Sacramentum inſtituerit per modum orationis, forma indicativi modi non poſſet huic æquivalere.

Dices, tempore Sancti Ambroſii in Eccleſia Mediolanenſi, erat hæc forma, *ungo te oleo Sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* ita referente S. Bonaventura: Item olim in Eccleſia Veneta fuit hæc forma, *ungo te oleo Sancto &c.* prout patet ex rituali Veneto, à Leone X. approbato.

Reſponderi poteſt quod, etſi aliquæ Eccleſiæ quandoque fuerint uſæ formà indicativà, tamen non omiſerint deprecativam, tanquam eſſentialem; indicativâ verò uſæ fortè fuerunt tanquã præparatione, vel ſaltem indicativam intellexerunt deprecativè.

DUBIUM VI.

Quibus hoc Sacramentum conferri poſſit

RESP. ſubjectum hujus Sacramenti eſt homo baptizatus, in gratia conſtitutus qui uſus ratione, aliquando peccavit, & infirmatur ad mortem; quod colligitur ex Concilio Florentino in inſtructione Armenorum,

Et quidem quod debeat eſſe infirmus, probatur ex Epiſtola Apoſtoli Iacobi 2. quod debeat uti, vel fuiſſe uſus ratione, & aliquando actualiter peccaſſe, patet, quia alioqui falſa eſſet forma in qua dicitur, *deliquiſti*.

Sacram. extrema unct. datum ſano eſt invalidum.

Ex quibus collige invalidum eſſe hoc Sacramentum, ſi conferatur ſano: pro ut quoque ſi conferatur infirmo, ſed necdum conſtituto in periculo mortis, utpote quod ſit inſtitutum, tanquam ultimum remedium hominum infirmorum, quo in graviſſimo mortis periculo adjuventur; quod tamen non ita intelligi debet quaſi exſpectandum ſit extremum & certum periculum mortis, ſed ſufficit dum hujuſmodi periculum eſt probabile, ne ſi diutiùs differatur extrema unctio, mors vel ſenſuum alienatio forſan ſubitò ſit ſuperventura; illud enim Sacramentum ſemper decet conferre, quando ſenſus & mens recipientis adhuc vigent, ut cum debita reverentia & diſpoſitione poſſit recipi; unde Catechiſmus Romanus de Extrema unctione cap. 6. ait „ graviſſimè peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare „ ſolent cum jam omni ſalutis „ ſpe amiſſâ, vitâ & ſenſibus „ carere incipit. „

Vii & da um tantum leviter infirmo.

Non tamen ut conferatur, expectandum eſt ultimum inſtans vitæ.

Petes, an quodlibet probabile periculum mortis ſufficiat, ut alicui conferatur extrema unctio.

Non ſufficit qualecũque propinquum vitæ periculum.

Reſp. negativè, ſed debet eſſe tale, quod procedat ex morbo: & hinc afficiendi ſuplicio, item mulieres in partu exiſtentes, item nautæ periclitantes in mari non ſunt inungendi, quia non laborant infirmitate corporali: poteſt tamen conferri ſenibus, qui ſenectute conficiuntur, abſque alia infirmitate corporali: nam ſenectus ipſa morbus eſt. Inſuper poteſt conferri omnibus morti proximis ob morbum, peſtem, attactum ſerpentis, item mulieri morti proximæ ob morbum ex partu provenientem, quamvis partus præciſe ad hoc non ſufficiat: item ob vulnus, aut morſum rabidi canis; cavendum tamen ne hominum rabidorum ſaliva contingatur, quia habet vim inficiendi: & ideo partem

ori

Digitized by Google

In morbis contagioſis qualiter adminiſtrandũ hoc Sacramentum.

ori vicinam loco laborum ſufficiet inungere: cavendum quoque à peſtiferis, & ideo illis adminiſtrans hoc Sacramentum curet quam maximè poteſt, vitare contactum infirmi, nec ſe ſtatuat inter ignem & infirmum, muniatque ſe præſervativis judicio medicorum, qui & tali caſu uti poterit reverenter virgâ oblongâ oleo intinctâ ad hoc Sacramentum conferendum, quam praxim tradit Paſtorale Ruremondenſe.

Petes, an laborantes phreneſi poſſint recipere hoc Sacramentum cum fructu, ſi ante phreneſim illud optaverint ſuſcipere.

Reſp. affirma. ſi quidem cenſentur habere intentionem interpretativam, qualis ſufficit ad ſuſceptionem alicujus Sacramenti: quales quoque cenſentur habere, qui Chriſtianè vixerunt, vel qui dederunt ſigna contritionis, vel qui præſumuntur ad illud diſpoſiti: præſumitur autem quilibet ad illud diſpoſitus, niſi conſtet oppoſitum, cum nemo preſumatur malus niſi probetur talis.

Perpetuà amẽtes ſunt incapaces hujus Sacramenti.

Amentibus autem & furioſis qui nunquam uſi fuerunt ratione, hoc Sacramentum non eſt conferendum, eo quod illorum reſpectu forma ſit falſa. Habentibus vero lucida intervalla, illud conferendum eſt, quando fieri poteſt eo tempore quo utuntur ratione, idque ut cum devotione poſſint illud ſuſcipere; quod ſi tamen id fieri nequit, illud ipſis in amentia eſt conferendum, dummodo fieri poſſit ſine irreverentia Sacramenti.

Petes, quantus debeat eſſe morbus, ut quis ſit capax hujus Sacramenti.

Vt quis illud validè ſuſcipiat ſufficit ſi ex ejus morbo timeatur mors.

Reſp. talis, ex quo timetur mors ſecutura judicio medicorum, vel peritorum; ſic enim habet Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. de Extrema Unct. „ declaratur etiam hanc unctionem „ eſſe infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam „ periculosè decumbunt ut in „ exitu vitæ conſtituti videantur. „ Quibus verbis indicat valere hoc Sacramentum, non tantùm quando datur aginozanti ſed etiam quando morbus ad eum ſtatum pervenit, ut de morte merito timeri poſſit; quo caſu non tantum validè, ſed & licitè dari poteſt; ex quo infertur conſultum eſſe, homini peſte infecto ſtatim illud adminiſtrari in principio morbi: nam cum peſtis ſit morbus lethalis, homo illâ correptus, eſt capax hujus Sacramenti: & cum ſit contagioſus, non oportet diutiùs differre, ne conferatur poſtea cum

majori

majori periculo miniſtrantis; & ne forte in tanta morbi illius incertitudine infirmus moriatur antequam ſuſcipiat.

Utilius eſt conferre illud ægroto dum eſt adhuc capax rationis.

Porro, ſicuti laudandi ſunt, qui hoc Sacramentum ſibi curant adminiſtrari, dum adhuc viget uſus rationis, idque ut cum majori devotione illud ſuſcipiant, & reddantur magis capaces ad fructum hujus Sacramenti ſuſcipiendum, & impetranda auxilia ad ſuperandas dæmonis tentationes; ita plurimum vituperandi ſunt qui timore aliquo humano correpti, differunt ſibi vel ſuis in morbo aliquo periculoſo procurare ſi non cum ſcandalo, certè cum minori ædificatione fidelium.

Petes, in qua ætate Sacramentum Extremæ Unctionis poteſt conferri pueris.

Pueri adepti uſum rationis ſunt capaces illius Sacramenti

Reſp. in ea in qua ſunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, ſcilicet poſt ſeptenium, niſi particulariter conſtet illos uſu rationis carêre, etiamſi ob defectum ætatis numquam Euchariſtiam perceperint, aut confeſſi fuerint. Imo infert Diana, illud Sacramentum potius eſſe adminiſtrandum puero rationis capaci, qui numquam communicavit, aut confeſſus eſt, quàm adulto in eadem neceſſitate exiſtenti, qui Euchariſtiam aliquando ſuſcepit.

Petes: an Beata Virgo fuerit capax hujus Sacramenti.

An Beata Virgo fuerit capax extremæ unctionis

Reſpondet affirmativè Eſtius, quia inquit, corroborari potuit gratiâ Dei adverſus diaboli tentationes, qui eſt ſpecialis effectus hujus Sacramenti; oppoſitum tamen magis placet, quia non decebat, quod ad perſonam illius audiretur vox illa, *indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum* &c. & eapropter eſto parvuli uſu rationis carentes ſint capaces gratiæ ſanctificantis, non tamen inde ſequitur eos eſſe capaces hujus Sacramenti.

Petes, an peccet mortaliter ægrotus non ſuſcipiens hoc Sacramentum.

Qualiter peccet æger omittens ſuſcipere hoc Sacram.

Reſp. per ſe loquendo negativè; quia nullum exſtat præceptum obligans ſub mortali: per accidens tamen poterit peccare mortaliter, ut ſi omittat cum ſcandalo aliorum, vel ex contemptu illud parvipendendo; aut ſi Sacræ Unctionis capax, aliud Sacramentum ſuſcipere non poſſit, & ſit in peccato mortali; quo caſu erit illi probabiliter neceſſaria ad ſalutem.

Petes, an miniſter hujus Sacramenti non debeat ſcire an ſuſcipiens ſit legitimè diſpoſitus.

Qualiter miniſtro de-

Reſp. affirmativè; quod communiter ſatis conſtat ſiquidem præmitti ſolet confeſſio & viaticum.

Digitized by Google

debeat conſtare de diſpoſitione ſuſcipientis.

ticum. Siquis tamen hæc non poſſit recipere, ſciatur tamen Chriſtianè vixiſſe, nec ullum grave peccatum commiſiſſe, poteſt illi miniſtrari hoc Sacramentum. Quod ſi quis tamen in mortale inciderit v. g. immediatè ante amentiam, non poteſt illi adminiſtrari hoc Sacramentum, niſi ſciatur edidiſſe ſigna doloris.

Non poteſt ſacerdos æger ſibi ipſi hoc Sacram. miniſtrare.

Petes, an ſacerdos ægrotus ad mortem poſſit ſemetipſum inungere in neceſſitate, ſicut poteſt ſemetipſum communicare.

Reſp. negativè; eo quod Sacramenta eſſentialiter conſiſtentia in uſu, ex ſenſu Eccleſiæ communi, requirant miniſtrum à ſuſcipiente diverſum; & eapropter nemo ſemet ipſum poteſt baptiſare confirmare, abſolvere &c.

DUBIUM VII.

Quis ſit miniſter bujus Sacramenti.

Miniſter hujus Sacram. eſt ſacerdos.

Hæretici negantes extremam unctionem eſſe Sacramentum, aſſerunt unctionem, de qua loquitur Iacobus Apoſt. in ſuâ Epiſtolâ, non neceſſariò à ſacerdotibus eſſe miniſtandam; quia inquiunt, per presbyteros ibi intelliguntur ſeniores.

Contra quos definit Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 4. de extremâ unctione, „ ſi quis dixerit presbyteros Eccleſiæ, quos „ B. Jacobus adducendos eſſe ad „ infirmum inungendum hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate, „ ob idque proprium extremæ „ unctionis miniſtrum non eſſe „ ſolum ſacerdotem, anathema „ ſit. „ Ex quo patet nomen presbyteri, uſu Scripturæ ſacræ & Eccleſiæ, non eſſe nomen ætatis ſed dignitatis, quod vel inde patet, quod gratia curationum, de qua hæritici volunt locum Iacobi intelligi, non ſit alligata ætati, cum conſtet nec omnes nec ſolos ſeniores habere gratiam curationum.

Dices, Apoſtolus in plurali ait *Presbyteros*, atqui ſufficit unus ſacerdos, ergo non loquitur de ſacerdote propriè dicto.

Reſp. negando conſequentiam; nam nomen plurale ibidem accipitur pro ſingulari, ſicuti dum communiter & ordinariè dicimus, peccata confitenda eſſe ſacerdotibus, per quod non intelligimus, quod multis, ſed uni ex multis.

Dices, Innocentius I. in Epiſt. ad Decent. cap. 8. ait qui oleo ab Epiſcopo confecto non ſolùm ſacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet, in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo.

Reſp. voculam illam *inungendo* debere accipi paſſivè, ut ſenſus ſit, quod omnes Chriſtiani, uti poſſint hoc Sacramento: quod facilè patet ex verbis Innocentii ſequentibus: nam incipit ſtatim declarare, quis ſit miniſter hujus Sacramenti, aitque eſſe ſacerdotem, qui ſolus eſt miniſter neceſſarius ad valorem, ita ut in nulla neceſſitate aliquis illo inferior hoc poſſit adminiſtrare; cujus ratio eſt inſtitutio Chriſti, habita ex Traditione Eccleſiæ: nam quod ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine nobis innoteſcit, cujus non reperitur initium, ex Apoſtolicà Traditione deſcendere exiſtimandum eſt, juxta regulam à Sancto Auguſtino traditam lib. 4. contra Donatiſtas, „quod univerſa tenet Ec„cleſia, nec conciliis inſtitutum, „ſed ſemper retentum eſt, non „niſi authoritate Apoſtolica „traditum rectiſſimè creditur, quod profectò congruè factum fuit ob ſanctitatem Sacramenti inſtituti ad remiſſionem peccatorum, cujus non eſt tanta neceſſitas, ut etiam aliis quibuſcumque poteſtas illud adminiſtrandi concederetur, ſicut in baptiſmo.

Non omnis ſacerdos licitè poteſt miniſtrare illud Sacramentum.

Petes, an omnis ſacerdos licitè poſſit hoc Sacramentum adminiſtrare.

Reſp. negativè, ſed regulariter ſolus parochus & habens ab eo poteſtatem delegatam; eò quod adminiſtrare Sacramentum hoc, ſit actus jurisdictionis; & eapropter Clementinâ I. de privil; excommunicantur Religioſi ipſo facto, excommunicatione Papæ reſervatâ, qui Clericis aut laicis Sacramentum extremæ unctionis, vel Euchariſtiæ miniſtrare, aut Matrimonio aſſiſtere ſine licentia Parochi præſumpſerint: alii tamen ſæculares ſacerdotes, quamvis peccent ſine licentia tacita vel expreſſa hoc Sacramentum adminiſtrando, non tamen excommunicantur.

An plures ſimul poſſint illud miniſtrare.

Petes, an plures ſacerdotes poſſint concurrere ad ſimul adminiſtrandum hoc Sacramentum.

Reſp. per ſe loquendo nega. quod patet ex praxi & conſuetudine univerſalis Eccleſiæ; quāquam non ſit contra ſubſtantiam hujus Sacramenti, quòd unus ſacerdos, v. g. inungat oculos, proferendo formam correſpondentem, & alius aures &c. cum enim in hoc Sacramento ſint plures actiones, & formæ correſpondentes à ſe invicem planè diſtinctæ, nihil vetat, quo minus poſſit à pluribus cum debita intentione fieri: & ita licitè in caſu particulari poſſunt plures ſacerdotes

dotes concurrere ad confectionem hujus Sacramenti; ut fit quando miniſter primus moritur, abſolutis duabus tantùm unctionibus, cui alius poteſt ſuccedere ad ſupplendas tres reſtantes: pro praxi tamen etiam in hoc caſu tutius erit unctiones, à primo ſacerdote collatas, repetere; maximè ſi notabilis mora inter unctiones factas à duobus, ſit interpoſita. Ratio eſt; quod id infirmo multo erit utilius, eò quod ſic Sacramentum certiſſimè recipiet, à duobus verò tantùm probabiliter.

Reſpectu tamen unius particularis unctionis cum formâ correſpondente, non poſſunt plures ſacerdotes concurrere, ita ſcilicet ut unus inungat, & alter proferat formam, eò quod forma tunc eſſet falſa, utpote ſignificans, hanc unctionem fieri per eum qui profert formam, quod eſt commune omnibus Sacramentis, quæ conſiſtunt in uſu materiæ: & eapropter particula illa, *per iſtam Sanctam Unctionem*, non profertur nudè ſpeculativè, ſed practicè, idque per modum miniſterii ejus qui profert.

Petes, an Paſtor teneatur per ſe vel per alium ſubdito ſuo hoc Sacramentum adminiſtrare.

Tenetur Paſtor ex juſtitia ſub mortali hoc Sacramentum ſuis ſubditis miniſtrare.

Reſp. affirmativè; idque ex juſtitia, utpote ex obligatione ſui officii, eſto ille tacitè tantùm petat, quod facere cenſetur quoties graviter decumbit, nec poſitivè contradicit, quod ſi faceret, deberet à Paſtore moneri, & ſuaviter ad hoc induci.

Ratio autem hujus obligationis ſub mortali eſt, quia, licet ſubditus per ſe loquendo non obligetur hoc Sacramentum ſuſcipere, conſtringitur tamen Paſtor vi ſui officii, nominatim in mortis articulo, ovibus ſuis proſpicere non tantùm de neceſſariis, ſed etiam utilitatem ſpiritualem illarum procurare, mediis ordinariis à Chriſto ad hoc inſtitutis.

Petes, an Paſtor obligetur cum periculo vitæ hoc Sacramentum ſubditis ſuis adminiſtrare.

An ad hoc teneatur cum periculo vitæ propriæ.

Reſp. quamvis per ſe loquendo, ut diximus, hoc Sacramentum non ſit neceſſitatis, eò quod communiter præmitti ſoleat confeſſio & S. Communio, quibus conſtituitur æger in ſtatu gratiæ; frequenter tamen, idque per accidens contingere poteſt, aliquibus ægrotis hoc Sacramentum eſſe neceſſarium ad ſalutem, ut puta ad vincendas grauiſſimas tentationes quibus illi quandoque in extrema illa lucta adeo obruuntur, ut ſine hujus Sacramenti adminiculo deficerent in via; partim quoque ad remiſſionem peccati mortalis, in quod poſt ſumptam Sa-

Digitized by Google

cram Communionem nonnumquam labuntur, elicitâ quidem contritione, ſed adeo remiſsâ, ut ſe ſolâ ſit inſufficiens ſine Sacramento, ad peccati remiſſionem; cum autem, prout ſupra docuimus tract. 1. quæſt. 8. dub. 4. Paſtor obligetur cum periculo vitæ propriæ ſubditis conferre Sacramenta, ipſis in tantum neceſſaria ad ſalutem, ut metuendum ſit, ne ſine illis exponantur periculo æternæ damnationis, conſequens eſt, bonum Paſtorem hoc quoque Sacramentum, utpote frequenter neceſſarium ad ſalutem, debere conferre cum periculo vitæ, juxta illud Chriſti, *bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis.* Neque ſufficit tempore contagionis graſſantis (prout rectè monet Rev. Adm. & Ampliſſ. Dominus Amatus Coriache Vicarius Generalis Archi-Epiſcopatus Mechliniensis Sede Vacante in decreto 24. Aprilis 1667. deſuper ad Confeſſarios edito) ut ſedulò adminiſtret Sacramenta Baptiſmi Pœnitentiæ, & SS. Euchariſtiæ; verùm etiam tenetur miniſtrare Sacramentum extremæ unctionis; quod Sacramentum exuntium è vitâ ſpecialiter nuncupatur; & ſingulari gratiæ Dei beneficio pro articulo iſto, unde tota dependet æternitas, à Chriſto Domino agnoſcitur eſſe inſtitutum: per hoc quippe Sacramentum, præter alios eximios effectus, delicta, ſi quæ ſint expianda, ac peccatorum reliquiæ abſterguntur; & ægroti anima alleviatur & confirmatur, ut morbi incommoda ac labores leviùs ferat, & tentationibus dæmonis faciliùs reſiſtat; neque verò dubium eſt, quin plures animæ, de quibus coram juſto Dei judicio ratio ab illis eſt reddenda, aliàs damnandæ, hujus unius ſubſidio ſalutem æternam conſequantur.

DUBIUM VIII.

Quiſnam ſit hujus Sacramenti effectus.

RESP. illum deſcribit Concilium Trident. dum ſeſſ. 14. cap. 2. de Extrema Unctione ſic ait, „res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur; *& oratio fidei ſalvabit* „*infirmum, & alleviabit eum Do-* „*minus; & ſi in peccatis ſit dimitten-* „*tur illi*: res etenim hæc, gratia „eſt Spiritus Sancti, cujus unctio „delicta, ſi quæ ſint expian- „da, ac peccati reliquias abſter- „git & ægroti animam alleviat, „magnam in eo divinæ miſeri- „cordiæ fiduciam excitando: „quâ infirmus ſublevatus, & „morbi incommoda ac labores leviùs *Qui ſint effectus extremæ unctionis.*

Digitized by Google

„ leviùs fert, & tentationibus
„ dæmonis calcaneo inſidiantis
„ faciliùs reſiſtit, & ſanitatem
„ corporis interdum, ubi ſaluti
„ animæ expedierit, conſequi-
„ tur.

Unde colligitur effectum hujus Sacramenti non eſſe ſimplicem, ſed varium; & quidem prout quoque conſtat ex doctrina de Sacramentis in generali, hoc Sacramentum confert gratiam ex opere operato 2. confert gratias prævenientes neceſſarias ad corroborandam animam contra omnes inſultus diabolicos, in extremo illo agone animam affligentes; item ad excutiendum omnem torporem, excitandamque in Deum fiduciam; nam, cum anima in finè ex recordatione preteritorum peccatorum plurimùm angatur & timore divini judicii, ad quod pergit, concutiatur, facilè in deſperationis barathrum laberetur accedente dæmonis tentatione, niſi ſpeciali auxilio per hoc Sacramentum corroboraretur.

Quæ ſint peccatorum reliquiæ quas aufert hoc Sacram. Petes, quid intelligatur per peccatorum reliquias quas tollit extrema unctio.

Reſp. per has intelligi partim peccata, quæ quandoque adhuc remanent in anima, poſt ſuſcepta adhuc alia Sacramenta: nam fieri poteſt, quod quis poſt Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſuſceptum incidat in mortale, & hoc ignoret, ac proinde nequeat confiteri; tunc illud peccatum tollitur per hoc Sacramentum, mediante contritione.

Porro quamvis ſit commune omnibus Sacramentis, tollere peccata occulta, ſi quæ inveniant in ſubjecto in ſui ſuſceptione, hoc tamen illis ſolùm convenit per accidens; id autem per ſe competit huic; eò quod ad hoc ſpecialiter ſit inſtitutum, quod indicat Jacobus Apoſt. dum ait *ſi in peccatis fuerit remittentur ei.*

Præterea per peccatorum reliquias intelliguntur torpor animi ad cæleſtia, & horror ob mortem inſtantem, timor & tremor ob incertitudinem ſalutis, quæ tria dicuntur peccatorum reliquiæ, quia ex peccatis oriuntur: porro quod extrema unctio illas tollat oſtendit, Jacobus dum ait, *alleviabit eum Dominus*, conferendo nimirum per hoc Sacramentum auxilium ſpeciale, quo homo æger ab illo torpore excitetur ad cogitanda cæleſtia, & concipiendam fiduciam de divina miſericordia.

Petes, an ſanitas corporis quando id expedit ſaluti animæ ſit effectus infalibillis hujus Sacramenti. *Quomodo ſanitas corp. ſit effectus hujus Sacram.*

Reſp. negativè, ſed talis tan-

rum qui interdum confertur. prout ait Conc. Trid. loco ſupra citato: idque prout viſum fuerit divinæ providentiæ: porro hunc effectum indicat Jacobus Apoſt. dum ait *& oratio fidei ſalvabit infirmum*

Ex his collige, quod, quantumvis non omnis æger conſequatur vi hujus Sacramenti ſanitatem corporis, eſto hæc expediat ſaluti animæ ejus, neminem tamen per hoc Sacramentum conſequi ſanitatem corporis, niſi hæc expediat ſaluti animæ ejus; & ea propter ſi quis ſanetur, & dein deterior evadat, ita ut in fine moriatur in peccatis ſuis, ille non eſt ſanatus per hoc Sacramentum ſed remediis naturalibus.

Porro quod particulariter attinet ad hunc effectum ſanitatis corporalis, Parochi ſubditos ſuos quandoque monere debent, ne ſtultam illam opinionem admittant, qua ſibi perſuadent eſſe conclamatum de vita, ubi quis eſt inunctus, quam falſam perſuaſionem procurat dæmon, ut ſic homines avertat a ſuſceptione hujus Sacramenti, prout quoque facit perſuadendo rudibus, quod in ſuſceptione hujus Sacramenti amittant aliquem ſenſum.

Petes; quandonam hoc Sacramentum conferat ſuum effectum principalem.

Reſp. quam primum eſt eſſentialiter completum, quod habet commune cum omnibus aliis Sacramentis; completur autem hoc Sacramentum eſſentialiter per quinque unctiones ſenſuum, adeo ut ante ultimam abſolutam nihil efficiatur: nam prout & adhuc ſupra inſinuavimus, confertur hoc Sacramentum ægroto per modum perfectæ Medicinæ, ad curanda omnia vulnera interiora animæ; cum autem quinque ſenſus externi ſint quaſi quinque radices omnium vulnerum interiorum animæ, eò quod per illos, tamquam per totidem feneſtras omnia objecta peccaminoſa perveniant ad intellectum & voluntatem, ſequitur illud debere applicari ad omnes ſenſus externos; eò quod alioqui non habebit rationem perfectæ medicinæ, & conſequenter non ſignificabit perfectam curationem

DUBIUM IX.

An hoc Sacramentum poſſit iterari.

Reſp. affirma. quia non imprimit characterem; eò quod per illud non deputemur ad alia Sacramenta ſuſcipienda vel conferenda, nec ſtatum aliquem in Eccleſia ſuſcipiamus; ſicut per baptiſmum, confirmationem

Extrema unctio nō imprimit characterem.

mationem; & Ordinem; Sacramenta autem non imprimentia characterem iterari poſſunt.

In eodem ſtatu morbi nõ poteſt iterari.

Attamen hoc Sacramentum iterari non poteſt in eodem ſtatu morbi, eò quod ſemel ſuſceptum ſit medicina ſufficiens ad conferendum effectum, quo infirmus indiget: quod ſi tamen ſtatus morbi immutetur, iterari poteſt: ac eapropter ſi quis exiſtens in periculo mortis perceperit extremam unctionem, deinde per menſem v. g. convaluerit ab ejuſmodi morbo, & rurſus in idem mortis periculum incidat, poterit Sacramentum illud denuo recipere: & eapropter in diuturnis morbis ut hydropi & hectica, ubi ſemel periculum deſiit, ſi recrudeſcat, toties eſt reiteranda Extrema unctio, quoties periculum mortis recruduerit, idque ut infirmus novum habeat levamen, in novo mortis articulo: & idcirco Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. de Extrema unctione, ſic ait „ Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam „ hanc unctionem convaluerint, „ iterum hujus Sacramenti ſub„ ſidio juvari poterunt, cum in „ aliud vitæ diſcrimen inciderint.

Petes, quid aget Paſtor ſi ſit dubium, an æger qui ungendus eſt, adhuc ſupervivat.

Reſp. tunc illi dandam eſſe extremam unctionem ſub conditione.

Petes, an peccent qui, curam ægrorum habentes, differunt petere extremam unctionem, uſque dum infirmus eſt morti proximus & deſtitutus uſu rationis.

Peccant qui differunt procurare ægris hoc Sacram.

Reſp. affirmat. nam uſus rationis & devotio infirmi plurimum conducunt ad majorem hujus Sacramenti effectum percipiendum; ſiquidem hoc Sacramentum confert vires contra tentationes, quæ ſolent præcedere privationem uſus rationis; nam deſtitutus uſu rationis non eſt ampliùs capax tentationis: quin imo Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Art. Moriendi cap. 8. rejicit cauſam, cur multi ægri corporaliter non convaleſcant, in tarditatem illam petendi Extremam unctionem: neque enim, inquit, per hoc Sacramentum expectanda ſunt miracula; quale eſſet, ſi quis agens animam continuo convaleſceret; verùm ſi hoc Sacramentum conferretur ægrotis quando periculosè laborare incipiunt & adhuc pollent uſu rationis, ſæpe, inquit, videremus effectum ſanitatis; non quidem in momento, ſed tempore ſuo ſuccedere.

DUBIUM X.

Quæ ſint ſigna Medicorum è quibus Paſtor colliget ægrum brevi moriturum

Signa ex quibus colligi poſſit proximũ periculũ mortis.

RESP. & dico ; ſi pulſus hominis ægroti ſit planè languidus & rarus & quaſi formicans ; cujus tamen Paſtor non debet experientiam capere in fœminis, quia hoc indecens & periculoſum eſt, & idcirco relinquat hoc aliis.

II. Si infirmus frequenter brachia ſua jactet extra lectum, ſitque continuò inquietus, ſeſe nunc huc nunc illuc movendo, muſcas feſtucas, pilos, aut floccos continuò ex ſtragula excerpens.

III. Si habeat linguam nigram & ſiccam, aut puſtulas in lingua.

IV. Si continuò hiet aut ſingultiat, aut velit continuò dormire.

V. Sudor & anhelitus frigeſcens, manus item frigidæ & fuſcæ.

VI. Si infirmus faciem ſuam continuò nitatur abſcondere, fugiens lucem & homines.

VII. Si facies ſit livida & cadaveroſa, naſus acutus, labia contracta, item vires omnes proſtratæ.

VIII. ſignum mortis eſt, dum quis frequenter ſyncopem ſeu deliquium patitur.

IX. ſi Aſthmaticus evomat particulas pulmonis, propinquæ mortis indicium eſt.

X. Urina nigra.

DUBIUM XI.

An Paſtor ſit ſufficienter functus officio ſuo, eo ipſo quo ægroto adminiſtravit viaticum & Extremam unctionem.

Ad quæ teneatur Paſtor erga ægrũ cui adminiſtravit hoc Sacram.

ALiqui hinc inde reperiuntur Paſtores, adeo ſalutis ſubditorum incurii ut poſtquam viaticum & Extremam unctionem ægrotis adminiſtrarunt, omnes ſe boni Paſtoris partes explevïſſe arbitrentur, adeoque omnem de ægroto curam deponant, neque de eo viſitando impoſterum laborent: qui certè, quam parvo animarum zelo ferantur, ipſo facto oſtendunt: nam quamvis Extrema unctio conferat gratias prævenientes ad Dæmonis tentationes ſuperandas, tamen æger per has non redditur impeccabilis, neque à tentationibus immunis, & eapropter ſi umquam, certè tunc eget adminiculo ſuavis alicujus & ferventis exhortationis ; quapropter tantum abeſt ut tunc minui poſſit Paſtoris vigilantia, ut econtra

Digitized by Google

econtra multò magis debeat augeri, ne alioquin ejus defectu aut negligentiâ, hæc anima (quod quandoque contingit) in ipſo portu patiatur naufragium & damnum irreparabile pro tota æternitate.

Proinde ſi Paſtor ſedulò officio ſuo fungi & conſcientiæ ſuæ ſatisfacere deſideret, frequenter poſt datam Extremam unctionem inviſat ægrotum, animet, ſoletur, & ſi gravi aliquâ aut moleſtâ tentatione pulſetur, remedia illi contra hanc præſcribat, & ſi diutiùs decumbat inquirat, an à præterita confeſſione ſit quietus & ſecurus in ſua conſcientia, an verò denuo velit confiteri & communicare; & in omnibus expleat numeros veri Paſtoris, non verò mercenarii apud ægrotum in eo articulo conſtitutum, in quo agitur de ſumma rei, & jacitur alea fœlicis vel infœlicis æternitatis.

Praxis pro Paſtoribus circa moribundos.

Miſceat nonnumquam cum ægro pia aliqua & ſalutaria colloquia, potiſſima verò ſit illi cura circa fidem, ſpem, charitatem, contritionem & omnimodam ſui reſignationem in manus divinæ Majeſtatis: porro non hæc omnia ſunt ſimul & confertim ſuggerenda, ſed ſuceſſivè, leviter, ſuaviter, & per intervalla, juxta vires ægroti.

Et I. quod ad fidem attinet, moneat infirmum, ut faciat confeſſionem fidei, recitando ſymbolum Apoſtolorum, & hanc fidei confeſſionem iteratis vicibus repetat, exercendo heroicos actus vivæ fidei quæ per dilectionem operatur: & ſi fortè ægrotus aliquam tentationem patiatur circa fidem, frequenter inculcet illi hanc aſpirationem *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*: proteſtetur ſe mori velle tamquam filium Eccleſiæ, & agat infinitas Deo gratias pro dono fidei ſibi collato.

II. Studioſè inſtruat illum qualiter debeat in corde ſuo formare perfectam contritionem conſiderando peccata quibus multipliciter divinam Majeſtatem offendit, dolendo de illis propter Deum ſummè offenſum, qualiter quoque, memor vilitatis ſuæ, debeat ſe coram Deo humiliare, dum ſe toties dignum æternalibus flammis agnoſcit, adeoque cum S. Auguſtino exclamet: ſerò te amavi, pulchritudo tam antiqua, tam nova, ſerò te amavi.

Porro ad ſpem excitandam & roborandam exhibeat illi imaginem crucifixi; quia non eſt aliud nomen ſub cælo in quo oportet nos ſalvos fieri: agnoſcat qualem dilectionem Filius Dei illi

Digitized by Google

exhibuerit, dum illum, licet graviſſimum peccatorem, adinſtar ovis perditæ, tamquam bonus Paſtor quærit, vocat & invitat ad veniam, quique illum, licet filium prodigum, in filium adoptivum gratiæ ſuæ recepit; adeoque illum inducat ad hunc actum ſpei, *in te Domine ſperavi non confundar in æternum* aut breviùs illos actus illi proponendo, dicat.

Bone Jeſu in quem credidi, & credo, miſerere mei,

Bone Jeſu in quem ſperavi, & ſpero, miſerere mei

Bone Jeſu quem amavi, & amo, miſerere mei.

Item, *Domine Jeſu Chriſte per illam amaritudinem quam ſuſtinuiſti pro me in cruce, maximè quando anima tua benedicta egreſſa eſt de corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo.*

Item, *Domine Jeſu Deus cordis mei, per quinque vulnera tua, quæ tui in me amor inflixit, huic famulo tuo ſubveni, quem pretioſo ſanguine redemiſti.*

Item cum S. Auguſtino dicat: *Domine Jeſu ecce in manibus tuis deſcripſiſti me, lege ſcripturam tuam, & ſalva me.*

Poterit quoque infirmus valde utiliter curare ſibi prælegi, ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum S. Auguſtino, eò quod plurimùm excitent compunctionem ſuper peccatis commiſſis, quam, ut æger vivaciſſimè in ſe experiatur, ad hoc omnis Confeſſarii aut Paſtoris adhortatio debet referri; aut certè Paſſionem Domini, ſecundùm aliquem ex Euangeliſtis prælegi ſibi curet, aut Pſalmum *qui habitat in adjutorio altiſſimi.*

Hortabitur quoque ægrotum, ut ſe totum reſignet in manibus Domini, dicendo, *in manus tuas Domine commendo Spiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis.*

Hortabitur inſuper ut BB. Virginem Mariam advocet in ſingularem patronam, dicendo, *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ tu nos ab hoſte protege & hora mortis ſuſcipe.*

Cum fructu quoque poterit illi prælegere threnum S. Auguſtini, quem ipſe ante mortem compoſuit, eſtque hæc.

Ante oculos tuos Domine culpas noſtras ferimus, & plagas quas accepimus conferimus.

Si penſamus malum quod fecimus, minus eſt quod patimur, majus quod meremur,

Gravius eſt quod commiſimus: levius quod toleramus.

Peccati pœnam ſentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas noſtra teritur, & iniquitas non mutatur.

Mens

Mens ægra torquetur, & cervix non flectitur.

Vita in dolore ſuſpirat, & in opere non ſe emendat

Si exſpectas, non corrigimur: ſi vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione quod egimus: obliviſcimur poſt viſitationem quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus; ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non ſolvimus.

Si ferias, clamamus ut parcas: ſi peperceris, iterum provocamus ut ferias,

Habes Domine confitentes reos: novimus, quod, niſi dimittas, rectè nos perimas.

Præſta Pater omnipotens ſine merito quod rogamus, qui feciſti ex nihilo qui te rogarent. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Inſtruendus quoque eſt æger, ut omnes ſuos dolores, languores, & ſuſpiria uniat cum languoribus & doloribus Chriſti in cruce pendentis, idque ut ex illa unione accepta fiant Patri æterno: frequenter quoque illi ingeminandum eſt, ut inter brachia ſui Salvatoris optet vivere & mori.

Porro cum homo moribundus poſſit eſſe in duplici ſtatu, primò, ut ſit compos ſui adhuc pollens omnibus ſenſibus, quantumvis per morbum debilitatis: ſecundò, ut ſit impos mentis, adeoque deſtitutus omni ſenſuum externorum uſu, præſertim loquelæ & auditûs, quæ dicta ſunt, intelligenda veniunt de primo ſtatu: nam pro ſecundo ſtatu, Paſtor aut Confeſſarius per exhortationes parum aut nihil poterit ægrum juvare; qui proinde tunc Deo potiſſimùm eſt commendandus per ferventes preces & commendationes; qui tamen, ſi fortaſſis adhuc audiat (quod nonnumquam experientiâ teſte contingit) inclamet illi frequenter ad aures ſuaviter nomen *Ieſus* & *Maria*, paucis quoque & pedetentim revocentur illi in memoriam actus ſubſtantiales ſupra recenſiti, dicendo per intervalla, *Credo*, *Spero*, *Diligo*, *Doleo*, *Reſigno*: nec tunc deſerendus eſt æger; quinimo in extrema illa agonia, majore quam ante, charitate & Spiritûs fervore eſt adjuvandus, per ſimiles aſpirationes, quæ ſolent maximum adferre ſolamen & vires ad reſiſtendum omnibus dæmonis tentationibus & phantaſmatibus, quibus in illa hora nititur animam perturbare.

Etenim, quia zeloſo Paſtori non ſatis eſſe debet, ſubditos ſuos ſanos modum Chriſtianè vivendi docere, proinde maximè neceſſarium eſt, eos ingraveſcente infirmitate, ad bene moriendum

ſponere, eo quod Diabolus, tamquam leo rugiens, in agonia ſoleat circuire quærens quem devoret: & quia experientiâ didici complures Paſtores & Vice Paſtores, quantumvis ſpeculativè doctos, tempore tamen tyrocinii ſui circa adminiſtrationem Sacramentorum Euchariſtiæ & Extremæ Uunctionis perſæpe eſſe valde ſteriles & aridos in dicendo & admonendo, idque frequenter cum magno detrimento animæ ipſius ægroti: eapropter operæ prætium exiſtimavi, ſi in gratiam hujuſmodi Tyronum aliquas exhortationes in actu exercito hic adjicerem, quibus ſeſe in illa neceſſitate poterunt juvare.

Exhortatio ante viaticum.

FRater chariſſimè, quandoquidem tu ægritudine præpeditus, nequeas in Eccleſia viſitare Dominum Deum tuum, ſub ſpeciebus panis & vini ibi in tabernaculo jugiter præſentem, venit ille ad te; & quaſi ad Zachæum clamans, ait, *feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere* & tecum cœnare: ô felix cœna cui intereſt talis conviva! quod admirans Eccleſia exclamat: „ ô „ Sacrum convivium, in quo „ Chriſtus ſumitur, recolitur me„ moria paſſionis ejus, mens im„ pletur gratiâ & futuræ gloriæ „ nobis pignus datur! „ Hæc quatuor puncta, velut totidem iſtius convivii fercula, Frater chariſſimè, tibi propono: & 1. quidem quod hoc Sacramentum ſit Sacrum convivium; idcirco enim per modum cibi omnibus viatoribus ex hac vita decedentibus porrigitur, ne deficiant in via quamplurimis tentationibus & periculis obnoxiâ, in qua, ne tu propter hæc cadas animo, Salvator tuus paravit in conſpectu tuo hanc menſam 2. in hoc Sacramento recolitur memoria paſſionis ejus, cujus jugem memoriam vult Dominus Deus eſſe apud te, eò quod in illa ſita ſit omnis ſpes ſalutis tuæ. 3. Mens impletur gratiâ; nam quod cibus corporalis eſt corpori, hoc ſpiritualis eſt animæ, ipſam reficiens, corroborans & novo replens vigore, in tantum ut voluntas hoc ſacratiſſimo epulo recreata, exclamare cogatur, *mihi vivere Chriſtus eſt*, *& mori lucrum*. 4. Per illud, futuræ gloriæ nobis pignus & quaſi hypotheca datur in hoc Sacratiſſimo Sacramento: quidni ergo & tu ad illud toto corde tuo aſpires, & dicas, veni *veni Domine Jeſu & noli tardare*, *deſcende priuſquam moriatur anima mea*.

Ex

Digitized by Google

Exhortatio ſecunda ante viaticum.

FRater chariſſimè, *benedictus Dominus Deus Iſraël quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ:* benedictus, inquam, Dominus Jeſus, qui te in hoc lectulo decumbentem perſonaliter & veraciter viſitare dignatur, deliteſcens ſub ſpeciebus Sacramentalibus & ex puro tui amore, ut tu quoque reddas amorem pro amore, commemorando infinita ejus beneficia, quibus te in vita prævenit ſignanter quod te ex nihilo creaverit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. 2. Te ſanguine ſuo pretioſo redemerit. 3. Gratiæ ſuæ donis cor tuum locupletaverit, & ad pœnitentiam excitaverit. 4. Corpore ſuo & pretioſo ſanguine multoties te paverit. 5. A quamplurimis tentationibus & periculis te liberaverit. 6. Hunc morbum ad ſalutem tuam immiſerit invitando te ad cæleſtem gloriam; erumpe ergo in gratiarum actiones; & dic, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo:* noli tamen inniti meritis aut operibus tuis bonis, ſi quæ in vita tua feciſti, ſed miſericordiæ & meritis Salvatoris tui Jeſu, cui duplici titulo, ait S. Bernardus, debetur regnum cælorum. 1. Titulo hæreditatis, quatenus eſt unigenitus Dei Filius. 2. Titulo emptionis, quatenus illud proprio ſuo ſanguine & pretio mortis ſuæ probroſæ emit: primus titulus illi ſufficit, ſecundus eſt pro te, dummodo in illum veraciter credas, illum ferventer diligas ſuper omnia, ſincerè de peccatis doleas, illique perfectè uniri deſideres in hoc SS. Sacramento.

Exhortatio Tertia.

FRater chariſſime, pretioſiſſimum depoſitum, quod in Eccleſia Catholica cuſtoditur eſt corpus & ſanguis Chriſti, veraciter & realiter ſub ſpeciebus panis & vini deliteſcens prout modò eſt glorioſum in cælis; illius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, præſertim quando ſunt in tribulatione & anguſtiis, prout modo es: idcirco apud Pſalmiſtam ait *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Quod admirans Mater Eccleſia, Exclamat „ ſe naſcens dedit ſocium, „ ſe veſcens in edulium, ſe mo- „ riens in pretium „ quin & in viaticum peregrinantis animæ: in quo ſtatu, cum jam ſis conſtitutus, teque Deus per hunc mor-

Digitized by Google

bum adhortetur, ut ad æternitatis iter te diſponas, idcirco tempeſtivè ſatage hoc ſacratiſſimum viaticum cum magno Spiritus fervore ſuſcipere, ut in fortitudine cibi illius, valeas aſcendere ad montem Dei Horeb, teque præmunire contra inſidias inimicorum omnium: præpara te ergo in occurſum Dei tui, exi obviam illi, fide vivâ, ſpe firmâ, corde contrito, animo reſignato, amore perfectiſſimo, ad illum dignè ſuſcipiendum in cordis tui habitaculo, quem omnes Sancti inceſſanter adorant in cælo.

Exhortatio poſt ſumptum viaticum.

FRater chariſſime, amodo age divinæ Majeſtati gratias, quæ te dignata eſt viſitare & ſaturare pretioſo corpore & ſanguine unigeniti filii ſui, teque præmunire contra omnes inſidias Diaboli: dic proinde confidenter, cum Propheta: *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*; maſtica modò & rumina, dentibus intellectûs & affectibus voluntatis tuæ, pretioſum hunc cibum: & dic *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*; & ita pauliſper mane in ſecreto, & fruere Deo tuo: nec habes quod metuas, dummodo illi fideliter conjunctus maneas per amorem & fidem quæ per dilectionem operatur.

Exhortatio ad Extremam unctionem.

FRater chariſſime, quamvis adverſarius noſter Diabolus omni tempore inſidietur animabus noſtris, potiſſimùm tamen, tamquam Leo rugiens, circuit quærens quem devoret, circa finem vitæ, ſciens quia modicum tempus habet: ad hunc finem Salvator noſter inſtituit hoc Sacramentum Extremæ unctionis, & idcirco quilibet Chriſtianus in periculo mortis conſtitutus, armare ſe debet & corroborare hoc Sacramento, juxta dictum Apoſtoli Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum &c.* Optaſne igitur juxta morem Eccleſiæ Catholicæ muniri hoc Sacramento, illudque cum devotione ſuſcipere, antequam forſan præ infirmitate ſenſibus deſtituaris? Scias autem, frater, quod effectus hujus Sacramenti ſunt varii, 1. gratia ſanctificans, habens adjuncta ſpecialia auxilia ad expellendas peccatorum reliquias 2. gratia ſpecialis ad confortandum animum contra omnes inſultus & tentationes Dæmonis 3. ſanitas corporis, ſi ita

[..]n expediat ſaluti animæ 4. gratia ſpecialis ad excutiendum torporem, & ad fiduciam collocandam in Deo 5. gratia ſpecialis ad mitigandum horrorem ob mortem inſtantem, & anxietatem ob incertitudinem ſalutis; proinde, tamquam bonus Chriſti miles,arma te in hoc inſtanti agone. armato, inquam, hoc Sacramento: & cogita, quod illo ipſo tempore quo ego te exteriùs inungam, Jeſus Salvator tuus, cujus miniſterio ego fungor, ille te inunget ſuauiter, & confortabit interiùs oleo gratiæ ſuæ.

Exhortatio poſt Extremam unctionem.

Ecce jam inunctus es Frater chariſſime, & undequaque protectus Dei gratiâ per virtutem hujus Sacramenti, certa proinde bonum certamen, contra ſpiritualia nequitię in cæleſtibus; & age immenſas divinæ majeſtati gratias, pro tam ſingularibus beneficiis per hoc Sacramentum tibi conceſſis: etenim remiſſæ ſunt omnes peccatorum reliquię, armatus es & confortatus divinâ gratiâ, ad fortiter pugnandum contra inſidias Diaboli; aliud modò non reſtat, quàm ut conſcientiam tuam cuſtodias immaculatam, & fidem Chriſto, tuo duci, datam ſerves, te omnimodè reſignes in manus divinæ majeſtatis, paratus vivere & mori pro Chriſto.

Alia Monitio.

Frater chariſſime, Jeſus Chriſtus, Salvator noſter, non ſolùm dedit nobis exempla benè vivendi, ſed & bene moriendi: proinde oportet, ut ipſe in mortis periculo conſtitutus, attentè cogites, quomodo Jeſus ſit mortuus.

1. Oravit ipſe Patrem, dicens *Clarifica me Pater in hac hora* dic tu quoque *Deus propitius eſto mihi peccatori in hac hora.*

2. Jeſus deploravit peccata aliena, dicens, *Deus Deus meus reſpice in me, longè à ſalute mea verba delictorum meorum*: tu verâ cordis contritione deplora peccata propria, & pro illis veniam poſtula.

3. Jeſus ignovit crucifigentibus eum & pro ipſis oravit: tu quoque ignoſce iis qui te offenderunt, & ſi quos tu offenderis, te ipſis reconcilia, petendo veniam.

4. Jeſus in cruce deſtitutus omni ſolatio exclamavit *Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me*: diſce tu hinc, dum te quandoque exiſtimas à Deo tuo derelictum

lictum, illum tibi tunc eſſe maximè præſentem, illamque benedictionem tibi reputa ſalutarem, utpote per quam conformaris Filio Dei, in cruce pendenti.

5. Jeſus ait Patri, *In manus tuas commendo Spiritum meum*: tu Chriſtum imitare in hac extrema lucta tua, & dum nullum tibi ſupetit effugium, committe corpus tuum, animam & ſanitatem tuam in manus divinæ Majeſtatis, ut de illis in tempore & in æternitate diſponat, ſecundùm ſanctiſſimum beneplacitum ſuum

Admonitio in viſitatione infirmi.

ACcipies crucifixum in manus tuas quem ægroto præbebis oſculandum, dicens, Oſculare Frater, vulnus dextræ manus Salvatoris tui, in ſignum quod omnia credas quæ Mater Eccleſia tibi proponit credenda.

2. Oſculare vulnus ſiniſtræ manus, in ſignum, quod ſperes non tuis meritis, ſed paſſione & meritis Salvatoris tui, te ſalvum iri.

3. Oſculare vulnus lateris Chriſti, in ſignum, quod Dominum Deum diligas ex toto corde tuo.

4. Oſculare vulnus dexteri pedis, in ſignum, quod ſincerè doleas de omnibus peccatis tuis propter Deum ſummè bonum offenſum.

5. Oſculare vulnus ſiniſtri pedis Salvatoris tui, in ſignum, quod in tempore & æternitate te in manus ejus reſignes.

Alia admonitio in viſitatione infirmi.

ASpice, Frater Chariſſime, corde contrito & humiliato, imaginem Salvatoris tui pro te crucifixi, oſculare ſanctiſſima ejus vulnera in gratiarum actionem pro beneficiis per illa acceptis: offer illi ex toto corde tuo corpus & animam, ut ſanguis ejus expurget te ab omnibus peccatis: crux ejus te cuſtodiat ab inſidiis inimicorum tuorum, & gratia ejus te interiùs illuminet, & inflammet animam tuam.

Aſpirationes infirmis per intervalla proponendæ.

PAter de Cælis Deus, miſerere animæ meæ in hiſce anguſtiis conſtitutæ, ob merita amantiſſimi filii tui. Jeſu Fili David per crucem & Paſſionem tuam miſerere mihi ſeruo tuo.

Bone Jeſu, in te credo, in te ſpero, ego te ſuper omnia diligo

ligo, & doleo quod te Deum meum, umquam offenderim.

Bone Jeſu, ne permittas me umquam ſeparari à te.

Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.

Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?

Bone Jeſu cuſtodi animam meam, quam pretioſo ſanguine tuo redemiſti.

Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte me ergo ut plangam paululum dolorem meum.

Peccavi: quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimet ipſi gravis?

Cur faciem tuam abſcondis à me, & arbitraris me inimicum tuum? contra folium oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris.

Domine Jeſu, tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea.

Cor mundum crea in me Deus & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.

Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini &c.

Digitized by Google

TRACTATUS VII.

De Sacramento Ordinis.

DUBIUM I.

Quid ſit Ordo.

POſt explicata Sacramenta quæ pro ſingulorum ſalute ſunt inſtituta, agendum de duobus inſtitutis ad commune bonum, ſcilicet de Ordine & Matrimonio: quorum primum inſtitutum eſt ad ſpiritualem multiplicationem & gubernationem fidelium; poſterius verò ad corporalem.

Varia acceptio vocis Ordo. Et primò quod ad nomenclaturam attinet, vocatur hoc Sacramentum Ordo; quia etſi illa vox *Ordo* ſit latiſſimæ ſignificationis, rectè tamen per antonomaſiam uſurpatur à fidelibus 1. pro certis gradibus Eccleſiaſticis qui ſub hoc Sacramento continentur; quia per eos pulcherrimo ordine diſpoſita eſt Eccleſiaſtica Hierarchia. Secundò pro cæremonia externa à Chriſto inſtituta, per quam alicui confertur hujuſmodi gradus in Eccleſia Dei, & deputatur ad particulare aliquod miniſterium in cultu divino obeundum.

Quid Ordinis Sacramentum. Et quidem in hac poſtrema ſignificatione hìc accipitur vox, Ordo, dum tractamus de Sacramento Ordinis: quod rectè definitur, ſignum externum, quo traditur ſpiritualis poteſtas & confertur gratia ad Eccleſiaſtica munia ritè decenterque obeunda.

Traditur autem illa poteſtas ſpiritualis ordinato, vel ad conſecrandam Euchariſtiam, prout ſacerdotibus; vel ad conſecrandos ipſos ſacerdotes, prout Epiſcopis; vel ad exhibendum aliquod miniſterium prævium conſecrationi Euchariſtiæ, prout reliquis inferioribus miniſtris, Diaconis, Subdiaconis, Acolythis &c.

DUBIUM II.

An Ordo ſit Sacramentum.

NOta: hic non quæri, an omnis illa externa cæremonia qua confertur poteſtas aliqua, ad obeunda aliqua miniſteria, etiam remota in ordine ad Euchariſtiam,

ſtiam, ſit Sacramentum (nam, ut poſtea dicetur, ſalvâ fide hoc inter Catholicos probabiliter controvertitur) ſed hoc hîc quærimus, an ſaltem aliquis Ordo ſeu aliqua talis Cæremonia ſit Sacramentum imprimens characterem: Negat hoc Lutherus, in ſua Captivitate Babylonica, cum pleriſque noſtri temporis ſectariis; qui, cum ſint deſtituti legitimis Epiſcopis, à quibus ſuam ordinationem per continuam ab Apoſtolis factam ſucceſſionem accipiant, idcirco per meram extrinſecam deputationem ſuos miniſtros creant, eo modo quo Reges & Principes creant ſuos Senatores, civitatum Gubernatores, Capitaneos & Tribunos &c. Et hac ratione, dicunt illi, quoque in Eccleſia creari ſacerdotes, nempe per meram extrinſecam deputationem factam ab Eccleſia ad ejuſmodi miniſterium obeundum, adeoque hâc poteſtate privari poſſe, & rurſus redigi in ordinem laicorum, non ſecus ac aliquis privari poteſt officio Conſulis, Conſiliarii, aut Senatoris quod habuit.

Contra quos omnes.

Certum de fide Ordinem eſſe Sacramentum novæ legis.

Certâ fide tenendum eſt quod detur aliquis Ordo qui ſit Sacramentum imprimens characterem; adeoque qui ſemel acceptus amitti non poteſt: quod definit Conc. Trid. ſeſſ. 23. can. 3. his verbis, „ſi quis dixerit Ordinem, ſive ſacram Ordinationem, non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum &c. anathema ſit: „ & can. 4. „ſi quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui, ſemel ſacerdos fuit, laicum rurſus fieri poſſe: anathema ſit.

Ex Concilio Tridentini.

Ex Scriptura S.

II. Probatur ex diverſis Sacræ Scripturæ locis, quibus patet Apoſtolos, in ordinandis miniſtris Eccleſiæ, uſos fuiſſe manuum impoſitione, tamquam ſigno externo quo gratia conferretur: ita Actor. 6. per manus impoſitionem ordinati ſunt ſeptem Diaconi: & Act. 13. Saulus & Barnabas per impoſitionem manuum deſtinati ſunt ad opus Euangelii: item 1. ad Tim. 4. ait Apoſtolus, *noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbyterii*; hoc eſt Epiſcoporum qui te unà mecum ordinarunt: unde nomen, *Preſbyterii*, hîc ſumitur concretim pro cætu presbyterorum, ſeu Epiſcoporum: nam, ut ait S. Chryſ. in hunc locum, „non de Preſbyteris, ſed de Epiſcopis loquitur Apoſtolus: neque enim Presbyteri ipſum ordinaverant:

 2. ad

2. ad Timoth. 1. *admoneo te*, inquit, *ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

Ex SS. Patribus. III. Probatur ex Patribus, ſignanter ex S. Auguſtino lib. 2. contra Parmenianum cap. 11. in quo probat ex Joan. cap. 20. per ordinationem dari Spiritum Sanctum: & cap 13. comparans ordinationem baptiſmo, dicit neutrum Sacramentum amitti, aut reiterari poſſe, quia utrumque quâdam conſecratione homini datur, & utrique Sacramento injuriam fieri ſi reiteretur: quod notandum contra Hæreticos, inter quos, inquit, Tertullianus de Præſcript. cap. 16., „hodie „Presbyter, qui cras laicus, nam „& laicis ſacerdotalia munia in-„jungunt.

Confirmat hoc ipſum S. Leo primus Papa epiſt. 81. ad Dioſc. c. 1. ubi præſcribens modum & tempus conferendi ſacros Ordines, ſeu, ut ipſe vocat benedictionis Sacramentum, refert in traditionem Apoſtolicam, imo in ipſam Scripturam Sacram cum Eccleſiæ morem. Ejuſdem doctrinæ teſtis eſt S. Hieronymus lib. contra Vigil. ubi ait, „Epiſ-„copum Diaconos ordinantem „Chriſti Sacramenta tribuere.„ Item S. Ambroſius in Epiſtola quam ſcripſit ad Eccleſiam Vercellenſem: item in lib. de Dignitate Sacerdotali & Sacramentis: prout & plerique alii SS. Patres, quos fusè & prolixè refert Bellarminus: ultra quos firmum quoque hujus rei argumentum deſumitur ex Scriptura Sacra Veteris Teſtamenti Exodi 28. *ſanctificabis illos ut ſacerdotio ſungantur mihi.*

Denique probatur ratione, quia in nova lege eſt divinitus inſtitutum externum & ſenſibile Sacrificium; ergo quoque debet eſſe externum & ſenſibile ſacerdotium; quæ duo, cum ſint correlativa, ita Dei ordinatione ſunt conjuncta, ut unum ſine altero eſſe non poſſit. *Denique ex ratione probatur illud Sacramentum.*

DUBIUM III.

Quot ſint Ordines: & an omnes ſint Sacramentum?

DIco 1. Catholica veritas eſt, contra noſtri temporis ſectarios, ſeptem Ordines Eccleſiaſticos ab initio in Eccleſia extitiſſe: ſcilicet 1. Oſtiariatum. 2. Exorciſtatum. 3. Lectoratum. 4. Acolytatum. 5. Subdiaconatum. 6. Diaconatum. 7. Presbyteratum. *Septem ſunt Ordines Eccleſiaſtici.*

Porro Presbyteratum eſſe gradum in Eccleſia patet ex clariſſimis S. Scripturæ teſtimoniis ad Timoth. 1. *Conſtitue per civitatem*

Presby-

Digitized by Google

Preſbyteros: item 1. ad Timoth 4. item Jacobi 5. *infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ* &c.

De Diaconis expreſſa fit mentio ad Philippenſes, ubi ſalutat omnes ſanctos qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis: item 1. ad Timoth. 3. ubi docens, quibus moribus debeant eſſe præditi Diaconi ait, *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes.*

Licet autem de aliis Ordinibus Script. S. non meminerint, meminerunt tamen SS. Patres: quorum primus S. Dionyſius Areopagita S. Pauli Diſcipulus lib. de Eccleſ. Hierarchia: item S. Ignatius, qui vixit tempore Apoſtolorum epiſt. 11. ad Antiochenos, in qua hæc habet, „ſaluto S. Preſbyterorum collegium, ſaluto SS. Diaconos ..... „ſaluto hypodiaconos, lectores, cantores, janitores, laborantes, Exorciſtas, confeſſores, ſaluto cuſtodes ſacrorum veſtibulorum.

Hoc ipſum quoque facit S. Ambroſius, qui ſuper Epiſt. ad Epheſ. cap, 4. enumerat omnes SS. Ordines.

Idem facit S. Hieronym. qui epiſt. 91. meminit ſubdiaconorum, Acolytorum, & lectorum: & Epiſt. ad Nepotianum, Exorcyſtarum & Oſtiariorum.

Idem facit S. Iſidorus lib 2. de Officiis Eccleſiæ, qui per plura capita ſimul hos ordines recenſet.

Denique Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 2. hos omnes ſucceſſivè enumerat his verbis, „cum autem „divina res ſit tam ſancti ſacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit quò dignius & majori „cum reverentia exerceri poſſet „ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures ac diverſi eſſent miniſtrorum Ordines, qui „ſacerdotio ex officio deſervirent, ita diſtributi, ut qui jam „clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores „aſcenderent: nam non ſolùm de „ſacerdotibus, ſed & de Diaconis „Sacræ litteræ apertam mentionem faciunt, ut quæ maximè in „illorum ordinatione attendenda „ſunt, graviſſimis verbis docent, „& ab ipſo Eccleſię initio ſequentium ordinum nomina atque „uniuſcujuſque eorum propria „miniſteria, Subdiaconi ſcilicet „Acolyti, Exorciſtæ, Lectoris, „& Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur, quamvis non pari gradu.

Abeant proinde hæreticorum deliria qui hos Ordines figmentum Epiſcoporum eſſe dicunt: quibus exploſis, non levis eſt inter Catholicos controverſia an hi ſeptem Ordines ſint Sacramenta.

DUBIUM IV.

An omnes hi ſeptem Ordines ſint Sacramenta.

Probabile eſt minores ordines & ſubdiaconatum non eſſe Sacramenta.

Extra controverſiam eſt, quod ſicuti prima tonſura non eſt Ordo, ita neque ſit Sacramentum: quod verò attinet ad minores Ordines & ſubdiaconatum, valde probabile eſt ea non eſſe Sacramenta, ſed Sacramentalia, ab ipſo Apoſtolorum tempore, ad majorem Eccleſiæ ſplendorem inſtituta. Quam concluſionem tenent multi magni nominis Theologi; & inter cæteros Durandus in 4. Diſt. 24. q. 2. Cajetanus opuſcul. Tract. 11. item parte 3. q. 64. art. 3. item Gratianus in Decreto diſtinct. 21. Sotus in 4. diſtinctione. 24. quæſt. 1. Eandem quoque conſtanter tuetur Vaſquez, Tom. 3. in 3. partem diſp. 137. rationem allegans, quia apud nullos SS. Patres reperitur hos ordines, præſertim minores, gratiam ſuſcipientibus conferre; tum quoque quia in antiquis Pontificalibus nulla determinata forma horum ordinum reperitur, prout nec ulla Concilia docuerunt hæc eſſe ſacramenta, quæ tantùm ſacerdotii ac diaconatûs meminerunt: denique quia per hos ordines nulla recipitur ſpiritualis poteſtas ſpecialis quam ipſi laici non habent: nam v. g. quænam eſt poteſtas ſpiritualis in ſubdiacono inſervire diacono, aut quænam Acolyto dum urceolos ſubdiacono porrigit, aut in lectore dum Prophetias legit, aut in oſtiario dum Eccleſiæ januas aperit & claudit; ſiquidem hæ omnes functiones æquè à laicis fieri poſſunt.

Quibus non obſtantibus.

Probatur tamen illo omnes eſſe Sacramenta.

Communior doctrina, quam etiam S. Thomas tradit, habet omnes ſeptem ordines eſſe Sacramenta: hæc autem ſuadetur.

Ab antiquitate illorum ordinum ſupra recenſita, cui ſuffragatur Conc. Flor. quod in litteris Eugenii definit Ordinem in genere eſſe ſacramentum, deinde ſingulas ordinum ſpecies enumerans, innuit eas omnes ſacramenti rationem participare: ſic enim ait „ Sextum ſacramentum eſt „ Ordo, cujus materia eſt illud „ per cujus traditionem ordo „ confertur; ſicuti presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; diaconatus verò „ per libri Euangeliorum dationem; ſubdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita dationem: & ſimiliter de aliis per rerum miniſteria ſua pertinentium aſſignatione.„

„tione.„ Concil. Flor. ſuffragatur Trident. Seſſ. 23. c. 2. in quo cum enumeraſſet omnes ordines, tandem Can. 3. definit ſacram. Ordinationem eſſe ſacramentum; quæ propoſitio, cum ſit indefinita, in materia doctrinali æquivalet univerſali.

Non eſt de fide Diacon. eſſe Sacram.

Petes, an ſit fidei quod Diaconatus ſit Sacramentum.

Non ita de Presbyteratu.

Reſp. nega. quia contrarium tenet Durandus, item Cajetanus adeo ut Dominic. Soto teſtetur eum, qui Durandi opinionem ſuſtinere vellet, non fore magnâ reprehenſione dignum, qui tamen temeritatis notam non evaderet, ſine qua non licet facile à communi torrente Doctorum recedere.

Petes, an ſit fidei Presbyteratum eſſe Sacramentum.

Reſp. affirma. quia eſt fidei aliquem Ordinem ex ſeptem eſſe Sacramentum; ſed non eſt fidei ſex ante recenſitos eſſe Sacramentum, ergo eſt fidei quod Presbyteratus ſit Sacramentum.

Patet hoc ipſum ex Con. Trid. ſeſſ. 20. can. 4. his verbis „ſi „quis dixerit per S. Ordinatio„nem non dari Spiritum S. ac „proinde fruſtra Epiſcopos di„cere, Accipe Spiritum S. aut „per eam non imprimi chara„cterem, vel eum qui ſacerdos „ſemel fuit, laicum rurſum fieri „poſſe: anathema ſit.

Presbytero in ordinatione confertur duplex poteſtas ſpiritualis.

Probatur hoc ipſum ratione, quia per Ordinationem Presbyterii duæ maximæ ſupernaturales poteſtates homini conferuntur, quarum una eſt ſuper corpus Chriſti verum, illud nempe conſecrandi & offerendi: alia ſuper corpus Chriſti myſticum, id eſt fideles abſolvendi à peccatis: ſed ſpectat ad divinam providentiam ut quando hominibus talem poteſtatem confert, ſimul etiam tribuat gratiam ſanctificantem quâ valeat talem poteſtatem dignè adminiſtrare; ergo ejuſmodi ordinatio erit Sacramentum, utpote ſignum practicum rei ſacræ.

Petes, quandoquidem completa ſacerdotis Ordinatio conſtet duabus partialibus ordinationibus, una nimirum quâ datur poteſtas circa corpus Chriſti verum; altera verò quâ datur poteſtas circa corpus Chriſti myſticum, utra illarum duarum ſit Sacramentum.

Reſp. utramque, ita ut dici poſſint duo partialia Sacramenta, per quorum ſingula peculiaris poteſtas conferatur; ita ut ſolum ordinatus priori ordinatione, qua confertur poteſtas in corpus Chriſti verum, non poſſit validè exercere actus poſterioris, quâ datur poteſtas in corpus Chriſti myſticum: quia tamen ejuſmodi poteſtates ſunt ſubordinatæ, non con-

Digitized by Google

conſtituitur Sacramentum diverſum, ſed poſterior partialis ordinatio in eſſe Sacramenti moraliter perficit & conſummat ordinationem priorem; prout neque diſtinctus character imprimitur per poſteriorem, ſed in priori ordinatione acceptus augetur magiſque perficitur, idque cum acceſſione realis modi ſeu perfectionis, non verò per extrinſecam tantùm denominationem, à divina deſtinatione ad aliud officium peragendum: ut vult Vaſquez.

Porrò conſentaneum fuit, quò digniùs & majori cum reverentia ad SS. Miſſæ ſacrificium accederetur, ut in ordinatiſſima Eccleſiæ republica plures eſſent diverſi miniſtrorum ordines, qui ſacerdoti ex officio deſervirent; & per quos, veluti per totidem gradus ad ſacerdotium promoverentur; quod latius deducit Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. 2. ſupra citato Dubio 3. hujus Quæſtionis in fine.

Quia autem omnes ordines ſacros præcedit Tonſura, de illa hic aliqua veniunt dicenda.

DUBIUM V.

Quid Tonſura.

HÆretici, Eccleſiaſticarum traditionum hoſtes acerrimi, hanc vetuſtiſſimam, qua caput clericis abraditur, in Eccleſia Dei ſervatam, omni conviciorum genere perſequuntur.

Prima Tonſura non eſt Ordo.

Porro Tonſura, nec propriam habet materiam, neque formam; quia non eſt ordo, ſed diſpoſitio ad ordines; habet tamen loco quaſi materiæ, capillorum abſciſſionem; & loco quaſi formæ hæc, *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*, *Amen*: Quibus verbis tonſuratus, ſpretis mundi concupiſcentiis, Deum in patrimonium ſuum & hæreditatem ſuam accipere profitetur.

Cur tonſurati dicantur clerici.

Et hinc tonſuratus appellatur clericus, quaſi in ſortem Domini vocatus, ut vel ex nomine ſuo beatam ſuam ſortem agnoſcat quam elegit dum divinis obſequiis ſe mancipavit: & ea propter omnibus ordinatis, vocabulum illud, *Clericus*, remanet commune; eò quod in omnibus illis ratio & ſignificatio hujus vocabuli debeat eluceſcere, ſcilicet quod Dominum & Deum ſuum in ſortem & hæreditatem debeant accipere.

Tonſura eſt ad Ordines neceſſaria præceptò ſolum Eccleſiaſtico.

Petes, an tonſura neceſſitate Sacramenti ſit præmittenda Sacris Ordinibus.

Reſp. negativè, ſed tantum neceſſitate præcepti, nec jure divino ſed ſolo Eccleſiaſtico eſt introducta.

Petes,

Petes, quid ſit Tonſura.

Reſp. eſt deputatio ad ſtatum Eccleſiaſticum facta ab Epiſcopo per capillorum abſciſſionem, ſub certa verborum formula.

Quod autem non ſit Ordo nec Sacramentum, vel inde patet, quod Conc. Trid. illam numquam Ordinem appellet, imo eam ſemper ab Ordinibus ſegreget: prout patet ſeſſ. 23. cap. 2. item ſeſſ. 23. cap. 6. Hoc ipſum patet ex Conc. Carthag. IV. quod cap 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. tractat de ſeptem Ordinibus, nullam interim faciens mentionem Tonſuræ; adeoq; ſicuti ſponſalia ſunt quædam diſpoſitio ad Matrimonium, ita quoque Tonſura habetur velut præambulum ad Sacros Ordines.

Qui prohibeantur à ſuſcipienda tonſ.

Petes, an aliqui prohibeantur initiari tonſura clericali.

Reſp. aff. illi ſcilicet qui à Con. Trid. ſeſſ. 23. c. 4. reform. recenſentur his verbis,, Prima tonſura non initientur qui ſacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit, eos, non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

Petes quare Epiſcopus dat tonſurando cereum accenſum in manibus.

Quid ſignificent cæremonia quæ adhibentur in collatione tonſura.

Reſp. ad ſignificandum quòd amodo debeat eſſe lux mundi, adeoque debeat lucere doctrina & bonæ vitæ exemplo, ut Chriſti bonus odor ſit, in omni loco.

Petes, quid ſignificet abſciſſio capillorum.

Reſp. abjectionem omnium terrenarum cogitationum, & omnium vitiorum reſecationem.

Petes quare tondendus induatur ſuperpelliceo.

Reſp, quia illud denotat caſtitatem & diligentiam ſummam ad illam immaculatam conſervandam, adeoque ut reminiſcatur ſe tam nitidum debere eſſe in anima interiùs, qualem ſe per hanc albam veſtem profitetur exteriùs, ne alioquin illi in magno judicii die improperetur, *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem.*

Corona clericalis quid ſignificet.

Petes, quid ſignificet corona clericalis.

Reſp. 1. ſignificat regiam ſacerdotis dignitatem. 2. ſignificat coronam Chriſti ſpineam, idque ut ad imitationem capitis ſui Chriſti, paratum ſeſe exhibeat ad ſuſtinendas pro Chriſto quaſcumque etiam irriſiones & opprobria.

Petes, an clericus obligetur ad geſtandam coronam in capite,

Digitized by Google

& ſimiliter veſtem clericalem.

Clerici beneficiati obligantur geſtare coronam & habitum clericalem.

Reſp. affirma. ſi nimirum poſſideat beneficium Eccleſiaſticum alicujus momenti, ita ut obligetur ad horas canonicas: & ratio eſt, quia horum geſtatio jure canonico tam eſt annexa beneficio Eccleſiaſtico quam recitatio divini officii: & certè indignum eſt aliquos velle paſci bonis pauperum & Eccleſiæ, & tamen dedignari geſtare habitum Eccleſiaſticum: ſimiliter quoque obligantur ad tonſuram & habitum Eccleſiaſticum ſub peccato mortali quicumque majoribus ordinibus ſunt initiati, eò quod extent graviſſimæ pœnæ in jure, contra non deferentes habitum & tonſuram clericalem: prout patet ex Clem. *Quorum* de vita & honeſt. Cleric. ubi tales, ſi habeant beneficium, privantur ejus fructibus per ſemeſtre: ſi verò non habeant, ſuſpenduntur ab ordinibus majoribus per ſex menſes: quinimo ſi admoniti à ſuis ſuperioribus ſe non emendent, privantur omnibus ſuis beneficiis Eccleſiaſticis, prout patet Diſt 21. quæſt 4. Ex quo patet clericos ex gravi Eccleſiæ præcepto, per ſe loquendo, obligari ad geſtandum ſignum externum manifeſtativum ſtatûs clericalis.

Dixi, *per ſe loquendo*, nam per accidens, ſi quis deponat habitum ob juſtam cauſam v. g. ad vitam, bona temporalia, aut famam ſervandam, non peccabit, eò quod lex humana cum gravi metu injuſtè incuſſo ordinariè non obliget: quod ſi tamen clericus in majoribus ordinibus conſtitutus, habitum aut tonſuram clericalem deponat ad ſe occultandum, idque ut liberiùs peccet, peccabit mortaliter, eſto ſolùm per breve tempus deponat; aut non deponat quidem, ſed ita tamen occultet, ut nequeat agnoſci clericus; eo quod habitum ſuum diſſimulare, moraliter loquendo, idem ſit, ac habitum deponere.

Petes, quibus priviligiis gaudeat initiatus tonſurâ clericali.

Privilegia clericorum.

Reſp. hiſce quatuor 1. privilegio canonis *ſi quis ſuadente Diabolo* 2. privilegio fori, ita ut capi, aut incarcerari aut conveniri non poſſit: à judice laico; ut patet ex c. 1. & ſeq. de foro competent. 3. ſit capax beneficiorum Eccleſiaſticorum dummodo ætatem à Con. Trid. præſcriptam attingat.

Qui clerici gaudeant privilegio fori.

Petes, an omnis clericus gaudeat privilegio fori, ita ut conveniri non poſſit coram judice laico

Reſp. negativè, ſed ſolus ille qui vel beneficium Eccleſiaſticum habet, aut clericalem habitum, aut tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi

Digitized by Google

pi inſervit, vel in Seminario clericorum, aut in aliqua ſchola vel univerſitate de licentia Epiſcopi quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendos verſetur.

DUBIUM VI.

Quot ſint Ordines minores

Ordines minores ſunt quatuor.

RESP. quatuor, ſcilicet Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolitatus.

Quid oſtiariatus.

Oſtiariatus eſt ordo Eccleſiaſticus, quo datur poteſtas aperiendi & cuſtodiendi Eccleſiam: ejus materia remota ſunt claves Eccleſiæ & cymbalum, quo populus convocatur ad miſſæ ſacrificium: materia verò proxima eſt traditio illorum: forma verò ſunt hæc verba Epiſcopi *ſic age quaſi rationem Deo redditurus pro his rebus quæ his clavibus includuntur.*

Officium Oſtiarii eſt aperire & claudere Eccleſiam, dignos admittere & indignos repellere, item cymbalo populum ad miſſæ ſacrificium convocare.

Virtus in qua potiſſimum debet elucere eſt zelus domus Dei conſervandæ, & exemplo Chriſti omnes inſolentias in Eccleſia prohibere.

Quid Lectora.

Lectoratus, eſt ordo quo conceditur poteſtas legendi Scripturas in Eccleſia: ejus materia remota eſt liber continens ſacras lectiones, ſcilicet Epiſtolas & Prophetias: materia proxima eſt traditio ipſius libri: forma ſunt hæc verba Epiſcopi. *Accipe & eſto verbi Dei zelator, habiturus, ſi fideliter & utiliter officium tuum impleveris, partem cum iis qui verbum Dei ab initio bene miniſtraverunt.*

Munus Lectoris eſt legere Prophetias, Epiſtolas, item S. Scripturam extra miſſam, prout & cathecumenis baptizandis fidei rudimenta tradere.

Potiſſima virtus in qua debet elucere, eſt devotio erga Scripturam S. Certè lugenda res eſt, complures Eccleſiaſticos ſtudere prophanis hiſtoriis, vitam verò & actiones Chriſti Domini negligendo, S. Scripturam prorſus ignorare.

Quid exorciſtatus.

Exorciſtatus, eſt ordo conferens poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos: & legendi exorciſmos ad pellendos dæmones: materia remota eſt liber exorciſmorum, proxima verò, illius traditio; forma ſunt hæc verba Epiſcopi, *accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos ſive baptizatos ſive cathecumenos.*

Officium exorciſtæ eſt manus imponere ſuper energumenos & legere exorciſmos,

Potiſſima illius virtus in qua

debet elucere eſt mortificatio, juxta illud Chriſti Matth. 5. *hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi per orationem & jejunium*: inſuper & puritas conſcientiæ, juxta illud quod Exorciſtis præſcribitur in Pontificali „ ſtudete ergo ut ſi„ cut ex corporibus aliorum ex„ pellitis dæmones, ita ex men„ tibus & corporibus veſtris om„ nem immunditiam & nequi„ tiam ejiciatis.

Meminerunt hujus ordinis S. Cyprianus Epiſt 7. item S. Severus Sulpitius in vita S. Martini, ubi ſcribit Martinum ab Hilario exorciſtam fieri juſſum: conſtat & populum judaicum ſuos habuiſſe exorciſtas juxta illud Chriſti Matth. 21. *Filii veſtri in quo ejiciunt.*

Porro quia materia hæc de Exorciſmis utilis eſt Paſtoribus, illam hic paulo latiùs tractabimus.

Quid Exorciſmus. Eſt autem Exorciſmus ſermo increpationis contra diabolum, in energumenis factus, ad illum fugandum per virtutem crucifixi: de hoc agit S. Cyprianus in Epiſt. ad Demetr. circa medium in qua ait, „ ô ſi audire „ Dœmones velles, & videre „ quando à nobis adjurantur & „ torquentur ſpiritualibus fla„ gris, & verborum tormentis „ de obſeſſis corporibus ejiciun„ tur, quando ejulantes & ge„ mentes voce humana & pote„ ſtate flagella & verbera ſen„ tientes, venturum judicium „ confitentur.

Exorciſmi autem alii immediatè diriguntur ad diabolum per modum imperii, ut ab homine diſcedat, vel deſinat illi nocere: quod Chriſtus fecit Luc. 4. dum increpavit illum dicens *obmuteſce & exi ab eo.*

Alii verò exorciſmi adhibentur rebus inanimatis, idque duobus modis, 1. ut adjuratio directè dirigatur ad Deum per modum obſecrationis; ad creaturam verò per modum imperii, quatenus illa neceſſariò ſubditur divino imperio, prout Chriſtus imperavit ventis & mari: in quem locum S. Hieron. ait, „ creatu„ ras obedire creatori, non ſen„ ſum percipientes ſed motum „ ſuſcipientes. „ 2. Ut adjuratio directè tendat ad diabolum per modum imperii, ut ab hac vel illa creatura diſcedat, vel accedere non præſumat: & hic eſt propriè dictus exorciſmus, quo utitur Eccleſia v. g. in benedicenda aqua, ſale &c. ita ſcilicet ut per crucem & merita Chriſti arceamus diabolum ab omni iniqua machinatione circa tales res, & per uſum earundem protectionem Dei circa nos imploremus.

Maximè

Maximè conſueti exorciſmi ſunt qui fiunt ad expellendum dœmonem ab energumenis, aut pellendas præſtigias, & varias eorum moleſtias, quibus vel hominum corpora vel ædes infeſtare ſolent.

Praxis notanda pro exorciſmis. Pro praxi horum exorciſmorum notare debet exorciſta.

1. Ante omnia ſedulò & diligenter examinare oportet, an homo verè ſit à dœmone poſſeſſus, & an infirmitas hujus aut illius hominis aut pecudis proveniat ex incantatione ſeu maleficio, an verò ex cauſa naturali, idque ne fruſtra adhibeantur remedia Eccleſiæ ad alios fines quam ad illos, ad quos ſunt ordinata; nec facilè in hac materia adhibenda fides: quod ſi tamen, omnibus attentis, conſtiterit hominem eſſe à dœmone poſſeſſum, aut infirmitatem eſſe ex maleficio; tunc exorciſta armis ſpiritualibus ſeſe induat, & ante omnia *accipiet ſcutum vivæ fidei quo poſſit omnia tela iniquiſſimi ignea extinguere*: unde interrogantibus diſcipulis, quare nos non potuimus ejicere illum? Reſpondit Chriſtus, *propter incredulitatem veſtram.*

2 Conabitur habere conſcientiam mundam.

3. In meditationibus, jejuniis, diſciplinis, aliiſque carnis mortificationibus aliquot diebus ſeſe exercebit, probè ſciens quòd ſine ejuſmodi præparationibus parum aut nihil ſit effecturus, juxta illud Chriſti Marci 9. *hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi in oratione & jejunio.*

4. Adhortabitur perſonam quæ à dœmonis infeſtatione deſiderat liberari, ut ſeriam pœnitentiam & confeſſionem inſtituat, orationibus inſiſtat, & faciat pro ſe orari: tametſi enim exorciſmi vim habeant impetrandi à Deo per communes preces & Eccleſiæ ſuffragia, tamen experientiâ conſtat ad effectus exorciſmorum, qui non infallibiliter ſequuntur, plurimùm conducere tum ipſius miniſtri, tum afflicti & aliorum adſtantium actualem devotionem. *Exorciſmi valent per modum impetrationis.*

5. Utatur Exorciſta exorciſmis approbatis, qui videlicet vel in Eccleſia Romana, vel in diœceſana ſunt in uſu: nam orationes proprio ingenio compoſitæ ſolent eſſe ſuſpectæ, nec tam efficaces, quam quæ Eccleſiæ auctoritate ad hoc ſunt ordinatæ.

6. Adhibeat exorciſta frequenter ſignum S. Crucis, vivâ fide & vivaci recordatione dominicæ paſſionis: inſuper & aquam benedictam, utpote ſpecialiter contra dæmones exorciſatam; maximè verò abſtinere debet exorciſta

ab omni quæſtu & oſtentatione vanæ gloriæ, quandoquidem non ſuis viribus fretus, ſed ſolo divino auxilio contra Diabolum præſumat pugnare: & eapropter ſi exorciſmus felicem habeat ſucceſſum, Chriſti paſſioni & meritis illum adſcribat; ſi verò infelicem, propterea non turbetur, ſed ſoletur afflictum, dicendo, hoc à Deo permitti, eo quod ſecundùm ordinem ſuæ providentię judicet ejuſmodi malum non expedire tolli.

Cur non ſemper habeant effectum. Porro plures poſſunt allegari cauſæ ob quas exorciſmi ſæpe non ſortiuntur effectum, puta peccata exorciſtæ, vel ipſius afflicti, vel adſtantium; vel etiam aliquando, eſto nihil horum ſubſit, ut homo afflictus majori cum fervore & fiducia auxilium à Deo petiturus accedat.

Porrò caveat Exorciſta ne dæmonem per modum obſecrationis adjuret, ut aliquid ab eo impetret, quia hoc eſt peccatum mortale, eò quod cum hoſte Chriſti infeſtiſſimo nulla ſit ineunda ſocietas, ſed potiùs eum oporteat ut hoſtem proſequi, cogere & impellere per modum imperii.

Caveat quoque Exorciſta, ne adjuret diabolum, ad diſcenda aliqua vana & curioſa, ſed ſolùm ad ea quæ ad rem pertinent; ut puta de numero & nomine obſidentium, item de tempore quo ingreſſi ſunt, inſuper de cauſa ingreſſus: quibus autem ſacris verbis aut ſignis Exorciſta videt dæmonem magis urgeri, ea crebriùs adhibeat.

Quid Acolitatus. Acolitatus eſt ordo quo datur poteſtas cereos transferendi ad altare & illos accendendi, item porrigendi ſubdiacono urceolos pro miſſa ſolemni: materia hujus remota eſt candelabrum cum cereo extincto, item ampullæ vacuæ; proxima eſt horum traditio: forma ſunt hæc verba, *accipe ceroferarium cum cereo, ut ſcias te ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipari in nomine Domini.* Altera vero materia ſunt urceoli, forma verò hæc verba, *accipe urceolis ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam Sanguinis, in nomine Domini.*

Officium Acoliti eſt præparare candelas, ad Sacrificium candelas ferre dum legendum eſt Euangelium, Diacono & Subdiacono inſervire, aquam & vinum in ampullis ſubminiſtrare, illaſque Subdiacono porrigere.

Virtus potiſſima, quâ debet eſſe præditus eſt Chriſtiana modeſtia, quâ ſe in omnibus præbeat exemplum bonorum operum, ita ut lumen viſibile præferens,

lumen

Digitized by Google

lumen quoque ſpirituale moribus præferat. Alia quoque virtus ſpecialis ipſi competens eſt devotio, nempe erga Sacratiſſimum Sacramentum, illud venerando & cum timore & tremore ſæpius viſitando.

Petes, an clerici minorum ordinum teneantur functiones ordinum ſuorum reſpectivè exercere & exequi.

Reſp. affirmativè; quia Chriſtus inſtituendo hæc Sacramenta, non dat poteſtatem ordinis in vanum, neque promittit nobis gratias ſuas actuales, niſi ad functiones ordinum debitè decenterque obeundas.

Petes, an qui vult ſuſcipere minores ordines teneatur eſſe in ſtatu gratiæ.

Suſcipiēs ordines minores debet eſſe in ſtatu gratiæ.

Reſp. affirmativè; quia ſunt, ut diximus, Sacramenta, ſaltem probabiliter; & eapropter qui illa ſuſciperet in ſtatu peccati mortalis, exponeret ſe periculo committendi ſacrilegii.

DUBIUM VII.

Quomodo definiantur Ordines majores.

Quid Subdiaconatus.

RESP. & dico 1. Subdiaconatus eſt ordo ſacer quo datur alicui poteſtas ſolemniter in altari aſſiſtendi Presbytero celebranti, miniſtrando calicem cum vino, patenam cum hoſtia, item legendi epiſtolam in miſſa: materia illius remota eſt duplex, nempe calix vacuus cum patena vacua: forma illi correſpondens eſt hæc, *videte cujus miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis quod Deo placere poſſitis:* prout patet ex Pontificali Romano, item ex Concilio Florentino, item Carthag. IV. cap. 5.

Quæ ſit ejus materia.

Altera materia partialis remota Subdiaconatus, eſt liber Epiſtolarum, proxima verò traditio illius libri cum hâc forma, *accipite librum Epiſtolarum & habete poteſtatem legendi in Eccleſia Sanctâ Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Confertur itaque Subdiaconatus per duas partiales formas & in prolatione ultimæ formæ imprimitur character.

Petes quæ ſint officia Subdiaconi.

Quæ ſint Subdiaconi officia.

Reſp. Diacono miniſtrare; pallas altaris & corporalia lavare; calicem cum vino & patenam cum hoſtia in uſum ſacrificii diacono offerre; rudimenta fidei docere; crucem in ſupplicationibus geſtare; Epiſtolam ſolemniter cantare; quod fit dum manipulo indutus illam decantat: nam alioquin ſine illa ſolemnitate (prout nonnunquam contingit

tingit in monaſteriis) acolitus cantare poteſt Epiſtolam.

Petes, quas obligationes contrahat Subdiaconus in ſua ordinatione.

Subdiaconus vi ſui ordinis obligatur ad caſtitatē & ad horas legendas.

Reſp. has duas, ſervandi caſtitatem illibatam, & legendi quotidie horas canonicas, ad quæ duo tenetur ſub mortali: & quod notandum, obligationi caſtitatis in ſubdiacono annexum eſt impedimentum dirimens matrimonium: quod eſt de fide definitum a Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 9. his verbis „Si quis dixe-„rit clericos in ſacris ordinibus „conſtitutos, vel Regulares ca-„ſtitatem ſolemniter profeſſos, „poſſe matrimonium contrahere „contractumque validum eſſe, „non obſtante lege eccleſiaſtica „vel voto ...... anathema ſit, „ & ideo Pontificale Rom. ſic habet „qui hunc ordinem ſuſcepit, „non licebit ei ampliùs reſilire „à propoſito; ſed Deo, cui ſer-„vire regnare eſt, perpetuò fa-„mulari, & caſtitatem, illo ad-„juvante, ſervare oportebit, at-„que in Eccleſiæ miniſterio ſem-„per eſſe mancipatum.

Quid Diaconatus.

Dico 2. Diaconatus eſt ordo ſacer quo confertur poteſtas proximè aſſiſtendi presbytero in miniſterio altaris; & legendi ſolemniter Euangelium in miſſa: materia illius remota, ſicuti & proxima, eſt duplex ſcilicet porrectio libri Euangeliorum ab Epiſcopo ſub hac forma *accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini*: altera verò eſt impoſitio manus ſuper caput ordinandi ſub hac forma, *accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini.*

Quæ ejus materia & forma.

Componitur proinde hoc Sacramentum Diaconatus, ſicuti & Subdiaconatus ex duabus partialibus materiis, ſicuti & ex duabus partialibus formis: nec refert, aliquos probabiliter aſſerere traditionem libri Euangeliorum cum ſua forma eſſe adæquatas partes hujus Sacramenti, quia in materia Sacramentorum probabilitas nequit ſupplere defectum qui timetur, nec propter dicere centum Doctorum quidquam mutatur in re, idcirco oportet ingredi viam tutam, quam ſupra aſſignavimus.

Dices, in initio Eccleſiæ nec erat liber Euangeliorum nec Epiſtolarum, & tamen tunc fuerunt ordinati Diaconi: ut enim narrat Baronius ad annum Domini 41. Mattheus priùs ſcripſit Euangelium anno octavo poſt Chriſti aſcenſionem & addit Durandus in Eccleſia Anicienſi, cui ipſe Epiſcopus præfuit, non ſole-re

Digitized by Google

re tradi librum Euangeliorum ordinando: præterea Conc. Carth. 4. meminit ſolius manuum im poſitionis. Hoc addito, quod miniſterium Diaconorum fuerit merè laicum, quippe ſpectans ad magiſtros menſæ pauperum, prout patet ex Actis Apoſtolorum, ubi dicitur *non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.*

Chriſtus materiã Ordinũ inſtituit quoad genus, ſpeciem verò reliquit Eccleſiæ determinandam.

Reſp. ad primum: non opus habuiſſe primos diaconos ordinari præcisè per traditionem libri Evangeliorum: nam Chriſtus materiam Sacramenti Ordinis ſolùm determinavit quo ad genus, nempe quò ad traditionem alicujus inſtrumenti quo poteſtas illius ordinis deſignaretur: Porro ſpeciem illius inſtrumenti reliquit determinationi Eccleſiæ; prout hoc manifeſtum apparet in Eccleſia Græca, quæ utitur materiâ in aliquibus Sacramentis diſtinctâ ab ea qua utitur Eccleſia latina; & proinde non eſt mirum quòd Eccleſia latina in initio non fuerit uſa libro Evangeliorum, poſtea verò ſit uſa, in collatione Sacramenti Diaconatus.

Porro ordinatur diaconus ſolâ manuum impoſitione, ſub conſimili ferè formâ quâ confertur in illa presbyteratus.

Ad ſecundum dico; id quod tradit Durandus de Eccleſia ſua Aniciensi eſſe erroneum; neque enim eſt in poteſtate alicujus particularis eccleſiæ immutare materiam Sacramentorum.

Ad tertium Dico Conc. Carthag. ſolùm inadæquatè expreſſiſſe materiam diaconatus; prout quoque fecit Conc. Florent.

Ad Quartum Dico, per miniſterium menſæ in actis Apoſtolorum, non intelligi præciſè miniſterium menſæ pauperum, ſed & menſæ altaris, utique menſæ Domini.

Quæ ſin. officia diac.

Petes, quænam ſint munia ſeu officia Diaconi.

Reſp. ſacerdoti proxmè aſſiſtere in Sacrificio miſſæ 2. cantare evangelium ſolemniter, hoc eſt cum ſtola 3. prædicare verbum Dei 4. baptizare 5. in neceſſitate Euchariſtiam diſtribuere.

Quid Presbyteratus.

Dico 3. Presbyteratus ſeu ſacerdotium eſt Ordo ſacer, quo traditur poteſtas conficiendi corpus & ſanguinem Domini &, abſolvendi à peccatis: materia illius prout & forma eſt duplex; prior remota eſt calix cum vino & patena cum pane: proxima verò, illorum traditio. Forma partialis huic materiæ correſpondens, eſt hæc, *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo miſſaſque celebrandi tam pro vivis quam defunctis in nomine Domini*

Ejus materia & forma

Altera materia eſt manuum impoſitio facta Sacerdoti ab Epiſcopo, ſub hac forma, *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*: completa itaque ſacerdotis ordinatio conſiſtit in duabus dictis partialibus ordinationibus, in quarum prima datur poteſtas ſuper corpus Chriſti verum; in poſteriori verò datur poteſtas ſuper corpus Chriſti myſticum: unde ſequitur, quòd, ſi quis ordinatus tantùm eſſet priori ordinatione, non poſſet validè abſolvere à peccatis.

Quia tamen duæ illæ poteſtates ſunt ſubordinatæ, non conſtituitur ſacramentum diverſum, ſed poſterior ordinatio in eſſe ſacramenti moraliter perficit & conſummat priorem, prout neque diſtinctum characterem imprimit; ſed priorem in prima ordinatione acceptum auget magiſque perficit, & hoc cum acceſſione alicujus realis modi ſeu perfectionis, non verò merè per extrinſecam denominationem ut dictum eſt.

Forma ordinandi presbyteros apud græcos.

Hæc dicta ſunt quoad Eccleſiam latinam; nam in Eccleſia Græca ordinantur presbyteri ſolâ manuum impoſitione, factâ ab Epiſcopo ſub hac forma, *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit, promovit N. Reverendum Dominum Diaconum in Presbyterum.*

Petes quænam ſint officia ſacerdotis.

Officia ſacerdotis quæ ſint.

Reſp. 1. conſecrare corpus & ſanguinem Domini 2. abſolvere à peccatis. 3. fideles in rebus fidei inſtruere & prædicare verbum Dei; nam *labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem Dei requirent ex ore ejus.*

DUBIUM VIII.

An Epiſcopatus ſit Sacramentum.

Epiſcopatus eſt ordo diſtinctus à presbyteratu.

Reſp. affirma. & quidem diſtinctum à Presbyteratu: ratio eſt, quia eſt cæremonia externa imprimens characterem & conferens gratiam.

Porro, quod imprimat characterem, patet; quia non poteſt reiterari; cujus alia ratio aſſignari non poteſt, quàm quia relinquit poſt ſe effectum indelebilem: præterea hæc ordinatio confert novam poteſtatem, quæ nullo modo convenire poteſt ſimplici presbytero, ſcilicet ordinandi ſacerdotes.

Inſuper ubi eſt diſtincta materia & diſtincta forma, ibi quoque debet eſſe diſtinctum Sacramentum; ſed ordinatio Epiſcopi habet diſtinctam materiam & formam

Digitized by Google

formam ab ordinatione preſbyteri, quod patet ex Pontificali Romano; ergo eſt diſtinctum Sacramentum.

Probatur quoque ab abſurdo; quia, ſi ordinatio Epiſcoporum non eſſet Sacramentum, nullus Epiſcopus committeret peccatum mortale conferens Sacros Ordines in peccato mortali, aut ſuſcipiens Epiſcopatum in peccato mortali.

Denique probatur ex Scriptura 1. ad Timoth. 4. *noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum preſbyterii.*

Sunt octo ordines Eccleſiaſtici. Dices, ſi Epiſcopatus ſit Sacramentum diſtinctum ab ordinatione preſbyteri; ergo erunt plures quam ſeptem Ordines.

Reſp. concedendo totum, nec enim Concil. Florent. aut Trid. meminerunt præciſè numeri ſeptenarii, nec ullus Eccleſiæ Canon teſtatur quod ſint præciſè ſeptem Ordines Eccleſiaſtici: rectè tamen vulgo recenſentur ſeptem Ordines, quia ſoli ſeptem ordinantur ad corpus Chriſti verum, id eſt ad Euchariſtiæ Sacramentum; Epiſcopatus verò ordinatur ad corpus Chriſti myſticum, & ad creandos novos Chriſti milites.

Quo ſenſu cōmuniter dicantur eſſe tantùm ſeptem.

Dices, ſi Epiſcopatus ſit Sacramentum diſtinctum ab ordinatione preſbyteri, poterit aliquis ordinari Epiſcopus, qui non ſit ſacerdos, eo modo quo quis poteſt validè ordinari Sacerdos etiamſi non ſit Diaconus.

Reſp. negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia Diaconatus, prout & omnes alii ordines minores, continetur eminenter in preſbyteratu, quippè qui ſit omnibus illis excellentior, imo finis ad quem omnes alii inferiores ordines deſtinantur; porro in poteſtate quæ attingit finem, continetur omnis poteſtas attingens media; munus verò Epiſcopi proprium, non eſt excellentius munere preſbyteri, in qualitate tali, ſiquidem nihil ſublimius conſecratione Euchariſtiæ.

Petes, an ergo Epiſcopus non ſit major preſbytero.

Reſp. affirmativè; quod eſt definitum in Trid. ſeſſ. 23. can. 7. his verbis, „ ſi quis dixerit Epiſ„copos non eſſe preſbyteris ſu„periores, vel non habere po„teſtatem confirmandi, & or„dinandi, vel eam quam ha„bent, illis eſſe cum preſbyte„ris communem anathema ſit. „

Hoc ipſum dictat ratio, quia Epiſcopi poſſunt ordinare preſbyterum, quod ſimplex ſacerdos non poteſt.

 Petes,

Digitized by Google

Non eſt planè certum Epiſcopatum eſſe diſtinctum realiter ab ordine Sacerdotali.

Petes, an probabiliter ſuſtineri non poſſit, Epiſcopatum non eſſe Sacramentum diſtinctum à presbyteratu.

Reſp. affirmativè; dicendo nempe, ordinationem presbyteri, quæ neceſſariò debet præcedere, habitudine morali magis perfici & extendi ad plura officia per hanc ordinationem: per conſequens quoque non imprimi in Epiſcopatu diſtinctum characterem, ſed ſacerdotalem intrinſecè augeri, ita ſcilicet, ut ordinatus Epiſcopus non tantùm valeat conficere Sacramentum Euchariſtiæ, ſed & ſacerdotes ordinare.

Petes, quænam ſit materia & forma ordinis Epiſcopatus.

Quæ ſit materia & forma ordinis Epiſcopalis.

Reſp. ſecundùm veriorem Theologorum ſententiam materiam eſſe impoſitionem manuum Epiſcopi ſuper caput conſecrandi: formam verò eſſe hæc verba, *accipe Spiritum S. &c.* prout in Pontificali, per quæ denotatur abundantia gratiæ Spiritus Sancti. Probatur ex Apoſtol. 1. ad Timoth. 4. *noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii.* Hoc tamen intelligitur de conſecratione Epiſcopi in Eccleſia Latina: nam in Eccleſia Græca, dum quis ordinatur Epiſcopus, non imponitur manus immediatè ipſi capiti, ſed involvitur pallio, & ita mediatè imponitur capiti conſecrandi ſub hac forma. *Divina gratia quæ ſemper infirma ſanat, & imperfecta perficit, promovit N. Deo amabiliſſimum presbyterum in Epiſcopum, à Deo cuſtoditæ civitatis N. Oremus igitur pro ipſo, ut veniat ſuper eum gratia Sanctiſſimi Spiritus.*

Ad validam ordinationem Epiſcopi ſufficit unus Epiſcopus ordinans accedente diſpenſatione Pontificis.

Petes, an ſufficiat impoſitio manus unius Epiſcopi, ſuper caput conſecrandi: an verò debeant eſſe tres ad eſſentiam Sacramenti.

Reſp. ex jure divino ſufficere impoſitionem manus unius Epiſcopi, accedente licentiâ ſummi Pontificis: quod probatur ex diverſis actis Romanorum Pontificum; nam ſic Gregorius conceſſit pro Anglia, ut conſecratio fieret ab uno Epiſcopo. Et Gregorius XIII. conceſſit Patriarchæ Antiochiæ, ut ab uno Epiſcopo conſecraretur, prout & Innocentius X. conceſſit Fabio Chiſio Epiſcopo Nitorienſi, legato ſuo à latere ad pacem Monaſterienſem, ut Archi-Epiſcopum Epheſinum ſolus ordinaret.

Invalida eſſet talis conſecratio ſine licentia Pontificis.

Porro ſine hac licentia Romani Pontificis ad validam conſecrationem Epiſcopi, requiritur impoſitio manuum facta à tribus Epiſcopis, quod non debet videri mirum, quandoquidem ſimplex ſacerdos ex conſenſu

Romani

Romani Pontificis, ut ſupra vidimus, poſſit validè conferre Sacramentum Confirmationis, quod tamen ſine illo non poteſt. Et hoc eſt quod Anacletus Pontifex epiſt. 2. ait, per tres Epiſcopos fieri debere conſecrationem Epiſcopi, ſcilicet non accedente conſenſu Romani Pontificis.

Dices, ſi ordo Epiſcopalis ſit Sacramentum, debet tam bene habere materiam proximam & remotam, quam alii ordines, ſed talis non erit aſſignabilis, ſi proxima ſit manuum impoſitio.

Reſp. negando ſubſumptum, quia manus ipſæ Epiſcoporum erunt materia remota, proxima verò impoſitio illarum.

Ad validitatem ordinationis requiritur phyſicus contactus materiæ in ordin.

Petes, an ſit neceſsè ad valorem Sacramenti ut ordinandus tangat materiam remotam v. g. an dum ab Epiſcopo conſecrante imponitur manus conſecrato, debeat hic contactus eſſe phyſicus: ſimiliter, an dum quis conſecratur ſacerdos, debeat neceſſariò tangere calicem & patenam cum hoſtiâ, eademque quæſtio movetur de Diacono, item Subdiacono, an ſi non tangant reſpectivè librum Euangeliorum aut Epiſtolarum valebit ordo.

Reſp. cum tutiori ſententia neg. adeoque requiri contactum phyſicum materiæ remotæ ad valorem Sacramenti Ordinis: quod probatur, quia in omnibus aliis Sacramentis neceſſarius eſt contactus phyſicus materiæ Sacramenti, quod ſuſcipitur, prout patet in Baptiſmo, Confirmatione &c.

Prob. 2. quia veritas formæ importat neceſſitatem ejus contactus, adeoque, ſi ſuſcipiens non contingat, illa non verificatur.

Prob. 3. ex magno rigore, quo Eccleſia latina ſemper præcipit phyſicum contactum materiæ prout patet ex exactâ ſollicitudine, quâ contactus ille phyſicus in hac eccleſiâ obſervatur: & eapropter ſacerdos ſine hoc phyſico contactu ordinatus, confeſſiones fidelium excipere non poſſet, prout nec conſecrare, utpote exponens Sacramenta periculo nullitatis.

Attamen hæc ſententia non tam rigidè venit intelligenda, ut neceſsè ſit in ſacerdotio phyſicè contingere hoſtiam & vinum, ſed ſufficit contingere patinam & calicem: nam qui attingit continens cenſetur attingere contentum. Interim tamen pro tollendis quam plurimis ſcrupilis, & dubia in aere conficta quæ poſtmodum poſſent ſuboriri, conniti debent initiandi ſacerdotio quantum poſſunt, ad attingendum patinam, calicem, & hoſtiam juxta præſcriptum Pon-

tificalis Romani: quod etiam intellige de materiis aliorum ordinum.

Petes, quid ſi in calice qui traditur ſacerdotio initiando, eſſet impoſita aqua loco vini, an hæc eſſet legitima materia remota ordinis ſacerdotalis: item ſi Diacono per errorem traderetur alius liber quam evangeliorum an eſſet materia remota Ordinis Diaconatus.

Reſp. negativè: conſequenter tale mordinationem non valere; ratio eſt, quia deeſt traditio legitimæ materiæ ad eſſe Sacramenti requiſitæ; & eapropter taliter ordinatus ad minus deberet ſub conditione reordinari.

Petes, an quando ob juſtas cauſas aliquis ordo debet iterari ſub conditione, oporteat attendere quatuor anni tempora.

Reſp. neg. ſed hoc poſſe fieri quocumque anni tempore etiam in oratorio privato ipſius Epiſcopi, omittendo cæteras ceremonias & ponendo eſſentialia de quibus dubitatur. Ratio eſt, quia ſolemnitates accidentales in pontificali requiſitæ, ſunt inſtitutæ pro ordinatione abſoluta; non verò pro conditionata.

DUBIUM IX.

De diſpoſitionibus ad ſuſceptionem ſacrorum ordinum requiſitis.

Epiſcopis incumbit non ſtatim admittere quemvis ad Sacros Ordines.

Quia ſacer ſubdiaconatus ordo, eſt oſtium per quod miniſtri Eccleſiæ intrant in ovile ovium, idcirco oſtium illud ab Epiſcopis, tamquam illius oſtii janitoribus, debet accuratè cuſtodiri; ne per illud irrepant lubrici canes, aut vulpes, quæ vitâ ſuâ fœdâ & ſcandaloſâ poſtmodum deturpant, & demoliuntur totam Eccleſiæ vineam. Proinde illud Apoſtoli frequenter inſonare debet Epiſcoporum auribus 1. ad Timoth. 5. *Manus nemini citò impoſueris; neque communicaveris peccatis alienis.*

Suſcepturus Ordines Sacros prius examinare debet ſuam vocationem.

Ad hoc ipſum quoque ipſi ſacrorum ordinum candidati, ſi animas ſuas velint ſalvas, vigilanter debent attendere; & proinde præviè ſeriò & accuratè deliberare de ſtatu vitæ ſuæ eligendo. Nihil enim periculoſius quam inconſideratè & indeliberatè hunc ſtatum aſſumere: nam multis ille fuit cauſa damnationis, qui in ſtatu matrimoniali fuiſſent ſalvati; & econtra multi in ſtatu matrimoniali fuerunt damnati, qui in Eccleſiaſtico fuiſſent ſalvati. Tanti refert de ſtatu vitæ

Digitized by Google

Ad illam cognoſcēdam præmittenda exercitia ſpiritualia.

vitæ ſuæ seriò deliberare. Porro cum vox hæc non audiatur in foro, non ſonet in publico, ſed ſecretum conſilium ſecretum quærat auditum, ſecedere nonnihil oportet ex turba & negotiis, & exercitiis ſpiritualibus octo ad minus dierum ſpatio ad illum finem vacare; jejuniis, & orationibus jugiter inſiſtendo ad lucem cælitus hauriendam, qua divina voluntas cognoſcatur. In quo ſeceſſu, frequenter Deus cum Apoſtolo eſt interpellandus, *Domine quid me vis facere. Paratum, cor meum Deus, paratum cor meum ad quodcumque volueris.* Nec deſiſtere, donec moraliter ſaltem cognoſcatur divina vocatio ad ſtatum Eccleſiaſticum; eò quod hæc ſit baſis, ſubſtantia & fundamentum, cui tota ſalus ordinandi in hoc ſtatu innititur: quos enim Deus efficaciter vocat, illis quoque infallibiliter ſubminiſtrat media, quibus optatum finem in eo ſtatu conſequantur. Quos verò Deus non vocat, illos permittit ingredi vias ſuas ſeque tradere infrunitis ſuis concupiſcentiis, & ideo Apoſtolus merito ad Hebræos quinto ait *nullus ſibi ſumat honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* & certè quænam divina auxilia in hoc ſtatu exſpectare debet, qui contra divini Conſilii diſpoſitionem, violenter ſeſe per hoc oſtium non vocatus intrudit?, qui meritò timere debet quandoque audire hanc lugubrem vocem Matth. 22. *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem.* & profectò quis talia conſiderans temperet à lachrymis, dum recogitat quas & quantas animarum ſtrages non patiatur eccleſia ab iis, qui interius cum ſint lupi, pelle ovinâ ſe contegunt, & ita per hoc oſtium irrumpunt.

Quid ſit illa vocatio.

Divina autem illa vocatio non eſt aliud quam diſpoſitio divinæ providentiæ, qua pro ſuo beneplacito quempiam ſeligit & ſegregat ad opus miniſterii ſui, illique gratias largitur ad munus ſuum rite decenterque obeundum; & ita actorum 13. Jejunantibus Apoſtolis dixit Spiritus Sanctus, *ſegregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod aſſumpſi eos*

Signa ex quibus colligi poſſit illa vocatio.

Porro ad cognoſcenda aliqua hujus divinæ vocationis ſigna, attendere ante omnia oportet, à quo quis vocetur ad ſtatum eccleſiaſticum; etenim ſi vocetur à carne & ſanguine, ſi ab honoribus, à cupiditatibus ſæculi, ſi à commodis corporis, ſiquis aſpirat ad S. Ordinem tamquam ad opificium ut victum lucretur: ſane hæ voces ſunt antiqui ſerpentis, qui eſt diabolus, qui ordinandum ad pinnaculum templi levare nititur,

tur,

tur, ut eum ſic ſublevatum in altum eccleſiaſtici ſtatus, æterno præcipitio colliſum interimat. & proh rem ſanguineis lachrymis deplorandam! quam multi hodie infelices accedunt ad ſacros ordines, non cæleſtem panem, ſed terrenum quærentes; non ſpiritum, ſed lucrum; non Dei honorem, ſed ſuam ambitionem; non ſalutem animarum, ſed quæſtum pecuniarum; non Chriſto ſervire corde & corpore, ſed ditari, delitiari, ſuperbire, & luxurari de patrimonio Chriſti intendentes; qui ſi maturè de ſtatu vitæ deliberaſſent, & bene attendiſſent ad hæc verba, *nemo aſſumat ſibi honorem niſi qui vocatur à Deo, tamquam Aaron*: ſatius profectò duxiſſent in infimo ſtatu ſalvari, quam in ſublimi damnari; ſatius judicaſſent nubere, quam in ſacerdotio ſe non continere, & poſt paucos annos in ſacerdotio tranſactos æternaliter ardere.

II. In hoc receſſu pro cognoſcendâ divinâ vocatione, ingrediatur frequenter cubile cordis ſui, & ſedens computet, an habeat ſumptus ſufficientes, ad conſtruendam turrim immaculatæ caſtitatis, quia non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt, ne poſtquam poſuerit fundamentum in Sacro Ordine Subdiaconatus, non valens perficere, ſeſe exponat maniſeſtiſſimo periculo æternæ damnationis. Quia verò vix umquam viget caſtitas, ubi regnat ebrietas, ſeriò cogitet an ſit ejuſmodi vitio conſpurcatus, cum quo vix, aut ne vix quidem caſtitatem ſervabit.

III. Examinet quomodo vixerit à baptiſmo ſuſcepto & an ſortitus ſit animam bonam ad nulla graviora vitia propenſam: ſiquidem inter alia divinæ vocationis argumenta non infimum locum obtinet, quod quis à teneris annis uſque ad maturam ætatem, nullis gravioribus peccatis fuerit addictus; ſed econtra ad debitum Deo cultum exhibendum propenſus.

IV. Examinet modo in ſe ſeriò an experiatur in ſe Spiritum verè Eccleſiaſticum, adeò cuicumque perſonæ Eccleſiaſticæ neceſſarium, ut eo deficiente nec vivat nec moveatur ſpiritualiter, nec ſapiat ea quæ Dei ſunt, ſed econtra potiùs illa, quæ mundi & carnis ſunt, de quo Apoſtolus ad Rom. 8. fidenter pronuntiat, *ſi quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*.

Eſt vero ille Spiritus Eccleſiaſticus participatio quædam cæleſtis auxilii, qua fit, ut quis cum aptitudine, promptitudine, &

ne, & perſeverantia munera omnia ad Eccleſiaſticum ſtatum ſpectantia peragat.

Porro notæ hujus Spiritus Eccleſiaſtici pateſcunt à poſteriori, & primò quidem, qui nec habet nec habere curat idoneitatem ad ea debitè peragenda, quæ ſunt Eccleſiaſtici muneris, ſed ſe potiùs perficit & immiſcet circa ea quæ ſunt mundi, nempe ad vanas converſationes compotationes periculoſas &c. talis non habet Spiritum Chriſti, nec eſt ejus; ſicuti nec ille quoque qui officia quidem Eccleſiaſtica peragit v.g. miſſam, S. communionem, ſtudium Scripturæ ſacræ, ſed perfunctoriè & oſcitanter omnia, cum tædio & torpore, facit ſiquidem neſcit tarda molimina, Spiritus Sancti gratia; *maledictus* verò *qui facit opus Domini negligenter.*

Porro quam pauci ſunt qui vivunt Spiritu verè Eccleſiaſtico accipe ex S. Chryſoſtomo homil 5. in acta Apoſt. „non temerè loquor, inquit, ſed prout affectus ſum & ſentio, non arbitror inter ſacerdotes eſſe multos, qui ſalvi fiant, ſed multo plures qui pereant;„ quia nimirum pauci ſunt, qui vivunt Spiritu Chriſti, quem ut quis accipiat, jugi oratione opus habet, juxta illud Sapientiæ ſeptimo *optavi & datus eſt mihi ſenſus, invocavi & venit in me ſpiritus ſapientiæ*: potiſſimum verò medium eſt oratio quotidiana interna per rerum cæleſtium contemplationem, ad quam plurimùm conducit humilis & devota lectio Scripturæ ſacræ, fuga omnium oblectationum, mundanarum prout & converſatio cum illis perſonis Eccleſiaſticis, in quibus ſpiritus ille Eccleſiaſticus elucet; adeoque verè dictum à quodam „ſi vis ſalvari cum paucis, imitare „vitam paucorum, illorum nimirum, qui vitam ſuam exactè componunt ad normam & regulam vitæ Chriſtianæ, *qui nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium Chriſti, in omnibus ſeſe exhibent ut Dei miniſtros, in multa patientia*, ut loquitur Apoſtol. 2. corinth. 6. *in tribulationibus in anguſtiis, in laboribus, vigiliis, jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per ignominiam & bonam famam.*

Digitized by Google

DUBIUM XI.
De ſubjecto ſacrorum Ordinum.

QUamvis ſolus homo ſit capax hujus Sacramenti, non tamen omnis, & quidem aliqui inhabiles ſunt jure divino; qui reducuntur ad duplicem ſpeciem.

Mulier jure divino eſt incapax ordinum

Primò fœminæ, utpote quibus nec loqui in Eccleſiâ permittitur, 2. ad Timoth. 2. Huc reducitur hermaphroditus, ſi habeat ſexum fœmineum prævalentem, & poſſit eſſe uxor; ſi vero in ipſo prævaleat ſexus virilis, & poſſit exercere officium mariti, eſt quidem jure divino habilis, ſed Eccleſiaſtico irregularis, quia monſtrum.

II. Non baptizati, eò quod baptiſmus ſit janua reliquorum Sacramentornm.

Item nõ baptizatus.

Petes, an qui inviti & omnimodè repugnantes ordinantur, validè ſuſcipiant ordines.

Qui planè invitus ordinatur, invalidè ordinatur.

Reſp. negativè, quia jure divino requiritur intentio in adultis, ut ſupra adhuc latius explicauimus.

Petes, an ergo ſi quis per metum gravem eſſet ordinatus, non teneret ordo.

Qui per metum gravem ordinatur validè poteſt ordinari.

Reſp. affirma. eoquod intentio ſuſcipiendi ordines bene conſiſtat cum voluntario ſecundum quid, talis tamen taliter ordinatus, neque ad votum caſtitatis, neque ad lectionem horarum canonicarum adſtringeretur, niſi poſtea ſponte ſua ordinationem ſuam verbis aut factis ratificaret illa utendo; & idcirco taliter ordinatus, etiam ſine diſpenſatione Matrimonium contrahere poſſet. Ratio eſt, quod nullum votum jure naturæ obliget, niſi à Dèo acceptetur, qui non acceptat vota gravi & injurioſo metu extorta.

Quod ſi tamen metus foret juſtè incuſſus, eoquod Epiſcopus neceſſitate urgente aliquem ad ſuſceptionem ſacrorum ordinum impellat, talis obligabitur ad votum continentiæ ſervandum, & ad perſolvendas horas canonicas, eo quod irrationabiliter ſit invitus.

Infans poteſt validè ordinari.

Petes, an infans rationis uſu carens ſit capax ordinis ſacri.

Reſp. affirmativè.

Dices, non eſt capax matrimonii, ergo nec ordinis ſacri.

Reſp. negando conſeq. quia uſus rationis tantùm requiritur in ſuſcipientibus Sacramentum quod eſſentialiter conſiſtit in aliquo libero actu ſuſcipientis: quale eſt Pœnitentia, matrimonium, &c. non verò in iſtis Sacramentis, quæ non conſiſtunt in libero actu ſuſcipientis: qualia ſunt baptiſmus, confirmatio, ordo

Ordo, per quæ datur aliqua poteſtas, quæ eſt prior actu; in quibus proinde ſufficit capacitas poteſtatis, quæ confertur: & idcirco non requiritur uſus rationis in baptizando, eo quod ſuſcipienti conferatur per baptiſmum poteſtas ſuſcipiendi alia Sacramenta.

Petes, an ille, qui poſtquam uſus eſt ratione, incidit in amentiam, & numquam hoc Sacramentum Ordinis expetiit, poſſit validè ordinari, ſicut infans aut perpetuò amens.

Reſp. negativè, quia talis cenſetur habitualiter nolle Sacros Ordines ſuſcipere, & virtualiter in illa nolitione permanere; quod non habet locum in infante, aut perpetuo amente.

DUBIUM XII.

Quæ qualitates requirantur in ſubjecto Sacrorum Ordinum.

SUpponendum hîc in ſuſcipientibus hoc Sacramentum quædam requiri neceſſitate Sacramenti, quorum defectu illud non valet: quædam verò neceſſitate præcepti, ſic ut ſine illis habitis ordinariè illicitum ſit ordines ſuſcipere.

Quibus præſuppoſitis.

Petitur 1. quænam ſint requiſita in adulto ut validè ordinetur.

Reſ. ultra baptiſmum & ſexum virilem requiri inſuper hæc tria; nempe debitam materiam, debitam formam & debitam intentionẽ tam miniſtri quam recipientis. *Quæ requirantur ad validam ordinationem adultorum.*

Petes, quare mulier non poteſt ordinari, quandoquidem can. *Diaconiſſam*, diſt. 27. q. 1, item can. *Mulieres* d. 32. fiat mentio mulierum Diaconiſſarum, & Presbyterarum, quæ expreſsè prohibentur ordinari ante annum 40.

Reſp. id eſſe verum, ſed ejuſmodi mulieres abſque aliquo Ordine Sacro fuiſſe tantùm deſtinatas ad quædam obſequia divina in templo aut alibi peragenda: ut v. g. ad erudiendas in fide Cathecumenas, aut ad habendam curam ſuppellectilium Eccleſiæ: taceo hic uxores Presbyterorum & Diaconorum apud Græcos appellatas fuiſſe Presbyteras aut Diaconiſſas; ita quoque Abbatiſſæ antiquitus vocabantur Diaconiſſæ, quia per quamdam benedictionem recipiebant poteſtatẽ legendi Euangelium cum homilia in matutino, ſicuti Diaconi faciunt, quod tamen illæ faciebant ſine ullo Ordine. *Quid Presbyteræ Diaconiſſæ antiquitus.*

Petes, quænam requirantur neceſſitate præcepti ut quis licitè ordinetur. *Vt quis licitè ordinetur debet eſſe adultus.*

Reſp. & dico 1. neceſſitate præcepti requiritur uſus rationis:

 quod

quod probatur ex can. *Pueri* diſt. 1.q.1. ubi expreſsè mandatur ne pueri ad S Ordines ullatenus admittantur: ratio hujus præcepti eſt, quia Ordinibus Sac. annexum eſt votum caſtitatis, quod nemo poteſt emittere ante uſum rationis.

Debet eſſe in ſtatu gratia. Dico 2. neceſſitate præcepti requiritur ut ſuſcipiens non ſit ſibi conſcius peccati mortalis: ratio eſt, quia hoc Sacramentum eſt Sacramentum vivorum, non ordinatum ad remiſſionem peccatorum ejus qui illud ſuſcipit.

Requiritur inſuper probitas vitæ, & bona fama. Petes, an ea bonitas vitæ ſufficiat ad ſuſceptionem hujus Sacramenti quæ ſufficit ad ſuſceptionem aliorum Sacramentorum; nempe quod quis ſit in ſtatu gratiæ.

Reſp. neg. ſed inſuper requiritur ut quis ſit integræ & inculpatæ vitæ; cujus rationem allegat Conc. Trid. quia Ordinatus virtutis & innocentiæ lumen aliis debet præferre, & juxta Christi præceptum debet eſſe *lux mundi:* & certè nihil eſt quod ſæculares magis ad pietatem excitat, quam illorum vita & exemplum, qui ſe Eccleſiaſtico miniſterio dedicarunt; cum enim in alto ſint conſtituti loco, in eos, tamquam in ſpeculum, laici oculos conjiciunt, ut inde ſumant quod imitentur: „qua propter „decet clericos in ſortem Domi„ni vocatos (verba ſunt Conc. „Trident.) ita vitam moreſque „ſuos componere, ut in habitu, „in geſtu, in inceſſu nil niſi gra„ve & religione plenum præ ſe „ferant.„ Et quia graviſſima hæc eſt omnium ordinandorum obligatio, meritò exclamat S. Gregor. „nullum puto fratres „chariſſimi majus præjudicium „quam à ſacerdotibus patitur „Deus; dum illos, quos in „aliorum correptionem conſti„tuit, dare de ſe exempla pra„vitatis cernit; dum nos ipſi „peccamus, inquit, qui alio„rum peccata compeſcere debe„bamus:„ & eapropter meritò monet Apoſtolus 1. ad Tim. 5. quemlibet Epiſcopum his verbis, *manus nemini citò impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

Vita clericorum ſolet eſſe norma laicorum

Cur ante ordinationem Eccleſia inſtituat jejunia. Idcirco quoque ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ more ſtatis tantùm temporibus, quibus & ſolemnia jejunia præmittuntur, fiunt ordinationes miniſtrorum Eccleſiæ; ut ſcilicet fidelis populus ejuſmodi ſacrarum rerum miniſtros piis & ſanctis precationibus à Deo impetrent, ad tanti miniſterii poteſtatem rectè & cum Eccleſiæ utilitate gerendam: nec debet ſufficere Epiſcopo, ut ordinandus non ſit malus,

Digitized by Google

ſus, ut abſque peccato illum ordinet, ſed tenetur poſitivè eſſe moraliter certus de vita & moribus ipſius ordinandi: & ea propter Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 5. requirit, ut tempore ſcrutinii, antequam quis promoveatur ad SS. Ordines, quilibet adferat teſtimonium bonitatis vitæ & morum, quod non ita eſt neceſſarium in aliis Sacramentis.

Porro quod attinet ad bonitatem & ſanctitatem vitæ requiſitam in Paſtoribus & Confeſſariis, notandum bene quòd Deus, eundem ordinem ſervet in operibus gratiæ quē ipſe tenet in operibus naturæ, in quibus videmus, quod omne ſimile generet ſibi ſimile: ſiquidem prętet cauſas generales, quales ſunt Sol & influentiæ cæleſtes, videmus ad productionem ſublunarium inſuper requiri immediatam cauſam ejuſdem ſpeciei, ut hâc ratione poſſit introduci forma: ita enim videmus quod unus ignis producat alium ignem, unus equus producat alium equum, unus canis alium canem: hoc modo quoque proceditur in ſpiritualibus; nam ut virtus humilitatis, ſobrietatis, caſtitatis, aut cujuſcumque alterius virtutis forma aliis imprimatur, vult Deus, ut immediata cauſa, quâ ipſe, tamquam inſtrumento, utitur; puta Confeſſarius Paſtor &c. ſit humilis, caſtus, ſobrius &c.

Inſuper ſicuti videmus in naturalibus, quòd planta non producat ſemen quando adhuc eſt parua, ſed tunc demum quando plenè excrevit & eſt perfecta; ita contingit quoque in operibus ſpiritualibus gratiæ: vult enim Deus Paſtorem, aut Confeſſarium priùs in virtute eſſe provectum & in ſpirituali vita excreviſſe, antequam ex illo velit ſpirituales filios progignere: quod punctum bene notare debent Epiſcopi, ut videant quos & quales promoveant ad munus Paſtoris aut Confeſſarii, de quibus ſtrictiſſimam quandoque reddituri ſunt rationem, in magno judicii die.

Ad tonſuram ſuſcipiendam jure Eccleſiaſtico requiritur ætas ſeptennii.

Dico 3. pro tonſura clericali jure Eccleſiaſtico ad minus requiritur ſeptennium completum: prout patet ex cap. *de iis* diſt. 28. item cap. *in ſingulis*. Proinde mortaliter peccat Epiſcopus conferens tonſuram clericalem ante hanc ætatem, quippe faciens contra præceptum Eccleſiæ in materia gravi. Ideo autem requiritur illa ætas, quia illo tempore communiter cenſetur adeſſe uſus rationis ſufficiens ad ea quæ Con. Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. requirit in tonſurando, dum ait „pri-

Digitized by Google

ab omni quæſtu & oſtentatione vanæ gloriæ, quandoquidem non ſuis viribus fretus, ſed ſolo divino auxilio contra Diabolum præſumat pugnare: & eapropter ſi exorciſmus felicem habeat ſucceſſum, Chriſti paſſioni & meritis illum adſcribat; ſi verò infelicem, propterea non turbetur, ſed ſoletur afflictum, dicendo, hoc à Deo permitti, eo quod ſecundùm ordinem ſuæ providentię judicet ejuſmodi malum non expedire tolli.

Cur non ſemper habeant effectum.

Porro plures poſſunt allegari cauſæ ob quas exorciſmi ſæpe non ſortiuntur effectum, puta peccata exorciſtæ, vel ipſius afflicti, vel adſtantium; vel etiam aliquando, eſto nihil horum ſubſit, ut homo afflictus majori cum fervore & fiducia auxilium à Deo petiturus accedat.

Porrò caveat Exorciſta ne dæmonem per modum obſecrationis adjuret, ut aliquid ab eo impetret, quia hoc eſt peccatum mortale, eò quod cum hoſte Chriſti infeſtiſſimo nulla ſit ineunda ſocietas, ſed potiùs eum oportet ut hoſtem proſequi, cogere & impellere per modum imperii.

Caveat quoque Exorciſta, ne adjuret diabolum, ad diſcenda aliqua vana & curioſa, ſed ſolùm ad ea quæ ad rem pertinent; ut puta de numero & nomine obſidentium, item de tempore quo ingreſſi ſunt, inſuper de cauſa ingreſſus: quibus autem ſacris verbis aut ſignis Exorciſta videt dæmonem magis urgeri, ea crebriùs adhibeat.

Quid Acolitatus.

Acolitatus eſt ordo quo datur poteſtas cereos transferendi ad altare & illos accendendi, item porrigendi ſubdiacono urceolos pro miſſa ſolemni: materia hujus remota eſt candelabrum cum cereo exſtincto, item ampullæ vacuæ; proxima eſt horum traditio: forma ſunt hæc verba, *accipe ceroferarium cum cereo, ut ſcias te ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipari in nomine Domini.* Altera vero materia ſunt urceoli, forma verò hæc verba, *accipe urceolis ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam Sanguinis, in nomine Domini.*

Officium Acoliti eſt præparare candelas, ad Sacrificium candelas ferre dum legendum eſt Euangelium, Diacono & Subdiacono inſervire, aquam & vinum in ampullis ſubminiſtrare, illaſque Subdiacono porrigere.

Virtus potiſſima, quâ debet eſſe præditus eſt Chriſtiana modeſtia, quâ ſe in omnibus præbeat exemplum bonorum operum, ita ut lumen viſibile præferens, lumen

Digitized by Google

lumen quoque ſpirituale moribus præferat. Alia quoque virtus ſpecialis ipſi competens eſt devotio, nempe erga Sacratiſſimum Sacramentum, illud venerando & cum timore & tremore ſæpius viſitando.

Petes, an clerici minorum ordinum teneantur functiones ordinum ſuorum reſpectivè exercere & exequi.

Reſp. affirmativè; quia Chriſtus inſtituendo hæc Sacramenta, non dat poteſtatem ordinis in vanum, neque promittit nobis gratias ſuas actuales, niſi ad functiones ordinum debitè decenterque obeundas.

Petes, an qui vult ſuſcipere minores ordines teneatur eſſe in ſtatu gratiæ.

Suſcipiẽs ordines minores debet eſſe in ſtatu gratiæ.

Reſp. affirmativè; quia ſunt, ut diximus, Sacramenta, ſaltem probabiliter; & eapropter qui illa ſuſciperet in ſtatu peccati mortalis, exponeret ſe periculo committendi ſacrilegii.

DUBIUM VII.

Quomodo definiantur Ordines majores.

Quid Subdiaconatus.

RESp. & dico 1. Subdiaconatus eſt ordo ſacer quo datur alicui poteſtas ſolemniter in altari aſſiſtendi Presbytero celebranti, miniſtrando calicem cum vino, patenam cum hoſtia, item legendi epiſtolam in miſſa: materia illius remota eſt duplex, nempe calix vacuus cum patena vacua: forma illi correſpondens eſt hæc, *videte cujus miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis quod Deo placere poſſitis:* prout patet ex Pontificali Romano, item ex Concilio Florentino, item Carthag. IV. cap. 5.

Quæ ſit ejus materia.

Altera materia partialis remota Subdiaconatus, eſt liber Epiſtolarum, proxima verò traditio illius libri cum hâc forma, *accipete librum Epiſtolarum & habete poteſtatem legendi in Eccleſia Sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Confertur itaque Subdiaconatus per duas partiales formas & in prolatione ultimæ formæ imprimitur character.

Petes quæ ſint officia Subdiaconi.

Reſp. Diacono miniſtrare; pallas altaris & corporalia lavare; calicem cum vino & patenam cum hoſtia in uſum ſacrificii diacono offerre; rudimenta fidei docere; crucem in ſupplicationibus geſtare; Epiſtolam ſolemniter cantare; quod fit dum manipulo indutus illam decantat: nam alioquin ſine illa ſolemnitate (prout nonnunquam contingit

Quæ ſint Subdiaconi officia.

Digitized by Google

tingit in monaſteriis) acolitus cantare poteſt Epiſtolam.

Petes, quas obligationes contrahat Subdiaconus in ſua ordinatione.

Reſp. has duas, ſervandi caſtitatem illibatam, & legendi quotidie horas canonicas, ad quæ duo tenetur ſub mortali: & quod notandum, obligationi caſtitatis in ſubdiacono annexum eſt impedimentum dirimens matrimonium: quod eſt de fide definitum a Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 9. his verbis „Si quis dixe- „rit clericos in ſacris ordinibus „conſtitutos, vel Regulares ca- „ſtitatem ſolemniter profeſſos, „poſſe matrimonium contrahere „contractumque validum eſſe, „non obſtante lege eccleſiaſtica „vel voto ...... anathema ſit,„ & ideo Pontificale Rom. ſic habet „qui hunc ordinem ſuſcepit, „non licebit ei ampliùs reſilire „à propoſito; ſed Deo, cui ſer- „vire regnare eſt, perpetuò fa- „mulari, & caſtitatem, illo ad- „juvante, ſervare oportebit, at- „que in Eccleſiæ miniſterio ſem- „per eſſe mancipatum.

Subdiaconus vi ſui ordinis obligatur ad caſtitatē & ad horas legendas.

Quid Diaconatus.

Dico 2. Diaconatus eſt ordo ſacer quo confertur poteſtas proximè aſſiſtendi presbytero in miniſterio altaris, & legendi ſolemniter Euangelium in miſſa: materia illius remota, ſicuti & proxima, eſt duplex ſcilicet porrectio libri Euangeliorum ab Epiſcopo ſub hac forma *accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini*: altera verò eſt impoſitio manus ſuper caput ordinandi ſub hac forma, *accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini.*

Quæ ejus materia & forma.

Componitur proinde hoc Sacramentum Diaconatus, ſicuti & Subdiaconatus ex duabus partialibus materiis, ſicuti & ex duabus partialibus formis: nec refert, aliquos probabiliter aſſerere traditionem libri Euangeliorum cum ſua forma eſſe adæquatas partes hujus Sacramenti, quia in materia Sacramentorum probabilitas nequit ſupplere defectum qui timetur, nec propter dicere centum Doctorum quidquam mutatur in re, idcirco oportet ingredi viam tutam, quam ſupra aſſignavimus.

Dices, in initio Eccleſiæ nec erat liber Euangeliorum nec Epiſtolarum, & tamen tunc fuerunt ordinati Diaconi: ut enim narrat Baronius ad annum Domini 41. Mattheus priùs ſcripſit Euangelium anno octavo poſt Christi aſcenſionem & addit Durandus in Eccleſia Anicienſi, cui ipſe Epiſcopus præfuit, non ſole-

re

re tradi librum Euangeliorum ordinando: præterea Conc. Carth. 4. meminit ſolius manuum impoſitionis. Hoc addito, quod miniſterium Diaconorum fuerit merè laicum, quippe ſpectans ad magiſtros menſæ pauperum, prout patet ex Actis Apoſtolorum, ubi dicitur *non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.*

Chriſtus materiã Ordinũ inſtituit quoad genus, ſpeciem verò reliquit Eccleſiæ determinandam.

Reſp. ad primum: non opus habuiſſe primos diaconos ordinari præcisè per traditionem libri Evangeliorum: nam Chriſtus materiam Sacramenti Ordinis ſolùm determinavit quo ad genus, nempe quò ad traditionem alicujus inſtrumenti quo poteſtas illius ordinis deſignaretur: Porro ſpeciem illius inſtrumenti reliquit determinationi Eccleſiæ; prout hoc manifeſtum apparet in Eccleſia Græca, quæ utitur materiâ in aliquibus Sacramentis diſtinctâ ab ea qua utitur Eccleſia latina; & proinde non eſt mirum quòd Eccleſia latina in initio non fuerit uſa libro Evangeliorum, poſtea verò ſit uſa, in collatione Sacramenti Diaconatus.

Porro ordinatur diaconus ſolâ manuum impoſitione, ſub conſimili ferè formâ quâ confertur in illa presbyteratus.

Ad ſecundum dico; id quod tradit Durandus de Eccleſia ſua Aniciensi eſſe erroneum; neque enim eſt in poteſtate alicujus particularis eccleſiæ immutare materiam Sacramentorum.

Ad tertium Dico Conc. Carthag. ſolùm inadæquatè expreſſiſſe materiam diaconatus; prout quoque fecit Conc. Florent.

Ad Quartum Dico, per miniſterium menſæ in actis Apoſtolorum, non intelligi præcisè miniſterium menſæ pauperum, ſed & menſæ altaris, utique menſæ Domini.

Quænam ſin. officia diac.

Petes, quænam ſint munia ſeu officia Diaconi.

Reſp. ſacerdoti proxmè aſſiſtere in Sacrificio miſſæ 2. cantare evangèlium ſolemniter, hoc eſt cum ſtola 3. prædicare verbum Dei 4. baptizare 5. in neceſſitate Euchariſtiam diſtribuere.

Quid Presbyteratus.

Dico 3. Presbyteratus ſeu ſacerdotium eſt Ordo ſacer, quo traditur poteſtas conficiendi corpus & ſanguinem Domini &, abſolvendi à peccatis: materia illius prout & forma eſt duplex; prior remota eſt calix cum vino & patena cum pane: proxima verò, illorum traditio. Forma partialis huic materiæ correſpondens, eſt hæc, *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo miſſaſque celebrandi tam pro vivis quam defunctis in nomine Domini*

Ejus materia & forma

Digitized by Google

Altera materia eſt manuum impoſitio facta Sacerdoti ab Epiſcopo, ſub hac forma, *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*: completa itaque ſacerdotis ordinatio conſiſtit in duabus dictis partialibus ordinationibus, in quarum prima datur poteſtas ſuper corpus Chriſti verum; in poſteriori verò datur poteſtas ſuper corpus Chriſti myſticum: unde ſequitur, quòd, ſi quis ordinatus tantùm eſſet priori ordinatione, non poſſet validè abſolvere à peccatis.

Quia tamen duæ illæ poteſtates ſunt ſubordinatæ, non conſtituitur ſacramentum diverſum, ſed poſterior ordinatio in eſſe ſacramenti moraliter perficit & conſummat priorem, prout neque diſtinctum characterem imprimit; ſed priorem in prima ordinatione acceptum auget magiſque perficit, & hoc cum acceſſione alicujus realis modi ſeu perfectionis, non verò merè per extrinſecam denominationem ut dictum eſt.

Forma ordinandi presbyteros apud græcos.

Hæc dicta ſunt quoad Eccleſiam latinam; nam in Eccleſia Græca ordinantur presbyteri ſolâ manuum impoſitione, factâ ab Epiſcopo ſub hac forma, *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit, promovit N. Reverendum Dominum Diaconum in Presbyterum.*

Petes quænam ſint officia ſacerdotis.

Officia ſacerdotis quæ ſint.

Reſp. 1. conſecrare corpus & ſanguinem Domini 2. abſolvere à peccatis. 3. fideles in rebus fidei inſtruere & prædicare verbum Dei; nam *labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem Dei requirent ex ore ejus.*

DUBIUM VIII.

An Epiſcopatus ſit Sacramentum.

Epiſcopatus eſt ordo diſtinctus à presbyteratu.

RESp. affirma. & quidem diſtinctum à Presbyteratu: ratio eſt, quia eſt cæremonia externa imprimens characterem & conferens gratiam.

Porro, quod imprimat characterem, patet; quia non poteſt reiterari; cujus alia ratio aſſignari non poteſt, quàm quia relinquit poſt ſe effectum indelebilem: præterea hæc ordinatio confert novam poteſtatem, quæ nullo modo convenire poteſt ſimplici presbytero, ſcilicet ordinandi ſacerdotes.

Inſuper ubi eſt diſtincta materia & diſtincta forma, ibi quoque debet eſſe diſtinctum Sacramentum; ſed ordinatio Epiſcopi habet diſtinctam materiam & formam

Digitized by Google

formam ab ordinatione presbyteri, quod patet ex Pontificali Romano; ergo eſt diſtinctum Sacramentum.

Probatur quoque ab abſurdo; quia, ſi ordinatio Epiſcoporum non eſſet Sacramentum, nullus Epiſcopus committeret peccatum mortale conferens Sacros Ordines in peccato mortali, aut ſuſcipiens Epiſcopatum in peccato mortali.

Denique probatur ex Scriptura 1. ad Timoth. 4. *noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii.*

Sunt octo ordines Eccleſiaſtici.

Dices, ſi Epiſcopatus ſit Sacramentum diſtinctum ab ordinatione presbyteri; ergo erunt plures quam ſeptem Ordines.

Reſp. concedendo totum, nec enim Concil. Florent. aut Trid. meminerunt præciſè numeri ſeptenarii, nec ullus Eccleſiæ Canon teſtatur quod ſint præciſè ſeptem Ordines Eccleſiaſtici: rectè tamen vulgo recenſentur ſeptem Ordines, quia ſoli ſeptem ordinantur ad corpus Chriſti verum, id eſt ad Euchariſtiæ Sacramentum; Epiſcopatus verò ordinatur ad corpus Chriſti myſticum, & ad creandos novos Chriſti milites.

Quo ſenſu cõmuniter dicantur eſſe tantùm ſeptem.

Dices, ſi Epiſcopatus ſit Sacramentum diſtinctum ab ordinatione presbyteri, poterit aliquis ordinari Epiſcopus, qui non ſit ſacerdos, eo modo quo quis poteſt validè ordinai Sacerdos etiamſi non ſit Diaconus.

Reſp. negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia Diaconatus, prout & omnes alii ordines minores, continetur eminenter in presbyteratu, quippè qui ſit omnibus illis excellentior, imo finis ad quem omnes alii inferiores ordines deſtinantur; porro in poteſtate quæ attingit finem, continetur omnis poteſtas attingens media; munus verò Epiſcopi proprium, non eſt excellentius munere presbyteri, in qualitate tali, ſiquidem nihil ſublimius conſecratione Euchariſtiæ.

Petes, an ergo Epiſcopus non ſit major presbytero.

Reſp. affirmativè; quod eſt definitum in Trid. ſeſſ. 23. can. 3. his verbis, „ ſi quis dixerit Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum presbyteris communem anathema ſit. „

Hoc ipſum dictat ratio, quia Epiſcopi poſſunt ordinare presbyterum, quod ſimplex ſacerdos non poteſt.

Non eſt planè certum Epiſcopatum eſſe diſtinctum realiter ab ordine Sacerdotali.

Petes, an probabiliter ſuſtineri non poſſit, Epiſcopatum, non eſſe Sacramentum diſtinctum à presbyteratu.

Reſp. affirmativè; dicendo nempe, ordinationem presbyteri, quæ neceſſariò debet præcedere, habitudine morali magis perfici & extendi ad plura officia per hanc ordinationem: per conſequens quoque non imprimi in Epiſcopatu diſtinctum characterem, ſed ſacerdotalem intrinſecè augeri, ita ſcilicet, ut ordinatus Epiſcopus non tantùm valeat conficere Sacramentum Euchariſtiæ, ſed & ſacerdotes ordinare.

Petes, quænam ſit materia & forma ordinis Epiſcopatus.

Quæ ſit materia & forma ordinis Epiſcopalis.

Reſp. ſecundùm veriorem Theologorum ſententiam materiam eſſe impoſitionem manuum Epiſcopi ſuper caput conſecrandi: formam verò eſſe hæc verba, *accipe Spiritum S. &c.* prout in Pontificali, per quæ denotatur abundantia gratiæ Spiritus Sancti. Probatur ex Apoſtol. 1. ad Timoth. 4. *noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii.* Hoc tamen intelligitur de conſecratione Epiſcopi in Eccleſia Latina: nam in Eccleſia Græca, dum quis ordinatur Epiſcopus, non imponitur manus immediatè ipſi capiti, ſed involvitur pallio, & ita mediatè imponitur capiti conſecrandi ſub hac forma. *Divina gratia quæ ſemper infirma ſanat, & imperfecta perficit, promovit N. Deo amabiliſsimum presbyterum in Epiſcopum, à Deo cuſtoditæ civitatis N. Oremus igitur pro ipſo, ut veniat ſuper eum gratia Sanctiſsimi Spiritus.*

Petes, an ſufficiat impoſitio manus unius Epiſcopi, ſuper caput conſecrandi: an verò debeant eſſe tres ad eſſentiam Sacramenti.

Ad validam ordinationem Epiſcopi ſufficit unus Epiſcopus ordinans accedente diſpenſatione Pontificis.

Reſp. ex jure divino ſufficere impoſitionem manus unius Epiſcopi, accedente licentiâ ſummi Pontificis: quod probatur ex diverſis actis Romanorum Pontificum; nam ſic Gregorius conceſſit pro Anglia, ut conſecratio fieret ab uno Epiſcopo. Et Gregorius XIII. conceſſit Patriarchæ Antiochiæ, ut ab uno Epiſcopo conſecraretur, prout & Innocentius X. conceſſit Fabio Chiſio Epiſcopo Nitorienſi, legato ſuo à latere ad pacem Monaſterienſem, ut Archi-Epiſcopum Epheſinum ſolus ordinaret.

Invalida eſſet talis conſecratio ſine licentia Pontificis.

Porro ſine hac licentia Romani Pontificis ad validam conſecrationem Epiſcopi, requiritur impoſitio manuum facta à tribus Epiſcopis, quod non debet videri mirum, quandoquidem ſimplex ſacerdos ex conſenſu

Romani

Romani Pontificis, ut ſupra vidimus; poſſit validè conferre Sacramentum Confirmationis, quod tamen ſine illo non poteſt. Et hoc eſt quod Anacletus Pontifex epiſt. 2. ait, per tres Epiſcopos fieri debere conſecrationem Epiſcopi, ſcilicet non accedente conſenſu Romani Pontificis.

Dices, ſi ordo Epiſcopalis ſit Sacramentum, debet tam bene habere materiam proximam & remotam, quam alii ordines, ſed talis non erit aſſignabilis, ſi proxima ſit manuum impoſitio.

Reſp. negando ſubſumptum, quia manus ipſæ Epiſcoporum erunt materia remota, proxima verò impoſitio illarum.

Ad validitatem ordinationis requiritur phyſicus contactus materiæ in ordin.

Petes, an ſit neceſsè ad valorem Sacramenti ut ordinandus tangat materiam remotam v. g. an dum ab Epiſcopo conſecrante imponitur manus conſecrato, debeat hic contactus eſſe phyſicus: ſimiliter, an dum quis conſecratur ſacerdos, debeat neceſſariò tangere calicem & patenam cum hoſtiâ, eademque quæſtio movetur de Diacono, item Subdiacono, an ſi non tangant reſpectivè librum Euangeliorum aut Epiſtolarum valebit ordo.

Reſp. cum tutiori ſententia neg. adeoque requiri contactum phyſicum materiæ remotæ ad valorem Sacramenti Ordinis: quod probatur, quia in omnibus aliis Sacramentis neceſſarius eſt contactus phyſicus materiæ Sacramenti, quod ſuſcipitur, prout patet in Baptiſmo, Confirmatione &c.

Prob. 2. quia veritas formæ importat neceſſitatem ejus contactus, adeoque, ſi ſuſcipiens non contingat, illa non verificatur.

Prob. 3. ex magno rigore, quo Eccleſia latina ſemper præcipit phyſicum contactum materiæ prout patet ex exactâ ſollicitudine, quâ contactus ille phyſicus in hac eccleſiâ obſervatur: & eapropter ſacerdos ſine hoc phyſico contactu ordinatus, confeſſiones fidelium excipere non poſſet, prout nec conſecrare, utpote exponens Sacramenta periculo nullitatis.

Attamen hæc ſententia non tam rigidè venit intelligenda, ut neceſsè ſit in ſacerdotio phyſicè contingere hoſtiam & vinum, ſed ſufficit contingere patinam & calicem: nam qui attingit continens cenſetur attingere contentum. Interim tamen pro tollendis quam plurimis ſcrupilis, & dubia in aere conficta quæ poſtmodum poſſent ſuboriri, conniti debent initiandi ſacerdotio quantum poſſunt, ad attingendum patinam, calicem, & hoſtiam juxta præſcriptum Pontificalis

Digitized by Google

Ad illam cognoſcēdam præmittenda exercitia ſpiritualia.

vitæ ſuæ ſeriò deliberare. Porro cum vox hæc non audiatur in foro, non ſonet in publico, ſed ſecretum conſilium ſecretum quærat auditum, ſecedere nonnihil oportet ex turba & negotiis, & exercitiis ſpiritualibus octo ad minus dierum ſpatio ad illum finem vacare; jejuniis, & orationibus jugiter inſiſtendo ad lucem cælitus hauriendam, qua divina voluntas cognoſcatur. In quo ſeceſſu, frequenter Deus cum Apoſtolo eſt interpellandus, *Domine quid me vis facere. Paratum, cor meum Deus, paratum cor meum ad quodcumque volueris.* Nec deſiſtere, donec moraliter ſaltem cognoſcatur divina vocatio ad ſtatum Eccleſiaſticum; eò quod hæc ſit baſis, ſubſtantia & fundamentum, cui tota ſalus ordinandi in hoc ſtatu innititur: quos enim Deus efficaciter vocat, illis quoque infallibiliter ſubminiſtrat media, quibus optatum finem in eo ſtatu conſequantur. Quos verò Deus non vocat, illos permittit ingredi vias ſuas ſeque tradere infrunitis ſuis concupiſcentiis, & ideo Apoſtolus merito ad Hebræos quinto ait *nullus ſibi ſumat honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* & certè quænam divina auxilia in hoc ſtatu exſpectare debet, qui contra divini Conſilii diſpoſitionem, violenter ſeſe per hoc oſtium non vocatus intrudit?, qui meritò timere debet quandoque audire hanc lugubrem vocem Matth. 22. *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem.* & profectò quis talia conſiderans temperet à lachrymis, dum recogitat quas & quantas animarum ſtrages non patiatur eccleſia ab iis, qui interius cum ſint lupi, pelle ovinâ ſe contegunt, & ita per hoc oſtium irrumpunt.

Quid ſit illa vocatio.

Divina autem illa vocatio non eſt aliud quam diſpoſitio divinæ providentiæ, qua pro ſuo beneplacito quempiam ſeligit & ſegregat ad opus miniſterii ſui, illique gratias largitur ad munus ſuum rite decenterque obeundum; & ita actorum 13. Jejunantibus Apoſtolis dixit Spiritus Sanctus, *ſegregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod aſſumpſi eos*

Signa ex quibus colligi poſſit illa vocatio.

Porro ad cognoſcenda aliqua hujus divinæ vocationis ſigna, attendere ante omnia oportet, àquo quis vocetur ad ſtatum eccleſiaſticum; etenim ſi vocetur à carne & ſanguine, ſi ab honoribus, à cupiditatibus ſæculi, ſi à commodis corporis, ſiquis aſpirat ad S. Ordinem tamquam ad opificium ut victum lucretur: ſane hæ voces ſunt antiqui ſerpentis, qui eſt diabolus, qui ordinandum ad pinnaculum templi levare nititur,

tur, ut eum ſic ſublevatum in altum eccleſiaſtici ſtatus, æterno præcipitio colliſum interimat. & proh rem ſanguineis lachrymis deplorandam! quam multi hodie infelices accedunt ad ſacros ordines, non cæleſtem panem, ſed terrenum quærentes; non ſpiritum, ſed lucrum; non Dei honorem, ſed ſuam ambitionem; non ſalutem animarum, ſed quæſtum pecuniarum; non Chriſto ſervire corde & corpore, ſed ditari, delitiari, ſuperbire, & luxurari de patrimonio Chriſti intendentes; qui ſi maturè de ſtatu vitæ deliberaſſent, & bene attendiſſent ad hæc verba, *nemo aſſumat ſibi honorem niſi qui vocatur à Deo, tamquam Aaron*: ſatius profectò duxiſſent in infimo ſtatu ſalvari, quam in ſublimi damnari; ſatius judicaſſent nubere, quam in ſacerdotio ſe non continere, & poſt paucos annos in ſacerdotio tranſactos æternaliter ardere.

II. In hoc receſſu pro cognoſcendâ divinâ vocatione, ingrediatur frequenter cubile cordis ſui, & ſedens computet, an habeat ſumptus ſufficientes, ad conſtruendam turrim immaculatæ caſtitatis, quia non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt, ne poſtquam poſuerit fundamentum in Sacro Ordine Subdiaconatus, non valens perficere, ſeſe exponat maniſeſtiſſimo periculo æternæ damnationis. Quia verò vix umquam viget caſtitas, ubi regnat ebrietas, ſeriò cogitet an ſit ejuſmodi vitio conſpurcatus, cum quo vix, aut ne vix quidem caſtitatem ſervabit.

III. Examinet quomodo vixerit à baptiſmo ſuſcepto & an ſortitus ſit animam bonam ad nulla graviora vitia propenſam: ſiquidem inter alia divinæ vocationis argumenta non infimum locum obtinet, quod quis à teneris annis uſque ad maturam ætatem, nullis gravioribus peccatis fuerit addictus; ſed econtra ad debitum Deo cultum exhibendum propenſus.

IV. Examinet modo in ſe ſeriò an experiatur in ſe Spiritum verè Eccleſiaſticum, adeò cuicumque perſonæ Eccleſiaſticæ neceſſarium, ut eo deficiente nec vivat nec moveatur ſpiritualiter, nec ſapiat ea quæ Dei ſunt, ſed econtra potiùs illa, quæ mundi & carnis ſunt, de quo Apoſtolus ad Rom. 8. fidenter pronuntiat, *ſi quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.*

Eſt vero ille Spiritus Eccleſiaſticus participatio quædam cæleſtis auxilii, qua fit, ut quis cum aptitudine, promptitudine, &

ne, & perſeverantia munera omnia ad Eccleſiaſticum ſtatum ſpectantia peragat.

Porro notæ hujus Spiritus Eccleſiaſtici pateſcunt à poſteriori, & primò quidem, qui nec habet nec habere curat idoneitatem ad ea debitè peragenda, quæ ſunt Eccleſiaſtici muneris, ſed ſe potiùs perficit & immiſcet circa ea quæ ſunt mundi, nempe ad vanas converſationes compotationes periculoſas &c. talis non habet Spiritum Chriſti, nec eſt ejus; ſicuti nec ille quoque qui officia quidem Eccleſiaſtica peragit v.g. miſſam, S. communionem, ſtudium Scripturæ ſacræ, ſed perfunctoriè & oſcitanter omnia, cum tædio & torpore, facit ſiquidem neſcit tarda molimina, Spiritus Sancti gratia; *maledictus* verò *qui facit opus Domini negligenter*.

Porro quam pauci ſunt qui vivunt Spiritu verè Eccleſiaſtico accipe ex S. Chryſoſtomo homil 5. in acta Apoſt. „non temerè loquor, inquit, ſed prout „affectus ſum & ſentio, non arbi„tror inter ſacerdotes eſſe mul„tos, qui ſalvi fiant, ſed multo „plures qui pereant; „ quia nimirum pauci ſunt, qui vivunt Spiritu Chriſti, quem ut quis accipiat, jugi oratione opus habet, juxta illud Sapientiæ ſeptimo *optavi & datus eſt mihi ſenſus, invocavi & venit in me ſpiritus ſapientiæ*: potiſſimum verò medium eſt oratio quotidiana interna per rerum cæleſtium contemplationem, ad quam plurimùm conducit humilis & devota lectio Scripturæ ſacræ, fuga omnium oblectationum mundanarum prout & converſatio cum illis perſonis Eccleſiaſticis, in quibus ſpiritus ille Eccleſiaſticus elucet; adeoque verè dictum à quodam „ſi vis ſalvari cum paucis, imitare „vitam paucorum, illorum nimirum, qui vitam ſuam exactè componunt ad normam & regulam vitæ Chriſtianæ, *qui nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium Chriſti, in omnibus ſeſe exhibent ut Dei miniſtros, in multa patientia*, ut loquitur Apoſtol. 2. corinth. 6. *in tribulationibus in anguſtiis, in laboribus, vigiliis, jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per ignominiam & bonam famam.*

Digitized by Google

DUBIUM XI.
De ſubiecto ſacrorum Ordinum.

QUamvis ſolus homo ſit capax hujus Sacramenti, non tamen omnis., & quidem aliqui inhabiles ſunt jure divino; qui reducuntur ad duplicem ſpeciem.

Mulier jure divino eſt incapax ordinum

Primò fœminæ, utpote quibus nec loqui in Eccleſiâ permittitur, 2. ad Timoth. 2. Huc reducitur hermaphroditus, ſi habeat ſexum fœmineum prævalentem, & poſſit eſſe uxor; ſi vero in ipſo prævaleat ſexus virilis, & poſſit exercere officium mariti, eſt quidem jure divino habilis, ſed Eccleſiaſtico irregularis, quia monſtrum.

II. Non baptizati, eò quod baptiſmus ſit janua reliquorum Sacramentornm.

Item nõ baptizatus.

Petes, an qui inviti & omnimodè repugnantes ordinantur, validè ſuſcipiant ordines.

Qui planè invitus ordinatur, invalidè ordinatur.

Reſp. negativè, quia jure divino requiritur intentio in adultis, ut ſupra adhuc latius explicauimus.

Petes, an ergo ſi quis per metum gravem eſſet ordinatus, non teneret ordo.

Qui per metum gravem

Reſp. affirma. eoquod intentio ſuſcipiendi ordines bene conſiſtat cum voluntario ſecundum quid, talis tamen taliter ordinatus, neque ad votum caſtitatis, neque ad lectionem horarum canonicarum adſtringeretur, niſi poſtea ſponte ſua ordinationem ſuam verbis aut factis ratificaret illa utendo; & idcirco taliter ordinatus, etiam ſine diſpenſatione Matrimonium contrahere poſſet. Ratio eſt, quod nullum votum jure naturæ obliget, niſi à Dèo acceptetur, qui non acceptat vota gravi & injurioſo metu extorta.

ordinatur validè poteſt ordinari.

Quod ſi tamen metus foret juſtè incuſſus, eoquod Epiſcopus neceſſitate urgente aliquem ad ſuſceptionem ſacrorum ordinum impellat, talis obligabitur ad votum continentiæ ſervandum, & ad perſolvendas horas canonicas, eo quod irrationabiliter ſit invitus.

Infans poteſt validè ordinari.

Petes, an infans rationis uſu carens ſit capax ordinis ſacri.

Reſp. affirmativè.

Dices, non eſt capax matrimonii, ergo nec ordinis ſacri.

Reſp. negando conſeq. quia uſus rationis tantùm requiritur in ſuſcipientibus Sacramentum quod eſſentialiter conſiſtit in aliquo libero actu ſuſcipientis: quale eſt Pœnitentia, matrimonium, &c. non verò in iſtis Sacramentis, quæ non conſiſtunt in libero actu ſuſcipientis: qualia ſunt baptiſmus, confirmatio, ordo

Ordo, per quæ datur aliqua poteſtas, quæ eſt prior actu; in quibus proinde ſufficit capacitas poteſtatis, quæ confertur: & idcirco non requiritur uſus rationis in baptizando, eo quod ſuſcipienti conferatur per baptiſmum poteſtas ſuſcipiendi alia Sacramenta.

Petes, an ille, qui poſtquam uſus eſt ratione, incidit in amentiam, & numquam hoc Sacramentum Ordinis expetiit, poſſit validè ordinari, ſicut infans aut perpetuò amens.

Reſp. negativè, quia talis cenſetur habitualiter nolle Sacros Ordines ſuſcipere, & virtualiter in illa nolitione permanere; quod non habet locum in infante, aut perpetuo amente.

DUBIUM XII.

Quæ qualitates requirantur in ſubjecto Sacrorum Ordinum.

SUpponendum hîc in ſuſcipientibus hoc Sacramentum quædam requiri neceſſitate Sacramenti, quorum defectu illud non valet: quædam verò neceſſitate præcepti, ſic ut ſine illis habitis ordinariè illicitum ſit ordines ſuſcipere.

Quibus præſuppoſitis.

Petitur 1. quænam ſint requiſita in adulto ut validè ordinetur.

Quare requirantur ad validam ordinationem adultorum.

Reſ. ultra baptiſmum & ſexum virilem requiri inſuper hæc tria; nempe debitam materiam, debitam formam & debitam intentionē tam miniſtri quam recipientis.

Petes, quare mulier non poteſt ordinari, quandoquidem can. *Diaconiſſam*, diſt. 27. q. 1, item can. *Mulieres* d. 32. fiat mentio mulierum Diaconiſſarum, & Presbyterarum, quæ expreſsè prohibentur ordinari ante annum 40.

Quid Presbytera Diaconiſſæ antiquitus.

Reſp. id eſſe verum, ſed ejuſmodi mulieres abſque aliquo Ordine Sacro fuiſſe tantùm deſtinatas ad quædam obſequia divina in templo aut alibi peragenda: ut v. g. ad erudiendas in fide Cathecumenas, aut ad habendam curam ſuppellectilium Eccleſiæ: taceo hic uxores Presbyterorum & Diaconorum apud Græcos appellatas fuiſſe Presbyteras aut Diaconiſſas; ita quoque Abbatiſſæ antiquitus vocabantur Diaconiſſæ, quia per quamdam benedictionem recipiebant poteſtatē legendi Euangelium cum homilia in matutino, ſicuti Diaconi faciunt, quod tamen illæ faciebant ſine ullo Ordine.

Vt quis licitè ordinetur debet eſſe adultus.

Petes, quænam requirantur neceſſitate præcepti ut quis licitè ordinetur.

Reſp. & dico 1. neceſſitate præcepti requiritur uſus rationis: quod

Digitized by Google

quod probatur ex can. *Pueri* diſt. 1. q. 1. ubi expreſsè mandatur ne pueri ad S Ordines ullatenus admittantur: ratio hujus præcepti eſt, quia Ordinibus Sac. annexum eſt votum caſtitatis, quod nemo poteſt emittere ante uſum rationis.

Debet eſſe in ſtatu gratia. Dico 2. neceſſitate præcepti requiritur ut ſuſcipiens non ſit ſibi conſcius peccati mortalis: ratio eſt, quia hoc Sacramentum eſt Sacramentum vivorum, non ordinatum ad remiſſionem peccatorum ejus qui illud ſuſcipit.

Requiritur inſuper probitas vitæ, & bona fama. Petes, an ea bonitas vitæ ſufficiat ad ſuſceptionem hujus Sacramenti quæ ſufficit ad ſuſceptionem aliorum Sacramentorum; nempe quod quis ſit in ſtatu gratiæ.

Reſp. neg. ſed inſuper requiritur ut quis ſit integræ & inculpatæ vitæ; cujus rationem allegat Conc. Trid. quia Ordinatus virtutis & innocentiæ lumen aliis debet præferre, & juxta Chriſti præceptum debet eſſe *lux mundi:* & certè nihil eſt quod ſæculares magis ad pietatem excitat, quam illorum vita & exemplum, qui ſe Eccleſiaſtico miniſterio dedicarunt; cum enim in alto ſint conſtituti loco, in eos, tamquam in ſpeculum, laici oculos conjiciunt, ut inde ſumant quod imitentur: „qua propter „decet clericos in ſortem Domi„ni vocatos (verba ſunt Conc. „Trident.) ita vitam moreſque „ſuos componere, ut in habitu, „in geſtu, in inceſſu nil niſi gra„ve & religione plenum præ ſe „ferant.„ Et quia graviſſima hæc eſt omnium ordinandorum obligatio, meritò exclamat S. Gregor. „nullum puto fratres „chariſſimi majus præjudicium „quam à ſacerdotibus patitur „Deus; dum illos, quos in „aliorum correptionem conſti„tuit, dare de ſe exempla pra„vitatis cernit; dum nos ipſi „peccamus, inquit, qui alio„rum peccata compeſcere debe„bamus:„ & eapropter meritò monet Apoſtolus 1. ad Tim. 5. quemlibet Epiſcopum his verbis, *manus nemini citò impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

Vita clericorum ſolet eſſe norma laicorum

Cur ante ordinationem Eccleſia inſtituat jejunia. Idcirco quoque ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ more ſtatis tantùm temporibus, quibus & ſolemnia jejunia præmittuntur, fiunt ordinationes miniſtrorum Eccleſiæ; ut ſcilicet fidelis populus ejuſmodi ſacrarum rerum miniſtros piis & ſanctis precationibus à Deo impetrent, ad tanti miniſterii poteſtatem rectè & cum Eccleſiæ utilitate gerendam: nec debet ſufficere Epiſcopo, ut ordinandus non ſit malus,

ſus, ut abſque peccato illum ordinet, ſed tenetur poſitivè eſſe moraliter certus de vita & moribus ipſius ordinandi: & eapropter Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 5. requirit, ut tempore ſcrutinii, antequam quis promoveatur ad SS. Ordines, quilibet adferat teſtimonium bonitatis vitæ & morum, quod non ita eſt neceſſarium in aliis Sacramentis.

Porro quod attinet ad bonitatem & ſanctitatem vitæ requiſitam in Paſtoribus & Confeſſariis, notandum bene quòd Deus, eundem ordinem ſervet in operibus gratiæ quē ipſe tenet in operibus naturæ, in quibus videmus, quod omne ſimile generet ſibi ſimile: ſiquidem prēter cauſas generales, quales ſunt Sol & influentiæ cæleſtes, videmus ad productionem ſublunarium inſuper requiri immediatam cauſam ejuſdem ſpeciei, ut hâc ratione poſſit introduci forma: ita enim videmus quod unus ignis producat alium ignem, unus equus producat alium equum, unus canis alium canem: hoc modo quoque proceditur in ſpiritualibus; nam ut virtus humilitatis, ſobrietatis, caſtitatis, aut cujuſcumque alterius virtutis forma aliis imprimatur, vult Deus, ut immediata cauſa, quâ ipſe, tamquam inſtrumento, utitur; puta Confeſſarius Paſtor &c. ſit humilis, caſtus, ſobrius &c.

Inſuper ſicuti videmus in naturalibus, quòd planta non producat ſemen quando adhuc eſt parua, ſed tunc demum quando plenè excrevit & eſt perfecta; ita contingit quoque in operibus ſpiritualibus gratiæ: vult enim Deus Paſtorem, aut Confeſſarium priùs in virtute eſſe provectum & in ſpirituali vita excreviſſe, antequam ex illo velit ſpirituales filios progignere: quod punctum bene notare debent Epiſcopi, ut videant quos & quales promoveant ad munus Paſtoris aut Confeſſarii, de quibus ſtrictiſſimam quandoque reddituri ſunt rationem, in magno judicii die.

Ad tonſuram ſuſcipiendam jure Eccleſiaſtico requiritur ætas ſeptennis.

Dico 3. pro tonſura clericali jure Eccleſiaſtico ad minus requiritur ſeptennium completum: prout patet ex cap. *de iis* diſt. 28. item cap. *in ſingulis*. Proinde mortaliter peccat Epiſcopus conferens tonſuram clericalem ante hanc ætatem, quippe faciens contra præceptum Eccleſiæ in materia gravi. Ideo autem requiritur illa ætas, quia illo tempore communiter cenſetur adeſſe uſus rationis ſufficiens ad ea quæ Con. Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. requirit in tonſurando, dum ait „pri-

„ mâ tonſurâ non initientur, qui „ Sacramentum Confirmationis „ non ſuſceperint, & fidei rudi„ menta edocti non fuerint, „ quique legere & ſcribere neſ„ ciant & de quibus probabi„ lis conjectura non ſit, eos „ ſæcularis judicii fugiendi frau„ de, ſed ut Deo fidelem cul„ tum præſtent, hoc vitæ ge„ nus elegiſſe. „ Porro pro minoribus Ordinibus non eſt in Conc. Trident. deſignata aliqua ætas; & eapropter videtur id relictum prudentiæ Epiſcoporum, qui debent curare, ut initiandi minoribus ordinibus, talem habeant ætatem, quâ poſſint decenter munus horum ordinum exercere: & ideo communiter non conferuntur aliquibus minores ordines, ante annum 14.

Ad minores ordines non requiritur determinata ætas.

Quod verò ſpectat ad ætatem jure novo Concilii requiſitam ad majores ordines, decrevit Con. Trident. ſeſſ. 23. cap. 12. ut nullus imposterum ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. & Presbyteratus ante 25. ætatis ſuæ annum promoveatur: quod tamen intelligendum venit de annis inchoatis, prout conſtat ex Bulla Pii II. & communi univerſalis Eccleſiæ praxi: quamvis autem non defuerint aliqui, qui annos illos inchoandos duxerint à nativitate in utero; abſolutè tamen tenendum eſt, illos inchoandos à nativitate ex utero: nam dum jura requirunt certam ætatem, ſunt intelligenda de ætate, quam uſu communi intelliguntur habere, communi autem uſu inchoatur ætas à nativitate ex utero.

Ad Subdiaconatum requiritur ætas 22. annorum.

Ad Diaconatum 23.

Ad Preſbyteratũ 25. annorum.

Petes, quam pœnam incurrat, qui præſumit ordinem aliquem ſacrum ſuſcipere ante ætatem competentem.

Qui ante illam ætatem ordinatur eſt ſuſpenſus ipſo facto in perpetuũ

Reſp. ſuſpenſionis ipſo facto per Extravag. Pii II. quæ incipit, *cum hac ſacrarum*; idque in perpetuum, non verò ſolùm uſque ad tempus quo ætas ad ordinem requiſita fuerit obtenta.

Ad hanc autem ſuſpenſionem incurrendam requiritur dolus & ſcientia hujus conſtitutionis: & eapropter excuſat bona fides & ignorantia invincibilis attamen ſtrictè dicta, ſcilicet non ſupina, craſſa, aut affectata, eò quod in conſtitutione Pii II. dicatur, *ſi quis præſumpſerit*, quod dolum & ſcientiam ſignificat; eapropter hanc non incurrunt, qui teſtimonio parentum ſuorum bona fide ſuſceperunt ordines ante legitimam ætatem: dicta verò ſuſpenſio eſt Papæ reſervata, niſi ſit occulta, quo caſu illam poterit tollere Epiſcopus, ſicut & irregularitatem ſi hæc ſit occulta:

Quæ excuſent ab incurſione illius ſuſpenſionis

culta: prout patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.

Quam pœnam incurrat promotus per ſaltum.

Petes, an is qui per ſaltum ordinatur v. g. qui ſuſcipit Diaconatum ante Subdiaconatum, aliquam pœnam incurrat.

Reſp. affirma. quippè qui in rigore juris efficitur irregularis, adeoque non poteſt ſine diſpenſatione initiari inferiori Ordine quo caret, prout patet ex cap. *Cum Medicinalis* de ſent excomm. in ſexto.

Petes, an ordinatus ante baptiſmum aliquam pœnam incurrat.

Reſp. negativè, quia necdum eſt ſubditus Eccleſiæ.

Petes, an idem dicendum ſit de eo qui ſuſcipit aliquem Ordinem ante confirmationem.

Reſp. talem quidem peccare mortaliter, attamen in toto corpore juris nullam extare pœnam huic impoſitam.

Petes, quid ſi ſit dubium, an quis habeat legitimam ætatem an licitè poſſit ordinari.

Reſp. negativè; ſi ſit dubium negativum; nam poſſeſſio ſtat pro lege obligante ſub mortali: quod ſi tamen ſit dubium poſitivum, ita ut moraliter certum ſit ordinandum habere legitimam ætatem, ut ſi parens v. g. ordinandi teſtetur filium habere legitimam ætatem, poterit per ſe loquendo, licitè ordinari: nam licet teſtimonium parentum pro filiis in materia alteri præjudicioſa non admittatur, in hac tamen habetur ſufficiens, in qua nulli creatur præjudicium.

Petes, an neceſſitate præcepti requiratur ut ordinandus non ſit irregularis.

Irregularis illicitè tamen validè ordinatur.

Reſp. affirma. nam omnis irregularis ex præcepto Eccleſiæ eſt inhabilis ad Ordines ſuſcipiendos, prout patet ex ipſa natura irregularitatis: valida tamen erit ipſius ordinatio, quamvis illicita; quia etſi jure Eccleſiaſtico ſit inhabilis, jure tamen naturali & divino non eſt incapax: & eapropter bigami, item corpore vitiati, item qui commiſerunt homicidium voluntarium, item ſervi, item excommunicati poſſunt validè ordinari, quamvis illicitè.

Dices, moris eſt ut Epiſcopus ante ordinationem publicè denunciet ſe nolle ordinare excommunicatos, irregulares, aut furtivè ad SS. Ordines accedentes; ergo tales nec licitè nec validè ordinantur, eò quod deſit intentio Epiſcopi.

Reſp, ſi certò conſtaret Epiſcopum nolle omnes tales ordinare, invalidè ordinarentur, ſiquidem intentio miniſtri requiritur ad valorem hujus Sacramenti:

Digitized by Google

menti: quia tamen, poſt factam ejuſmodi denuntiationem, ſolet Epiſcopus abſolvere ordinandos ab omni excommunicatione ad effectum ſolum SS. Ordines ſuſcipiendi, præſumitur (niſi conſtet de oppoſito) quando actu confert SS. Ordines, omnes præſentes velle ordinare: quod ſi tamen, ſubeſſet rationabile dubium de voluntate Epiſcopi, tunc tales deberent ſub conditione reordinari.

Petes, an neceſſitate præcepti ad ordinationem requiratur legitima nativitas.

Illegitimè nati arcentur ab ordinibus ſuſcipien.

Reſp. affirma. quia hujus defectus eſt quædam ſpecies irregularitatis: quod probatur ex cap. *Nimis* de filiis Presbyterorum: item cap. *is qui* eodem Titulo: item cap *Conſuluit* de ſervis non ordinandis & ea propter ſi illegitimus ſine diſpenſatione ſuſcipiat SS. Ordines, peccabit mortaliter tam ordinans quam ordinatus: ratio verò quæ movit Eccleſiam illegitimos non ordinandi, fuit in deteſtationem & pœnam paterni criminis, & quia tales filii ordinariè ſolent eſſe malè morigerati: poteſt tamen Epiſcopus cum illegitimis diſpenſare ex juſta cauſa ad Tonſuram & minores Ordines, quo ad majores verò ſolus Pontifex: prout patet ex cap. *is qui*, de filiis Presbyterorum in ſexto.

Illegitimus validè profeſſus in Religione poteſt ordinari ſine alia diſpenſatione.

Porro, cum in illegitimis ſint diverſi gradus: nam fœdior eſt ſpurius quam naturalis. & fœdior rurſum eſt is qui natus eſt ex parente presbytero & Matre Moniali, quàm ſpurius ex adulterio, tantò difficilior debebit eſſe ſuperior in diſpenſando, quantò fœdior eſt illegitimi origo: quod ſi tamen ejuſmodi illegitimus profiteatur aliquam religionem approbatam, poterit is abſque ulla diſpenſatione promoveri ad SS. Ordines: prout ſtatuitur Diſt. 56. can. *Presbyter*. Prælaturam tamen, abſque nova diſpenſatione, obtinere non poterit.

DUBIUM XIII.

An neceſſitate præcepti requiratur ſcientia in ordinando.

Quæ ſcientia requiratur ad ſuſceptionem minorum ordinũ.

Reſp. affirma. & ea propter Oſeæ 4. dicitur. *Quia ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris*: porro pro minoribus ordinibus ſufficit ut calleat linguam latinam & accuratè noverit quæ ſit ſingulorum Ordinum ratio, & quæ ſingulorum ſint propriæ functiones, & ut alicui Eccleſiæ adſcriptus, juxta ordinationem Epiſcopi, ſeſe in illis exerceat: modeſtiâ inſuper & bonorum morum exemplo cæteris præfulgeat, & ad Sancta

ctam Communionem frequenter accedant, ducentes vitam frequenti ſuſceptioni Sacramenti iſtius dignam: prout deſcribit Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 20:

Quæ ſcientia requiratur in Subdiacono & Diacono.

Ad Subdiaconatum & Diaconatum quod attinet; ſcire debent ea quæ ſunt neceſſaria executioni & miniſterio Ordinis ſuſcepti; adeoque callere debent ceremonias, cantum Eccleſiaſticum, ordinem recitandi divini officii; inſuper habere debent illam ſcientiam quæ ſufficiat ad rudes inſtruendos in myſteriis fidei.

Et in Sacerdote.

Quod verò ad Presbyteratum attinet, pollere debent eâ ſcientiâ quæ ipſis ſufficiat, tam ad ritè adminiſtranda Sacramenta, quā ad populum docendum ea quæ ſcire omnibus neceſſe eſt ad ſalutem: ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. ex quo patet complures errare dum putant ſimplici ſacerdoti ſufficere ſi linguam latinam utcumque calleat, & ea quæ ad miſſam celebrandam & officium divinum recitandum ſpectant, didicerit; quandoquidem Conc. Trid. loco ſupra cit nullos ad ſacerdotium velit promotos, niſi qui ad populum docendum ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem & ad adminiſtranda Sacramenta prævio examine inveniantur idonei, atque ita pietate & caſtis moribus conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita ab eis poſſint exſpectari.

Non ſufficit ſi linguam latinam ſciat.

Quæ in Epiſcopo.

Porro in Epiſcopo amplior requiritur ſcientia, & eapropter Apoſtolus vult eum eſſe Doctorem, id eſt ad docendum idoneum ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt redarguere; in quem proinde quadrat illud Malachiæ *labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam* &c. Nam quamvis hoc quoque ſpectet ad Paſtores, ſpecialius tamen ad Epiſcopos, utpote ad quos Paſtores in difficilioribus quæſtionibus debeant ſuum habere recurſum, *parati* ait S. Petrus Epiſt. 1. cap. 3. *ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti reddere rationem de ea quæ in illis eſt fide & ſpe.*

DUBIUM XIV.

An neceſſitate præcepti requiratur Titulus ad Ordines ſuſcipiendos.

Requiritur titulus in Ordinãdo.

RESp. affirm. quod patet ex Cap. *Neminem* Diſt. 70. in quo decernitur ut nemo abſque titulo ordinetur: idque ſtatuitur cap, *Sanctorum* eâdem diſt. & hæc rurſum innovatur à Con. Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. de Refor. in hæc verba „ Cum non deceat „ eos qui divino miniſterio adſcripti

„ ſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere; compertumque ſit complures pleriſque in locis ad SS. Ordines nullo ferè delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt ſe beneficium Eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates habere: ſtatuit S. Synodus, ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia & ætate ad SS. Ordines promoveatur, niſi prius legitimè conſtet eum beneficium Eccleſiaſticũ quod ſibi ad vitæ ſuſtentationem honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere: id verò beneficium reſignare non poterit niſi factà mentione quod ad illius beneficii titulum ſit promotus neque ea reſignatio admittatur niſi conſtet quod aliunde vivere poſſit, & aliter facta reſignatio nulla ſit: patrimonium vero vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint niſi illi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro commoditate vel neceſſitate Eccleſiarum ſuarum.

Triplex eſt titulus, beneficii, Patrimonii, & Paupertatis.

Ex quibus patet, quod titulus ille ſit triplex, ſcilicet beneficii, patrimonii, & paupertatis ſeu profeſſionis ſolemnis in religione approbata.

Petes, quale debet eſſe beneficium ad cujus titulum aliquis eſt ordinandus.

Quale beneficiũ requiratur pro titulo.

Reſp. tale ut judicio Epiſcopi ſufficiat ad honeſtè vivendum ſecundum ordinem ſtatus clericalis; quod, ut Epiſcopus judicet, attendere debet qualitates tum loci tum temporis: ut autem beneficiatus titulo beneficii promoveatur, debet illud pacificè poſſidere: ille verò dicitur pacificè poſſidere qui nullam juris vel facti ſuper beneficio ſuo patitur controverſiam.

Titulus ſuper quo ordinatur debet eſſe perpetuus

Et hinc fit quod nemo ordinari poſſit ſuper beneficio litigioſo: litigioſum verò beneficium dicitur, dum orta eſt lis ſuper ejus poſſeſſione, aut proprietate.

Petes, an ſufficiat quod titulus ille ſit temporalis.

Reſp. negativè, ſed debet eſſe perpetuus: ut patet ex Trident. ſupra cit. quod intendit ut ordinatus, quamdiu vivit, habeat unde honeſtè vivat: & hinc nemo ordinari poteſt ſuper vicaria aut officio aliquo temporali, aut beneficio caſtrenſi, quod ad nutum alterius poteſt auferri.

Ordinatus ſine titulo eſt ſuſpenſus.

Petes, quam pœnam incurrat ordinatus ſine titulo inſcio Epiſcopo.

Reſp. ſuſpenſionis: id patet ex cap. *Sanctorum* ubi ordinatio facta

facta ſine titulo decernitur irrita, id eſt non præbens facultatem exequendi ordinem ſuſceptum: patet quoque ex Conc Trid. ſupra citato.

Dixi ſignanter, *inſcio Epiſcopo*; quia ſi quis ordinetur ab Epiſcopo ſciente eum non habere titulum, nullam incurrit cenſuram, ut patet ex cap. *cum ſecundum Apoſtolum*, de præbendis; in quo Innocentius III, relaxat rigorem antiquorum canonum, ita tamen ut Epiſcopus, ordinans aliquem ſine titulo, teneatur ei tam diu ſubminiſtrare neceſſaria donec ei de beneficio provideat: patet hoc quoque ex declarationibus Cardinalium in cap. 2. ſeſſ. 21. Conc. Trid.

Petes, an quis titulum ſuum ſuper quo ordinatus eſt poſſit alienare ſine conſenſu Epiſcopi.

Reſp. negativè, ut patet ex loco Concil. Trident. ſupra citat.

Quid de illo qui ordinatur titulo Patrimonii debitis gravato.

Petes, quid ſi quis ordinetur titulo patrimoniali, ſed ita gravato ære alieno ut ſolutis debitis vix quidquam ex patrimonio ſit remanſurum, an incurret pœnam ſuſpenſionis ſi tali titulo promoveatur.

Reſp. ſi Patrimonium illud pro debitis illis ſit conſtitutum loco hypothecæ; & deſuper quis ita doloſè promoveatur, indubiè incurret ſuſpenſionem: cujus ratio eſt quia non habet legitimum titulum, quandoquidem bona tranſeant cum onere hypothecæ; quo onere poſito, ipſe ex illis non poterit ſuſtentari ſi creditor ſolutionem ſibi velit fieri. Quod ſi vero patrimonium illud non ſit conſtitutum loco hypothecæ, quantumvis multo ære alieno gravatum, deſuper ordinatus non incurret ſuſpenſionem; eò quod ordinatus tunc habeat dominium iſtorum bonorum & jus ad omnes fructus ita ut titulus in præfatis bonis conſtitui poſſit: nam ſicuti valida eſt iſtorum bonorum alienatio, ita quoque valida eſt conſtitutio tituli ſuper his: graviter tamen talis peccabit hoc ſic faciendo, ſi nempe aliunde nequeat creditoribus ſuis ſatisfacere: idem quoque dicendum titulum poſſe validè conſtitui ſuper bonis donatis, eſto fortè donatarius gravetur ære alieno.

Petes, an Epiſcopus teneatur illum alere quem titulo beneficii bonâ fide ordinavit, ſi is beneficium illud poſtmodum aliqua ratione amittat.

Reſp. negativè, eò quod nullam eâ in re culpam commiſit.

Ordinatos titulo pauper-

Petes, quid ſiquis ſit ordinatus titulo paupertatis ſeu profeſſionis ſolemnis in religione appro-

Digitized by Google

tis in Religione, ſi ex ea dimittātur, tenetur Religio alere.

approbata (ad quem quoque revocatur titulus Societatis Jeſu poſt biennium probationis nam ex conceſſione Gregorii XIII. poſſunt Religioſi Societatis poſt ſimplicia vota emiſſa, etiam ante profeſſionem ſolemnem quemcumque ordinem S. ſuſcipere de Præpoſiti Generalis mandato) ſi contingat autem aliquem in ſacris conſtitutum è tali Religione exire carentem beneficio & patrimonio: quis eum alet?

Reſp. tunc Superiores dictæ Religionis illi de honeſto victu & veſtitu providere tenentur donec ei ſufficienter beneficio aut aliundè fuerit proviſum: quod declaravit S. Cardinalium congregatio ad cap. 2. ſeſſ. 21. con. Trid. de Reform. cujus verba ſunt hæc quæ citat Michinus:

„Quod ad Jeſuitas attinet, cum „poſt Sacerdotium exire non „poſſint, niſi à ſuperioribus ſuis „dejiciantur, provideatur illis de „reditu quadraginta aureorum „annuorum ex bonis Religio„nis: quo ad alios verò qui ar„bitrio ſuo exire, quando vo„lunt, poſſunt, ne detur illis oc„caſio exeundi ut fruantur illo „reditu vocentur priùs, & in„telligant quâ aliâ viâ proſpici „poſſit: deindè maturè delibe„randum.

Petes an dans alicui patrimonium ut ad illius titulum ordinetur, apponere poſſit conditionem reſtituendi ſibi dictum patrimonium poſtquam ordinatus adeptus fuerit beneficium quo ſe ſuſtentare poſſit.

Reſp. affirma. non aliter tamen quam de conſenſu Epiſcopi; quia talis conditio non adverſatur ſcopo Conc. Trid.

Qui ordinari poſſint titulo patrimonii.

Petes, an quivis poſſit ordinari titulo patrimoniali.

Reſp. negativè, ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap 2. ubi ait illos ſolos titulo patrimoniali eſſe ordinandos quos Epiſcopus judicaverit eſſe aſſumendos pro Eccleſiarum ſuarum neceſſitate aut commoditate: quod bene notandum.

Petes, an quis ordinari poſſet titulo penſionis.

Reſp. affirma. ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. non tamen aliter quam ſi Epiſcopi judicio neceſſitas vel commoditas Eccleſiarum id poſtulaverit.

DUBIUM XV.

An requirantur interſtitia temporum.

Inter ordines ſuſcipiendos ſervādæ ſunt interſtitia.

Reſp. affirma. idque non tantùm in majoribus ordinibus ſed etiam in minoribus ut ait Con. Trid. ſeſſ. 23. cap. 11. & hoc

Digitized by Google

hoc ideo ut accuratiùs quantum hujus diſciplinæ pondus exigit poſſint edoceri, ac in unoquoque Ordine juxta præſcriptum Epiſcopi ſeſe exercere, & ita de gradu in gradum aſcendere, ut in eis cum ætate, vitæ meritum ac doctrina major accreſcat; niſi tamen neceſſitas aut Eccleſiæ utilitas, judicio Epiſcopi, aliud expoſcat: unde diſpenſatio in interſtitiis pertinet ad Epiſcopum, etiam quoad Religioſos exemptos; non tamen poteſt Epiſcopus quo ad illa diſpenſare cum non ſuo diœceſano, niſi in dimiſſoriis hoc illi concedatur.

Quis poſſit quo ad illa diſpenſare.

Petes, an Vicarius Epiſcopi poſſit in interſtitiis diſpenſare, prout & Capitulum ſede vacante.

Reſp. affirma, quin imo & Abbates regulares idem poſſunt circa ſubditos ſuos profeſſos, quos minoribus Ordinibus poſſunt initiare: nam, ad quem ſpectat ordinare, ad eundem quoque ſpectat in interſtitiis diſpenſare: quod ſi quis tamen Ordines ſuſciperet non ſervatis interſtitiis, inſcio Epiſcopo, quamvis graviter peccaret, nullam cenſuram aut irregularitatem incurreret, eò quod nulla talis ſit jure expreſſa.

DUBIUM XVI.

Quinam ſint Canones ſuper vita & honeſtate Clericorum innovati à Concil. Trid.

RESP. illos recenſeri ſeſſ. 22. cap. 1. his verbis „ nihil eſt „ quod alios magis ad pietatem „ & Dei cultum aſſiduè inſtruat, „ quàm eorum vita & exem„ plum qui ſe miniſterio divino „ dedicarunt: cum enim à rebus „ ſæculi in altiorem ſublati locum „ conſpiciantur, in eos, tam„ quam in ſpeculum, reliqui „ oculos conjiciunt, ex iiſque „ ſumunt quod imitentur: qua„ propter ſic decet omnino Cle„ ricos in ſortem Domini voca„ tos, vitam moreſque ſuos om„ nes componere, ut habitu, „ geſtu, inceſſu, ſermone, om„ nibuſque rebus, nihil niſi gra„ ve, moderatum, ac religione „ plenum præ ſe ferant: levia „ enim delicta, quæ in ipſis ma„ xima eſſent, effugiant, ut eo„ rum actiones cunctis afferant „ venerationem. Cum igitur, quò „ majore in Eccleſia Dei utili„ tate & ornamento hæc ſunt, „ ita etiam diligentiùs ſunt ob„ ſervanda: ſtatuit Synodus ut

Digitized by Google

„ ut quæ aliàs à ſummis Pontificibus & à ſacris Conc. de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda; ac ſimul de luxu & comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, nec non ſæcularibus negotiis fugiendis, copiosè ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem imposterum, iiſdem pœnis vel majoribus, arbitrio ordinarii imponendis obſeruentur &c.

DUBIUM XVII.

Qui ſint effectus Sacramenti Ordinis.

Effectus Sacramenti Ordinis eſt gratia tam habitualis quàm actualis

EX generali doctrina de Sacramentis in genere conſtat hoc Sacramentum duplicem conferre gratiam, nempè juſtificantem, illam augendo ex opere operato 2. gratias actuales ad ſuo tempore munia Eccleſiaſtica ritè decenterque obeunda.

Quod ad priorem attinet, illa longè apparet perfectior, quam quæ confertur per alia Sacramenta; eò quod excepto SS. Euchariſtiæ Sacramento, Ordo ex natura ſua ſit Sacramentum longè excellentius cæteris: &, cum repeti non poſſit, convenit ut, longè ampliorem gratiam conferat quam alia.

Per hoc Sacramentum imprimitur character.

Præter gratiam autem actualem & habitualem hoc Sacramentum imprimit characterem, quod eſt de fide definitum in Concil. Flor. & Trid. ſeſſ. 23. Can. 4. ratio eſt, quia in Ordine confertur ſpiritualis poteſtas, eaque indelebilis; ex qua fit quod ſemel legitimè ordinatus non poſſit ampliùs fieri Laicus.

Petes an hic character conferatur per ſuſceptionem ſingulorum Ordinum.

Et probabilius etiam per ordines minores.

Reſp. Affirm. & quidem quòd attinet ad Ordinem ſacrum, eſt de Fide: quod verò attinet ad minores Ordines, eſto in utramque partem diſputetur, probabilior tamen eſt affirmativa: quod patet ex eo, quod illi non iterentur, eò quod per illos quoque conferatur poteſtas indelebilis ad Eccleſiaſtica munia: ſi quis tamen illos ſacrilegè iteraret, non incurreret irregularitatem, prout incurrit iterans baptiſmum, eò quod nulla talis ſit in jure expreſſa.

Petes quandonam conferatur character cujuſque Ordinis.

Reſp. quando ordo ille eſt eſſentialiter completus.

Quandonam imprimatur character.

Petes an character Ordinis nullum alium præſupponat.

Reſp. Affirm. præſupponit enim characterem baptiſmi prout patet ex cap. 1. & ult. de Preſ. non baptiſ. non tamen neceſſitate

Character ordinis præſupponit characterem Baptiſmi neceſſariò

te Sacramenti præſupponit characterem Confirmationis, ſed tantum neceſſitate præcepti: character quoque Sacerdotalis ad ſui valorem non præſupponit characteres Ordinum inferiorum: ut patet ex cap. *unico*, de Clerico per ſaltum promoto.

Petes, an per Sacramentum Ordinis ita imprimatur character ut in ſingulis Ordinibus imprimatur novus.

In ſingulis ordinibus imprimitur novus character.

Reſp. Affirm. quod indè patet, eò quod inſignitus Ordine ſuperiore poſſit ea quæ ſunt Ordinis inferioris; eò quod illius character eminenter contineat characteres Ordinum inferiorum; quod dici non poſſet ſi in ordinatione ſuperiori non imprimeretur novus character: 2. cum Ordo ſuperior validè conferatur ſine Ordine inferiore, imprimatque tunc characterem; ergo etiam illum imprimet quando priùs eſt ſuſceptus inferior Ordo.

Et ſunt inter ſe diverſæ ſpeciei.

Porrò characteres per diverſos Ordines ſuſcepti ſunt diverſæ ſpeciei; eò quod per illos ordinemur ad functiones diverſæ ſpeciei.

DUBIUM XVIII.

Quis ſit miniſter hujus Sacramenti.

Miniſter ordinum eſt Epiſcopus, non plebs

HÆretici noſtri temporis volunt, poteſtatem ordinandi Eccleſiæ miniſtros, reſidere penes plebem, ſeu totam multitudinem tam plebis quàm cleri. Sed fide certum eſt hanc poteſtatem eſſe in ſolis Epiſcopis, ſaltem ordinariam; & patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. ita ut Aërius ex hac parte habitus fuerit ut hæreticus, eò quod ſentiret ſimplici ſacerdoti competere poteſtatem conferendi Ordines. Declaratur etiam ex Scripturis, ſiquidem impoſitio manuum per quam ordinantur miniſtri (ut adverſarii fatentur) nuſquam tribuitur plebi, ſed Apoſtolis & aliis Epiſcopis: ut patet ex Scriptura Sacra prout & ex Conciliis Carthag. IV. Nyceno I. ex SS. Patribus, & perpetuâ Eccleſiæ conſuetudine, quæ etiam apud Lutheranos & Calviniſtas obſervatur, ubi illi ſoli imponunt manus qui habentur & vocantur Paſtores Epiſcopi, licet, revera non ſint; quique dicunt ſe hoc facere nomine & authoritate totius populi: quod omnino dici non poteſt; cum, neque in populo ſit poteſtas ordinis

Digitized by Google

(nis collatio vero ordinum eſt actus ordinis) neque juriſdictionis, quâ poſſit populus imperare Paſtoribus aut Epiſcopis, ut certis hominibus à ſe deſignatis manus imponant; cum hæc reſideat in ſolis Prælatis.

Epiſcopus excommunicatus validè ordinarè poteſt.

Ratio verò cur poteſtas Ordines conferendi ſoli Epiſcopo competat, eſt hæc, quod ipſe ſolus ſit Princeps & Præfectus ſacrorum; ad ſolum verò Principem pertinet officia & miniſteria diſtribuere: Hæc autem poteſtas Epiſcopi fundatur in charactere; qui cum ſit indelebilis, non amittitur, eſto Epiſcopus excommunicetur aut privetur Epiſcopatu.

Petes, an ex commiſſione Pontificis aliquis non Epiſcopus poſſit quandoque conferre Ordines.

Abbates quidam poſſunt ordines minores conferre, & quibus.

Reſp. affirma. nam quod ad minores Ordines attinet, confirmat hoc ipſum quotidiana praxis Abbatum; nam illi exiſtenter ſacerdotes, & jus mitræ & baculi habentes ab Epiſcopis benedicti, poſſint conferre primam tonſuram & minores Ordines ſuis ſubditis regularibus: prout deducitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 10. de Reform. quin imo & ſæcularibus Epiſcopi juriſdictionis ſubjectis ipſo conſentiente, & dimiſſoriales dante prout & aliis Regularibus dimiſſoriales litteras ſuorum ſuperiorum habentibus cum conſenſu Epiſcopi loci in quo hi Ordines ſunt conferendi; locus autem in quo tales Ordines poſſunt conferri eſt proprium monaſterium tantum: prout patet ex Cap: *Quoniam* Diſt. 69.

Non poteſt tamen Abbas ordinare ſuos Novitios ante profeſſionem: ut patet ex Conc. Trid. requirente in ordinando quod ſit regularis & ſubditus ordinanti Abbati, qualis non cenſetur Novitius in ordine ad ad ſuſceptionem minorum Ordinum: & eapropter Abbas non poteſt tali concedere dimiſſoriales.

Petes, an ſacerdos non Epiſcopus poſſit quandoque conferre Ordinem Subdiaconatus de licentia ſummi Pontificis.

An Subdiaconatus poſſit conferri ab alioquam ab Epiſcopo.

Reſp, affirma. ſi ſaltem fides adhibenda ſit aliquibus privilegiis: nam Rodrigues Tom. 2. Quæſt. Regular. refert conceſſionem Innocentii VIII. qua concedit Abbati Ciſtercienſi poteſtatem conferendi Ordinem Subdiaconatus & Diaconatus Religioſis ejuſdem Ordinis, quam quoque poteſtatem concedit quatuor Abbatibus præcipuis ejuſdem Ordinis reſpectu Religioſorum ſui monaſterii:

&

Digitized by Google

& ita Abbas de Niſelle, in Brabantia Gallicana, refert ſe vidiſſe Generalem Ciſtercienſem uno die quinque Religioſos monaſterii Cambronenſis in Hannonia, promoventem ad S. Ordinem Subdiaconatus.

Epiſcopus non poteſt ordinare alterius ſubditum ſine ejus Licentia.

Petes, an quilibet Epiſcopus poſſit paſſim quoſlibet ordinare.

Reſp. nègativè, ſed ſolos ſubditos: & eapropter in Conc. Nicæno ordinatio non ſubditi dicitur irrita, id eſt non tribuens legitimam executionem Ordinis ſuſcepti, quippe cum talis ſit ſuſpenſus ab executione Ordinis; quæ ſuſpenſio renovata eſt per Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. de Reform. & reſervatur ad libitum proprii ſui ordinarii; ſuſpenditur quoque ipſemet Ordinans, qui præſumit ordinare ſcienter vel ex ignorantia craſſa ſuum non ſubditum.

Epiſcopo triplici titulo poteſt eſſe aliquis ſubditus.

Petes, quotupliciter quis dicatur proprius Epiſcopus; ut ab illo quis poſſit ordines ſuſcipere.

Reſp. tripliciter, alius enim eſt originis, alius domicilii, alius beneficii: prout habetur cap. *cum nullus* de Temp. Ordinandorum in ſexto.

Ratione originis.

Epiſcopus originis vocatur ille qui eſt Epiſcopus loci in quo quis natus eſt, quando parentes ibidem habebant domicilium, aut quaſi domicilium: & eapropter ſi quis ſit alibi fortuitò natus, ubi parentes negotiorum causâ exiſtebant, cum tamen alibi haberent domicilium, Epiſcopus originis cenſebitur ille in cujus diœceſi parentes habebant domicilium.

Ratione domicili.

Epiſcopus domicilii vocatur ille, qui eſt Epiſcopus iſtius diœceſis in qua quis habet domicilium.

Petes, quænam requirantur ad contrahendum, domicilium.

Quæ requirātur ad contrahendum domiciliū.

Reſp. hæc duo nempe animus perpetuò manendi in tali loco: niſi quid avocet, & 2. actualis commoratio in dicto loco.

Ex quo patet, ad acquirendum domicilium non requiri certum habitationis tempus, ſed quamprimum quis cœpit locum aliquem inhabitare cum animo perpetuò permanendi, niſi quid avocet, eo ipſo contrahere.

In foro tamen externo non præſumitur domicilium, niſi ex mora decennali, quod tamen & tunc reipsâ non contrahitur ſi defuerit animus perpetuo permanendi. Perditur vero domicilium non ſolo animo migrandi ſed per actualem migrationem factam animo migrandi.

Ex his infer ſtudioſos Univerſitatum, eſto per decennium in illis commorentur, non contra-

here ibidem domicilium ſi retineant animum revertendi in patriam; eapropter Epiſcopus illorum qui needum peculiarem ſibi ſedem elegerunt, eſt Epiſcopus domicilii parentum; cenſentur ſiquidem tales habere idem domicilium cum parentibus.

Petes, quiſnam Epiſcopus ordinabit filium alicujus ſtudioſi qui in Univerſitate uxorem duxit animo revertendi in patriam.

Reſp. ſi deſit Epiſcopus originis & beneficii, id præſtabit Epiſcopus domicilii paterni.

Petes, quid ſi filius ſit ex fornicatione ſuſceptus, matre in uno loco, & patre in alio loco domicilium habente.

Reſp. tunc filius ſequetur domicilium matris, prout & in aliis ſervitutibus ex legum diſpoſitione, *partus ſequitur ventrem.*

Petes, quid cenſendum de filiis vagabundorum quorum parentes nuſquam habent domicilium, an poſſint à quolibet Epiſcopo ordinari titulo originis.

Reſp. negativè; ſed ſolùm ab Epiſcopo loci in quo ita nati ſunt, neque enim reſpectu talium poteſt ſtatui communior Epiſcopus quam originis.

Ratione beneficii. Epiſcopus beneficii eſt ille in cujus diœceſi quis pacificè poſſidet beneficium verum, id eſt auctoritate Eccleſiæ conſtitutum; & eapropter non ſufficit Capellania caſtralis data ab aliquo Domino temporali, ſine ullo recurſu ad perſonam eccleſiaſticam pro collatione vel inſtitutione.

Porro in dubio, quando ex ligitimo inſtrumento vel aliunde non coſtat aliquam capellaniam eſſe authoritate Eccleſiæ erectam, tunc præſumitur illa eſſe caſtralis.

Ex dictis collige, poſſe contingere quod quis poſſit ordinari à tribus Epiſcopis diverſis, quorum unus ſit originis, alter beneficii, tertius domicilii.

Collige quoque ex Cap. *Eos qui*, ſi Epiſcopus ſuſpendatur, poſtquam illa ſuſpenſio innotuit, ſubditum ejus poſſe recipere Ordines à vicino Epiſcopo, ſine licentia ſui proprii Epiſcopi: vicino, inquam Epiſcopo vel originis vel tituli, vel domicilii: quod ſi Epiſcopus eſſet hæreticus poſſet Capitulum Cathedralis Eccleſiæ expedire dimiſſoriales, quod tamen ſede vacante intra annum à die vacationis dare non poteſt, niſi quis ratione beneficii recepti, vel recipiendi ſit arctatus ad ſacros Ordines.

Ad quē ſpectet dare dimiſſoriales.

Nota tamen dimiſſoriales non debere eſſe antiquas, eò quod in illis tribuatur teſtimonium morum, & quod is cui conceduntur, caret impedimento canonico,

Digitized by Google

nico. Non tamen exſpirant morte concedentis, utpote quæ veniunt nomine gratiæ.

Petes, ad quem ſpectet dimiſſio ſeu vocatio miniſtrorum Eccleſiæ.

Reſp. ad ſolos Prælatos Eccleſiæ, eò quod hæc miſſio ſit actus juriſdictionis Eccleſiaſticę, reſidentis in ſolis Prælatis, non verò in populo, prout turpiter hallucinantur Hæretici, dicentes tam electionem quam deſtinationem miniſtrorum Eccleſiæ eſſe penes plebem vel magiſtratum civilem: neque enim populo vel magiſtratui dictum eſt à Chriſto, ſed Petro: *tibi dabo claves regni cælorum*, neque tempore Apoſtolorum mittebantur miniſtri ſacerdotes ab aliis quam ab Apoſtolis prout colligitur Act. 5. & 14. ubi Paulus & Barnabas conſtituebant per civitates, Presbyteros.

Dices Act. 6. totus populus elegit Stephanum, juxta illud eodem Cap. *placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum & ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum.*

Reſp. poſſe quidem populum ex conceſſione Eccleſiæ admitti ad electionem ſed dicimus illud jus populo jure divino non competere: & eapropter antedictum hæreticorum errorem damnat Conc. Trid. ſeſſ 23. cap. 4. his verbis „Docet inſuper „Sacroſancta Synodus in or„dinatione Epiſcoporum, ſacer„dotum & cæterorum Ordi„num, nec populi, nec cuiuſ„vis ſæcularis poteſtatis, & ma„giſtratus conſenſum ſive vo„cationem ſive authoritatem ita „requi, ut ſine ea irrita ſit ordina„tio, quin potiùs decernit eos „qui tantummodo à populo „aut ſæculari poteſtate ac ma„giſtratu vocati & inſtituti ad „hæc miniſteria exercenda aſ„cendunt, & qui ea propriâ au„ctoritate ſibi ſumunt, omnes „non Eccleſiæ miniſtros, ſed „fures & latrones, per oſtium „non ingreſſos, habendos eſſe.

Confirmatur hoc ipſum, quia ſeptuaginta diſcipuli, item duodecim Apoſtoli à Chriſto ſunt inſtituti ſine conſenſu plebis aut magiſtratus civilis, quam eandem poteſtatem idem faciendi dedit Chriſtus Apoſtol. eorumque ſucceſſoribus Joan. 20. dum ait, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: & eapropter Apoſtoli Paulum & Barnabam elegerunt ſine populi ſuffragiis, prout & Paulus poſtea Titum & Timotheum elegit in Epiſcopos, nullâ tamen factâ mentione ſuffragiorum plebis.

Hunc eundem morem ſecutus

Digitized by Google

tus eſt S. Petrus in deſignando ſibi Clemente ſucceſſore ſuo: ita quoque S, Gregorius Magnus Auguſtinum fecit Epiſcopum Anglorum non exſpectato populi conſenſu.

Modus clerum eligendi non ſemper idem fuit in Eccleſia.

Nota tamen, nos non negare, interdum rectè ad eam rem plebis & magiſtratus ſuffragia rogari: nam & hoc Apoſtoli leguntur feciſſe Actor. 6. quando ſeptem Diaconos à multitudine fidelium electos impoſitione manuum ordinaverunt: quod factum eſt ab ipſis, non quaſi ſine ſuffragio plebis hæc ordinatio non poſſet ſubſiſtere, aut quaſi divino vel naturali præcepto hæc ſuffragia mandarentur, ſed id pro tempore utile judicabatur; ita enim poſtmodum S. Ambroſius, & multi alii Epiſcopi plebis ſuffragiis fuerunt deſignati & electi: & ſic docent Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, variis olim modis Epiſcopos fuiſſe electos, modò conſenſu plurium Epiſcoporum, modò electione Cleri, modò conſenſu imperatoris aut Principis; imo apud eoſdem non ſemper idem modus ſervatus eſt: prout conſtat de electione Romani Pontificis; idque non ſine cauſa: nam prout diverſis temporibus diverſæ occurrunt circumſtantiæ, ita expedit rationem electionis aliquando mutari.

Electio alia eſt canonica, alia non canonica.

Porro nota, electionem alicujus miniſtri Eccleſiæ eſſe duplicem; una eſt canonica, quæ nempe dat jus ipſi electo; & hæc ſpectat ad ſolum clerum, eò quod plebs in rebus Eccleſiaſticis illud jus dare non poſſit: alia vero electio eſt non canonica, quæ vim habet ſolius deſiderii & optationis: & hæc poteſt competere plebi aut magiſtratui, quatenus videlicet ad cognoſcendam vitam ejus qui promovendus eſt, opus eſt teſtimoniis & votis multorum.

DUBIUM XIX.

Quomodo peccet promovens indignum ad SS. Ordines.

Peccant mortaliter promoventes ad ordines indignos.

Reſp. mortaliter; eò quod in materia gravi ſit infidelis Deo ad ejus miniſterium admittens ſervum inutilem cum magno diſpendio honoris divini & Eccleſiæ; qui per bonos miniſtros promovetur, per malos verò & infideles tollitur & diſſipatur.

Dices, ſi talis idoneitas in miniſtris Eccleſiæ requiratur qualis à SS. Patribus deſcribitur, vix erunt ſacerdotes reperibiles in ſufficienti numero, ergo Epiſcopi ſunt excuſabiles aſſumendo indignos.

Reſp. negando antecedens, quia

Digitized by Google

quia Deus numquam ita deſeret ſuam Eccleſiam, quin inveniantur idonei miniſtri ſufficientes ad plebis neceſſitatem, ſi digni promoverentur, & indigni rejicerentur: & ſi non poſſent tot miniſtri inveniri, quot modò ſunt, inquit, S. Thomas, melius eſſet habere paucos bonos, quàm multos malos.

Eapropter bene monet Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. *manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis:* apertè ſignificans, eum graviter peccare, qui, non præmiſſo ſufficienti examine ſuper vita, moribus, & ſcientiâ ordinandorum, vel non habito ſuper his fide digno teſtimonio, illos ordinat.

DUBIUM XX.

De caſtitate Sacris Ordinibus annexa.

Conjugatus ordinari nõ poteſt, niſi ejus uxor continentiam voveat.

NOtandum, legem cœlibatus obligare ad tria: 1. ut nemo conjugatus initietur SS. Ordinibus niſi uxor voveat perpetuam caſtitatem: patet ex cap. *conjugatus* de Converſ. conjug. in quo dicitur, „ nullus conjugatus eſt ad SS. Ordines admittendus niſi ab uxore continentiam profitente fuerit abſolutus. „ Ad quod inſuper requiritur ſi uxor ſit juvenis & ſuſpecta de incontinentia ut religionem profiteatur; ſecus ſi ſit ſenex & non ſuſpecta: tunc enim ſufficit votum perpetuæ caſtitatis in ſæculo, factum in manibus Epiſcopi.

Ordinatus obligatur ad perpetuam caſtitatem.

II. Ut nemo poſtquam ordinatus eſt uxorem ducat.

III. Ut qui ordinatus eſt perpetuam caſtitatem ſervet.

Petes, undenam oriatur obligatio ſervandi caſtitatem annexam Ordinibus Sacris.

Idque ex voto annexo ordinibus Sacris. Item ex lege Eccleſiaſtica.

Reſp. immediatè ex voto facto in ſuſceptione Ordinis Sacri implicitè vel explicitè tunc emiſſo; propinquè verò ex lege Eccleſiæ ad hoc obligante: tametſi enim Eccleſia neminem obligare poſſit ad ſervandam caſtitatem, cum ea ſit conſilii; tamen Ordini Sacro quem liberè confert quibus vult, poteſt conditionem & legem apponere, ſcilicet ut qui talem Ordinem ſuſcipit, tacitè continentiam profiteatur.

Dices, poteſt contingere, quod quis, dum ordinatur, invincibiliter ignoret annexam obligationem continentiæ, aut etiam expreſsè nolit ſe obligare voto.

Reſp. illis caſibus tales nihilominus obligari ad caſtitatem per legem eccleſiaſticam; non tamen ex voto, utpote quod

Digitized by Google

requirat intentionem vovendi.

Hic tamen notandum, plurimum referre utro modo dicatur quis obligari ad caſtitatem: nam, ſi obligetur lege eccleſiaſtica, etiam ſepoſito voto obligabitur, imo quantumvis nolit caſtitatem vovere: quod ſi verò obligetur ex voto, ordinatus peccans contra caſtitatem committet inſuper peccatum ſacrilegii: & ſi Pontifex diſpenſet cum ejuſmodi ordinato ad matrimonium ſine juſta cauſa, talis diſpenſatio erit nulla, in ordine ad votum, quantumvis valida in ordine ad tollendum impedimentum dirimens matrimonii, quippe quod ſolo jure eccleſiaſtico eſt conſtitutum.

Petes, quandonam hæc lex cœlibatus inceperit.

Lex illa eſt in Eccleſia ab Apoſtolorum temporibus.

Reſp. ab Apoſtolis, quæ ſemper in Eccleſia Occidentali fuit obſervata: prout patet ex Conc. Elibertino cap. 33, item Conc. Rom. ſub Silveſtro cap. 8. Auraufican. cap. 22. Carthag. „ cap. 2. in quo ſic legitur „ Placuit, & condecet, Sacroſanctos Antiſtites & Dei ſacerdo-„ tes, nec non Levitas qui Sa-„ cramentis divinis inſerviunt „ continentes eſſe in omnibus; „ quo poſſint ſimpliciter, quod „ à Deo poſtulant, impetrare, ut „ quod Apoſtoli docuerunt, & „ ipſa ſervavit antiquitas, nos „ quoque cuſtodiamus „: & eapropter Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 9. ait „ Si quis dixerit Cle-„ ricos in ſacris ordinibus conſti-„ tutos, vel Regulares caſtita-„ tem ſolemniter profeſſos, poſſe „ matrimonium contrahere, non „ obſtante lege eccleſiaſtica vel „ voto: Anathema ſit.

Porro congruum fuit ſacerdotes adigere ad cælibatum.

I. Quia debent continuò vacare rebus divinis à quibus abſtrahuntur opere conjugali, teſte Apoſtolo, ad cor 7. dum ait, *Volo vos ſine ſollicitudine eſſe: qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore eſt ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.*

II Quia neceſsè eſt ſacerdotes eſſe in honore & æſtimatione apud populum; experientiâ verò conſtat eos non æſtimari à populo, qui nullatenus differunt à populo.

III. Reditus eccleſiaſtici paſſim ad cauſas profanas applicarentur; Epiſcopatus quoque & Parochiæ paulatim quaſi quodam hæreditario jure poſſiderentur, & Eccleſia, miniſtrorum ſuorum relictas proles magno ſuo gravamine nonnumquam alere teneretur: taceo veteris Teſtamenti ſacerdotes toto tempore

pore quo miniſtrabant ordine vicis ſuæ, ſeſe continere debuiſſe ab uxoribus ſuis: taceo Abimilechum Davidi famelico noluiſſe dare pânes propoſitionis, niſi priùs conſtaret eum ab uxore ſe continuiſſe, ergo &c.

Numquam licuit poſt ſacerdotium ſuſceptum uxorem ducere.

Circa hanc autem cœlibatus legem hoc venit notandum, quòd nulli umquam licuit poſt ſuſceptum ſacerdotium uxorem ducere & hoc in omnibus Eccleſiis Catholicis tam Orientalibus quam Occidentalibus; dixi ſignanter, *ſacerdotibus*, quia Diaconis in aliquibus locis, qui in ſuſceptione Ordinis Diaconatus caſtitatem non promiſerant, permiſſum fuit uxores ducere: ut colligitur ex Conc. Ancyrano Cap. 10. ſi qui verò ante ſuſceptum Ordinem ſacerdotii uxores habuerunt, tum, promiſsâ mutuo conſenſu caſtitate in Eccleſia latina illam ſemper obſervare debuerunt; in Eccleſia verò orientali hoc non fuit univerſaliter obſeruatum, ſed tantum in illis locis, in quibus Canones eccleſiaſtici permanſerunt inviolati: prout expreſsè docet S. Epiphanius Hæreſi 59. contra Catharos: & Hieronymus contra Vigilantium.

Dices, in Synodo Conſtantinopolitana VI. can. 6. & 13. permittitur omnibus ordinatis, excepto Epiſcopo uti Matrimonio ante ordinationem legitimè contracto, ita tamen ut tempore quo in Eccleſia miniſtrant ab uxore ſe debeant continere.

Reſp. in VI. Generali Concilio Conſtantinopolitano nullos tales Canones editos fuiſſe, ſed decem annis poſt celebratum illud Concilium Conſtantipolitanum VI. ſub Agathone Papa aliquos Epiſcopos ſeorſim in Trullo, Juſtiniani imperatoris Palatio conveniſſe, & centum duos canones conſcripſiſſe, ad quorum approbationem Juſtinianus Imperator Sergium Papam compellere enixus fuit, quos ipſe conſtanter recuſavit approbare, eò quod capitula quædam contra ritum Eccleſiaſticum in illis continerentur: prout teſtatur Beda libro de ſex ætatibus in juſtiniano Imperatore.

Vnde Græcis ſacerdotibus conſuetudo retinendi uxores ante ſacerdotium ductas.

Porro cum poſt hanc Trullanam conſtitutionem conſuetudo utendi uxoribus ante ordinationem ductis paulatim in Eccleſia Orientali invaleſceret, ab illo tempore Romani Pontifices quoque in eam pro Orientalibus conſenſerunt, prout patet ex cap. *Quæſitum* de Pœn. & remiſſ. quod verò mos iſte Orientalium, eſto juri divino abſolute non repugnet, non tamen ſit laudabilis hoc vel inde patet, quia uſus conjugii

conjugii non rectè convenit cum ſacerdotio; cum enim expediat ſacerdotes quotidie tremendum miſſæ Sacrificium offerre, non ſatis hoc reverenter & decenter fieret ab iis qui ſeſe continuò cum conjugibus immiſcerent: & hæc ratio paſſim à SS. Patribus adfertur, & deſuper legi poteſt Innocentius I. Epiſt ad Exuperium cap. 1.

Lex continentiæ non eſt contra Apoſtolum.

Dices 1. ad Tim. cap. 4. ait Apoſtolus, quod *in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes doctrinis dæmoniorum & prohibentium nubere.*

Reſp. Apoſtolum hoc loco non corripere doctrinam quæ alicui hominum generi prohibet nuptias, ſed ait errorem eſſe nuptias damnare tamquam naturâ ſuâ malas; quod non facit Eccleſia, quippe quæ optimè novit illud Apoſtoli. ad Hebr. 13. *honorabile connubium in omnibus* non quaſi id velit omnibus eſſe permiſſum, ſed *in omnibus*, hoc eſt apud omnes gentes Judæos, Græcos, Latinos &c.

Dices, Apoſtolus 1. Tim. 3. ait *oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*; ergo &c.

Reſp. Apoſtolum hoc loco ſolum prohibere, ne quis Epiſcopus eligatur bigamus: & eapropter Scriptura hæc, non tam poſitivè, quam negativè venit explicanda; quaſi diceret, oportet Epiſcopum non habuiſſe plures uxores, ſive interim habuerit unam ſive nullam.

Dices 1. ad Cor. 7. ait Apoſtolus *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat.*

Reſp. ſi quid ex illa Scripura concluderetur, non tantùm ſequeretur id eſſe omnibus Sacerdotibus licitum, ſed & omnibus illis eſſe in præcepto uxores ducere, etiam toties quoties illæ morerentur: quod falſum eſt, & à ſenſu Apoſtoli alienum: ac proinde ſenſum hujus loci eſſe, quamvis ego Paulus ante dixerim, bonum eſſe homini mulierem non tangere, tamen propter fornicationem vitandam & omne genus immunditiæ, permittitur & indulgetur, ut quilibet maritus uxore ſua utatur: nam, *habere*, phraſi Scripturæ S. accipitur pro, *uti*.

Perverſè ergo Hæretici hanc Apoſtoli ſententiam interpretantur, dum ex ea docent, conjugium omnibus Chriſtianis eſſe in præcepto: quod non tantùm refellitur ex conſenſu totius Eccleſiæ, ſed & repugnat iis quæ Paulus hoc loco docet. dum ait, *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus à Domino ut ſim fidelis: exiſtimo ergo hoc bonum*

eſſe

Digitized by Google

eſſe propter inſtantem neceſſitatem:

Præterea addit Apoſtolus ſe hæc dicere ſecundum indulgentiam, non ſecundùm imperium, Græcè, ſecundum veniam, non ſecundum præceptum: prout quoque legit S. Auguſt. quia nimirum ſolent minora mala permitti, ad evitanda majora: ex quo loco proinde rectè S. Aug. colligit & docere non dubitat, concubitum conjugalem quando fit ſolùm causâ vitandæ fornicationis eſſe peccatum, qui proinde tunc ſolùm caret culpâ quando fit causâ prolis, aut redditionis debiti.

Dices, *non omnes capiunt verbum hoc*, inquit Apoſtolus cap. cit. *ſed quibus datum eſt*: qui & ait, *unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.*

Reſp. Apoſtolum hoc loco non velle docere, omnes homines habere aliqua dona ex Deo: nam, ut ait Hugo Victorinus, mul„ti ſunt quibus nihil collatum „eſt unde ſalvari poſſint: ſed agit Apoſtolus ſpecialiter de fidelibus, & dicere vult, non omnes habere æquale donum, ſed unum habere donum caſtitatis conjugalis, alium vidualis, alium virginalis; ac conſequenter indicat, quòd ſi quis donum continentiæ, quo ab omni concubitu abſtineat, non habeat, nec ad illud niti velit, illi paratum eſſe remedium ex conjugio: loquitur autem de non obſtricto voto aut præcepto caſtitatis: nam ut ait 1. ad Timot. 5. tales damnationem habent ſi nubant, quia primam fidem irritam fecerunt: & eapropter neceſsè eſt tales ad alia caſtitatis remedia confugere, cujuſmodi ſunt, jejunium, Oratio, Vigiliæ, lectio ſacra, piæ meditationes, fuga otii, fuga diſparis ſexus &c.

Porrò ſicuti ex hoc loco non ſequitur, hominem conjugatum, ſi non habeat donum continentiæ conjugalis, ad eam ſervandam non teneri, ita nec ſequitur ſacerdotes, qui non habent donum continendi ſimpliciter, ad hanc ſeruandam non teneri; ſiquidem ad multa tenetur homo, partim lege Dei, partim voto, partim lege ſuperiorum, quorum facultatem & potentiam proximam non habet, habere tamen poſſunt Deo donante, & habituri ſi petant juxta illud *Petite & accipietis.*

Dices, Apoſtoli habuerunt uxores juxta illud; ad Cor. 9. *numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicuti & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas*: & ad Philippenſes 4. *etiam rogo te, germane compar,*

quod Græcè vertitur *germana conjux.*

Reſp. etſi ante vocationem aliqui eorum uxores habuerint, illis tamen poſtea non ſunt uſi, ſed reliquerunt pro Chriſto; deinde Joannes & Paulus cælibes manſere. Ad loca citata Reſpondeo, in priore non agi de uxoribus, ſed de religioſis mulieribus Apoſtolos ſequentibus. In poſteriori agitur non de uxore ſed de quodam coadjutore Pauli.

RECOLLECTIO.

Hic queſo Sacrorum Ordinum candidate, pauliſper ſubſiſte (nam tua res agitur) & attentè recogita, quale & quantum pondus humeris tuis in Sacra Ordinatione imponatur, utique Angelicis humeris formidandum: ſedens itaque computa, an ſanctitatem gradui, ad quem elevari cupis, poſſideas competentem: expaveſce ſupplicium illatum Regi Oziæ, eò quod ſacerdotalem dignitatem, quæ ad ipſum non pertinebat, uſurpare præſumpſerit: contremiſce cogitans ſupplicium Chore Dathan & Abiron quos diſrupta terra ſub pedibus eorum & aperiens os ſuum devoravit quia ſuperbè ad Sacerdotium aſpirarunt; ſumptuoſa ſiquidem turris eſt caſtitas, & verbum grande quod non omnes capiunt, Sacris Ordinibus annexa. Priùs ergo maturè apud te computa in ſecreto cordis tui tibi an non expediat potiùs nubere quam uri, an tibi non expediat potiùs in humili gradu fidelis populi ſalvari, quam in cleri ſublimitate otioſè vivere & æternaliter damnari: compatere quoque Eccleſiæ Matri quæ in horto ſuo complures habet arbores infructuoſas, quamvis plantatas ſecus decurſus Sacramentorum, complures inquam Sacerdotes otio & deſidia tabeſcentes ſolo habitu & corona à communi populo diſſidentes. & elevando cor tuum ad Ieſum omnium Sacerdotum puriſſimum exemplar dic.

Bone Ieſu ſacerdotalis gratiæ fons & largitor, dignare obſecro providere Eccleſiæ tuæ Sacerdotes ſine macula, habentes voluntatem in lege Domini die ac nocte, qui tremendo Miſſæ Sacrificio aſſiſtant ut Angeli, miniſtrent ut Sancti, nemini dantes ullam offenſionem ut non vituperetur miniſterium tuum. Da obſecro tales qui curent decorem domus tuæ, ſobrios, caſtos, exemplares, zelo zelantes pro domo tua: & ne permittas obſecro irrepere in ovile tuum homines ſuperbos, ebrioſos, avaros, quærentes potiùs quæſtum pecuniarum quam lucrum animarum. Amen.

TRAC-

Digitized by Google

TRACTATUS VIII.

De Sacramento Matrimonii.

QUÆSTIO I.

De Sponſalibus.

DUBIUM I.

Quid Sponſalia: & quæ ad illa requiſita.

Sponſalia, à ſpondendo dicta, propriè loquendo non ſunt aliud quàm mutua futurarum nuptiarum promiſſio externo aliquo ſigno manifeſtata.

Quid Sponſalia.

Dixi, *propriè loquendo*, quia vox illa, *ſponſalia* aliquando ſumitur impropriè pro ipſo matrimonio rato non conſummato, ut Matt. 1. ubi dicitur, *cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph.* 2. Sumitur quandoque pro ipſis muneribus à ſponſo ſponſæ conferri ſolitis: prout patet 1. Reg. 18. ubi dicitur, *non habet Rex ſponſalia neceſſè.*

Quia tamen prima vocis acceptio eſt maximè propria, hinc quotieſcumquè in aliquo teſtamento, legato, vel quocumque alio inſtrumento legali fit mentio de ſponſis, id intelligendum venit de iis qui ſibi invicem matrimonium promiſerunt. In materia tamen favorabili venit quoque uxor maritata nomine ſponſæ, non verò in materia odioſa.

Porrò materia illa dicitur favorabilis, quando lex primariò intendit favere, quamvis per accidens alicui in particulari inde accidat aliquod nocumentum: illa verò dicitur odioſa, in qua lex directè intendit nocere, quamvis indirectè inde reſultet alicui aliquod commodum aut favor: ex quo infertur, quando in aliqua lege vel contractu fit mentio ſponſorum, & eſt materia odioſa: ut v. g. ſi ſtatutum contineat filiam maritatam non ſuccedere Patri vel Marito, non comprehendi ſponſam de futuro: quod ſi verò ſit materia favorabilis, tunc quoque ſponſa de futuro venit nomine uxoris.

Hic autem bene notandum quod ad valorem ſponſalium non ſufficiat nuda & ſimplex promiſſio,

Ut Sponſalia ſint valida.

debent eſſe reciproca.

ſio, ſed debeat eſſe mutua & reciproca, ſive repromiſſio, quæ à juriſperitis ſtipulatio appellatur; eſtque contractus oneroſus ultro citroque obligationem inducens.

Probatur, quia ſponſalia ſunt contractus oneroſus; qui proinde hanc tacitam conditionem habet annexam, ſi alter repromittat: & eapropter ſicuti matrimonium conſiſtit in mutua traditione corporum, ita ſponſalia conſiſtunt in mutua promiſſione tradendi corpora.

Vnde ſi unus promittat & altera promiſſionem acceptet ſed non repromittat nondum ſunt ſpōſalia.

Petes, an ſi ergo unus promittat, & altera pars acceptet, num erunt ſponſalia.

Reſp. negativè, quia ſola externa acceptatio non eſt ſufficiens ſignum repromiſſionis, ſed acceptans promiſſionem cenſetur illam ſolum acceptare quatenus eſt in ſui favorem; nimirum ut alter maneat illi obligatus, non verò in ſui præjudicium ut ipſe alteri obligetur.

Petes, an mutua illa promiſſio in ſponſalibus debeat eſſe voluntaria.

Mutua promiſſio in ſponſalibus debet eſſe voluntaria ut obliget.

Reſp. affirmativè; quia vis obligandi oritur à voluntate; defectu cujus ſi quis promiſerit, invincibiliter ignorans ex promiſſione ſequi obligationem, ille non ligabitur, eò quod obligatio quæ non fuit cognita, non potuit eſſe voluntaria.

Contrahens ſpōſalia ſine animo ſe obligandi equidem obligatur

Petes, an ille non obligetur promiſſione, qui, ſciens naturam obligationis, promiſit ſponſalia, non tamen habet expreſſam intentionem ſe obligandi.

Reſp. affirmativè; quia qui vult antecedens, vult conſequens, & qui vult cauſam, cenſetur velle effectum, adeoque qui vult promittere ſponſalia, vult quoque obligationem quæ naturaliter ſequitur ex iis: & hinc qui promiſit ſponſalia, & poſtmodum dubitat an habuerit intentionem ſeſe obligandi, tenetur ſponſalibus, eò quod poſſeſſio ſtet pro illis.

Sponſalia contrahi poſſunt inter abſentes.

Petes, an promiſſio ſponſalium debeat fieri inter præſentes.

Reſp. negativè, ſed fieri poteſt inter abſentes, ita tamen ut ab uno facta revocari poſſit ante abſentis acceptationem & repromiſſionem; gratuita tamen promiſſio matrimonii abſenti facta, ſi fiat coram aliquo qui nomine abſentis eam poſſit acceptare, quales ſunt qui ab aliquo generalem vel ſpecialem habent commiſſionem, obligat in conſcientia ut ſupra dictum eſt.

Petes, an quando quis pro abſente acceptavit promiſſionem teneatur abſens illi ſtare.

Reſp. negativè, niſi velit: attamen qui ejus nomine acceptavit, non poteſt illam promiſſionem

nem condonare; eò quod abſenti ex diſpoſitione juris acquiſitum ſit jus: obligatio tamen quâ promiſſor adſtringitur abſenti ad huc pendet donec ab abſente fuerit acceptata.

Requiſita ad valorem ſponſaliorum

Petes, quænam præcisè & adæquatè requirantur ad valorem ſponſalium.

Reſp. hæc tria 1. promiſſio mutua ut dictum eſt 2. acceptatio dictæ promiſſionis & repromiſſio 3. ut illa repromiſſio ſigno aliquo externo manifeſtetur.

Proinde quod attinet ad primam conditionem, non ſufficit ad eam mutuum propoſitum, quia illud nullam inducit obligationem: & idcirco qui dicunt ſibi invicem, *vellem te ducere*, præciſis aliis circumſtantiis, non contrahunt obligationem ſponſalium.

Quod ad ſecundam conditionem attinet, quamvis promiſſio non acceptata aliquando obliget, eò quod jus poſitivum ſuppleat defectum, uti dum quis promittit infanti, hoc tamen non habet locum in contractu ſponſalitio; eò quod ille ſit onerosus, habeatque hanc tacitam conditionem annexam, ſi alter acceptet & viciſſim repromittat: Ratio tertiæ conditionis eſt. quia promiſſio facta homini, ordinariè non oblgat niſi acceptetur, non poteſt autem acceptari, niſi innoteſcat, non poteſt autem naturaliter innoteſcere niſi per ſigna aliqua externa.

Non poteſt qui ſe alteri homini obligare niſi per ſigna externa

Petes, unde proveniat quòd interna promiſſio non obliget prout neque externa niſi acceptetur, an ex diſpoſitione juris poſitivi, an verò ex natura rei.

Reſp. ex natura rei, eo quod promiſſio& donatio ſint quædam ſigna practica quæ efficiunt id quod ſignificant; nam qui dicit, promitto tibi, vel do tibi, non ſolùm dicit internam cogitationem & affectum dandi, ſed etiam ipſum actum donationis vel promiſſionis, ſcilicet obligationem quæ naſcitur in promittente, & jus quod naſcitur in promiſſario; proinde cum actus interni non ſint idonea ſigna ad aliquid alteri ſignificandum, non ſunt quoque idonea ad ſe alteri obligandum: quod ſi tamen alter poſſet cognoſcere internas cogitationes ut Angelus quando illæ ad eum diriguntur, tunc quoque per actum internum poſſet fieri promiſſio: ut patet in voto; nec refert quod vis obligandi ſit a voluntate, quia voluntas non poteſt eam ordinariè in aliquo cauſare abſque ſigno externo, tamquam inſtrumento.

Petes, quale debeat eſſe

illud ſignum externum quo exprimuntur ſponſalia.

Quibus ſignis externis exprimi debeat promiſſio ut valida ſint ſponſalia.

Reſp. ſufficere quodlibet, ſive factum aliquod, ſive nutum ſive verba: & ita ex conſuetudine in aliquibus locis recepta ubi miſſio annuli in digitum vel torques ſuſpenſa ad collum, eſt ſufficiens ſignum expreſſivum conſenſus Porrò taciturnitas non eſt ſufficiens ſignum conſenſus ſponſalitii: & eapropter ſi Petrus promittat Catharinæ matrimonium, & illa taceat, per hoc non contrahuntur ſponſalia, eſto ipſa interiùs conſentiat, eo quod ille conſenſus & promiſſio interna non ſufficienter manifeſtentur per taciturnitatem: nec refert in cap. *finali* de deſponſat impub. haberi, valida eſſe ſponſalia quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus, ipſis præſentibus & non contradicentibus promittunt, quia in illo caſu particulari jus taciturnitatem accipit pro expreſſione conſenſus: unde ſi quis alius qui non eſt Pater vel Mater, aut habens curam promittat pro filio tacente, non contrahuntur ſponſalia, eſto filius tacens interiùs conſentiat: quia taciturnitas ſic non habetur pro expreſſione conſenſus.

An ad contrahenda

Petes, dum contrahuntur ſponſalia per verba, qualia debeant illa eſſe.

ſponſalia requirãtur determinata verba

Reſp. debere eſſe talia quæ important conſenſum de matrimonio futuro: qualia ſunt hæc *promitto me ducturum te uxorem*, *promitto tibi matrimonium* quando verò verba important conſenſum de præſenti, tunc, ſi cætera adſint, contrahitur matrimonium: ut ſi quis dicat, *Accipio te in meam &c.* quando verò verba ſunt dubia, tunc in foro conſcientiæ ſtandum eſt intentioni contrahentium; nam illud non innititur præſumptioni, ſed intentioni ex qua per ſe primò naſcitur obligatio ſponſalium: in foro autem externo proceditur ſecundùm communem verborum intelligentiam.

Dubitãs an dum contraxit ſponſalia animum habuerit ſe obligãdi, obligatur.

Petes, quid ſi quis dubitet an in ſponſalibus habuerit voluntatem ſe obligandi.

Reſp. tunc in conſcientia judicandum eſt ipſum obligari, & habuiſſe intentionem ſeu voluntatem; quia obligatio naturaliter ſequitur promiſſionem, nec præſumitur quis dicere quod non habet in corde.

Petes, an hæc verba, *non ducam aliam niſi te* ſufficienter exprimant conſenſum requiſitum ad ſponſalia.

Reſp. negativè; eo quod hæc verba in contractibus faciant conſenſum conditionatum, nec ſufficienter exprimant conſenſum

ſum

Digitized by Google

ſum abſolutum de futuro: ut patet in ſimili de eo qui ſic voveret, *non ero niſi Carthuſianus*, talis enim vi voti non tenetur ſimpliciter fieri Carthuſianus, ſed tantùm ex ſuppoſitione, ſi velit fieri Religioſus: & ita quoque qui diceret *non ducam aliam niſi te*, non tenetur ſimpliciter illam ducere, ſed tantùm ex ſuppoſitione, ſi aliquam velit ducere.

Petes, an fiat matrimonium quando ſponſus & ſponſa adhibent verba ſignificantia conſenſum de futuro: ſed illa adhibent animo ſignificandi conſenſum de præſenti: vel an fiant ſponſalia quando ſponſus & ſponſa adhibent verba ſignificantia conſenſum de præſenti, ſed adhibent illa ad ſignificandum conſenſum de futuro.

Qui per verba de futuro contrahunt, animo contrahendi in præſenti, cōtrahunt verum matrimonium.

Reſp. verba illa valere ad hoc ad quod ſignificandum à contrahentibus adhibentur; cujus ratio eſt, quod non requirantur determinata verba ad contrahenda ſponſalia, ſed ſufficiant quæcumque ſigna externa ſufficienter manifeſtativa conſenſus.

Petes, quomodo intelligenda ſint hæc verba, *habebo te in uxorem*.

Reſp. in foro conſcientiæ ſtandum eſſe intentioni contrahentium; in foro verò externo explicanda eſſe pro ſponſalibus.

Petes, an ſponſalia ſint circumſtantia neceſſariò in confeſſione explicanda reſpectu ſponſi vel ſponſæ fornicantis.

Reſp. affirmativè; nam ultra malitiam fornicationis ſuperaddit malitiam infidelitatis & fractionis fidei datæ in ſponſalibus: etſi enim per ſponſalia non acquiratur jus ad copulam, acquiritur tamen jus remotum in corpus alterius, quod per fornicationem violatur, & ideo irrogatur comparti injuria.

DUBIUM II.

Quid Sponſalia clandeſtina.

Quid Sponſalia clandeſtina.

R Eſp. ſunt ſponſalia quæ non ſunt contracta coram Parocho & teſtibus.

Petes, an illa poſt Concil. Trid. ſint invalida.

Illa ſunt valida.

Reſp. negativè, nec refert quod Concil. Trid. irritet matrimonium clandeſtinum, quia lex illa eſt correctoria juris communis, quæ proinde non debet extendi ultra caſum expreſſum ut patet L. *Percepimus* cap. de Appellat: quod confirmatur, quia jure communi valida ſunt ſponſalia clandeſtina.

II. Probatur, quia quando eſt diverſa ratio prohibitionis, tunc prohibito matrimonio non cenſentur prohibita ſponſalia; ſi qui-

ſiquidem matrimonium clandeſtinum, prohibitum eſt à Trid. ad vitandum adulterium; eò quod aliqui, ſpreto priori matrimonio occultè contracto, publicè aliam uxorem ducerent, & cum ſecunda perpetuò in adulterio viverent; nam cum Eccleſiæ de priori matrimonio non conſtaret, cogebat ad ſecundum, quod tamen à parte rei erat adulterium, quod non accidit in ſponſalibus: nam matrimonium cum ſecunda contractum, contemptis prioribus ſponſalibus, adhuc eſt validum.

Dices, inhabilis ad matrimonium eſt quoque inhabilis ad ſponſalia.

Reſp. perpetuò inhabilis ad matrimonium eſt quoque inhabilis ad ſponſalia, ſecus verò ſi tantum pro tempore ſit inhabilis ad matrimonium.

Dices, ſaltem, ſicut ſe habet matrimonium ad ſponſalia abſoluta, ita matrimonium clandeſtinum ad ſponſalia clandeſtina; ſed cui matrimonium abſolute prohibetur, reſpectu illius ſunt irrita ſponſalia; ergo cui prohibetur matrimonium clandeſtinum, prohibentur quoque ſponſalia clandeſtina.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio diverſitatis eſt quod quando matrimonium alicui abſolutè prohibetur, tunc ſponſalia non poſſint cadere ſuper materia licita adeoque tunc ſint invalida: quando autem ſolùm prohibetur matrimonium clandeſtinum, tunc ſponſalia adhuc poſſunt cadere ſuper materia licita nempe ſuper matrimonio non clandeſtino: ut ſi ſponſus clam promittat ſponſæ ſe cum illa contracturum matrimonium coram Parocho & duobus teſtibus.

Petes, an non ſemper ſit peccatum contrahere ſponſalia clandeſtina.

An ſit illicitum ſponſalia clandeſtina contrahere.

Reſp. neg. eò quod nullo jure prohibeantur: non antiquo videlicet cap. finali de clandeſt. deſponſat., quia ibi tantùm prohibetur clandeſtinum matrimonium: non jure novo Con. Trid, quia nullum tale in eo exſtat.

Dices, prohibito aliquo fine cenſentur quoque prohibita media.

Reſp. id eſſe verum quatenus ordinantur ad iſtum illicitum finem; ſecus vero ſi ordinentur ad alium finem licitum.

Hic tamen notandum, partim ex conſuetudine, partim ex ſtatutis Synodalibus oportere contrahere ſponſalia coram Parocho & teſtibus: & hoc non in taberna, ſed in loco aliquo ſacro.

DU-

DUBIUM III

Quinam ſint capaces ſponſalia contrahendi.

Qui poſſint ſponſalia contrahere.

RESp. illi qui ſunt capaces matrimonii, eò quod ſponſalia ſint promiſſio futuri matrimonii.

Petes, an detur impedimentum dirimens ſponſalia & non matrimonium.

Reſp. affirma. & tale eſſe poteſt illud quod eſt ſolùm impediens matrimonium, & non dirimens; cum enim ſit illicitum cum hujuſmodi impedimento contrahere, nulla erunt ſponſalia; quia non poſſunt ſponſalia obligare ad aliquid illicitum: niſi tamen impedimentum impediens matrimonium foret ſolùm temporale, ut ætas in impuberibus, vel votum caſtitatis ad tempus: ac eapropter impuberes licet pro tunc non poſſint contrahere matrimonium, poſſunt tamen inire ſponſalia; prout quoque habens votum caſtitatis ad tempus, licet enim pro tempore quo durat votum non poſſit contrahere matrimonium, poteſt tamen inire ſponſalia.

Petes, quænam ætas requiratur ad contractum ſponſalitium.

Ad contrahenda ſponſalia requiritur uſus rationis.

Reſp. ſuppono 1. ad valorem ſponſalium præerequiri uſum rationis, quia ſunt verus contractus; ad cujus valorem requiritur uſus rationis; prout dictat ratio naturalis, quo poſito.

Dico, neque jure naturæ, neque divino determinatum eſſe aliquod tempus ad valorem ſponſalium, ſed ſufficere ut contrahentes polleant uſu rationis, prout hoc quoque ſufficit in contractibus.

Jure tamen canonico poſitivo requiritur ætas ſeptennii, tam in maſculo, quam in fœmina, eaque completa, prout diſponitur cap. *Litteras.* Item cap. *Exceſſit.* Cujus ratio eſt, quod ſponſalia ſint promiſſio mutua, ad cujus eſſentiam requiritur uſus rationis, qui ferè ſemper ſolet adeſſe abſoluto ſeptennio: nec refert quod uſus rationis aliquibus citiùs obveniat, aliquibus tardiùs, quia jus poſitivum in ſtatuenda ætate reſpexit ad id, quod ut plurimum accidit: & eapropter ſponſalia ante ſeptennium celebrata ſunt invalida, niſi fortè malitia ſuppleat ætatem: tunc autem in ſponſalibus dicitur ſupplere ætatem, quando ante ſeptennium ſufficiens adeſt uſus rationis, quo contrahentes intelligunt id quod agunt: in matrimonio verò malitia dicitur ſupplere ætatem, quando contrahentes cognoſcunt naturam con-

Sponſalia ante ſeptennii ætatis contracta ſunt invalida ordinariè.

Non tamẽ ſemper.

Digitized by Google

tractus conjugalis, & habent potentiam generandi; quæ ſi adſit maſculo ante annum 14. & fœminæ ante annum 12. completum, validè contrahunt.

Dices, ſponſalia diu ante ſeptennium contracta, in foro externo judicantur invalida; ſed in foro conſcientiæ eodem modo judicandū eſt prout in foro externo: ergo ſponſalia ante ſeptennium contracta, quantumvis malitia ſuppleat ætatem, erunt invalida.

Reſp. ad ſubſumptum, idem eſſe judicandum in foro interno quod in foro externo, niſi forum externum nitatur falsâ præſumptione, prout fit in præſenti caſu, nam præſupponit ante ſeptennium deeſſe uſum rationis.

Petes, quid ſi dubitetur an ante ſeptennium adſit ſufficiens uſus rationis ad contrahendum.

Reſp. tunc præſumendum, illum ante ſeptennium non adeſſe.

Petes, cur jura præſcribant eandem ætatem tam in maſculo quam in fœmina quoad ſponſalia, cum tamen diverſam præſcribant in ordine ad matrimonium.

Reſp. rationem diverſitatis eſſe, quod ad ſponſalia ſufficiat uſus rationis, qui eodem tempore, ſaltem ut plurimùm viris & fœminis ſimul advenit: ad matrimonium verò requiritur inſuper potentia generandi, quæ tardiùs reperitur in viris quàm in fœminis: ſufficit tamen ad valorem ſponſalium, ſi ultima dies ſeptennii ſit inchoata, licet non completa: nec refert quod profeſſio ante completum ultimum diem anni decimi ſexti ſit invalida, ſicut & teſtamentum in maſculo factum ante completum annum 14 & à fæmina ante annum ætatis 12. & ratio, cur jus aliter ſtatuerit, eſt, quod matrimonium & ſponſalia ſint magis favorabilia quàm profeſſio religioſa.

Petes, quid ſi poſt completum ſeptennium alteruter ſponſus necdum habeat uſum rationis an ſponſalia erunt valida.

Reſp. neg. ratio eſt, quia deeſt uſus rationis eſſentialiter requiſitus ad omnem contractum.

Petes, an qui ante tempus ſeptennii à jure ſtatutum, contrahunt ſponſalia, malitiâ ſupplente ætatem, peccent mortaliter.

Reſp. per ſe loquendo Affir. quippe facientes contra legem in materia gravi; niſi vel ignorantia legis, aut urgens cauſa, quale eſt bonum pacis, hoc excuſent.

Petes, an ad contrahenda ſponſalia ſufficiat is uſus rationis, qui ſufficit ad peccatum mortale *Non ſēper ſufficit ad ſponſalia is uſus*

Reſp. neg. eò quod ad peccatum

Digitized by Google

rationis qui ſufficit ad peccandum mortaliter.

catum mortale ſufficiat conſenſus in rem præſentem: ad ſponſalia verò requiratur conſenſus ad rem futuram; major autem uſus rationis eſt neceſſarius ad providendum futurum quam ad conſentiendum in actum præſentem: alii tamen affirmant, eò quod uſus rationis qui ſufficit ad ſe obligandum per votum, poſſit etiam ſufficere ad ſe obligandum per ſponſalia, cum hæc poſterior obligatio faciliùs poſſit auferri, quam prior; ſed uſus rationis ſufficit ad obligationem voti qui ſufficit ad peccandum mortaliter; ergo.

DUBIUM IV.

Quæ obligatio oriatur ex ſponſalibus validis.

Ex ſponſalibus validis oritur obligatio illa impledin. Idque ex virtute juſtitiæ. Item ex virtute fidelitatis & veracitatis.

RESP oritur ex illis obligatio illa adimplendi, idque ſub mortali; ratio eſt, quia hæc obligâtio oritur ex virtute juſtitiæ quæ mandat ſtare promiſſis in pactis & contractibus oneroſis; ſed ſponſalia ſunt talis contractus, & quidem in materia gravi; ergo.

Petes, an hæc obligatio inſuper non oriatur ex virtute veritatis & fidelitatis.

Reſp. affirma. & quidem veritas obligat nos ad duo; nempe ut mens correſpondeat dictis, & facta correſpondeant promiſſis: fidelitas verò ad unum obligat, nempe ut id quod promiſimus, opere præſtemus: quamvis autem hæc obligatio videatur eſſe eadem cum priore, quæ eſt obligatio veritatis: reipsâ tamen differt, quia prior latiùs patet, nam poſterior ſolùm habet locum in promiſſionibus: præterea obligatio orta ex fidelitate eſt major: qui enim promittit ſe aliquid facturum magis obligatur quam qui ſine promiſſione aliquid affirmat, hic enim tantum obligatur id præſtare, partim ne inveniatur mendax in verbis, partim ne violet jus alterius quod ille habet in rem promiſſam.

In quo differant illa obligationes.

Porro nota has tres obligationes quæ reperiuntur in ſponſalibus non eſſe æquales; nam virtus veritatis ex qua teneris ſincerè & non fictè promittere & promiſſa præſtare ne ſis mendax, per ſe ſolùm obligat ſub veniali, at per accidens, ratione damni vel injuſtitiæ, poteſt obligare ſub mortali: ratio eſt, quia mendacium, ſi nemini noceat, eſt tantùm veniale; quod ſi graviter noceat, erit mortale.

Virtus fidelitatis quâ teneris ſtare promiſſis per ſe obligat ſub mortali: niſi parvitas materiæ excuſet: ratio eſt, quia violare jus alterius in materia gravi eſt

peccatum mortale, quod jus habet is cui facta eſt promiſſio, in rem promiſſam.

Porro obligatio orta ex juſtitia, quantumvis ſit affinis obligationi fidelitatis, re ipſa tamen differt, &prior eſt multò major poſteriore, nam majus jus eſt quod oritur ex contractu oneroſo, quàm quod oritur ex gratuita promiſſione; ſiquidem promiſſio liberalis ſeù gratuita tribuit tantum jus remotè ad rem gratuitò promiſſam: eapropter ſi promiſſor non ſolvat, non tenetur ad reſtitutionem lucri ceſſantis, prout in contractu oneroſo: & ſanè major eſt injuria, ſi quis 100. aureos ex contractu oneroſo debitos non ſolvat, quam ex liberali promiſſione debitos: quare etiam debita ex contractu oneroſo præcedunt ea quæ debentur ex liberali promiſſione.

Ex his patet quanta ſit obligatio ſponſalium: cum enim oriantur ex contractu oneroſo, obligant ex virtute veritatis venialiter, & ex virtute fidelitatis & juſtitiæ mortaliter, utpote in materia gravi.

Nobilis qui ſciẽter cum plebeia contraxit ſponſalia tenetur matrimonium cũ illa inire.

Petes, an ergo ſponſus nobilis aut dives, qui ſpontaneè & voluntariè inivit ſponſalia cum filia aliqua paupere & ignobili, cujus ſtatum & conditionem non ignorabat, teneatur ſtare ſponſalibus & cum ea matrimonium inire.

Reſp. affirmativè; quod patet ex dictis idque ſub peccato mortali, quia ſcienter & voluntariè ſe ad hoc obligavit.

Quod verum eſt per ſe loquendo; nam per accidens, ut ſi ex tali matrimonio valde grave malum, ut rixæ & ſcandala &c. timerentur, non obligabitur ad ineundum matrimonium, eò quod juſtitia non obliget ad faciendum malum; eſt autem grave malum inire matrimonium cum ſcandalo aliorum: idem quoque dic ſi matrimonium infelicem videatur exitum habiturum.

Petes, an judex Eccleſiaſticus non teneatur ſponſum renitentem cogere ad adimplenda ſponſalia, & ſimiliter an Confeſſarius ad hoc non teneatur pœnitentem obligare.

Reſp. affirmativè; quia quilibet judex tenetur unicuique jus ſuum tribuere; ſed ſponſa ratione promiſſionis acceptatæ habet jus ad ſponſum, ergo.

Quæ rurſum vera ſunt per ſe loquendo: nam ſi ex tali matrimonio oritura ſint gravia mala, prudenter faciet judex, ſi eos ad contrahendum matrimonium nõ cogat; ſiquidem tunc conſulit juri innocentis; quod verum eſt etſi ſponſalia forent jurata.

DU-

DUBIUM V.

An ſictè promittens obligetur vi ſponſalium ad illa adimplenda.

Quæ promiſſio dicatur ficta.

NOta promiſſionem fictam, in hac materia, dici illam quæ fit ſolis exterioribus verbis aut ſignis, ſine animo ſe obligandi aut promittendi.

Fictè promittens ſponſalia ex illis obligatur.

Dico I ſponſus fictè promittens ſponſæ matrimonium obligatur vi contractus ſponſalitii ad illam ducendam.

Probatur I quia talis ſponſus violat juſtitiam commutativam, omittendo id quod ex juſtitia tenebatur ponere.

Contrahens cū alio tenetur bona fide cōtrahere

Probatur antecedens, quia juſtitia commutativa poſtulat, ut quando quis ſe applicat ad aliquem contractum oneroſum cum aliquo tertio in eundum, adferat proportionatam reciprocam voluntatem obligandi ſeſe comparti; quam ſi omittat, illam decipit illique eſt injurioſus, & tenetur continuò ponere quod omiſit, utpote defectu cujus invenitur inæqualitas inter partes.

Probatur 2. quia qui exteriùs efficaciter detrahit, eſto interiùs nolit, cenſetur detrahere & obligatur ad reſtitutionem; ergo ſimiliter qui exteriùs contrahit quamvis interiùs ſine animo contrahendi, cenſetur contrahere.

Probatur 3. quia qui exteriùs promittit, tenetur habere voluntatem ſervandi quod promittit; quod ſi tenetur, ergo obligatur, non ſolùm ex virtute veritatis, ut mens correſpondeat verbis: ſed inſuper ex virtutè fidelitatis & juſtitiæ, ut facta correſpondeant promiſſis.

Dices, non poteſt reperiri obligatio ſponſalium ubi non ſunt vera ſponſalia, nec obligatio promiſſionis, ubi non eſt vera promiſſio; ſed non ſunt vera ſponſalia, neque vera promiſſio ubi deeſt animus promittendi; ergo.

Reſp. neg. aſſumptum: nam in caſu poſito reperitur obligatio ponendi vera ſponſalia, item veram promiſſionem, licet illa non ponantur; quando verò reperitur obligatio ponendi cauſam, reperitur quoque obligatio ponendi effectum.

Ex dictis conclude, quod ſi fictè promittens teneatur vi ſponſalium, ad ineundum matrimonium cum illa cui illud fictè promiſit, illum multò magis teneri, qui ſub ſpe matrimonii comparrem decepit & cognovit, nam, cum illa ex parte ſua contractum compleverit, jus acquiſivit ut

Digitized by Google

etiam compleatur ex parte alterius.

Petes, quid ſi ergo Adoleſcens nobilis ſub ficta promiſſione matrimonii, deceperit ancillam, quæ ſufficienter novit diſparitatem conditionis ſuæ, an tenebitur illam ducere.

Reſp. neg, nam quando ex circumſtantiis & aliis indiciis mulier ſufficienter poteſt cognoſcere alterum non ſeriò agere, tunc cenſebitur, non tam ab alio decipi, quàm ſe ipſam decipere velle: & eapropter non tenebitur ejuſmodi fictè promittens ad illam dotandam, eò quod damnum quod patitur, non ſit illatum per injuriam, quippe quæ non fit ſcienti & volenti.

Petes, quid ſi filia neſciebat diſparitatem ſponſi, ſed putabat illum ſibi æqualem, & ille interim fictà promiſſione illam deceperit.

Reſp. quod ex dictis patet, illum teneri ad illam ducendam.

Petes, quare non ſufficiat illam dotare in tantum ut æquè commodis nuptiis potiri poſſit.

Reſp. quia non tenetur ſolùm ratione damni illati, ſed tenetur ratione & vi promiſſionis.

Petes, quid ſi quis fictè promiſerit matrimonium illi quæ ſe fingebat virginem, & non erat, aut quæ fingebat ſe divitem & nobilem & non erat.

Reſp. tunc fictionem fictione compenſari.

Petes quid ſi Adoleſcens qui decepit filiam ſub promiſſione matrimonii, illam velit ducere, ſed parentes filiæ recuſent.

Reſp. tunc ipſum ad nihil teneri; eò quod per ipſum non ſtet quò minus adimpleatur promiſſio.

DUBIUM VI.

Quænam impediant validitatem ſponſalium.

Impedimentum dirimēs abſolutè matrimonium etiam dirimit ſponſalia.

RESp. & Dico 1. omne impedimentum abſolutè dirimens matrimonium dirimit quoque ſponſalia, eaque reddit invalida: nam cum matrimonia contracta cum impedimento dirimente ſint invalida & illicita, ejuſmodi ſponſalia erunt de materia illicita; promiſſio autem de re illicita eſt invalida.

Impedimentum impediēs tantum matrim. ordinariè irritat ſponſalia.

Dico 2. ſponſalia contracta cum impedimento impediente matrimonium (ſaltem ſi illud impedimentum ſit perpetuum, ut v. g. votum caſtitatis perpetuæ) ſunt quoque invalida: ratio eſt, quia qui non poteſt licitè contrahere, non poteſt licitè promittere hujuſmodi contractum, nam promiſſio de re illicita eſt invalida.

Dixi ſignanter, *ſi impedimentum illud ſit perpetuum*; nam ſi tantum

Digitized by Google

tùm impediat ad tempus: ut v.g. ſi ſit tantùm votum ſimplex caſtitatis ad annum, non irritat ſponſalia, ſed illa ſunt valida;

Petes, an valeant ſponſalia inter duos, inter quos eſt impedimentum dirimens; inita ſub conditione, ſi Papa diſpenſet.

Valida tamen eſſe poterunt ſi ſub conditione contrahantur.

Reſp. ſi impedimentum ſit tale in quo Pontifex poteſt diſpenſare, & ſubſit juſta cauſa diſpenſandi, affirmative; non quidem ut abſoluta, ſed ut conditionalia; adeoque neutri licitum eſſe reſilire, ſed exſpectandam eſſe diſpenſationem pontificiam; quâ obtentâ, illa tranſeunt in abſoluta; neque enim ejuſmodi contractus conditionatus ullo jure prohibetur, & actus factus tempore inhabili, relatus ad tempus habile, valet pro tempore habili.

Quod ſi verò impedimentum dirimens ſit tale in quo Pontifex non poteſt diſpenſare, ut eſt v.g. cognatio in primo gradu, ſponſalia inita ab illis, inter quos eſſet tale impedimentum, etiam ſub conditione, ſi Papa diſpenſet, ab initio ſunt invalida, eò quod numquam verificari poſſit conditio.

QUÆSTIO II.

Quibus modis diſſolvantur Sponſalia.

CErtum eſt, vinculum ſponſalium non eſſe indiſſolubile, adeoque dari poſſe cauſas ob quas non tantùm validè, ſed etiam licitè illud quandoque diſſolvatur, quas in ſequentibus dubiis indagabimus.

DUBIUM I.

An Sponſalia diſſolvantur per Matrimonium unius partis initum de præſenti cum ſecunda aliqua perſona.

Sponſalia diſſolvũtur per matrimonium ſuperveniens cũ alia.

REſp. affirmativè; quia matrimonium eſt fortius vinculum quam ſponſalia: & ea propter, ſicuti res per contractum alicui tradita, non poteſt ampliùs tradi alteri cui ante fuerat promiſſa, ita quoque nec corpus ſponſi.

Petes, an priora illa ſponſalia ita ſolvantur per matrimonium ſubſequens, ut omnino extinguantur, adeoque non ampliùs remaneat obligatio ad priora ſponſalia, eſto uxor moreretur.

Qui aliã ducit e â

Reſp. affirmativè; pro ut patet ex c. *ſi inter* de Sponſalibus, in quo

Digitized by Google

mortuâ non tenetur ducere quã ſponſaverat ante.

quo habetur, quod illa ſint extincta; obligatio verò ſemel extincta non reviviſcit amplius; eo modo, quo votum ſtrictioris religionis planè extinguitur ſecutâ profeſſione in religione laxiori.

Petes, quid ſi ergo quis voverit religionem, & poſtea ineat matrimonium de præſenti, an non obligabitur adhuc voto religionis mortuâ comparte.

Habens votum religionis contrahens matrimoniũ mortua uxore tenetur adhuc voto.

Reſp. affirmativè; & ratio diverſitatis eſt, quia hic concurrunt duæ obligationes diverſæ rationis, quarum una fit homini, & altera Deo: & hinc non eſt mirum, quod obligatio voti maneat ſuſpenſa contracto matrimonio: in priori autem caſu concurrunt duæ obligationes ejuſdem rationis, ſcilicet ſponſalium & matrimonii, quarum poſterior, tamquam fortior, extinguit priorem.

Petes, quid ſi ſponſalia fuiſſent jurata, an ſoluto matrimonio non teneretur jurans illa complere.

Reſp. affirmativè; eò quod juramentum illud fuerit validum nec ejus obligatio per matrimonium extincta eſt, ſed tantùm ſuſpenſa; prout ſupra diximus de voto.

DUBIUM II.

An diſſolvantur ſponſalia per quodlibet impedimentum dirimens ſuperveniens v. g. affinitatis aut cognationis ſpiritualis.

Poſt contracta ſponſalia ſi superveniat impedimentum dirimens, diſſolvuntur.

Reſp. affirmativè; & ratio eſt; quia non datur obligatio ad impoſſibile, aut ad illicitum.

Petes, an ille cujus culpâ impedimentum dirimens eſt contractum, non obligabitur petere diſpenſationem, ſi compars velit ſponſalia impleta.

Reſp. affirmativè; ratio eſt, quia fraus & dolus nemini debent patrocinari. 2. Quia ſponſa eo ipſo quo contraxit ſponſalia, non tantùm jus habet ad matrimonium, ſed inſuper jus habet ne injuſtè impediatur: & eapropter ſponſus qui injuſtè eam impedit, tenetur illud impedimentum auferre modo ſibi poſſibili, nempe per diſpenſationem Pontificiam.

Ex his infer, quod ſi Petrus poſt contracta ſponſalia cognovit ſororem ſponſæ, cum ſubortum ſit impedimentum dirimens affinitatis, ob quod jam non poteſt contrahere cum ſponſa: & illud ortum ſit ex culpa Petri, teneatur

Digitized by Google

tur Petrus diſpenſationem procurare, per quam impedimentum illud auferatur.

DUBIUM III.

An diſſolvantur ſponſalia priora per poſteriora.

Sponſalia non diſſolvuntur per alia ſubſeqẽtia ſponſalia.

RESp. negativè, intellige reſpectu contrahentis ejuſmodi ſponſalia ſecunda, nam reſpectu innocentis ſunt diſſoluta, vel ſaltem diſſolvi poſſunt, hoc ipſo quo compars ejus contrahit ſponſalia poſteriora, nam ipſo facto cenſetur renuntiaſſe prioribus: ratio eſt, quia injuria illata poſteriori non aufert jus conceſſum priori. 2. Quia ſecundà promiſſio eſt de re illicita, utpote de re jam alteri promiſſa.

Licet poſterioribus accederet juramentum.

Petes, an non diſſolvantur priora ſponſalia per poſteriora juramento firmata.

Reſp. negativè, eò quod juramentum de re illicita nec valeat nec obliget.

Aut copula cum ſecunda ſponſa.

Petes, an ſaltem non ſolvantur priora ſponſalia per poſteriora dum ſecuta eſt copula cum poſteriori ſponſa, plane ignara priorum ſponſalium.

Reſp. negativè, ratio eſt, quia injuria illata poſteriori non aufert jus prioris,

Petes, an ergo ejuſmodi ſponſus in illo caſu non obligabitur ducere ſecundam,

An in hoc caſu ſponſus non teneatur ſecundam ducere.

Reſp. affirmativè; non quidem vi promiſſionis, ſed ob damnum ſecundæ illatum, quod aliter reparari non poteſt, dummodo tamen prior nullum ſimile damnum in honore aut fama ſit paſſa; quæ proinde hoc rationabiliter debet velle cum ſit contra naturalem æquitatem cum damno alieno velle impletum priorem ſuum contractum, ſi ex illo non impleto nullum damnum patiatur; & eapropter judex in hoc caſu poterit ejuſmodi reum damnare ut ducat ſecundam.

Petes, quid ſi priora ſponſalia fuerint clandeſtina, poſteriora verò fuerint ſolemniter contracta coram Parocho & teſtibus, & cogatur ſponſus per judicem ad ſecunda ſponſalia, an licitè poterit illa inire.

Reſp. affirmativè, quia prior ſponſa eſt irrationabiliter invita præſertim cum ejus ſponſalia ſint occulta, nec ullum ex iis damnum patiatur: præterea ſicuti ejuſmodi ſponſus non tenetur ad aliàs reſtitutiones vel ſolutiones cum graviſſimo ſuo damno, ita neque ad hanc.

Inſuper ſi quis habens votum religionis aut caſtitatis, virginem aliquam defloret ſub promiſſione matrimonii, quæ illius votum ignorabat, tenebitur illam ducere non obſtante voto, eò quod

 Deus

Digitized by Google

Deus non velit impleri promiſſionem ſibi factam cum præjudicio tertii. Eodem modo prior ſponſa non cenſetur rationabiliter velle adimpletam promiſſionem ſibi factam cum tanto præjudicio ſponſi.

DUBIUM IV.

An diſſolvantur ſponſalia per mutuum conſenſum?

Sponſalia diſſolvi poſſunt per mutuum cōſenſum. Licet fuerint juramento firmata.

Reſp. affirmativè; quod patet ex cap. de Sponſal. & ratio eſt, quia res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, ſi ſit ſolubilis.

Petes, quid ſi ſponſalia illa fuerint juramento firmata, an poterunt mutuo conſenſu diſſolvi.

Reſp. affirmativè; quia juramentum illud cenſetur conditionatum, videlicet niſi alter promiſſionem relaxet; qui illam relaxare poteſt, quia cedere juri ſuo, quod verum eſt; eſto juramentum primariò cederet in honorem Dei & per modum voti, ut ſiquis intuitu pietatis juret pauperi filiæ ſe eam ducturum: ratio eſt, quia & illud juramentum cenſetur factum ſub conditione, ſi nimirum compars, in cujus favorem factum eſt, nolit renuntiare juri ſuo, aut remittere obligationem: remiſſio tamen hæc debet eſſe libera; proinde erit invalida, ſi metu injuſtè incuſſo extorqueatur.

Sponſalia impuberum non poſſunt ab illis diſſolvi quamdiu ſunt impuberes.

Hic tamen excipiuntur ſponſalia impuberum, quæ ante annos pubertatis mutuo conſenſu non diſſolvuntur, prout patet ex cap. *de illis* de Sponſal. impub. cujus ratio eſt, quod antequam pubertas adveniat, propter ætatis inconſtantiam, ſæpè contraherent, & à contractu reſilirent. Ideo jure ſtatutum eſt, ut non poſſint ante pubertatem reſilire.

Poſſunt reſilire, quando ad pubertatem pervenerant.

Dico 2. ſponſalia impuberum adeptâ ab utroque pubertate, poſſunt ſtatim mutuo conſenſu diſſolvi, ſicut poſſunt ſponſalia puberum, ſicut patet ex cap. *de illis*, de Sponſal. impub. quod ſi verò unus tantùm ſit factus puber, poteſt ille ſtatim reſilire, nec tenetur tempus pubertatis alterius exſpectare. Ut patet ex dicto cap. *de illis*, quod idcirco conceditur, quia illa quæ fiunt ab impubere quæ non fiunt cum perfectâ diſcretione & maturo judicio; quod ſi verò poſt adeptam pubertatem ſtatim non reclamet cenſetur contractum approbare, prout inſinuatur in dicto cap. *de illis*, illud autem dicitur ſtatim fieri, juxta modum loquendi juris, quod fit intra triduum.

Quod ſi verò pubes contraxerit ſponſalia cum impubere, pubes numquam poteſt reſilire,

quan-

Digitized by Google

quantumvis impubes poſſit, quia hoc puberi nullo modo conceditur, prout conceditur impuberi, & idcirco claudicat hic contractus in favorem impuberis.

Petes, quid ſi ſponſalia impuberum ſint jurata ſeu juramento confirmata, an liceat ab illis poſt pubertatem reſilire.

Sponſalia impuberum jurata an diſſolvi poſſint in pubertate.

Reſp. affirmativè; quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, quoad conditiones appoſitas: ſed ſponſalia impuberum jure poſitivo includunt hanc tacitam conditionem, niſi factus pubes reſiliat; ergo etiam juramentum illi annexum hanc includit. Hæc dicta ſunt, ſpectando ipſam naturam ſponſalium: nam ſpectando jus poſitivum, cui ſtandum eſt, dicendum eſt non poſſe nec licere impuberibus adeptâ pubertate à ſponſalibus juratis reſilire. Ratio eſt, quia ita expreſsè ſtatutum eſt, cap. *litteris*, de Sponſal. ubi habetur, illos impuberes, qui ſponſalia contraxerunt & juramento confirmarunt, cogendos eſſe ad contrahendum matrimonium. Et idcirco in hoc caſu, juramentum tamquam acceſſorium, non ſequitur ſuum principale quoad conditionem hanc, quia expreſsè talis conditio per jus excluditur.

Petes, apud quem debeat fieri reclamatio impuberis adeptâ pubertate ad diſſolvenda ſponſalia.

Reſp. in foro externo debere fieri apud Epiſcopum vel ejus Vicarium; in foro verò conſcientiæ ſufficit, ut impubes acquiſitâ pubertate, ſtatim reclamet aut diſſentiat.

Dices, ſi ſponſalia impuberum poſſint diſſolvi poſt pubertatem, erunt illa nullius momenti, nec ullum habebunt effectum.

Reſp. negando conſequentiam, quia imprimis toto tempore ante pubertatem obligant, & impediunt validè contrahi alia ſponſalia: ſecundò faciunt oriri impedimentum publicæ honeſtatis: tertiò poſt pubertatem non habent omnimodam libertatem, ſed ſtatim debent reſilire ſi velint: adeoque ſicut votum impuberis non eſt vanum, quamvis poſſit ad libitum à patre vel tutore irritari, ita neque vana ſunt ejuſmodi ſponſalia.

DUBIUM V.

An Sponſalia diſſolvantur per ingreſſum unius in religionem.

Sponſalia dirimuntur per ingreſſum unius in religionē.

Reſp. affirmativè; & ratio fundatur in jure naturali & divino: nam qui juramentum vel promiſſionem ſuam commutat

Digitized by Google

tat in melius, non eſt ipſius tranſgreſſor.

II. Sponſalia non obligant ultra intentionem promittentis, quæ cenſetur hanc tacitam habere conditionem annexam, niſi ſtatum meliorem elegero. Quæ tamen intelligenda veniunt, ſepoſitâ fraude & dolo: nam ſi fraude aut dolo aliquis ſit ingreſſus eo ſolo fine, ut à ſponſalibus liberetur, & non animo permanendi, tunc diſſolvuntur ſponſalia ſolum ex parte innocentis, in cujus libertate eſt alteri nubere; decipiens verò ſi monaſterio egrediatur, tenebitur ad ſponſalia, ſi innocens voluerit.

Etiam ante profeſſionem. Alioqui ſepoſitâ fraude & dolo ingreſſus in religionem diſſolvit ſponſalia ex parte utriuſque: nemo ſiquidem illorum, cenſetur habuiſſe intentionem ſeſe obligandi ſuperveniente rerum notabili mutatione, aut occurrente alio notabili eventu, qui judicio prudentis fuiſſet exceptus, ſi menti occurriſſet.

Petes, an qui juramento firmavit ſponſalia, adhuc poſſit ingredi religionem.

An poſt ſponſalia jurata licitum ſit tranſire ad Religionem. Reſp. affirma. eo quod juramentum tamquam acceſſorium ſequatur naturam principalis, quo ad conditiones appoſitas; & idcircò, ſicut promiſſio matrimonii cenſetur fieri cum hac tacita conditione, niſi ſtatum meliorem elegero: ita quoque cenſetur fieri juramentum.

Petes, quid ſi virtute ſponſalium extorta ſit copula, adeoque conſulendum ſit famæ feminæ & proli, ut illa legitimetur: item ſi copula non fuerit ſecuta, femina tamen ob familiaritatem, magnam patietur læſionem famæ ſuæ, an illis non obſtantibus quis poſſit ingredi religionem, & ita diſſolvere ſponſalia.

Reſp. Neg: ſed in illis caſibus obligari ad contrahendum matrimonium. Ratio eſt, quod obligatio naturalis juſtitiæ (quam contraxit, nam obligatur reſarcire damnum illatum quod aliter reſarcire non poteſt, niſi per matrimonium) præcedat ea quæ ſunt conſilii. Quod etiam verum eſt, eſto poſt copulam voviſſet religionem, & hoc juramento confirmaſſet, eo quod neque votum, neque juramentum ſint vincula iniquitatis.

DUBIUM VI.

An diſſolvantur ſponſalia per votum ſimplex caſtitatis, item Religionis vel Ordinis Sacri?

Sponſalia non diſſolvũtur per hoc quodvis. RESP. ſatis probabilis eſt ſententia quæ id affirmat; eò quod ejuſmodi ſponſalia ex juris diſpoſitione hanc tacitam conditionem

voveat caſtitatem. tionem cenſeantur habere annexam, niſi ſtatum meliorem elegero: negativa tamen non eſt minus probabilis, eo quod Deus non cenſeatur acceptare promiſſionem rei priùs alteri promiſſæ, idque in alterius præjudicium: neque ullo jure probari poſſit ſponſalibus illis hanc tacitam conditionem eſſe annexam, niſi ſtatum meliorem elegero, prout colligi poteſt ex cap. *Veniens*, ubi feminæ quæ alteri promiſerat matrimonium, imponitur pœnitentia ob violatam illi fidem: illa autem poſt ſponſalia emiſerat votum caſtitatis, ergo ſignum eſt quod illud votum caſtitatis ſuperveniens non diremerit ſponſalia.

Præterea in foro externo obligabitur is ad ſtandum ſponſalibus, aut ad ingrediendam religionem; ſed idem eſt judicium fori interni quod eſt externi, quando illud innititur veritati & non falſæ præſumptioni.

Diſſolvi tamen poſſunt ab altera parte ſi velit. Inſuper ex alia ſententia ſequeretur, quod, ſi quis homini diviti promiſiſſet centum florenos & ipſe acceptaviſſet promiſſionem; poſſet illos ſine injuria ipſius erogare pauperibus, quia hoc melius eſt; quod ſanè abſurdum eſt.

Petes, an ſaltem non ſit certum, quod diſſolvi poſſint ſponſalia per ſuperveniens votum caſtitatis, religionis, aut ſacrorum ordinum ex parte innocentis, ita ut ipſe maneat liber ad contrahendum cum alio.

Reſp. aff. quia compars illo voto cenſetur renuntiare juri ſuo.

DUBIUM VII.

An ſponſalia diſſolvantur per ſubſequentem fornicationem cum alio.

Reſp. aff: ratio eſt, quia promiſſio non obligat ultra promittentis intentionem. Intentio autem virtualis promittentis eſt, ſe in hoc caſu non velle obligare. *Sponſa reſilire poteſt à ſponſalibus, ſi ſponſus fornicetur.*

2. Quia quandocumque ſupervenit notabilis mutatio in aliqua re, quâ prævisâ, promiſſio non fuiſſet facta, illa non obligat, prout habetur cap. *Quemadmodum* de jurejurando.

3. Quia in ſponſalibus ſubintelligitur tacita illa conditio, promitto tibi matrimonium, niſi contra leges matrimonii egeris; ſed qui fornicatur agit contra leges matrimonii, ergo.

Petes, an fornicatio ſponſæ facta ante ſponſalia ſponſo hoc ignorante ſit cauſa ſufficiens illa diſſolvendi. *Sponſus reſilire poteſt ſi ſciverit ſponſam ante fuiſſe fornicatã.*

Reſp. aff. ſaltem ex parte ſponſi, non verò ex parte ſponſæ

Kkkkk 3 non

Digitized by Google

non quia fregit fidem, ſed quia per fornicationem ante habitam, eſt facta notabiliter vilior, quàm exiſtimabatur aut apparebat.

Petes, an ſimiliter fornicatio ſponſi præcedens ſponſalia, & ignorata à ſponſa, ſit cauſa ſufficiens, ut illa poſſit à ſponſalibus reſilire.

Non ita ſponſa ſi hoc neſciat de ſponſo.

Reſp. neg. & ratio diverſitatis eſt, quia fornicatio in fæmina, communi judicio habetur res infamis, & veluti ingens vitium in mercibus: in viro verò talis fornicatio non cenſetur adeo infamis, eſto coram Deo non ſit minus, quinimo majus peccatum mortale in viro, quam in femina.

Petes, an per ſupervenientem fornicationem diſſolvantur ſponſalia ex parte utriuſque.

Reſp. neg. ſed ſolùm ex parte innocentis, non verò nocentis, qui non debet commodum ex delicto ſuo portare, & conſequenter tenetur ſponſalia adimplere, ſi innocens velit.

Petes, quid ſi ambo poſt ſponſalia fuerint fornicati.

Reſp. tunc neutrum poſſe reſilire, quia delictum unius compenſatur delicto alterius.

Porro quæ dicta ſunt de fornicatione corporali, locum quoque habent de fornicatione ſpirituali. Et hinc, ſi unus ſponſus fiat hæreticus, ſponſalia poſſet diſſolvi, quia ſupervenit notabilis mutatio, quâ cognitâ, contrahens innocens judicio prudentum non judicatur habuiſſe voluntatem ſeſe obligandi.

DUBIUM VIII.

An diſſolvi poſſint ſponſalia ob aliquem notabilem defectum corporis ſupervenientem uni è ſponſis.

Diſſolvi poſſunt ſuperveniente notabili defectu corporis.

Reſp. aff. eſto quoque illa eſſent jurata; & ratio eſt ſupra data, quia promiſſio non obligat ultra intentionem promittentis, qui talem in hoc caſu non cenſetur habuiſſe. Præterea quando ſupervenit notabilis mutatio, quâ prævisâ non fuiſſet facta, illa non obligat, prout habetur cap. *Quemadmodum*, de jurejurando. Inſuper juramentum ſequitur naturam ſui principalis, quoad conditiones appoſitas.

Hinc infer, quod ſi morbus contagioſus & incurabilis superveniat alteri ſponſorum, ut puta, ſi fiat leproſus, paraliticus, inficiatur morbo gallico, amittat naſum, aut oculos, aut ſuperveniat aliqua notabilis fœditas aut deformitas corporalis, poſſunt ſponſalia diſſolvi ex parte perſonæ ſanæ: quod & à fortiori dicen-

Digitized by Google

cendum ob defectum in honore aut famâ ſupervenientem, ut ſi alter furti aut alterius criminis condemnetur. Nam gravior defectus in perſona eſt deformitas morum quàm corporis.

Dixi ſponſalia diſſolvi ex parte ſani ſponſi: nam ſi hic voluerit, contrahere tenebitur alter; modò tamen infirmitas judicio medici non ſit incurabilis. Non enim tunc cum tanto ſuo incommodo tenetur infirmus promiſſionem ſuam adimplere.

Petes, quid ſi ex parte unius ſuperveniat paupertas, an illa ſit ſufficiens cauſa, diſſolvendi ſponſalia.

Reſp. affirmativè, quia ſupervenit notabilis mutatio, quæ ſi fuiſſet præviſa, promiſſio non fuiſſet facta: idem dicendum, ſi ſponſa aut parentes ejus recuſent ſolvere dotem: ſiquidem ſponſalia cenſentur contracta ſub hâc conditione, quâ deficiente ſponſus, prudenti judicio non cenſetur voluiſſe ſe obligare. Quod ſi tamen uterque ſponſus inciderit in paupertatem poſt ſponſalia, illa non poterunt ſolvi niſi mutuo conſenſu, eò quod paupertas unius compenſetur paupertate alterius.

Item ob vitium notabile detectum. Ex dictis quoque infer ſponſalia poſſe diſſolvi, ob notabilem aſperitatem morum ſupervenientem, aut cognitam poſt ſponſalia, prout & ob graves inimicitias ortas inter ſponſos.

Præterea dum ex adimpletione ſponſalium, prudenter timetur malus exitus.

Petes, an credendum ſit in utroque foro, juranti ſe non contracturum fuiſſe ſponſalia, ſi à principio cognoviſſet illam novam cauſam.

Reſp. affirmativè; quia ea quæ in animo conſiſtunt, cum hominibus innoteſcere nequeant aut teſtibus probari non poſſint, juramento probantur, ut docet Covarruvias.

Petes, an ſint valida ſponſalia contracta cum ea, quam ſciebat ante eſſe corruptâm, leproſam, morbo Gallico infectam.

Reſp. affirmativè, quia ſcienter & volenter, & liberè ſeſe obligavit, & conſequenter ſponſalia ſunt valida.

DUBIUM IX.

An ſufficiant cauſæ antedictæ ad diſſolvenda ſponſalia quando illæ in contractu ſponſalitio fuerunt ignoratæ & poſtea apparent?

Reſp. affirmativè; quia paria ſunt in jure, aliquid ſupervenire & de novo apparere, ſeu

Qui ignorat notabilem defectũ in comparte tẽpore contractus, poteſt illo defecto ſponſalia reſcindere.

ſeu de novo cognoſci; prout habetur c. *Paſtorale*, de Except. item paria ſunt in jure, eſſe, & apparere, & proinde quando poſt ſponſalia vitium ignoratum apparet, dicetur illud tunc de novo eſſe; adeoque ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia, non minùs quam ſi poſt illa primum adveniret; ſiquidem ſponſalia non obligant in caſu quo notabilis mutatio rerum ſupervenit: & hinc fit, lepram, morbum gallicum &c. ſufficere ad diſſolvenda ſponſalia, quamvis morbi illi ante fuerint, ſed ab altero contrahente invincibiliter ignorati: ita quoque fornicatio ſponſæ ignorata, & poſtmodum cognita ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia.

Intelligenda tamen hæc omnia, quando ignorantia aut error ſimilium cauſarum, fuit cauſa ſponſalium, id eſt quando ſponſalia non fierent, ſi habita fuiſſet notitia ſimilium cauſarum. Unde ſi tempore celebrationis ſponſalium aliquis quidem vitium alterius corporale v. g. morbum gallicum, lepram aut deflorationem ignorabat, ita tamen erat animo affectus, quod licet vitium tale ſubeſſet, equidem voluiſſet contrahere, talis non poſſet à ſponſalibus reſilire: quia licet vitium illud ſit abſolutè ſufficiens cauſa ſolvendi ſponſalia quando ignorantia talis vitii eſt cauſa ſponſalium, tamen in præſenti caſu non poſſunt hæc cenſeri contracta contra ejus voluntatem; quippe cum hiſce non obſtantibus, illa equidem abſolutè ſupponatur velle contrahere.

Petes, quid ſi quis dubitet an tempore ſponſalium ita fuerit affectus, & interim vitium corporis in altero ſponſo ſit grave:

Reſp. Tunc præſumitur non habuiſſe voluntatem ſe obligandi: nam fortiſſima præſumptio deſumitur ex communiter accidentibus; homines verò communiter nolunt ſe obligare, interveniente notabili mutatione.

DUBIUM X.

An ſponſalia cum ſupradictis defectibus, & impedimentis inita, ſint ipſo facto irrita.

Reſp. non eſſe ipſo facto irrita, ſed tantùm irritabilia; prout ut ordinarié omnes contractus, quibus error dedit cauſam, dummodo non verſentur circa ſubſtantiam, ſed tantùm circa circumſtantiam actus, prout hic accidit: ſiquidem ſubſtantia contractus ſponſalitii eſt promiſſio facta à perſona habili ad matrimonium

monium & ad uſum illius, quod verò hæc habeat hos vel illos defectus eſt per accidens.

Sponſalia irritabilia ad arbitriũ unius, ſunt valida.

Petes, an ergo ejuſmodi ſponſalia inducant impedimentum publice honeſtatis.

Reſp. affirm. quia ſunt valida, eſto ob cauſam poſſint irritari.

Petes, quid ſi quis poſtquam cognovit defectus illos ſufficientes ad diſolvenda ſponſalia illa equidem, iratificet, poſſit nihilominus ab illis poſtmodum reſilire.

Reſp. neg. quia eoipſo cenſetur renuntiare juri ſuo, quod habebat ad reſiliendum: & eapropter ſicuti conjux in matrimonio, quæ jus habebat ſeparationis quoad thorum propter adulterium mariti, ſi poſtea cum illo copulam habeat, cenſetur eo ipſo renuntiare juri ſuo, quod habebat ad ſeparationem: ita quoque ſponſus vel ſponſa ratificans; contingit autem illa ratificatio tam verbis quam factis: & factis potiſſimum, dum, non obſtante tali defectu cognito, copulam habet cum ſponſa.

An laborans aliquo defectu occulto poſſit cogere partem ad matrimoniũ

Petes, an is qui laborat occulto vitio, ob quod alter habet jus reſiliendi à ſponſalibus, poſſit compartem ignaram talis defectus ad matrimonium compellere.

Reſp. affirm. dummodo ſponſalia fuerint valida, & defectus ille comparti non ſit injurioſus, neque damnoſus, ſed ſolum minus commodus & appetibilis, ut v.g. ſi pauper ſit, qui putabatur dives; ſi corrupta, quæ putabatur virgo; illa enim cum ejuſmodi defectibus licite poteſt contrahere, illos occultando, & compellere ſponſum ad adimplenda ſponſalia: ratio eſt, quia cum ſponſalia ſint valida, etiamſi illa patiatur tales defectus, habet nihilominus jus, ut alter adimpleat ſponſalia, quo jure ob talem defectum non privatur: neque enim tenetur parti volenti ſecum contrahere ejuſmodi defectus aperire, cum nemo ſemetipſum teneatur infamare: ſed ad compartem ſpectet de illis inquirere, ſibique proſpicere, quod niſi faciat, ſibi imputet quod decipiatur; & ex alio capite tales defectus non impediunt vitam ſocialem, generationem, aut honeſtam educationem prolis.

An liceat occultum defectum non manifeſtare alteri cũ quo contrahitur.

Quia tamen frequenter periculoſum eſt præſertim ſponſæ cum ejuſmodi vel ſimilibus defectibus contrahere (nam, illis cognitis, amor facillimè vertitur in odium & uxor peſſime à marito habetur) fieri poteſt ut teneatur hos defectus aperire, aut à matrimonio abſtinere quãdo crederet alias futurum ut gra-

 ves

Digitized by Google

ves rixæ, diſſenſiones, aliaque mala inde exorirentur.

Nullo tamen modo licitum eſt habenti ejuſmodi defectum, dicto vel facto oppoſitum fingendo compartem decipere & vanâ ſpe ad matrimonium allicere, quia tunc utitur fraude & mendacio pernicioſo; ut ſi ſe fingat valde divitem, nobilem, optimæ famæ &c. quia tunc doloſè alterum ad incommodas nuptias deducit: poterit tamen diſſimulare hos defectus & eos tegere in quantum neceſſe eſt ad conſervandam bonam famam aut honeſtum ſtatum juſtè acquiſitum, quia nemo tenetur famam ſuam aut ejuſmodi ſtatum prodigere.

Quod ſi tamen ejuſmodi defectus ſit comparti injurioſus, non eſt licitum cum horum defectuum ignaro contrahere: nam qui ſic contrahit, infert tertio damnum & injuriam, quod intrinſecè malum eſt: & eapropter tenetur hic vel à nuptiis abſtinere aut alteri defectum aperire; quippe cum tale matrimonium foret comparti pernicioſum.

Ejuſmodi autem defectus ſunt morbus gallicus, paralyſis, lepra, infamia ex genere vel delicto contracta, quæ familiam deturpare poſſint, & his ſimilia quæ vel generationem impediunt vel honeſtæ prolis educationi adverſantur, vel à vita ſociali avertunt; cum quibus proinde non poteſt quis licitè ſponſalia contrahere comparte ignarâ; vel ſi contraxerit, ante celebrationem debet ea detegere, ſibique imputare ſi ſe in eas anguſtias injecerit: ratio eſt quia nemo poteſt quærere proprium commodum cum damno & injuria alterius.

DUBIUM XI.

An diſſolvantur ſponſalia per lapſum termini præfixi ad ineundum Matrimonium.

PRo explicatione hujus dubii. Prænotandum terminum ſponſalibus poſſe apponi dupliciter. primò ad finiendam obligationem, ſecundò ad illam tantum ſollicitandum. Hoc ſuppoſito.

Dico 1. ſi terminus ſit apoſitus primo modo, ſcilicet ad finiendam obligationem, illo elapſo exſpirat obligatio; & hoc ideo quia promiſſio non obligat ultra intentionem promittentis, qui ſolum habuit intentionem obligandi ſe tempore præfixo: & eapropter lapſu temporis ſolvuntur ſponſalia ex parte ejus per quem non ſtetit quo minus matrimonium tempore ſtatuto celebraretur, non

Qui matrimonium promiſit inire intra certũ tempus, an ſit liber à promiſſione elapſo tẽpore.

non verò ex parte ejus per quem ſterit quo minus matrimonium celebraretur: neque enim æquum eſt ut dilator ex dilatione ſua commodum reportet ſi fuerit in culpa: quod ſi verò per utrumque ſteterit, tunc uterque cenſetur cedere ſponſalibus; ſecus verò ſi uterque fuerit legitimè impeditus. Quod ſi vero terminus ſecundo modo præfixus fuerit nempe ad obligationem ſolum ſollicitandam, tunc eo elapſo non exſpirat obligatio: ratio eſt, quia in hoc caſu tunc interveniunt duæ obligationes, una ſcilicet contrahendi abſolutè, altera verò contrahendi intra tale tempus: & eapropter ceſſante poſteriori non propterea ceſſat prior: prout manifeſtè patet in termino præfixo debito alicui ſolvendo, quo elapſo non propterea ceſſat obligatio ſolvendi.

Petes, unde poterit cognoſci quomodo in ſponſalibus terminus præfixus ſit primo an ſecundo modo.

Reſp. ſi ſponſalibus jam contractis tractetur poſtea de die ineundi matrimonii, cenſetur terminus tunc præfixus ad ſollicitandam obligationem; utpote adjectus contractui ſponſalitio antea perfectè inito: ſi vero terminus ille apponatur ipſo tempore quo celebrantur ſponſalia, cenſetur adjectus ad finiendam obligationem, eò quod contractus ille, cum non ſit abſolutè initus, cenſeatur hic iniri ſub tali conditione.

Petes, quid ſi nullus terminus ineundi matrimonium præfixus ſit, an poſſint ſponſalia diſſolvi per moram & dilationem alterius ſponſi.

Reſp. affirmativè; quando dilatio nempe tanta eſt ut prudenti judicio qui differt matrimonium cenſetur peccare mortaliter: tunc enim hoc axioma habet locum *frangenti ſidem fides frangatur eidem.*

DUBIUM XII.

An diſſolvantur ſponſalia etiam jurata per diſceſſum alterius in longinquam regionem ſine conſenſu alterius.

RESp. affirmat. quod probatur ex cap. *de illis* de Sponſ. cujus ratio eſt quod ſponſus eo ipſo cenſeatur renuntiaſſe ſponſalibus, quo, non monita ſponsâ ſe tranſfert in longinquam regionem: quod ſi tamen ob cauſam neceſſariam ſponſus diutiùs abeſſe cogatur, tunc ſponſa exſpectare debebit quo ad uſque impedimentum ejus ceſſet: prout habetur lege *ſæpe* de Sponſal. quæ conſtitutio cum maximè ſit

æqua, non videtur jure canonico correcta: niſi tamen per nimiam dilationem ſponſa incurreret periculum fornicationis, vel urgeat alia neceſſitas contrahendi matrimonium; nam tunc ſtatus rerum cenſetur notabiliter mutatus, quo poſito non cenſetur ſponſa ſe obligaſſe vel obligare voluiſſe.

Sponſalia an ſolvantur per abſentiam diuturnã alterius.

Petes, an hoc caſu non debeat ſervari jus civile præſcribens exſpectandam eſſe biennium ſi ſponſus abſens intra provinciam commoretur: per triennium verò ſi commoretur extra provinciam.

Reſp. has leges jure canonico videri correctas, aut ſaltem tantum obligare pro foro externo, non verò pro foro conſcientiæ.

Petes, quid ſi ſponſus migret in aliam terram & ibidem figat domicilium.

Reſp. hoc ipſo liberatur ſponſa à ſponſalibus: cujus ratio eſt quod ſponſus taliter migrans cenſeatur ſponſalibus renuntiaſſe

DUBIUM XIII.

An occurrentibus dictis cauſis ſufficientibus ad diſſolvenda ſponſalia, ad illorum diſſolutionem requiratur judicis authoritas.

Reſp. quando eſt moralis certitudo de ſufficientia cauſæ, tunc ex nàtura rei nulla requiritur judicis authoritas ad ſponſalium diſſolutionem: unde & per ſe propria authoritate tunc poſſunt diſſolvi: ratio eſt quia nullo jure poſitivo in hoc caſu præcipitur exſpectandam eſſe judicis ſententiam, tum quia ſponſalia habeat hanc tacitam conditionem annexam niſi aliqua ex antedictis cauſis accidat.

Dixi, *ex natura rei*, nam quandoque per accidens opus erit judicis authoritate ad ſponſalia diſſolvenda, eſto cauſa ſit moraliter certa: ut puta ſi ex diſſolutione privata ſequeretur magnum ſcandalum. Quo ſcandalo ſepoſito hæc propriâ authoritate ſolvi poterunt à ſponſo innocente.

1. Quando ſponſalia ſunt occulta & cauſa occulta; quia tunc nullum ſubeſt periculum ſcandadali & diſſolvens utitur jure ſuo habens juſtam cauſam diſſolvendi: idem quoque verum eſt quando ſponſalia ſunt publica, & cauſa diſſolvendi quoque publica.

Præterea quando ſponſalia ſunt publica & cauſa diſſolutionis eſt occulta, ita ut non poſſit probari in judicio: ut ſi ſponſa ſit occultè fornicata, modo tamen inde magnum ſcandalum non oriatur, ad quod vitandum tenetur ſponſus

ſponſus monere ſponſam (puta ſi ſecretò ſit fornicata) ut deſiſtat à ſponſalibus: quæ, ſi non velit, adeundi ſunt parentes ejus, aut Confeſſarius vel Parochus ut ipſam admoneant: quæ ſi adhuc perſiſtat, licebit tunc deferre ad tribunal judicis cujus authoritas requiritur in his & ſimilibus caſibus: ſuntque hæc ſervanda quotieſcumque ſunt diſſolvenda ſponſalia ex occulto vitio ex cujus manifeſtatione ſequitur infamia.

Dũ cauſa diſſolvendi eſt dubia, non poſſunt niſi ex conſenſu ſpõſalia diſſolvi.

Porro quandocumque dubitatur de ſufficientia cauſæ ad diſſolvenda ſponſalia, tunc requiritur authoritas judicis ad ea diſſolvenda: ratio eſt quia diſſolvens propria authoritate in hoc caſu exponeret ſe periculo committendi injuſtitiam contra alium ſponſum ſpoliando illum jure acquiſito & poſſeſſione.

Quin imo nec authoritate judicis ejuſmodi ſponſalia poterunt diſſolvi, ſi poſt præmiſſum debitum examen remaneat adhuc dubium negativum de ſufficientia cauſæ; quippe cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis.

Petes, quiſnam ſit judex competens ad diſſolvenda ſponſalia.

Reſp. eſt judex Eccleſiaſticus ordinarius vel delegatus, ſcilicet Epiſcopus aut alius ab eo delegatus: ratio eſt quia eſt materia ſpiritualis, ſpectans proinde ad judicem ſpiritualem: Parochus tamen de illis non poteſt cognoſcere quia nullam habet juriſdictionem in foro externo.

DUBIUM XIV.

Qualis probatio requiratur, ut judex Eccleſiaſticus diſſolvat ſponſalia?

Quot teſtes requirantur ad probandũ impedimentum matrimonii.

RESP. & dico primò, quando diſſolvuntur ſponſalia ob aliquod impedimentum dirimens vel impediens matrimonium cum quo adeoque eſſet peccatum illud inire, tunc ſufficit unus teſtis fide dignus, & juratus: ut patet ex cap. *Super eo* de teſt. & ratio eſt, quia agitur ibidem de peccato vitando, quod ſponſi contracturi committerent; quia tamen ſimul agitur de præjudicio tertii non creditur teſti niſi jurato, quique deponat ſeſe illud certo ſcire. Nec ſufficit, ſi dicat ſe illud audiviſſe, niſi ad probandam conſanguinitatem: tunc enim ſufficit, ſi deponat illud ſe audiiſſe à duobus fide dignis, & clare diſtinguat gradus conſanguinitatis, prout deducitur ex cap. *Licet ex quadam* de teſtibus.

Fama impedimenti ſufficit ad hoc ut.

Dico 2. ſola quoque fama impedimenti ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia. Probatur ex cap. *Super eo* de conſang. ad hoc tamen non

 ſufficit

judex diſſolvat ſponſalia.

ſufficit rumor, qui in hoc diſtinguitur à fama quod hæc ſit opinio majoris partis viciniæ, aut communitatis, in qua ad minus habentur decem perſonæ, rumor vero ſit opinio minoris partis.

Dico 3. ad diſſolvendum matrimonium jam contractum ſeu ad declarandum illud eſſe nullum & invalidum, requiruntur ad minus duo teſtes omni exceptione majores; probatur ex cap. *licet ex quadam*, de teſtibus. Ratio eſt, quia licet quoque ibidem agatur de peccato vitando, tamen quia inſuper eſt res ſummi præjudicii, & in ſe graviſſima, idcirco requiruntur duo.

Dico 4. ad diſſolvenda ſponſalia propter intervenientem aliquem defectum corporalem, vel alium ex aliis ſupra recenſitis, cum quo contrahere non eſt peccatum v. g. ob corruptionem ſponſæ &c. non ſufficit unus teſtis, quia hic non agitur de peccato vitando, ſed de gravi præjudicio tertii, quo caſu requiruntur duo teſtes omni exceptione majores, ut patet ex cap. *licet ex quadam*, de teſtibus.

DUBIUM XV.

An ſponſalibus poſſit imponi pœna perſolvenda ab illo qui fidem frangit?

Reſp. quia ſponſalia ſunt via ad matrimonium, ad quod omnia jura omnimodam libertatem requirunt, ideo ad illam retinendam ſtatutum eſt cap. *gemma* de ſponſalibus ut contractui ſponſalitio neque à ſponſis reſpectivè, neque ab horum parentibus aut conſanguineis, adjici poſſit pæna, ita ſcilicet, ut ſi ſponſi fidem non ſervent, ipſi obligabuntur pœnam perſolvere.

In ſponſaliis irrita eſt pœna quæ apponitur contra reſilientem.

Porro ratio motiva hujus legis eſt, quia talis pœnæ appoſitio repugnat libertati matrimonii: nam ſæpe fieri poſſet quod quis timore pœnæ à ſe vel à parentibus vel conſanguineis perſolvendæ contraheret matrimonium, & ita coactè illud iniret.

Petes, an ergo is qui mulctam illam recepiſſet tenebitur ad reſtitutionem.

Reſp. affirmativè; eò quod recipiens nullum jus habeat ad illam, quippe cum promiſſio invalida nullum jus pariat. Alii tamen putant illum non teneri ad reſtitutionem, donec juridice condemnetur, eò quod jus ſolum irritet promiſſionem ſolvendi pœnam,

Digitized by Google

pœnam, non tamen impediat dominii tranſlationem in recipientem.

Petes, an ergo parentes vel conſanguinei ſponſorum non poſſint apponere pœnam, quâ ſe obligent ad procurandum ut matrimonium celebrêtur.

Reſp. affirm. quia tunc pœna appoſita non cadit ſupra matrimonium, qualis ſolum irritatur à jure, ſed ſuper cura & diligentia parentum & conſanguineorum, quæ non irritatur à jure, quia nullam inducit neceſſitatem matrimonii: nam ſi parentes & conſangninei adhibeant omnem curam, quam poſſunt pro contrahendo matrimonio, & eâ non obſtante ſponſi non velint contrahere, liberi erunt à ſolutione pœnæ.

DUBIUM XVI.

An in contractu Sponſalium non ſit licitum apponere Arrhas amittendas per illum, qui fregerit fidem?

Quid Arrha.

NOmine arrhæ propriè loquendo hic intelligitur pignus, quod datur inter ſponſos in ſignum & firmitatem matrimonii contrahendi, ſicuti quoque illud quandoque datur in contractu venditionum & emptionum, quo poſito.

Dico primò licitum in contractu ſponſalium apponere arrhas, ut eas amittat qui fidem non ſervavit, prout patet ex Jure Civili *l. Arrhas l. finali*, de Sponſ. cur autem arrhæ potiùs ſint permiſſæ, quam pœnę in ſponſalibus duplex hæc ſolet aſſignari cauſa. *Licet in ſpõſalibus Arrhas apponere*

1. Quod arrhæ maturiori conſilio tradantur, pœna autem utpote de futuro ſolvenda, facile & incaute in magnâ quantitate poſſit promitti, eò quod quilibet ſit proclivior ordinariè ad verba de ore, quam pecuniam de crumenâ perſolvenda. *Cur potius quã aliam pœnam.*

2. Quod conditio arrhæ minus impediat libertatem matrimonii, quam appoſitio pœnæ. Arrha traditur in ſecuritatem matrimonii: pœna vero conſtringit ad matrimonium incundum; ac proinde arrha reſpicit actum favorabilem, pœna vero odioſum

Hæc tamen rationes non videntur omnimode ſufficere, & eapropter ultimata ratio diverſitatis petenda venit ex arbitrio legiſlatoris, qui in contractu ſponſalitio admiſit arrhas & non pœnam.

Petes, quænam ſit natura arrharum.

Reſp. ut tradens eas amittat, ſi ejus culpa matrimonium non habeat progreſſum; quod ſi vero habeat, reddantur tradenti; ſi quidem *Illas amittit qua eſt cauſa injuſta diſſolvendi ſponſalia.*

quidem arrhæ in contractu ſponſalitio, habent ſe ut pignora tradita in contractu venditionis, quæ amittit injuſtè à venditione reſiliens: venditione vero ſecuta recuperat.

Petes, quid ſi quis juſtam habeat cauſam reſiliendi à ſponſalibus, ut velit ingredi religionem, an amittat arrhas?

Non vero qui juſte reſilit

Reſp. neg. ut patet ex *l. finali* de Sponſ. & ratio clara eſt, quia ubi abeſt culpa, ibi debet abeſſe pœna.

Petes, quid ſi unus ſponſorum tantum tradit arrhas, & qui illas accepit, reſiliat à contractu, ad quid hic tenebitur.

Reſp. ad reſtitutionem dupli, nimirum ad arrhas quas ab alio accepit, & ad tantumdem de ſuo: nam ſi ſolum teneretur reſtituere arrhas acceptas, tunc nullam pateretur pœnam, nec ſervaretur æqualitas.

Quoad praxim notent Paſtores, ſe nullatenus poſſe permittere, ut pœnæ ſponſalibus adjiciantur; prout quoque debent curare, ut ſponſalia ſemper contrahantur abſolutè non vero conditionatè.

Dices, Eccleſia poteſt ſub cenſuris cogere illum qui contraxit ſponſalia, ut illa adimpleat, ſed illa coactio tam repugnat libertati matrimonii, quam appoſitio pœnæ.

Reſp. antecedens eſſe verum, niſi ille perfectiorem ſtatum meditetur; plerumque tamen non expedit cogere, prout ex cap. *requiſivit*, de Sponſal. ubi Lucius Pontifex dicit illum qui juravit contrahere cum aliquâ potiùs deberé moneri quam compelli; eò quod matrimonia coacta ſoleant per ſeſe ſortiri infelices exitus.

Injuſte reſiliens à ſponſalibus non eſt abſolvendus.

Notet tamen prudens confeſſarius quod injuſtè reſilienti à ſponſalibus debeat denegari abſolutio, eò quod contractus ſponſalitius obliget ſub mortali ad ſui adimpletionem, non tamen ad ſolutionem pœnæ illi annexæ.

DUBIUM XVII.

An in contrahendis ſponſalibus filii & filiæ debeant exquirere Conſilium parentum.

Illicitum eſt filiis contrahere ſponſalia inconſultis parentibus.

Reſp. & dico primò, filii & filiæ inconſultis & inſciis parentibus, contrahentes ſponſalia peccant mortaliter contra pietatem & reverentiam parentibus debitam, eò quod parentum cura hactenus pro prolibus habitâ, prout & illorum poteſtas poſtulent ut ſine eorum conſilio in re tanti momenti, à qua pendet totum vitæ inſtitutum nihil ipſis

Digitized by Google

ipſis inconſultis ſtatuant. Et eapropter jure optimo, ſi filii aliter faciant, parentes graviſſimè offenduntur. Et hinc, ut teſtatur experientia apud omnes gentes, filii taliter contrahentes non audent vultum parentum intueri, & quærunt interceſſores, qui ipſos parentibus reconcilient tamquam juſtè iratis.

Non tenentur ſemper filii ſequi conſilium aut voluntatem parentum in contrahendo matrimonio.

Dico 2. non tamen obligantur filii ſemper ad conſilium parentum ſequendum, eo quod in contrahendo matrimonio ſui juris ac libertatis exiſtant; cum enim matrimonium ſit quædam perpetua ſervitus, recta ratio poſtulat, ut homo, natura ſua liber, in eo contrahendo à nullius voluntate dependeat: & eapropter conditio adjecta legato, ſi filius de conſenſu parentis uxorem ducat, rejicitur tamquam matrimonii libertatem impediens; ſecus vero ſi ſic apponatur, ſi filius de conſilio parentum uxorem ducat; ergo ſignum eſt filium non teneri ſequi conſilium parentum.

Eapropter ſi parentes filium aut filiam ab omni matrimonio impedire conentur, non tenentur parentibus obedire cum periculo incontinentiæ; *cum melius ſit nubere quam uri*; ad Corinth. 5. prout neque ſi eos ad certas nuptias, à quibus abhorrent impellere conentur. Quod ſi vero eos impedire velint à certo aliquo matrimonio, ad quod filiorum voluntas propendet, tunc ponderandæ veniunt rationes, quibus diſſenſus parentum innititur, & cum contrariis conferendæ.

Petes, ad quid filii ſemper obligantur petere conſilium parentum in eligendo ſtatu matrimoniali, quandoquidem non ſemper obligentur ſequi. i

Reſp. id equidem rationabiliter fieri, quia poterunt parentes nonumquam aliqua aperire, ob quæ licitum erit filio reſilire, & mutare voluntatem, antequam ſeſe in perpetuam illam ſervitutem conjiciat.

Petes, an filius non teneatur ſtare ſponſalibus per ſe loquendo, quæ inivit inconſultis parentibus.

Sponſalia inita inconſultis parentibus ſunt valida, & implenda.

Reſp. affirm. eſto quoque filia eſſet imparis conditionis: imo parentes impedientes eum ſine cauſa, peccant mortaliter, utpote impedientes promittentem ab obligatione adimplendi id ad quod tenetur ſub mortali; eò quod illa ſponſalia, licet illicita, tamen ſint valida; ſicuti prodiga donatio, eſto de ſe illicita, parit tamen obligationem, ſi verſetur circa materiam licitam. Quod ſi tamen parentes juſtam habeant cauſam diſſolvendi

Mmmmm ſpon-

Digitized by Google

ſponſalia, ut quia gravia ſuborirentur ſcandala, familiæ dedecus, diſcordiæ, &c. ita ut prudenter timeatur matrimonium futurum charitati & pietati repugnans, tunc filii tenentur ſub mortali ſequi conſilium parentum, & ſi ſponſalia ſint inita, illa diſſolvere; ad quod parentes quoque poterunt implorare authoritatem judicis ad cujus officium ſpectat cavere ne talia matrimonia ineantur, ex quibus ſcandala & infelices exitus ſequi ſolent.

Petes, quotuplices effectus cauſent ſponſalia.

Reſp. duos nempè obligationem ad ineundem matrimonium & impedimentum publicæ honeſtatis.

QUÆSTIO III.
De natura & eſſentia Matrimonii.

DUBIUM I.
Quid Matrimonium.

Quod attinet ad originem nominis *matrimonium* derivatur à *Matre* ſic dictum quaſi *matris munium*; quia ſcilicet mulier nubit ut efficiatur mater: appellatur alio nomine *conjugium* ab effectu, quia duos conjungit indiſſolubiliter, ut efficiantur una caro, & idem jugum ferant.

Matrimonium prout ſubit officium naturæ tria complectitur.

Spectatur autem matrimonium ſub duplici ratione, primo quatenus ſubit officium naturæ, ſecundo quatenus eſt Sacramentum.

Contractum.

Porro in matrimonio ſumpto priori modo ſpectari poſſunt hæc tria, I. Contractus ſeu actio tranſiens, conſiſtens in mutuo conſenſu ſignis externis expreſſo quo vir & mulier ſeſe obligant ad vitæ ſocietatem in ordine ad prolis procreationem 2. Mutuum jus in mutua corpora: prout & reciproca obligatio ex mutuo illo jure exurgens; ſi quidem maritus obligatur uxori, & uxor viciſſim obligatur marito; inſuper maritus habet jus in corpus uxoris & uxor in corpus viri in ordine ad generationem. Hujus mutuæ obligationis, prout & mutui juris meminit Apoſtolus 1. Corin. 7. *mulier ſui corporis poteſtatem non habet ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet ſed mulier.* 3 Conjunctio ſeu vinculum conſiſtens in quadam unione, quâ duo conjuges indiſſolubiliter inter ſe uniuntur, ex duobus facti unum principium in ordine ad prolis generationem. Hoc verò vinculum aliqui relationem rationis dicunt, quod

Mutuum jus in corpora contrahentium.

Et vinculum indiſſolubile.

potiùs

potiùs eſt aliquid morale, ſicut jura & obligationes, quæ ex contractibus oriuntur; fundatur enim in mutuo jure, & mutua obligatione.

Petes, in quo horum trium conſiſtat formaliter matrimonium.

In quo illorum formaliter conſiſtat matrimoniū. Reſp. illud poſſe accipi dupliciter modo; primò ſcilicet pro ſtatu aliquo promanente; ſecundò pro contractu ex quo ejuſmodi ſtatus reſultat: ita enim quando Trident. ſeſſ. 24. can. 1. matrimonium appellat Sacramentum, ſumitur illud pro contractu: quando verò in Florent. dicitur conſenſus eſſe cauſa efficiens matrimonii, tunc ſumitur pro ſtatu permanente; & ſic ſumptum formaliter conſiſtit in unione ſeu vinculo, quo conjuges inter ſe colligantur, orto ex mutuo dominio corporum tranſlato; unde à Theologis matrimonium hoc modo ſumptum ſic definitur, *eſt maritalis conjunctio viri & fœminæ inter legitimas perſonas, individuam vitæ ſocietatem retinens*: dicitur maritalis ut deſignetur ſpecialis ratio hujus vinculi, eo tendens, ut vir ſit maritus, & mulier ſit uxor, quâ ratio ratione hæc unio diſtinguitur à vinculo mercaturæ, religionis, fraterno, filiali.

Quid matrimonium.

Dicitur, *individuam vitæ Societatem retinens*, ut diſtinguatur hic contractus ab omnibus aliis, nempe quod alii mutuo conſenſu poſſint diſſolvi, hic naturâ ſuâ ſit inſolubilis: cum enim finis matrimonii ſit propagatio humani generis, dictat ipſa naturalis ratio, ut conjuges aliquo inter ſe vinculo colligentur, idque ut proles poſſit rectè educari, ad quod utriuſque parentis cura & labor mutuus eſt neceſſarius.

Petes, quare matrimonium prout ordinariè ſumitur non poteſt dici conſiſtere in externo contractu.

Reſp. quia contractus iſte eſt actio tranſiens, quæ eſt cauſa efficiens matrimonii, prout ordinariè ſumitur; matrimonium enim uſque ad mortem alterius conjugum inter illos perdurat.

Petes, an inter Beatiſſimam Virginem & S. Joſephum non interceſſerit matrimonium legitimum. *Inter B. Virginem & S. Ioſeph verum fuit matrimonium.*

Reſp. affirmativè; prout patet Matth. 1. *Joſeph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* etenim verba Scripturæ Sacræ ſunt propriè accipienda, niſi quid obſtet.

Dices, obſtat votum perpetuæ caſtitatis, quod Beatiſſima Virgo habuit; quandoquidem in omni matrimonio requiratur conſenſus in copulam carnalem, eo ipſo quo traditur, & acceptatur

Mmmmm 2

ptatur mutuum corpus in ordine ad prolis generationem.

Non obſtante voto ſervandæ virginitatis.

Reſp. & dico primò, votum illud non obſtitiſſe, eò quod Virgo Deipara certa fuit ex revelatione, matrimonium illud ſuum numquam conſummatum iri, nec ſponſum ab ea unquam exacturum debitum. Præterea dico in omni matrimonio intervenire aliquem reſpectum, ſed remotum ad copulam, quatenus nempe transfertur mutuum corpus in ordine ad prolis procreationem; non tamen propterea debere intervenire conſenſum in copulam, eò quod matrimonium poſſit eſſentialiter conſiſtere, ſine uſu mutui corporis, prout manifeſtè patet in omni matrimonio rato non conſummato. Pro quorum majori elucidatione.

In contractu matrimoniali non neceſſario intervenit cõſenſus in copulam.

Notandum quod, quia in rebus quæ uſu non conſumuntur diſtinguitur dominium ab uſu, in contractu matrimonii tradi poſſit dominium corporis ſine uſu; quamvis enim conjuges per contractum matrimonialem accipiant jus in mutua corpora, poſſunt tamen renuntiare uſui illius juris, & communi conſenſu caſtitatem vovere; quin imo ab initio contractum matrimonialem inire ſub conditione ſervandæ caſtitatis: eò quod verum rei alicujus dominium poſſit ſubſiſtere cum obligatione re illâ numquam utendi: ex quo ſequitur ad eſſentiam matrimonii nullatenus requiri conſenſum in copulam.

DUBIUM II.

Quo jure Matrimonium ſit indiſſolubile.

Matrimonium jure naturali eſt indiſſolubile.

RESp. jure divino & naturali, & primò quidem quod ſit indiſſolubile jure naturæ patet, quia finis matrimonii eſt prolis propagatio & illius recta educatio, ad quæ per ſe loquendo, requiritur cura utriuſque parentis, ac proinde vinculum matrimoniale, quo inter ſe perpetuò illi colligentur, ſine quo proles convenienter naturæ ſuæ nequeunt rectè educari: videmus enim lumine naturæ, quod poſitâ indiſſollubilitate inter conjuges, magis foveatur mutuus amor, prout & major ſollicitudo in procurandis neceſſitatibus prolium.

Et etiam jure divino.

Quod matrimonium quoque ſit jure divino indiſſolubile papatet Gen. 2. ubi dicitur, *quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Et 1. Corint. 7. *His qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro ſuo non diſcedere: quod ſi diſceſſerit manere innuptam.*

Petes,

Digitized by Google

Petes, quandonam matrimonium prout ſubit officium naturæ ſit inſtitutum.

Reſp. illud ut tale eſſe independens ab omni inſtitutione, etiam divina poſitiva; adeoque illud eſſe juris naturæ. Probatur nam ſicuti homini in rerum natura conſtituto competit jure naturæ facultas per cibum & potum conſervandi ſuum individuum, ita quoque illi competit jure naturæ facultas per matrimonium, tamquam per medium neceſſarium, conſervandi ſpeciem humanam.

Fornicatio eſt juri naturæ contraria.

Ex quo diſcurſu patet fornicationem eſſe contra jus naturæ, non minus ac ſodomiam, ac pollutionem; ſicuti enim auctor naturæ inſtituit omnia neceſſaria ad prolem concipiendam & pariendam, ſcilicet vim generandi, & organa proportionata, ita quoque inſtituit medium neceſſarium ad prolem rectè educandam, nempe matrimonium; & eapropter, ſicuti perverſio mediorum prioris ordinis, quæ fit per ſodomiam, & pollutionem, continet gravem deformitatem jure naturæ prohibitam, ita quoque perverſio medii ſecundi ordinis quæ fit per fornicationem, continet magnam deformitatem jure naturæ prohibitam. Nec refert quod incommodo educationis prolis aliâ viâ poſſet occurri, ut v. g. ſi aſſignaretur proli annius certus redditus ad illam commodè alendam: quia in paucioribus hoc habet locum, nempe in divitibus, & ita ſequeretur, quod ſolis diutibus, non autem pauperibus, licita eſſet fornicatio: tum etiam, quia hoc accidens non tollit inordinationem, quam actus habet ex ſe, quatenus in eo prætermittitur ea conditio perſonarum quam ipſa natura inſtituit ad prolis ſuſcipiendæ perfectionem.

Dices, ſi matrimonium ſit juris naturæ ergo illicitum erit vovere caſtitatem.

Reſp. negando conſequentiam; neque enim illicitum eſt ſemper agere contra inclinationem naturæ, niſi cum ratio dictat illam eſſe ſequendam.

DUBIUM III.

An Matrimonium cadat ſub præcepto.

Initio generis humani matrimoniū ſingulis erat in præcepto.

Dico primò in exordio generis humani obligabantur omnes homines jure naturæ ad matrimonium. Ratio eſt quia ſicuti lege naturæ quilibet tenetur ſumptione ciborum conſervare ſuum individuum, ita quo-

Digitized by Google

que per prolis procreationem, quilibet tunc tenebatur conſervare ſpeciem humanam: neque enim Deus poſtquam hominem creavit, voluit eum ſtatim interire, ſed cum reliquis mundi partibus permanere, quod cum ſervari non poſſet in uno individuo, voluit humanum genus propagari; quod, cum ſine matrimoniali vinculo fieri non poſſet, conſequenter ipſi, tamquam divinæ providentiæ adminiſtri, fuerunt obligati ad ineundum matrimonium.

Non ita multiplicato ſufficienter genere humano.

Dico 2. hominibus ſufficienter multiplicatis certum eſt quod non incumbat ſingulis obligatio ineundi matrimonii: conſtat ſiquidem in Eccleſia plurimis id eſſe prohibitum; imo omnibus, qui poſſunt capere verbum hoc, in Sacra Scriptura ſuaderi caſtitatem; eapropter Apoſtol. 1. ad Corinth. 7. non nuptis & viduis conſilium dat ut ſic permaneant.

Obturent hic proinde ſpurcum os ſuum hæretici Epicurei, inter quos anteſignanus Lutherus lib. de vita conjugali, & in Epiſt. ad Wolphangum, non verecundatur aſſerere, quod pudicæ aures horrent audire, non plus poſſe virum vivere ſine uxore, quam ſine cibo & potu. Ex quâ ejus abſurditate ſequitur neminem ſine matrmonio vivere poſſe, aut velle ne Deum videatur velle tentare, ac proinde licere maritis, dum eorum uxores longo tempore ægrotant aliàs uxores ducere vel fornicari. Quod abſurdum Calvin. Genevenſes, in quodam ſuo conciliabulo ſtatuerunt, licere nimirum uxori, ſi maritus aliquamdiu abſit, alteri nubere. aliud profecto docuit Chriſtus, dum ait eſſe eunuchos, qui pœnitentiis & mortificationibus ſemetipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.

Petes, an præceptum naturale contrahendi matrimonium multiplicatis hominibus, modo abſolutè ceſſet, aut exſtinctum ſit.

Reſp. negativè; ſed ſolum deſiiſſe obligare, ceſſante neceſſitate, eo modo quo ceſſat præceptum eleëmoſynæ ceſſante neceſſitate.

Pro cujus majori explicatione notandum præceptum naturale in re ipſa ſpectatum eſſe quoddam dictamen objectivum de eò quod neceſſariò faciendum vel omittendum eſt à naturâ raitonali; quod, antequam obliget præquirit quandoque aliquas conditiones, quibus, vel aliquâ eorum deficientibus, non obligat, non propter ſui mutationem ſed propter ſublatam aliquã circumſtantiam; adeoque propter mutatam

Digitized by Google

tatam materiam, prout in præſenti caſu ſublatâ neceſſitate hoc præceptum naturale de ineundo matrimonio non obligat.

Dices eſt lege divinâ poſitivâ præceptum ut omnes ineant matrimonium.

Reſp. ſic loqui libidinoſos hæreticos propter verba illa Geneſis 1. *creſcite & multiplicamini*, quæ tamen nullatenus poſſunt ſignificare præceptum, eo quod non ſit in poteſtate hominum creſcere, fœcundari & multiplicari: & eapropter verbis illis deſignatur ſolum benedictio, quâ confertur fœcunditas ad generandum: unde ait ſcriprura, *Benedixitque eis dicens, creſcite & multiplicamini*. Quod ſi tamen quidam SS. Patres, ut S. Cyprianus l. de diſcipl. & habitu virginum, & S. Hieronimus contra Heluid. videantur illis verbis indicare præceptum, illi intelligi debent de præcepto naturæ. An autem ſi omnes morerentur, præterquam ſacerdotes & religioſi hi omnes tenerentur matrimonium contrahere, quæſtio hæc plus habet curioſitatis quam utilitatis: & licet factâ ſuppoſitione aliqui affirment, melius tamen alii negant, eo quod conſtet de obligatione voti, non ita verò de obligatione præcepti naturalis in talibus circumſtantiis; certa autem obligatio præexiſtens non ſufficienter eliditur per incertam ſupervenientem. Nec refert quod genere humano in initio necdum ſatis propagato erat obligatio hominibus nubendi, quia ſatis tunc hominibus de illa conſtabat, quod ſinguli deberent eſſe inſtrumenta divinæ providentiæ ad propagationem generis humani: mundo autem jam ſufficienter multiplicato, ſi nulli homines in eo exſtarent, præter voto caſtitatis obſtrictos, præſumendum foret, Deum nolle genus humanum amplius propagari, ſed mundo finem velle imponere.

An ſi omnes præter ſacerdotes & religioſos morerentur, hi tenerentur inire matrimonium.

DUBIUM IV.

An uſus Matrimonii ſit licitus,

NOn tantum conjugalem conjugalem copulam, ſed etiam quamlibet commixtionem carnalem viri & feminæ, eſto extra matrimonium, tamquam licitam admittunt noſtri temporis Anabaptiſtæ, permittentes non ſolum fornicationem, ſed & omnem vagum concubitum, prout & illum antiquitùs admiſerunt hæretici dicti Nicolaitæ.

Contra quos fide certum eſt fornicationem omnemque carnalem commixtionem extra matrimonium, eſſe jure divino naturali prohibitam, juxta illud Apoſt.

Apoſt. 1. Corinth. 7. *Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt.*

Licita eſt carnalis copula inter cōjuges.

His præmiſſis ad q: reſp. affir: probatur I. 1. ad Cor. 7. ubi ait Apoſt. *ſi nupſerit virgo, non peccavit* & 1. ad Tim. 5. *Volo juniores nubere, filios procreare* quæ procreatio, cum fieri nequat ſine carnali commixtione, ſequitur actum matrimonialem eſſe licitum. Præterea 1. Corinth. 7. præcipit Apoſt. *uxori vir debitum reddat.* Nihil autem præcipitur, niſi quod licitum eſt, ergo. Præterea Chriſtus ſuâ præſentiâ & miraculo nuptias honoravit. Inſuper niſi uſus matrimonii eſſet licitus, neceſſe eſſet mundum interire, cum ſine ejus uſu nequeat conſervari.

Dices, actus matrimonii eſt ejuſdem ſpeciei cum actu fornicationis, ſed hic eſt malus, ergo & alter.

Reſp. eſſe quidem ejuſdem ſpeciei phyſicæ, ſed diverſæ ſpeciei moralis: unde non eſt mirum, quod unus poſſit eſſe bonus & alter malus.

Dices, matrimonium teſte Apoſt. 1. ad Corinth. 7. conceditur ſecundum indulgentiam, ſive veniam, quæ locum non habet ubi non eſt peccatum juxta illud S. Auguſtini lib. de peccat. orig. c. 38. „evidenter denotat „culpam, dum tribuit veniam.

Reſp. Apoſtolum ibi agere de actu matrimoniali, qui fit neque causâ prolis, neque ad reddendum debitum, ſed cauſa delectationis, qui ſaltem venialiter malus eſt.

Dices 1. Apoſt. ad Rom. 8. ait, *Qui in carne vivunt Deo placere non poſſunt*, ſed conjugati vivunt in carne, ergo.

Reſp. neg. ſubſumptum ad mentem Apoſtoli, ſed illi vivunt in carne, qui ſequuntur & obſequuntur inordinatis carnis motibus, adeoque ſcriptura hæc recte applicatur ſacrilegis hæreticorum matrimoniis.

Dices, ſaltem actus iſte ſemper habet adjunctam concupiſcentiam, in eo quod non fiat ſine motu ſenſualitatis; ſed concupiſcentia eſt ſemper peccatum; ergo & actus.

Reſp. negan. ſubſumptum; quippe quia in renatis non habet turpitudinem culpæ ſed pœnæ ex peccato originali promanantis, eò quod appetitus inferior, & membra genitalia, rationi non obediant.

Petes an actus matrimonialis poſſit eſſe non tantum licitus, ſed etiam meritorius.

Actus matrimonialis pot eſt eſſe meritorius.

Reſp. aff. ſi fiat ab eo qui eſt in gratia, ex amore juſtitiæ ut debitum reddat: vel religionis, ad ſuſcitandam nempe prolem, quæ in

in cultu Dei educetur; unde S. Auguſt. lib. 4. contra Julian. c. 3. ſic ait „ ut pudicitia conjugalis ſit bonum beatificum, id eſt meritorium, requiritur, ut dum quis utitur conjugis carne, ejus intentio ſit, non in voluptate libidinis, ſed in voluntate propagationis. Huc facit, quod omnis actus hominis juſti ſit meritorius, ſi per charitatem referatur in Deum: nec refert actum illum matrimonialem fieri poſſe ſolis naturæ viribus, quia voluntas quâ is refertur ad Deum, ſine ſpeciali dono gratiæ haberi non poteſt.

Dices ratio meriti conſiſtit in difficultate actus, ſed in actu matrimoniali non eſt difficultas, ſed potius delectatio, ergo actus ille non poteſt eſſe meritorius.

Reſp. neg. aſſumptum, nam quantum ad præmium eſſentiale, radix merendi conſiſtit in ipſa charitate; quantum tamen attinet ad præmium aliquod accidentale poterit hæc conſiſtere in difficultate actus, ſub qua ratione admittimus, ejuſmodi actum non eſſe meritorium.

DUBIUM V.

An Matrimonium ſit Sacramentum.

RESP. aff. contra noſtri temporis hæreticos, qui putant illud ſolum eſſe contractum politicum. Eſtque de fide definitum in Floren. decret: de ſacram. item Trident: ſeſſ. 24. can. 1.

Dices hoc probari non poſſe ex ſcriptura,

Reſp. concedendo aſſump. Et addo, nos plura obligari credere fide divinâ, quæ in ſcriptura non habentur, inter quæ eſt fundamentum omnium, nimirum quæ ſit vera ſcriptura & quæ vera illius interpretatio, quæ ex ſolâ traditione Eccleſiæ habemus, *quæ eſt columna & firmamentum veritatis.*

Porro quamvis efficaciter ex Scriptura probari non poſſit, ſuaderi tamen poteſt, nam Apoſtolus ad Epheſ. 5. de matrimonio ait, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*, pro cujus explicatione. *Significat conjunctionẽ Chriſti cum Eccleſia.*

Notandum quod Apoſtolus in illo capite conjuges hortetur ad mutuum amorem, & inter alia argumenta adducit potiſſimum hoc, quod eorum conjugium non ſit res levis aut parvi momenti, ſed magnum myſterium includat, quatenus nempe eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, eſt autem duplex conjunctio Chriſti cum Eccleſia, una per naturæ conformitatem, quæ facta eſt in incarnatione, altera per gratiam & cha- *Qua duplex eſt.*

Nnnnn

Quæ duplex eſt. charitatem: utramque hanc conjunctionem Chriſti cum Eccleſia repreſentat matrimonium Chriſtianorum, in tali enim matrimonio eſt duplex unio, una ſcilicet naturalis civilis orta ex contractu, quæ eſt communis quoque cum gentilibus, altera vero ſpiritualis quæ oritur ex gratia Sacramentali, de qua ultima potiſſimum loquitur Apoſt. loco citato.

Probatur 1. ex Apoſtol. 1. ad Corinth. 7. ubi in certo caſu permittit diſſolutionem matrimonii fidelis cum infideli: fidelibus autem ita loquitur, *iis qui matrimonio conjuncti ſunt præcipio non ego ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere* (ſcilicet ſine juſta cauſa) *quod ſi diſceſſerit manere innuptam aut viro ſuo reconciliari.* Hujus autem diſcriminis alia non eſt ratio, niſi quod matrimonium fidelium ratione Sacramenti, majorem ex Chriſti inſtitutione firmitatem obtinet.

Probatur ex S. Auguſtino lib. de bono conjugii cap. 18. „ in „ noſtrarum quippe nuptiis, inquit, „ plus valet ſanctitas Sa„ cramenti quam fœcunditas „ uteri; „ ſimiliter lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 10. Matrimonium vocat Sacramentum: quod verò loquatur de Sacramento propriè dicto inde patet, quod hoc ſolum afferat de matrimonio fidelium, cum alioqui matrimonia infidelium ſint Sacramenta latè dicta.

3. Probatur à definitione Sacramenti, quia eſt ſignum rei Sacræ quam debitè contrahentibus confert; ſiquidem præter conjunctionem Chriſti cum Eccleſia quam ſignificat & non efficit, ſignificat quoque & efficit, amicabilem conjunctionem conjugum inter ſe, conferendo gratiam qua ſe invicem diligant, fidem ſervent, & concorditer vivant. Eapropter matrimonium quatenus eſt Sacramentum confert quatuor bona gratiæ, quæ conjugibus ſunt neceſſaria. 1. Fidem id eſt fidelitatem. 2. Dilectionem. 3. Sanctificationem. 4 Sobrietatem juxta illud 1. ad Timoth. 2. *ſalvabitur per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, dilectione & ſanctificatione.* Quaſi diceret, mulier in ſtatu matrimonii ſalva fiet ſi permanſerit in donis, quæ in celebratione matrimonii accepit. *Quæ bona ſpiritualia cauſet Sacramentum matrimonii.*

Dices, Eccleſia nequit mutare eſſentialia Sacramentorum, ſed mutat eſſentialia matrimonii, quia conſenſum ante legitimum facit illegitimum, ergo matrimonium non eſt ſacramentum. *Eccleſia non poteſt mutare eſſentiam Sacramenti matrimonii.*

Reſp. neg. conſeq. eſto enim conſenſum antea legitimum faciat

Digitized by Google

ciat illegitimum, nequit tamen efficere, ut conſenſus legitimus perſonarum legitimarum, qui eſt materia & forma hujus ſacramenti, non ſit ſufficiens materia & forma; quia tamen matrimonium habet rationem contractus, qui ſolet ſubeſſe publicæ poteſtati, mirum non eſt, ſi ſuo decreto poſſit efficere, quod conſenſus ante legitimus, poſtmodum ſit illegitimus. Simile quid videmus in ſacramento pœnitentiæ, ad quod cum in miniſtro requiratur juriſdictio, quæ pendet à poteſtate Eccleſiæ, poteſt illa efficere, ut ille miniſter, qui ante poterat validè, poſtea abſolvat invalidè, quia ipſi per Eccleſiæ poteſtatem ſubtrahitur juriſdictio.

Dices, in matrimonio contrahendo, licitè initur pactum de dote dandâ; quod eſſet ſimonia, ſi illud eſſet ſacramentum.

Reſp. negando poſteriorem partem aſſumpti: quia matrimonium non tantum habet rationem ſacramenti, ſed etiam contractus, adeoque datur pecunia pro matrimonio non prout eſt ſacramentum, ſed prout eſt quidam contractus civilis, ad ſuſtinenda onera matrimonii: ſicuti enim non eſt ſimonia aliquid accipere pro celebratione miſſæ ratione laboris extrinſeci, ita nec pro oneribus matrimonio annexis, quæ ſunt pretio æſtimabilia.

Dices ſi matrimonium ſit ſacramentum, ergo erit præſtantius virginitate.

Reſp. inde tantum ſequi eſſe præſtantius ſecundum quid & hoc non ex natura ſua ſed ex Chriſti benignitate qui illud elevavit ad eſſe Sacramenti, illique gratiam Sacramentalem ſuperadidit, quam tamen longè majorem accipiunt, qui amore Chriſti carnale matrimonium contemnunt: unde dum quæritur an matrimonium ſit præſtantius Virginitate, tunc ſtatus ſtatui debet comparari, & concludi ſtatum Virginalem longè eſſe præſtantiorem ſtatu matrimoniali juxta illud Apoſtoli 1. ad ad Corint. 7. *qui matrimonio jungit Virginem ſuam bene facit, qui autem non jungit melius facit.* Adeoque ſtatus virginitatis à Chriſto conſulitur ob plurima commoda ſpiritualia illi annexa, dum ait, *qui poteſt capere, capiat.*

Dices, ſi matrimonium eſſet Sacramentum, non prohiberetur iis qui ordinati ſunt miniſtri Eccleſiæ, quandoquidem unum ſacramentum non ſit incompatibile cum altero.

Reſp. etſi hæc duo ſacramenta ex Chriſti inſtitutione non repugnent, prudenter tamen Ec-

Digitized by Google

cleſia miniſtris ſuis matrimonium inhibuit, eo quod per illud vir obligetur uxori ad uſus conjugii, & ad varias curas ſeculares, quæ animum valde avocant à divino cultu, cui ſacerdotes ſeſe totos debent applicare.

Dices ſacramentum debet efficere, id quod ſignificat, ſed matrimonium non efficit unionem Chriſti cum Eccleſia, quam tamen ſignificat.

Reſp. non debere totum efficere quod ſignificat, prout quoque patet in Sacra Euchariſtia, quæ ſignificat Sacrificium Crucis & mortem Domini, quam tamen non efficit. Et eapropter ſufficit, quod Sacramentum ſignificet & efficiat aliquem effectum ſupernaturalem.

Petes, an in hoc Sacramento Matrimonii reperiantur hæc tria, ſicuti in aliis Sacramentis, videlicet Sacramentum tantum, res tantum, item res & Sacramentum ſimul.

Reſp. affirmativè; & quidem Sacramentum tantum, eſt ipſe conſenſus ſignis externis expreſſus; res & Sacramentum ſimul eſt ipſum indiſſolubile vinculum ſi quidem illud per ſignificatur per conſenſum ſignis externis expreſſum, & ſignificat gratiam; res tantum eſt gratia: utpote quæ ſignificatur per Sacramentum, & datur ad ſuſtinenda matrimonii onera, & nihil ulterius ſignificat.

Petes, quandonam matrimonium in ratione Sacramenti ſit inſtitutum.

Reſp. ſatis probabiliter Joannis 2. quando Chriſtus interfuit nuptiis in Canâ Galileæ, vel melius Matth. 19. quando Chriſtus dixit, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ubi matrimonium reduxit ad primævam ſuam conditionem, revocans polygamiam & tollens poteſtatem dandi libellum repudii.

Petes, quid ſit matrimonium quatenus eſt Sacramentum.

Reſp. eſt legitimus & indiſſolubilis contractus inter virum & fœminam, quo traditur & acceptatur mutua corporum poteſtas, & confertur gratia ſanctificans.

DUBIUM VI.

An omne Matrimonium ſit Sacramentum.

Reſp. & dico primò, matrimonialis contractus initus inter non baptiſatos non eſt propriè dictum Sacramentum, quia hi carent charactere baptiſmi, qui eſt fundamentum & janua omnium Sacramentorum. *Matrimonium infideliũ non eſt Sacramentum novæ legis.*

Petes, quid ſi unus ſit baptiſatus

ſatus & alter non, an ſaltem non erit Sacramentum ex parte baptiſati.

Reſp. negativè, quia Chriſtus elevavit contractum matrimonialem ſecundum ſe totum ad eſſe Sacramenti; ſed in ſolo baptiſato non eſt integer contractus, ſed in utroque ſimul, utpotè coaleſcens ex conſenſibus utriuſque partis. Ac proinde, cum reſpiciat utrumque contrahentium ſimul, ſi nequeat fondare rationem Sacramenti in uno; neque poterit in alio. Præterea in contractu matrimoniali non reperiuntur duo Sacramenta ſed unum ſolum, quia reperitur unicum tantum ſignum repreſentans unionem Chriſti cum Eccleſiâ.

Petes, an matrimonium infidelium, quod fuit validum in ratione contractus, fiat Sacramentum eo ipſo quo illi baptiſantur & convertuntur ad fidem.

Fit tamē Sacramentum quando ad fidem convertuntur accedente novo conſenſu.

Reſp. affirmativè; non tamen quamprimum baptiſantur, quia non poteſt ſubſiſtere eſſentia Sacramenti, niſi adſint priùs materia & forma, quæ non ſtatim ponuntur; ſed tunc tantum, quando vel interveniunt novi conſenſus vel ratificatio præteriti contractus, quæ ſubeat vices formæ & materiæ. Ratio cur hoc dicatur eſt, quia tales non ſunt privandi gratiâ Sacramentali, quæ maximè conducit ad reprimendam concupiſcentiam, & ad munia matrimonialia obeunda. Præterea ad omnes difficultates ſuperandas, quæ oriri poſſunt ex mutuâ cohabitatione & fide ſervanda, qui ſunt effectus Sacramenti Matrimonii.

Petes, an hæc ratificatio fieri debeat coram parocho & teſtibus.

Non eſt neceſſe ut renovatio conſenſus vel ratihabitio illa fiat in facie Eccleſiæ.

Reſp. negativè, quia Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. eam formam præſcripſit pro matrimonio inter fideles contracto: infidelès autem facti fideles non contrahunt de novo. Deinde ea forma contrahendi ideo eſt neceſſaria ut contractus validè fiat, in caſu vero propoſito præceſſit validus contractus.

Petes, an matrimonium initum inter fideles ſit natura ſua inſolubile.

Matrimonium validum naturâ ſua eſt inſolubile.

Reſp. affirmativè; nec tantum inter fideles, ſed etiam infideles initum; quod probatur Geneſ. 2. ubi ait, *quam ob rem relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Et ratio à priori eſt antè data quia omnis vagus concubitus, & communio tam virorum quam mulierum eſt jure naturæ illicita, quod patet ex causâ finali ipſius matrimonii,

quæ eſt prolem generare, eamque benè inſtruere & educare; ad quod, ut ſupra probavimus, prærequiritur vinculum matrimoniale inter parentes; & certè ſi matrimonium eſſet ſolubile ſicut cæteri contractus ex mutuo contrahentium conſenſu, poſſent viri relinquere uxores & uxores viros, & alios ducere, quo pacto induceretur communio virorum & mulierum, quod eſt contra legem naturæ.

Petes, an matrimonium infidelium quamvis ſit natura ſua inſolubile, nequeat tamen quandoque diſſolvi ex divinâ diſpenſatione.

Matrimonium tamen infideliũ ex diſpẽſatione divina poteſt quandoque diſſolvi.

Reſp. affirmativè; quod probatur ex Apoſt. 1. ad Corinth. 7. ubi de conjungibus loquens ſic ait, *quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi.*

Et quidem hujuſmodi matrimonium infidelium diſſolvi poſſe eſto foret conſummatum, ſemper intellexit Eccleſia, nimirum dum unus illorum convertitur ad fidem. Quod diſpoſuit Chriſtus in favorem baptiſmi, ne alioqui baptiſmus adferret novum onus cælibatus, aut baptiſatus pateretur periculum perverſionis: & hoc in tribus caſibus, primò quando non baptiſatus diſcedit à baptiſato, nolens illi cohabitare præcisè propterea quia fidem Chriſtianam non eſt amplexus. 2. Quando quidem vult non baptiſatus habitare cum baptiſato, ſed tamen non ſine injuria creatoris, ut ſi Chriſtum contemnat aut cultum ejus prohibeat, aut filios aut famulos ſe convertere volentes impediat. 3. Si fidelem conjugem excitet ad qualecumque peccatum.

Quibus caſibus infidelis converſus ad fidem poſſit trãſire ad alias nuptias.

Petes, an ergo fidelis converſus eo ipſo quo eſt baptiſatus non poſſit aliud inire matrimonium, ita ſcilicet ut ipſa ejus converſio ad fidem præbeat illi facultatem primum ſuum matrimonium cum infideli contractum, diſſolvendi.

Reſp, negativè; quod patet ex aliis verbis Apoſtoli dicentis, *mulier infidelis ſanctificata eſt per virum fidelem.* Quaſi diceret, non datur poteſtas converſo matrimonium cum infideli diſſolvendi, dum adeſt ſpes converſionis infidelis: & eapropter dum infidelis ſeu non baptiſatus pacificè cum fideli cupit vivere, non poteſt illud matrimonium diſſolvi, quia eo ipſe præbet magnam ſpem converſionis. Et eapropter Hurtado & plerique alii authores dicunt hoc de facto ita practicari in India & Japonia. Nec ibidem eſſe ullam pro-

Digitized by Google

prohibitionem, qua fidelis prohibetur cohabitare conjugi infideli, nolenti ad fidem converti, volenti tamen illi pacificè cohabitare.

Petes, an quando uno ex tribus, capitibus diſſolvitur matrimonium illud ipſo momento ſolvatur quo ſuſcipitur baptiſmus.

Quo tẽpore in dictis caſibus diſſolvatur præcedens matrimonium.

Reſp. neg. ſed tunc demum, quando ipſe fidelis baptiſatus init matrimonium cum alio; & eapropter à baptiſmo ſuſcepto uſque ad ſecundum matrimonium initum remanet vinculum prioris matrimonii: ex quo fit quod tempore intermedio infidelis cum altero matrimonium inire non poſſit: & ſi fortè convertatur interea, debeat tenere matrimonium cum proprio conjuge jam converſo.

Petes, an ad hoc ut conjux converſus poſſit inire novum matrimonium, opus ſit præviâ judicis ſententiâ declaratoriâ?

Reſp. neg. quia Chriſtus teſte Apoſtolo hoc privilegium dedit independenter ab hujuſmodi limitatione: ſufficit proinde quod moraliter conſtet de obſtinatione conjugis infidelis, & fidem chriſtianam injuriâ afficientis. Quando vero hoc non conſtat, aut ſi ſubſit ſpes converſionis, tunc erit neceſſaria prævia monitio, idque ut is intra certum tempus deliberet an velit converti, aut pacifice vivere.

An infidelium contractum cũ impedimento dirimente fiat ratũ per baptiſmum.

Petes, quid ſi duo infideles contraxiſſent cum impedimento dirimente, an illud eſſet validum poſt illorum ad fidem converſionem.

Reſp. aff: ſi erat impedimentum dirimens ex ſola conſtitutione Eccleſiaſtica; quia illi tunc ſic contrahendo, non tenebantur legibus Eccleſiæ; ſi verò erat impedimentum jure naturæ dirimens matrimonium ut puta, ſi fratrem ſoror, aut pater filiam duxiſſet in uxorem, tunc reſpon. negativè, quia infideles conſtringuntur legibus juris naturæ.

Omne matrimonium ratum inter fideles eſt Sacramentum.

Dico 2. omne matrimonium fidelium baptiſatorum neceſſario participat rationem ſacramenti, ita ut hæc ſit inſeparabilis à ratione contractus; quod inde patet, quia ab initio Eccleſiæ additi ſunt celebrationi matrimonii quidam ritus & ceremoniæ ſacræ prout patet ex Epiſt. Evariſti Papæ ad Epiſcopos Africanos, quod aliunde non videtur provenire, quam quia matrimonium eſt ſacramentum: quia verò ex inſtitutione Eccleſiæ ſacri illi ritus debent adhiberi omni matrimonio fidelium, conſequens eſt omne illud eſſe ſacramentum: neque enim pro contractu aliquo civili aut politico vellet Eccleſia

Digitized by Google

cleſia inſtituere ritus aliquos aut ceremonias ſacras.

2. Probatur quia ſi ratio ſacramenti poſſet ſeparari à ratione contractus, id videtur poſſe fieri, etiam ſine peccato, ad beneplacitum contrahentium: ſi quidem ex nullo Eccleſiæ præcepto colligi poteſt fideles obligari inire contractum matrimonialem, etiam ſub ratione ſacramenti. Quæ ſi vera ſint, cur Eccleſia tam rigidè vult ritus illos & ceremonias ſacras adhiberi cuicumque contractui matrimoniali, niſi quia cenſet ex Chriſti inſtitutione omnia matrimonia fidelium eſſe ſacramenta.

Quid ſi contrahentes expreſſe nolint Sacramentum ſuſcipere.

Dices poteſt contingere quod duo fideles ineuntes matrimonium intendant quidem inire contractum, nullatenus tamen velint ſuſcipere ſacramentum.

Reſp. neg. ſi enim velint efficienter inire contractum matrimonialem, eo ipſo quoque volunt implicitè ſacramentum: nam qui efficaciter vult unum duorum inſeparabiliter conjunctorum cenſetur quoque implicitè velle alterum, eſto illud explicitè nolit.

Dices, qui vellet ordinari ſacerdos, non tamen obligari voto caſtitatis illi ordini annexo, maneret ordinatus, non tamen obſtrictus voto caſtitatis, eſto hæc duo ſint connexa; ergo.

Reſp. negando conſequentiam & ratio diſparitatis eſt quod votum caſtitatis ſolo jure Eccleſiaſtico ſit annexum ſacris ordinibus ita ut Eccleſia circa illius Sacramenti ſuſceptionem nihil propterea poſſit immutare. Ratio vero Sacramenti ſit contractui matrimoniali fidelium inſeparabiliter annexa jure divino ex Chriſti inſtitutione.

Petes, quid ſi quis ergo ex errore, quo putat matrimonium non eſſe Sacramentum illud ſuſcipiat, intendens tamen illud quod alii fideles intendunt, an contraheret matrimonium.

Reſp. affirmativè; eò quod hic privatus error non excludat intentionem generalem faciendi quod facit Eccleſia vel quod Chriſtus inſtituit, quæ generalis intentio ſufficit ad valorem Sacramenti.

Petes, quid ſi ergo duo fideles baptiſati inter infideles & Barbaros eſſent enutriti, adeo ut ne quidem per modum dubii de myſteriis fidei aliquid audiviſſent, illi autem, more inter infideles recepto, ibidem inter ſe matrimonium validum contraherent, an contractus ille eſſet Sacramentum.

Reſp. affirmativè; eſto enim tales non habeant intentionem

expreſſam

Digitized by Google

expreſſam ſuſcipiendi Sacramenmentum, habent tamen confuſam, quatenus intendunt contrahere juxta exigentiam ſuæ conditionis: adeoque ſi non in actu ſignificato, ſaltem in actu exercito cenſenturmatrimonium velle contrahere juxta exigentiam matrimonii baptiſatorum.

DUBIUM VII.

Quæ ſit materia & forma Sacramenti Matrimonii.

Signa expreſſiva conſenſus contrahentium habent rationem materiæ & formæ in hoc Sacramento.

PRætermiſſis variorum opinionibus, dico ſigna conſenſus expreſſiva, ſibi unicem reſpectivè eſſe materiam & formam ſecundum diverſas conſiderationes: nam in quantum exprimunt mutuam traditionem corporum, in tantum habent rationem materiæ: in quantum vero exprimunt mutuam acceptationem, in tantum habent rationem formæ.

Petes, quare non econtra.

Reſp. quia proprium eſt formæ perficere & dare complementum materiæ, quæ de ſe eſt incompleta & imperfecta; & eapropter in contractu, illud ſubit rationem formæ quod perficit contractum. Illud vero habet rationem materiæ, quod determinatur & perficitur per formam. Cum vero in contractu matrimoniali ipſa corporum traditio ſit quædam inchoatio contractus: acceptatio verò illius complementum, aptè ipſa traditio corporum dicitur habere rationem materiæ, acceptatio verò rationem formæ.

Dices, ergo idem erit materia & forma in hoc Sacramento.

Reſp. materialiter, concedo; formaliter, nego. Nec hoc mirum, quia hoc Sacramentum habet rationem contractus, in quo conſenſus externè expreſſus habet rationem materiæ, prout ſubit rationem traditionis; formæ vero prout ſubit rationem acceptationis.

Dices, traditio eſt conditionata, ſi videlicet viciſſim tradat, & conſequenter ipſa involuit acceptationem, & ſic forma involuitur in materia, quod eſt abſurdum.

Reſp. re ipsâ quidem in traditione involvi acceptationem, tamen traditionem in ſuo formali illam non involvere.

Dices, materia contractus eſt res illa, quæ traditur, prout patet in emptione aut venditione, ſed in contractu matrimoniali traditur corpus, ergo illud habet rationem materiæ.

Corpora contra-

Reſp. in contractibus duplicem aſſignari materiam, ſcilicet

hentium habent rationem materiæ circa quā ex quâ & circâ quam, & quidem materia ex quâ componitur contractus matrimonialis, ſunt mutui conſenſus quibus traditur mutuum corpus: materia verò circa quam, ſunt mutua corpora.

Præterea matrimonium dupliciter ſpectari poteſt, ſcilicet ſemel in fieri, & ſemel in facto eſſe: quæ hactenus diximus applicari debent matrimonio in fieri: alioqui, ſi illud ſpectetur, in facto eſſe, ipſi contrahentes, habebunt rationem materiæ ex qua: vinculum verò ſeu unio contrahentium, quæ ex mutua obligatione conſurgit, habet rationem formæ, & hoc ſenſu venit intelligenda definitio matrimonii, dum dicitur, *eſſe maritalis conjunctio viri & fæminæ, individuam vitæ Societatem retinens.*

Petes, quare dici non poſſet, mutuum conſenſum contrahentium eſſe materiam, verba autem quibus ille exprimitur eſſe formam.

Reſp. quia in Sacramento ſenſibili totalis materia debet eſſe ſenſibilis, quamvis aliqua partialis poſſit eſſe inſenſibilis, prout patet in contritione, quæ eſt pars materialis partialis Sacramenti Pœnitentiæ.

Petes, quare ſaltem mutuus conſenſus non poteſt ſubire rationem formæ, verba verò rationem materiæ.

Reſp. quia conſenſus mutuus perficit & determinat ipſa verba, quod eſt proprium ipſius formæ. Neque conſenſu ſecluſo verba aliquid efficiunt.

DUBIUM VIII.

Quis ſit miniſter Sacramenti Matrimonii.

Reſp. rejecta opinione diverſorum, qui dicunt ſacerdotem eſſe eſſentialem miniſtrum Sacramenti Matrimonii, dico ipſos contrahentes eſſe miniſtros eſſentiales, ita ſcilicet, ut quilibet illorum ſit miniſter partialis, ambo verò efficiant miniſtrum totalem. *Contrahentes ſunt miniſtri Sacramenti Matrimonii.*

Probatur 1. quia matrimonium ſortitur eſſentiam contractus, cujus naturam Chriſtus non immutavit, ſed talem manentem elevavit ad eſſe Sacramenti, ergo ſequitur naturam aliorum contractuum, quæ in eo conſiſtit, ut ipſi contrahentes mutuo conſenſu invicem ligent, ſintque cauſa efficiens ipſius contractus, ergo idem dicendum venit in contractu matrimoniali.

Probatur 2. ille eſt miniſter eſſentialis matrimonii, qui efficienter celebrat contractum matrimonialem, ſed hoc faciunt ipſi

Digitized by Google

ipſi contrahentes, ergo. Probatur ſubſumptum, nam ipſi ſunt qui dant conſenſum, qui eſt cauſa efficiens matrimonii.

Confirmatur quia Concilium Florentinum, item Tridentinum nullos alios miniſtros aſſignant præter ipſos contrahentes.

Matrimonia clandeſtina fidelium ante Tridentin. erant Sacramenta.

Probatur 4. quia ante Tridentinum, matrimonia clandeſtina fidelium erant vera matrimonia, adeoque vera Sacramenta, utpotè indiſſolubilia; & tamen illa celebrabantur ſine aſſiſtentia ſacerdotis, ergo ille non eſt eſſentialis miniſter.

Dices, Paſtorale Mechlinienſe, item Colonienſe & Iprenſe ſacerdotem vocant miniſtrum: ſic enim in terminis habet Paſtorale Mechlinienſe. *Sacerdos hujus Sacramenti miniſter ſponſum & ſponſam aſpergat*: ſimilia habet Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum.

Quo ſenſu ſacerdos dici poſſit miniſter matrimonii.

Reſp. inde tantum ſequi ſacerdotem eſſe miniſtrum accidentalem, quatenus ex officio benedicit contrahentibus, non verò eſſentialem.

Dices, contrahentes ignorabant ſe eſſe miniſtros, neque jubetur Parochis, ut hoc ipſos edoceant, & tamen ſine intentione nequit Sacramentum Matrimonii ſubſiſtere.

Reſp. ad eſſentiam Sacramenti, non requiri intentionem actualem & diſtinctam, ſed ſufficere actualem & confuſam, quam cenſentur habere, dum volunt contrahere ſecundum exigentiam matrimonii baptiſatorum.

Dices, juxta Concilium Trid. Seſſ. 24. cap. 1. ſacerdos debet dicere hæc verba, *Ego vos conjungo*, idque tamquam miniſter Eccleſiæ, ergo ſacerdos eſt miniſter hujus ſacramenti.

Quid ſignificent illa verba Parochi, ego vos conjungo.

Reſp. neg. conſeq. quia ſacerdos per hujuſmodi verba, tantum declarat contrahentes legitimè conjunctos, ac ſi diceret, ego vos conjunctos declaro, quæ proinde non continent formam ſubſtantialem matrimonii.

Dices, Concilium Florentinum ait omnia ſacramenta tribus perfici, rebus nimirum tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, & intentione miniſtri: ſed ſi contrahentes eſſent miniſtri, ſacramentum hoc quandoque conficeretur ſine verbis, nempe per nutus conſenſum exprimentes, prout patet in mutis.

Reſp. concilium non requirere verba propriè dicta, ſed ea ſaltem, quæ in ratione ſigni ſuppleant vices verborum.

Dices concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap 7. deplorat quod pro benedictionibus

Digitized by Google

nubentium, ſeu aliis ſacramentis, aliquid exigatur, ergo cenſet illam benedictionem eſſe ſacramentum.

Reſp. ſcopum concilii fuiſſe reprobare exactionem rei temporalis pro exhibitione rei ſpiritualis, qualia ſunt etiam ea, quæ vocantur ſacramentalia, ut benedictio Chriſmatis, conſecratio templorum, calicum & altarium, quæ quandoque vocantur ſacramenta latè dicta.

Dices, abſurdum eſt excludi ſacerdotem ab adminiſtratione ſacramenti.

Reſp. eſto quod excludatur ſacerdos quoad eſſentialia, non tamen quoad accidentalia; nec hoc eſt abſurdum, quia hoc ipſum quandoque fundatur in neceſſitate, prout patet in ſacramento Baptiſmi, quod in neceſſitate poteſt conferri etiam à quolibet laico; quandoque verò fundatur in rerum natura, ut in matrimonio, cujus eſſentia cum conſiſtat in contractu, non eſt mirum, ipſos laicos contrahentes eſſe ipſius miniſtros.

DUBIUM IX.

An mutuus conſenſus contrahentium requiratur, ad matrimonium, & qualis.

Mutuus conſenſus contrahentium eſt neceſſarius ad ſubſiſtentiam matrimonii.

Reſp. & dico primo, ſi matrimonium ſpectetur in ratione contractus, neceſſariò ad illud requiritur conſenſus mutuus, quia ad quemcumque contractum, requiritur conſenſus contrahentium, quippe ex quo oritur ultro citroque obligatio, ergo quoque ad matrimonium ſpectatum in ratione contractus, & in fieri.

Quod ſi vero matrimonium ſpectetur in facto eſſe, ſcilicet in ratione vinculi indiſſolubilis, tunc quoque præequiritur mutuus conſenſus, quia ille eſt cauſa efficiens mutui juris & mutuæ obligationis, è quibus unio illa maritalis, ſeu vinculum matrimoniale conſurgit.

Porro ſi matrimonium ſpectetur in ratione ſacramenti, requiritur quoque mutuus conſenſus, quia ut ſupra diximus, ipſi contrahentes ſunt hujus Sacramenti miniſtri, mediantè mutuo conſenſu exterius expreſſo.

Petes, an princeps ſecularis vel Eccleſiaſticus non poſſint ſupplere hunc conſenſum inter ſuos ſubditos, dando jus in mutua

Digitized by Google

tua corpora ſine ipſorum conſenſu.

Nec ille conſenſus ſuppleri poteſt ab aliquo ſuperiore. Reſp. negativè; quia contractus, qui poſſunt per hujuſmodi principes fieri, poſſunt quoque per eoſdem diſſolvi: ſed contractus matrimonii non poteſt per illos diſſolvi, ergo neque perillos confici, independenter à conſenſu contrahentium.

Confirmatur hoc ipſum ex fine matrimonii, qui eſt amor mutuus, & perfecta educatio prolis, quæ obtineri non poſſunt ſine mutuo conſenſu, eoque proprio. Unde nec legimus Deum, Regi aut Pontifici ejuſmodi poteſtatem umquam concesſiſſe.

Niſi à ſolo Deo. Petes, an ſaltem Deus per abſolutam potentiam non poſſit cauſare mutuam conjugum obligationem, & conſequenter vinculum matrimoniale ſine contrahentium conſenſu.

Reſp. affirmativè; quia cum mutuus conſenſus, quantumvis ſit cauſa formalis hujus Sacramenti in fieri, ſit ſolummodò cauſa efficiens illius in facto eſſe, ſcilicet vinculi matrimonialis, poterit Deus ſupplere vices illius cauſæ efficientis: præterea, cum Deus ſit ſupremus omnium corporum Dominus, poterit viro dare poteſtatem in corpus mulieris, & econtra, ſine ipſorum conſenſu.

Dices, ergo idem poterit quilibet Dominus reſpectu ſui mancipii, quandoquidem habeat Dominium in corpus mancipii ſui.

Reſp. negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quod Deus habeat ſupremum Dominium, non tantum in corpora ſed etiam in animos & corda hominum, quæ proinde poteſt immutare, & efficere ut libenter ſint in matrimonio, foveantque mutuum amorem neceſſarium ad finem matrimonii, quod nemo hominum poteſt præſtare, eſto foret ſupremus princeps.

Dices, princeps ſupremus poteſt ſubditos ſuos cogere ad ineundum contractus civiles, ut v. g. ad vendendum triticum, hordeum, ergo quoque ad ineundum matrimonium.

Reſp. quidquid ſit de antecedente (nam tunc propriè non eſt contractus in ſubditis, quippè qui debeat coaleſcere ex mutuo conſenſu, qui abeſt) negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod coactio repugnet fini matrimonii, qui eſt in mutua charitate, & obſequiis procurare proles, eaſque perfectè educare, quod inviti facere non poſſunt: porro coactio non ita repugnat finibus aliorum contractuum civilium.

Dices, c. *is qui fidem* de Sponſ. dicitur, quod per copulam inter ſponſos habitam contrahatur matrimonium de præſenti, nec admittatur probatio diſſenſus à contrahentibus allegata: ergo ſi tunc forſitan non adfuerit conſenſus, ille ab Eccleſiâ debebit ſuppleri.

Reſp. negando conſequentiam & dico Eccleſiam illo caſu non ſupplere conſenſum à contrahentibus non appoſitum: ſed in foro externo præſumit illum tunc adfuiſſe; nec admittit probationem in oppoſitum: & eapropter ſi ille defuerit à parte rei, non erit verum matrimonium:

Eccleſia poteſt aliquas cogere ad matrimonium.

Dices, ex gravi cauſa Eccleſia poteſt aliquem cogere ad Epiſcopatum, quod eſt matrimonium quoddam ſpirituale, ergo ex ſimili gravi cauſa poteſt aliquem cogere ad matrimonium corporale.

Reſp. concedendo totum, quatenus nimirum ex gravi cauſa poteſt obligare ſubditos, ut legitimum conſenſum adferant ad matrimonium, ſed negamus Eccleſiam poſſe efficere, ut quis corporale vel ſpirituale matrimonium ineat ſine conſenſu.

Petes, an ad valorem matrimonii requiratur in valentibus loqui, ut mutuus conſenſus verbis exprimatur.

Non requiritur ad valorem matrimonii ut conſenſus verbis exprimatur.

Reſp, negativè; ſed ſufficere alia quæcumque ſigna exrerna ad exprimendum conſenſum, & ratio eſt quia verba non ſunt neceſſaria in ratione contractus, nam ille aliis ſignis poteſt celebrari; neque etiam in ratione ſacramenti, quia Chriſtus elevando contractum matrimonialem ad eſſe ſacramenti, nihil innovavit circa naturam contractus: unde Florentinum in decreto Eugenii cauſam ſufficientem matrimonii ait regulariter eſſe mutuum conſenſum verbis expreſſum, ubi verbum illud *regulariter*, denotat illum poſſe exprimi aliis ſignis.

Fatendum tamen eſt, verba eſſe ſigna omnium clariſſima, & ideò eſſe maximè convenientia ad contractum tanti momenti, & ideò eſſet grave peccatum veniale, ſi quis potens loqui abſque juſtâ causâ contraheret per alia ſigna aut nutus. Quod ſi verò eſſent talia ſigna, quibus conſenſus redderetur dubius, tunc eſſet peccatum mortale.

Vti nec conſenſus parentum a ut dominorum

Petes, an ad valorem matrimonii requiratur conſenſus parentum, item dominorum reſpectu matrimonii mancipiorum ſuorum.

Reſp. neg: quod eſt de fide definitum in Trid. Seſſ. 24. cap. 1. Et ratio eſt, quia quilibet,

poſt-

Digitized by Google

poſtquam pervenit ad uſum rationis, habet plenum dominium corporis ſui, & actionum ſuarum perſonalium, independenter à voluntate parentum vel dominorum, ergo ſine illis poterit validè de illis diſponere. Confirmatur quia profeſſio religioſa fit validè ſine parentum conſenſu.

Petes, quomodo ſupradictum ſit mutuum conſenſum eſſe cauſam efficientem matrimonii, quem èapropter Deus poteſt ſupplere, quandoquidem ut ſupra vidimus, ille eſſet formalis illius cauſa, quam Deus nequit ſupplere.

Reſp. Matrimonium dupliciter ſpectari, ſemel nimirum in fieri, prout videlicet ſubit rationem contractus & ſacramenti, & eatenus verum eſt, quod mutuus conſenſus ſit cauſa illius formalis. Secundo matrimonium ſpectari poteſt in facto eſſe, quatenus videlicet eſt maritalis conjunctio viri & fœminæ, cujus conjunctionis cauſa efficiens eſt mutuus conſenſus, quatenus proximè cauſat ultrò citroque obligationem, in qua fundatur hæc maritalis conjunctio.

Petes, an ad valorem matrimonii requiratur, ut conſenſus mutuus viri & mulieris ſimul exprimantur.

Quo ſenſu ad valorem matrimonii requiratur ſimultaneus conſenſus contrahentium.

Reſp. aff. non quidem ſimultate phyſica (neque enim decens eſt, ut verba ſimul proferantur; ſed expedit ut unus poſt alterum conſenſum ſuum exprimat coram parocho & teſtibus) ſed ſimultate morali, prout patet in matrimonio per procuratorem aut litteras contracto, quandoquidem hoc natura contractus permittat, & communi hominum judicio conſtet, in aliis contractibus conſenſum unius, poſſe phyſicè precedere conſenſum alterius, qui moraliter cenſeatur durare uſque ad adventum conſenſus alterius; niſi interea revocetur formaliter aut virtualiter. Quia tamen conſenſus prioris eſt conditionatus, ſi videlicet alter viciſſim conſentiat, morali & prudenti judicio non cenſetur velle nimis diu ſuum conſenſum ſuſpendi, ſed cenſetur revocare, ſi alter poſt debitum temporis ſpatium interjectum negligat viciſſim conſentire. Quod & locum habet in omni alio contractu oneroſo.

Porro quantum temporis ad hoc requiratur illud viri prudentis judicio videtur determinandum, qui attentis omnibus circumſtantiis, judicabit aliquem, non amplius in antiquo conſenſu permanere.

Quia verò poſterior abſolutè con-

conſentit, cenſetur in ſuo conſenſu permanere, quamdiu non revocat,

DUBIUM X.

Quodnam ſit objectum conſenſus matrimonialis, ſeu quid debeant contrahentes intendere ut validè contrahant.

Quid intendere debeat contrahentes. RESP. & dico primò, conſenſus qui facit matrimonium, debet verſari circa eſſentiam matrimonii; eſſentia verò matrimonii conſiſtit in maritali conjunctione, per mutuam corporum traditionem & acceptationem, in ordine ad finem matrimonii in confuſo.

Probatur hoc ipſum ulterius, quia ſi apponatur conditio contraria ſubſtantiæ matrimonii, illud non ſubſiſtet, & hoc ideo, quia non datur conſenſus in eſſentiam matrimonii.

Petes, an conſenſus ad eſſentiam matrimonii requiſitus debeat ferri in copulam.

Conſenſus in copulam non eſt de eſſentia matrimonii. Reſp. negativè, ſaltem directè, & hoc ideo, quia copula non eſt de eſſentia matrimonii. Ratio eſt quia ad valorem alicujus contractus ſufficit quod conſenſus feratur in illud, quod per ipſum fit, ſed per contractum matrimonialem non fit copula, ſed tranſlatio dominii mutui corporis, ergo &c. Et eapropter poteſt quis validè contrahere matrimonium, cum animo ingrediendi religionem ante illius conſummationem. Confirmatur hoc ipſum ex aliis contractibus; nihil enim vetat, quod quis velit emere domum, veſtem, aut chlamidem abſque eò quod illis velit uti.

Petes, an ſaltem non ſit neceſſe, quod conſenſus ad matrimonium requiſitus implicitè & indirectè feratur in copulam.

Reſp. conſenſum dupliciter poſſe dici implicitè & indirectè ferri in copulam, primò quidem ex parte contractus matrimonialis, qui naturâ ſuâ ordinatur ad copulam, quo modo verum eſt, quod qui vult talem contractum indirectè & implicitè velit copulam. 2. Ex parte ipſius contrahentis, quomodo non eſt neceſſe, ut conſentiens in matrimonium conſentiat in copulam, quippe qui poſſit validè inire matrimonium cum animo illo numquam utendi: ſicuti quis poteſt ordinari ſacerdos, cum animo numquam ſacerdotium exercendi. Nihil enim vetat, quo minus accipiat dominium alicujus rei, v. g. domus, veſtis, aut chlamidis, cum voto re illâ numquam utendi.

Petes, an conſenſus ad valorem matrimonii requiſitus debeat

beat ferri in tria bona matrimonii.

Antequam reſpondeamus.

Prænotare oportet, quod quamvis ſtatus matrimonialis de ſe ſit licitus, meritorius & honeſtus, ſecum tamen afferat quædam incommoda & detrimenta; & primò quidem perpetuam ſervitutem, juxta illud Apoſt. 1. ad Corinth. 7. *alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem.* 2. In opere conjugali vehementem voluptatem quæ uſum rationis pœnè abſorbet. 3. Nimiam ſolicitudinem placendi conjugi, habendi proles, illiſque comparandi divitias, in tantum ut dicat Apoſtolus, conjugatos habere cor ſuum diviſum.

Porro incommodum & detrimentum perpetuæ ſervitutis compenſatur bono Sacramenti, quod invenitur in matrimonio, quo conjuges ſe invicem diligunt, ſicut Chriſtus Eccleſiam, & gratiam recipiunt, qua facilius poſſint jugum illud matrimoniale perpetuum ſufferre.

Secundum incommodum ſeu detrimentum, ſcilicet mentis obnubilatio & obtenebratio, quæ habetur in copula, compenſatur bono prolis, quæ generatur & educatur ad Dei cultum & obſequium; & licet hæc non ſemper ſequatur; ſalvatur tamen ſemper in ipſo fine intrinſeco, ad quem matrimonium deſtinatur.

Tertium incommodum ſeu detrimentum, nimia ſcilicet ſolicitudo placendi conjugi &c. compenſatur bono fidei, ſeu fidelitatis, quo conjuges ſibi mutuo obligantur ad reddendum debitum, & corpora ſua nulli alteri præmiſcenda.

Hic quoque bene notandum, prolem dici bonum matrimonii, in quantum contrahentes debent ſe obligare, non quidem ad prolem procreandam, ſed ad illam per media illicita non impediendam, ut v.g. per acceptionem veneni, procurationem abortus, ſterilitatis &c. Dico, *per media illicita*, ſi quidem per media licita, ut per votum caſtitatis &c. impediri poteſt.

Conſenſus in matrimoniũ fertur ſaltem implicitè in tria matrimonii bona.

His prænotatis reſpondeo, conſenſum ad valorem matrimonii requiſitum, debere ferri in illa tria bona, ſaltem implicitè; tunc verò conſenſus cenſetur in illa ferri implicitè, quandò non intenditur expreſsè contrarium. Et primò quidem, quod ferri debeat in bonum Sacramenti, ſeu indiſſolubilitatem & vinculum perpetuum, patet, quia matrimonium eſt ex naturâ ſuâ & intrinſecè tale. Idem patet de bono fidei, & bono prolis, quia

de eſſentiâ matrimonii eſt conſenſus in traditionẽ mutui corporis in ordine ad prolis generationem & fidem ſervandam, adeò ut dominium mutui corporis in contractu matrimoniali tradatur ſub prædictis tribus obligationibus, ſcilicet ſervandi perpetuam vitæ conſuetudinem. 2. fidelitatem, quâ nimirum pars comparti ita adhæret, ut eâ vivâ non poſſit alteri commiſceri. 3. prolem educandi ſi quæ generetur; tamen actualis cuſtodia fidei non eſt de eſſentiâ matrimonii; nam illud ſubſiſtet etiamſi alter conjugum fidem parti violet. Sicuti ſubſiſtit votum caſtitatis emiſſum in illo, qui contra illud peccat.

Qui in contractu excludit poſitive illa bona, invalide contrahit

Quod ſi quis verò in contractu matrimoniali omnes illas obligationes, aut unam ſolam poſitive excludat, invalidum facit matrimonium, utpotè non ponens illius eſſentiam.

Conditiones appoſita contractui matrimoniali ſubſtantiæ ejus repugnantes illum reddunt nullum.

Hinc collige omnia pacta appoſita contractui matrimoniali, de conditionibus repugnantibus tribus hujuſmodi matrimonii bonis, illum invalidare; ut ſi quis ineat matrimonium cum aliqua cum pacto, quod poſt tres annos poterit ducere aliam, aut donec inveniat pulchriorem, aut cum pacto, ut uxor obliget ſe ad impediendas proles per media illicita &c. & hoc ideò, quia contraria matrimonii bona ſaltem debent implicitè per matrimonium intendi, & ſic hæ conditiones excludi.

Intentio contraria bonis matrimonii in contrahente irritat matrimonium.

Petes quid ſi quis nullo appoſito pacto, ſed ſolum interius in contractu matrimoniali intenderet conditiones repugnantes ejuſmodi tribus bonis matrimonii, v. g. intenderet ſolum contrahere ad tempus, aut intenderet obligare ſe ad impediendam prolis generationem mediis illicitis, an ejuſmodi intentio repugnans bonis matrimonii illud irritaret.

Reſp. affirmativè; quia ad eſſentiam matrimonii requiritur ſaltem conſenſus implicitus in ea quæ ſunt de illius eſſentia, ſed intentio contraria annullat illum conſenſum, ergo & annullat matrimonium.

Petes, quid ſi quis intendat quidem ſe obligare ad ejuſmodi tria bona obſervanda, habeat tamen intentionem huic obligationi non ſatisfaciendi.

Reſp. ejuſmodi matrimonium valere, quia non tollit conſenſum ad valorem matrimonii requiſitum, prout patet in ſimili, ſcilicet in eo, qui profitetur religionem ſine voluntate tamen ſervandi regulas monaſterii: licet enim dicta intentio

Digitized by Google

tentio ſit contra religionem, non tamen annullat profeſſionem.

DUBIUM XI:

Quem finem debeant contrahentes intendere, ad hoc ut ex parte illius non peccent.

Finis primarius matrimonii eſt generatio & educatio prolis.

DIco primò finis primarius matrimonii, prout & copulæ conjugalis, eſt prolis procreatio & educatio; ſi quidem ob hunc, matrimonium eſt inſtitutum, ejuſque cauſa ſexuum diverſitas à Deo in humano genere eſt inſtituta; ita teſtatur Scriptura Geneſ. 1. *maſculum & fœminam creavit eos, benedixitque illis dicens, creſcite & multiplicamini, & replete terram.*

Secundarius eſt remediū concupiſcentiæ.

Præter hunc finem principalem eſt alius ſecundarius, nempe remedium incontinentiæ: cum enim per peccatum primi parentis libidinis vitium humanam naturam infeciſſet, factum eſt, ut homines, qui memores infirmitatis ſuæ carnis pugnam ſuſtinere vel nollent, vel non facile poſſent, permitterentur uti matrimonio, tamquam ſuæ incontinentiæ remedio ad vitandam fornicationem & graviora libidinum ſcelera. Et hinc Apoſtoli 1. Corinthios 7. ait, *propter fornicationem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquaque ſuum virum.* Et iterum, *qui non ſe continent, nubant.* Bene tamen notandum eſt, quod hunc ſecundarium matrimonii finem ſc: libidinis uſum, concedit ibidem Apoſtolus conjugatis intra limites matrimonii ſecundum indulgentiam, non ſecundū imperium.

Peccant venialiter qui ob ſolum ſecundariū iſtum finem contrahunt.

Petes, an ergo ſit peccatum contrahere matrimonium merè ex hoc ſecundario fine, ſcilicet ob periculum incontinentiæ, aut causâ vitandæ fornicationis.

Reſp. affirmativè; ſaltem veniale. Quod probatur primò ex ipſis Apoſtoli verbis concedentis illum ſecundum indulgentiam, permittentis inquam talem actum, prout permittuntur minora mala, ad evitanda majora; & ita hunc Apoſtoli locum paſſim explicat S. Aug. ſignanter cap. 38. ſerm. 69. de diverſis. „Evidenter inquit, dum tribuit „veniam, denotat culpam: idem quoque ſerm. 41. de Sanctis inter venialia peccata numerat, quoties quis excepto deſiderio filiorum, uxorem ſuam cognoverit. Eadem habet libro de nuptiis & concupiſ. cap. 13. item lib. de bono conjug. cap. 6. 7. & 10. huic doctrinæ ſubſcribit S. Greg. lib. 32. Moral. cap. 17. & parte 3. curæ Paſtoralis admonitione 28. ait „culpam quoque

Digitized by Google

„ eſſe innuitur, quod indulgeri „ perhibetur. „

Porro ratio hujus doctrinæ eſt quia in tali fine voluntas obſequitur & ſervit libidini, eam expetens, & in eam ſponte conſentiens, quod ſine peccato fieri non poteſt, prout apertè declarant verba Tobiæ junioris cap. 8. *tu ſcis, quia non luxuriæ causâ, ſed ſolâ poſteritatis dilectione conjugem accipio.* Ex quo patet quod ſola poſteritatis dilectio ſit inculpabilis finis matrimonii. Et certè cum voluptas illa quæ actui conjugali ineſt vel non ſit à Deo ſed ex peccato primorum parentum facta ſit in natura corrupta ſecundum Auguſtinum in libris contra Julianum frequenter, & alibi paſſim contra Pelagianos. unde nec fuiſſet in paradiſo ſi homines non peccaſſent: vel certè ſecundum Philoſophos non ſit indita illi actui niſi tamquam medium ad hoc ut homines moverentur ad propagationem naturæ humanæ per generationem prolium, quæ proinde etiam ſecundum ipſos eſt naturalis finis actus matrimonialis: profectò cum naturali rerum ordine pugnat, qui opus illud refert ad delectationem; neque enim bonum delectabile appetitui ſenſitivo conveniens, ſed bonum honeſtum conveniens naturæ rationali debet eſſe finis actus humani: etenim ita quoque delectatio quædam inſita eſt ſumptioni cibi & potus; & eapropter, qui merè ob delectationem, quam habet in cibo comedit aut bibit, ibi ſiſtens, peccat venialiter, aliud quærens in cibo, quam id, ad quod ipſi datus eſt; ſi quidem perverſio eſt, non ordinare rem ad finem ad quem eſt inſtituta, ſed eam ordinare ad medium, quale eſt ipſa delectatio carnalis. Verumtamen permiſſivè ſeſe habere ad hujuſmodi voluptatem actui matrimonii annexam, non eſt diſſonum rectè rationi. Optimè tamen fecerint conjuges, ſi omnimodè deſiderent omnem hujuſmodi delectationem, tam à cibo & potu, quam ab actu generationis abeſſe.

Peccatū eſt exercere actū conjugalem ob delectationem ejus.

Peccatū eſt appetere cibū v. g. propter delectationē ejus.

Dices, non peccat, qui petit debitum ad præcavendum periculum incontinentiæ aut fornicationis in comparte ſuâ. Ergo neque peccat, qui petit debitum ad præcavendum periculum incontinentiæ in ſe.

Reſp. neg. conſequentiam; quia in priori caſu petitio debiti eſt a parte rei redditio debiti, & & reperitur in ea bonum fidei conjugalis, quia tenetur ex fide matrimoniali impedire peccatum compartis, quod aliter impediri non poteſt quam petendo debitum,

Non peccat qui reddit debitum comparti ad præcavendum periculū incontinentia in illa.

Digitized by Google

bitum, eò quod conjugis voluntas non ſit in ejus poteſtate: ſibi verò providere poteſt contra periculum incontinentiæ per diverſa remedia, ut jejunia, orationes, auſteritates, & per liberum arbitrium ſuum adjutum divinâ gratiâ, quod ipſe habet in ſua poteſtate.

Dices, non eſt peccatum intendere in matrimonio finem ad quem illud eſt inſtitutum; ſed ſecundarius ejus finis eſt remedium concupiſcentiæ, ergo.

Reſp. finem illum ſecundarium non eſſe Dei inſtituentis, ſed hominis utentis, cui ille permittitur, teſte Apoſtolo, non ſecundum imperium, ſed ſecundum veniam.

Petes, an non ſit licitum in contractu matrimoniali intendere alios fines extraneos, ut v. g. pulchritudiuem puellæ, divitias &c.

Reſp. ſimilia quidem poſſe ſine peccato habere rationem cauſæ impulſivæ ad ineundum matrimonium, numquam tamen cauſæ finalis, quæ eſſe debet ſola generatio prolis. Unde neque Sacra Scriptura reprehendit in Jacob, quod Rachaëlem prætulerit Liæ propter ejus pulchritudinem; quia id fecit cauſa generationis prolis.

Petes, an ille contractus matrimonialis careat culpâ, qui fit partim cauſa generationis prolis, partim ob delectationem carnalem, tamquam finem partialem.

Reſp. negativè, quia contractus ille ab hoc malo fine inficitur. Bonum ſiquidem eſt ex integrâ cauſâ, malum verò ex ſingulis defectibus. Unde S. Greg. lib. 32. Moral. cap. 17. rectè ait, „ tunc ſolum conjuges in admix„ tione ſine culpa ſunt, cum non „ pro explenda libidine, ſed pro „ ſuſcipienda prole miſcentur.

DUBIUM XII.

Qualiter poſſint peccare ſponſi in contrahendo Matrimonio.

Reſp. variis modis, primò quidem ex parte finis mali quem ſibi præfigunt, qui ſi ſit mortalis, ipſe quoque matrimonialis contractus erit mortalis: ſi verò venialis, contractus quoque erit venialis. *Peccant conjuges contrahendo ex malo fine*

2. Si in ſtatu peccati mortalis, matrimonium celebrent: nam cum ſit Sacramentum vivorum, prærequirit ſtatum gratiæ qui eapropter ponunt obicem principali ipſius Sacramenti effectui. *Item exiſtentes in ſtatu peccati mortalis.*

3. Defectu interioris conſenſus, ut quando aliquis illorum externè ſe ſimulat conſentire, interius tamen minimè *Si ficté.*

Digitized by Google

conſentit. Quo caſu facit Sacramentum nullum, & inva'idum, adeoque committit ſacrilegium.

Si ſcienter cum impedimento dirimente. 4. Si ſcienter ſuſcipiant hoc Sacramentum cum impedimento dirimente, vel impediente.

5. Si ineant matrimonium clandeſtinum, id eſt ſine præſentia parochi & duorum teſtium.

Aut clãdeſtine. Aut ſine premiſſis proclamationibus. 6. Si ineant matrimonium quidem cum aſſiſtentia parochi & teſtium, ſed neglectis tribus proclamationibus.

DUBIUM XIII.

Quandonam copula conjugalis ex parte finis exercetur ſine peccato?

Quamvis unicus ſit finis ob quem licitè matrimoniũ contrahi poſſit licite, duo tamen ſunt ob quos actus conjugalis poteſt eſſe licitus. RESp. & dico primò, eſſe doctrinam Sacræ Scripturæ, & Sanctis patribus plane conformem, quod licet ſit unicus tantum finis bonus, ob quem matrimonium iniri poſſit, nempe generatio prolis, duos tamen eſſe fines, ob quos actus matrimonialis ſine peccato exerceri poteſt licitè; nempè causâ prolis & causâ reddendi debiti conjugalis. Cum enim poſt contractum matrimonium uterq; conjux ſit alteri obligatus, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. *uxori vir debitum reddat & uxor viro* etiam hic finis ſufficiens eſt, ut actus ille ſit bonus & licitus. Ratio prioris eſt, quia quando actus exercetur ob generationem prolis, tunc refertur ad finem illum ad quem à Deo & natura eſt inſtitutus. Ratio poſterioris eſt, quia dum actus ille fit causâ reddendi debiti, exercetur actus juſtitiæ, quo redditur alteri, quod ipſi debetur.

Dices; delectatio carnalis, ſine quâ actus ille numquam exercetur, ſemper eſt culpabilis; ergo & actus ille, cui eſt adjuncta.

Delectatio carnalis in actu matrimoniali non eſt ſemper peccatum. Reſp. negando antecedens, eſto enim illa in quantum eſt effrænis, repugnet rectæ rationi, non tamen eſt culpabilis, quando non eſt voluntaria; neque enim conjuges coguntur in illam conſentire. Sed ſicuti Reſpub. dum quandoque ob juſtas cauſas permittit lupanaria, minime cenſetur illis conſentire, ſed permiſſivè ſeſe tantum ad illa habere, ita quoque dicendum eſt conjuges non peccare qui ejuſmodi libidinem in actu matrimoniali admittunt, dum in eam non conſentiunt: ſed eam potius ex juſta cauſa pati aut permittere, videlicet cauſa propagandi prolem, vel reddendi debiti, quos fines in hac corruptione naturæ poſt lapſum, aliter conſequi non poſſunt: prout nec peccat filia, quæ violenter conſtupratur, eſto hanc delectationem in parte ſenſitiva patiatur

ciatur

Digitized by Google

tiatur, quæ proinde confidenter cum S. Lucia in Tyrannum exclamare poteſt „ſi invitam juſſeris violari, caſtitas, mihi duplicabitur ad coronam.„

Peccant qui ſcientes & ſteriles, matrimoniũ contrahunt.

Petes, an ergo ſenes, aut ſteriles, aut quorum alter talis eſt, non poſſint petere debitum à ſua conjuge ſine peccato.

Reſp. neg. eo quod ceſſet in illis finis matrimonii, qui eſt ſpes prolis propagandæ; adeoque Ecclesia non approbat poſitive matrimonia ſenum aut ſterilium, tamquam licita, ſed permittit tamquam minora mala ad evitanda majora.

DUBIUM XIV.

Quandonam in actu matrimoniali peccetur mortaliter.

RESp. quæſtio hæc eſt graviſſima, & ſummi momenti: inſuper maximè lubrica; tamen quia vivimus in hoc ſæculo nequam & perverſo, in quo omnis ferè caro corrupit viam ſuam, idcirco hæc pro praxi eſt omnibus Confeſſariis & Paſtoribus ſcitu ſummè neceſſaria. Cum enim plerique ineant matrimonium, eoque utantur ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, putantes ſibi licere circa conjuges quidquid lubet, idcirco homines conjugati à ſuis reſpectivè Paſtoribus & Confeſſariis prudenter ſunt admonendi, & cum grano ſalis inſtruendi, quomodo in hac materia adeò periculoſa matrimonio ſuo rectè uti poſſint ad Dei honorem & gloriam. Itaque.

Vt actus matrimonialis ſit bonus debent omnes circumſtantiæ eſſe bonæ.

Dico primò ut actus matrimonialis ſit licitus, non ſolum neceſſè eſt, ut verſetur circa conveniens objectum, quod eſt propria conjux, & verſetur quoque circa debitum finem ſuprà recenſitum: ſed inſuper neceſſe eſt, ut ſecundum omnes circumſtantias ſuas ſit bonus, eo modo quo diſtributio eleëmoſynæ, oratio, aut alia opera ex objecto ſanctiſſima, peccata ſunt, quando carent aliquâ circumſtantiâ debitâ, aut laborant aliquâ circumſtantiâ vitioſâ.

Si finis ejus ſit mortaliter malus erit peccatum mortale.

Ex quo ſequitur primò, quod ſi finis hujus actus ſit mortalis, ipſum quoque eſſe mortalem. Si verò ſit venialis, ut puta ſi exerceatur cauſa delectationis carnalis, aut in remedium incontinentiæ, aut ad vitandam fornicationem in ſe, ipſum quoque eſſe venialem. Nam qui hujuſmodi actum ad talem finem dirigit, utitur re præter naturæ ordinem, ſi quidem copula carnalis ex ſe ordinatur ad generationem prolis, tamquam ad finem; ad quam quoque tamquam medium ad finem, ordinatur delectatio illa copulæ annexa, ac proinde

Delectatio actus non poteſt eſſe finis illius licitus.

proinde manifeſtus abuſus eſt & inordinatio illam dirigere ad delectationem carnis, quæ ſolum poteſt habere rationem medii.

Qui cognoſcẽdo uxorẽ delectatur circa aliam committit adulterium,

2. Sequitur, eſſe peccatum mortale in actu conjugali voluntariè ſeſe per imaginationem oblectare circa perſonam alienam, ac ſi quis cum illa congrederetur, quia eſt delectatio moroſa circa objectum mortaliter malum; peccatque hoc ipſo peccato adulterii.

Peccat mortaliter cognoſcens uxorem extra vas debitum.

3. Peccat mortaliter coniux, & quidem graviſſimè contra naturam, qui uxorem ſuam cognoſcit extra vas naturale. Prout quoque & ipſa uxor ſeſe taliter à marito ſuo cognoſci permittens. Ratio eſt, quia in hujuſmodi actu reperitur malitia & deformitas, non tantum contra naturam, ſed etiam contra bonum fidei ipſius matrimonii; nam conjuges debent ſibi invicem corpora ſua in ordine ad generationem, & per conſequens in ordine ad talem actum, ex quo ſequi poteſt generatio.

Conjugatus peccans cum uxore cõtra naturam tenetur circumſtantiam conjugii explicare

4 Graviſſimo peccato mortali obſtringit ſe coniux comparte ſua abutens in vaſe præpoſtero, qui caſus eſt unus ex maximè reſervatis Epiſcopo, & peccat talis ſimiliter non tantum contra naturam, ſed etiam contra fidem matrimonialem, abutendo ſuo & etiam uxoris corpore in tali actu: & eapropter utraque circumſtantia conjugati in confeſſione venit explicanda. Prout quoque eadem venit explicanda, quando committitur ab uno conjugum pollutio, quippè quæ ſpecie differt ab ea quæ committitur à ſoluto; habet enim ſpeciem adulterii, eo quod non ſervetur fides conjugi data de corpore caſtè conſervando. Et quia hujuſmodi peccatum clamat vindictam in cœlum, Apoſtolus volens conjugatos ab eo avertere, ſic ait 1. ad Theſſal. 4. *hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, non in paſſione deſiderii, ſicut gentes, quæ ignorant Deum, non enim vocavit vos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem; itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit ſed Deum.*

5. Peccat mortaliter conjux qui in congreſſu cum propria conjuge adeo intemperanter illa abutitur, ut paratus foret illam accedere, eſto uxor ipſius non eſſet.

Peccant graviter conjuges exercentes actũ modo indebito.

6. Peccant graviſſimè conjuges cognoſcentes quidem ſeſe intra vas naturale, dum id faciunt modo prorſus innaturali & indebito, v.g. ſtando, ſedendo, aut ſi mulier ſupergrediatur virum, & ille ſit ſuccubus: quia licet

Digitized by Google

licet perſe loquendo ex tali modo congrediendi poſſit quandoque ſequi generatio, per accidens tamen & hoc ſatis frequenter illa per hujuſmodi in naturales modos impeditur, dum vel ſemen extra vas effunditur, aut in eo non retinetur, aut exponunt ſeſe periculo iſtius effuſionis; & eapropter graviſſimè à confeſſariis increpandi ſunt conjuges taliter congredientes, causâ majoris oblectationis capiendæ; quin & inſtruendus innocens conjux quod non teneatur comparti innaturali modo debitum petenti reddere. quandoque tamen poteſt hujuſmodi actus ab omni peccato excuſari, ſi is fiat ex juſtâ cauſa cum timore Domini, ut proſpiciatur fœtui: neque enim apparet intrinſece malum in conjugibus naturalem ordinem invertere, quando non eſt periculum impediendi generationem. peccant tamen mortaliter conjuges expreſſa intentione prolem excludentes, aut quandocumque in modo congrediendi prolis conceptionem impediunt.

Peccant mortaliter conjuges ita congredientes ut factus conceptio impeditur.

7. Peccant mortaliter conjuges inhoneſtos attactus erga mutua copora exercentes cum periculo pollutionis, ſine relatione ad copulam: nam licet hujuſmodi attactus ipſis liceant, quatenus præciſe ſunt media & diſpoſitiones ad copulam maritalem, cauſa procreationis prolis (nam cui licitus eſt finis licita quoque ſunt media ad illum finem) nullatenus tamen hujuſmodi attactus illis licent, quatenus ex illis ſequitur aliquid repugnans generationi prolis, ſcilicet effuſio ſeminis extra vas. quin imo ut ſupra probavimus hâc in parte gravius peccant conjugati, quam ſoluti, ut potè cum peccatum contra naturam in conjugato, habeat ſimul adjunctam malitiam adulterii. Poſſunt tamen conjuges ſe mutuo honeſtè amplexari & oſculari ad fovendum mutuum amorem, ſepoſito pollutionis periculo.

Peccant mortaliter conjuges per tactus exponentes ſe periculo pollutionis non in ordine ad copulam.

8. Peccant mortaliter conjuges ob circumſtantiam loci, ut ſi actum maritalem exerceant in loco publico, aut aliquibus videntibus vel audientibus, ob ſcandali & ruinæ occaſionem, quam præbent aſpicientibus vel audientibus: & taliter, quod benè debent notare Paſtores, perſæpè peccant parentes, infrunite ſe invicem cognoſcentes, audientibus prolibus ſuis adultioribus. Unde innumera pullulant peccata carnis, præſertim apud infimæ ſortis homines, qui frequenter uno & eodem cum prolibus ſuis utuntur lecto vel cu-

biculo. Præterea vitiatur actus conjugalis, circumſtantia loci ſacri, ſi ille in eo exercentur. Et eapropter mortaliter peccant conjuges, qui abſque neceſſitate illum habent in loco ſacro, eſto occultè. Si quidem per talem actum gravis irreverentia irrogatur Eccleſiæ, quamvis tamen illa per occultam copulam non violetur.

Peccatũ eſt in loco ſacro exercere actum conjugalem.

Dixi, *ſine neceſſitatè*, nam ſi conjuges vel ob bellum vel obſidionem aut alia gravi de cauſa cogantur diu permanere in Eccleſia, ita ut immineret uni vel alteri periculum incontinentiæ, non peccabunt ex hac parte exercendo actum conjugalem in loco ſacro ſepoſito ſcandalo & occaſione ruinæ proximi; neque enim præcepta Eccleſiæ in tam gravi neceſſitate obligant, quæ eſto non ſit abſoluta, eſt tamen gravis attenta humana fragilitate; neque enim tunc ullam irreverentiam loco ſacro irrogant, ſed potius illud reverentur, qui ut evitent majus malum, admittunt maritalem copulam cauſa prolis. Porro nomine loci ſacri hic venit Eccleſia conſecrata aut benedicta, prout quilibet locus ex Epiſcopi authoritate deputatus ad officia divina ibidem perſolvenda, prout & cœmiterium ab Epiſcopo benedictum.

Niſi in caſu gravis neceſſitatis.

9. Peccat maritus ad minus venialiter, accedendo ad uxorem gravidam, & ratio eſt, quia ex tali copula poteſt ſequi generatio, quia prodigitur ſemen humanum, ceſſatque finis copulæ conjugalis qui eſt prolis generatio. Quinimo quandoque peccabit mortaliter, ſi fiat cum periculo aborſus. Porro ſecundum medicos illud periculum ordinariè ſubeſt, tempore formationis ſeu animationis fœtus, prout & immediatè ante partum: nam ſi tunc conjuges congrediantur, periculum eſt ut dicunt medici, ne proles ſuffocetur. Et eapropter S. Auguſtinus libro de Bono conjugal. cap. 6. inter exceſſus computat, quod aliqui adeo ſint incontinentes, ut nec conjugibus gravidis parcant.

Peccat ſaltem venialiter maritus mens cõjuge gravida.

10. Committitur ad minus peccatum veniale, dum quis accedit ad uxorem, tempore menſtrui, cum enim fœmina tunc ſit innepta ad retinendum ſemen, non poteſt quoque ordinariè ex tali actu ſequi generatio prolis, adeoque ceſſat finis congreſſus maritalis: unde quoque nec fœmina tenetur tunc viro petenti reddere debitum; neque enim umquam eſt obligatio illud reddendi, quando copula veſtitur circumſtantia aliqua peccaminoſa ex parte actus, prout hic.

Item ſi ad illam accedat tempore menſtrui.

Petes,

Digitized by Google

Item die feſto. Petes, an ſit peccatum exercere actum conjugalem, illum petendo diebus feſtis.

Reſp. affirmat. ſaltem veniale ad minus, ratio eſt, quia dies illi ſunt ab Eccleſia inſtituti, ad vacandum Deo & inſiſtendum orationi. Carnalis autem delectatio mentem adeo abſorbet, & obnubilat, ut reddat hominem planè ad orationem ineptum; & eapropter etiam apud Ethnicos ſolo lumine naturæ edoctos, receptum erat ut homines orationi vacaturi à concubitu conjugali abſtinerent. Idem quoque dic de tempore publicis orationibus deſtinato, prout & de diebus jejuniorum, quia jejunia præcipiuntur, ut caro maceretur. Unde ſicuti quis illicitas delectationes carnis tali tempore admittens, gravius peccat, ratione circumſtantiæ temporis, ita quoque peccat conjux à licitis non abſtinens, juxta mandatum Apoſt. 1. ad Corin. 7. *abſtinete vos ad tempus, ut expeditius vacetis orationi.* Et profecto ſi hoc ullo tempore verum ſit, id exigetur eo die, quo quis recepturus eſt Sacram Communionem propter evagationes mentis & hebetudinem ad ſpiritualia, quæ copulam carnalem conſequuntur

Et hæc quidem quoad uſum matrimonii ſufficere poterunt; quia tamen in his alia eſt ratio conjugis debitum petentis, & alia debitum reddentis; idcirco diſcrimen hoc prudenter hic venit notandum, & pro ejus elucidatione ſciendum.

Petitio debiti quando illicita. Conjugem poſſe dupliciter illicitè petere debitum, primò nempè ob aliquam circumſtantiam malam, ſeſe tenentem ex parte ſuæ perſonæ ut ſi v. g. ſit obſtrictus voto caſtitatis, aut ſi petat ob malum finem. 2. Poterit petere illicitè ob malam aliquam circumſtantiam ſeſe tenentem ex parte copulæ maritalis, prout accidit, dum quis illud petit in loco publico, aut tempore menſtrui &c. Quibus præſuppoſitis dico.

Quando ſit licitum reddere debitum illicitè petenti. Si conjux petat illicitè ob ſolam circumſtantiam perſonæ ſuæ tenetur reddens ex charitatè præmittere monitionem, qua ipſum à tali peccato avertat, quâ factâ ſi petens importunè inſtet, tenebitur alter reddere, qui reddendo non cooperabitur peccato petentis, ſed ob juſtam cauſam habebit ſeſe ad illud permiſſivè, quandoquidem ipſe faciat actum de ſe licitum.

Dices, ſi quis gladium apud me depoſuiſſet, quem ille repeteret ad Petrum occidendum, non poſſem illum illi reddere, eſto importunè peteret; ergo nec

poteſt reddi debitum illicitè petenti ob circumſtantiam perſonæ.

Reſp. negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia tradendo gladium illum taliter petenti, inferrem injuriam Petro, quem vellet iſte occidere; in caſu verò debiti petendi, conjux nulli facit injuriam reddendo debitum.

Porrò, ſi conjux petat illicitè ob circumſtantiam ſeſe tenentem ex parte actus, non erit licitum illi reddere, & ratio eſt, quia tunc ejuſmodi copula, prout procedit ab utroque conjuge eſt ex ſe mala & illicita, adeoque tenebitur ab illâ, tamquam à peccato, abſtinere.

QUÆSTIO IV. De Conſenſu Conditionato.

DUBIUM I.

An Matrimonium celebratum ſub Conditione ſit validum.

NOtandum primò, quod matrimonium, ſicuti & cæteri contractus dupliciter poſſint iniri, primò abſolute, ſecundo conditionatè: qui duo modi contrahendi ſunt valdè diſſimiles; ſiquidem contractus matrimonii abſolute initus, ſtatim eo ipſo quo fit parit translationem Dominii in mutuum corpus; conditionatus vero illam tranſlationem ſuſpendit uſque ad eventum conditionis. Nam ſic contrahens non vult dominium illud transferri, ſi appoſita conditio deficiat.

Illicitum eſt jam contrahere matrimonium ſub conditione.

2. Notandum, eſto videri poſſit alicui hoc dubium de conſenſu conditionali eſſe impertinens poſt Concilium Trident. eo quod matrimonium ad ſui valorem debeat coram parocho iniri & duobus teſtibus, qui prudenter admittere non poſſunt hujuſmodi matrimonia conditionalia, neque illis aſſiſtere, ob quàm plurima dubia, anxietates & ſcrupulos inde exoriri nata: adeoque requirere debent conſenſum utrimque abſolutum; tamen utile valde eſt illas conditiones explicare, partim ut natura contractus matrimonialis profundius introſpiciatur, & caſu quo de facto aliquod tale matrimonium ſub conditione iniretur, ut ſciatur quomodo oporteat in eo procedere; partim quoque quia illæ conditiones, quæ adjungi poſſunt matrimonio, poſſunt quoque adjici ſponſalibus, in quibus non eſt opus præſentiâ paro-

Digitized by Google

Parochi & teſtium ad illorum valorem.

3. Notandum, quod ea, quæ dicuntur de conditionibus, quæ contractui matrimoniali poſſunt ajici, ſolum habeant locum pro foro externo, aut quandò non conſtat de intentione contrahentium, quia in tali caſu judicatur in foro interno, prout Eccleſia judicat in foro externo; quando autem forum externum nititur falsâ præſumptione, tunc forum conſcientiæ non poteſt ſe illi conformare: quando verò oppoſitum non conſtat, idem tunc judicandum eſt in foro interno, quod in externo judicatur, alioqui per ſe loquendo in foro conſcientiæ ſemper ſtandum eſt intentioni contrahentium, dum illa ſcitur: adeoque ſi illi verè non habuerint intentionem contrahendi, niſi v.g. ſub conditione impoſſibili, turpi, vel neceſſariâ, etiamſi Eccleſia hujuſmodi conditiones habeat pro non adjectis, & judicet eapropter contractum matrimonialem valere, ille tamen à parte rei non valebit: ratio eſt quia abſque mutuo conſenſu contractus ſtare non poteſt, & ideo ſi conſenſus non detur, niſi ſuppoſita aliquâ conditione, ille uſque ad ejus adventum ſuſpendetur: unde ſi illa ſit impoſſibilis, numquam perficietur contractus, quia numquam ponetur conditio.

In foro interno ſtandum intentioni contrahentium.

Quartò nota, non eſſe eadem matrimonium conditionatum & conſenſum conditionatum; ſiquidem matrimonium propriè loquendo non poteſt eſſe conditionatum, ſed ſemper debet eſſe abſolutum; quia quamdiu conditio non eſt adimpleta, nullum adhuc eſt matrimonium, ſed tranſit in abſolutum per adventum conditionis, & ita intelli debet regula juris 50. in ſexto. *Actus legitimi non recipiunt conditionem neque diem.* Adeoque conditio illos ſuſpendens adverſatur ipſorum ſubſtantiæ; interim tamen ſolent Theologi uti illa voce matrimonii conditionati, per hoc ſolum volentes ſignificare, matrimonium tunc necdum eſſe perfectum.

Matrimonium propriè nunquã eſt conditionatum

Quo ſenſu dicatur matrimoniũ conditionatum.

5. Nota, quando dicitur per aliquas conditiones contractum matrimonialem vitiari, ſenſum eſſe, tunc contractum matrimonii eſſe nullum; quando verò dicitur aliquas conditiones in contractu matrimoniali haberi pro non adjectis, tunc ſenſus eſt, matrimonium eſſe validum non obſtante conditione appoſitâ, eo quod illa ſit habenda pro non appoſitâ.

His præmiſſis conditio impropriè & generaliter dicta alia eſt

Variæ ſpecies conditionum

Digitized by Google

de præſenti, alia de præterito, alia de futuro. Propriè verò dicta eſt ſola conditio de futuro ſuſpendens contractum uſque ad conditionis eventum; qui proinde non eſt validus donec & quo uſque conditio fuerit adimpleta: ratio eſt quia contrahentes non intendunt contrahere niſi dependenter ab illa conditione, & conſequenter nec contrahunt ante illius conditionis eventum: contractus tamen adveniente conditione fit validus abſque alio novo conſenſu, dummodo tamen contrahentes virtualiter permaneant in eodem priori conſenſu.

Sola conditio de futuro facit contractum propriè conditionatum.

Quomodo matrimoniũ ratificetur impleta cõditione.

Et ſi particulariter agatur de contractu matrimoniali ſub conditione celebrato coram Parocho & teſtibus, debebit quoque conſtare Parocho & teſtibus de illa conditione adimpleta: ratio eſt quia Conc. Trid. requirit aſſiſtentiam Parochi & teſtium ut poſſint teſtari de valore matrimonii, & impedire ne aliud matrimonium de novo contrahatur: quod profectò ipſi teſtari non poſſunt niſi ipſis conſtet conditionem eſſe adimpletam: ita quoque ſi matrimonium fuerit coram Parocho & teſtibus contractum ſub aliqua conditione de præſenti vel de præterito, debebit Parocho & teſtibus conſtare de verificatione illius conditionis, ob rationem ante allegatam.

Aliter dividitur conditio tam propriè, quam impropriè dicta quæ apponi poteſt contractui matrimoniali, in neceſſariam, turpem, honeſtam, impoſſibilem, contingentem, impertinentem.

Neceſſaria, alia eſt talis ex natura ſua: ut ſi quis dicat, *contraho tecum ſi es moriturus, ſi ſol cras orietur:* alia eſt talis ex ſuppoſitione: ut v. g. ſi quis dicat, *contraho tecum ſi Antichriſtus veniat.*

Quæ conditio dicatur neceſſaria.

Conditio impoſſibilis, alia quoque eſt talis ex natura ſua: ut ſi quis dicat, *contraho tecum ſi digito cælum tetigeris*; alia eſt talis reſpectu ſtatus contrahentis: ut ſi quis dicat mendico, *contraho tecum ſi mihi mille florenos numeraveris.*

Quæ impoſſibilis.

Alia eſt de jure; quæ ſcilicet ſtante jure, eoque inviolato permanente poni nequit: ut ſi quis dicat, *contraho tecum ſi liceat mihi inire matrimonium cum conſanguinea in primo gradu.*

Conditio turpis alia eſt contra ſubſtantiam matrimonii, qualis eſt quæ adverſatur uni ex tribus bonis matrimonii, ſcilicet vel bono prolis, vel fidei, vel Sacramenti: alia eſt quæ adverſatur ſubſtantiæ matrimonii: ut

Quæ turpis & quotuplex

ſi

ſi quis dicat, *contraho tecum ſi homicidium commiſeris.*

Matrimonium initum ſub conditione de præſenti aut præterito non eſt conditionatum propriè.

Dico 1. matrimonium initum ſub conditione de præſenti vel prçterito non facit illud conditionatum ſed abſolutum: quod pateſcit ex natura contractus: nam ſi conditio adſit, jam ille perfectus eſt adeoque obligat: ſi verò non adſit vel non exſtiterit, jam non adeſt conditio, adeoque nec valet contractus, quia ſolum ſub illa conditione contrahentes intendunt ſe obligare.

Quid ſi illa fuerit conditio turpis.

Petes, quid ſi matrimonium fuerit initum ſub conditione turpi quæ eſt contra ſubſtantiam matrimonii, attamen ſit de præſenti vel præterito: an illâ ſubſiſtente, matrimonium erit validum

Reſp. affirmativè; quia conditio turpis de præſenti vel præterito non ſuſpendit contractum, ſed ſi illa adſit, ille tranſit in abſolutum: ſi verò illa non adſit, ille eſt nullus & invalidus. Idem quoque pariformiter dic de conditione impoſſibili de præſenti vel præterito.

Petes, an ad valorem matrimonii requiratur cognitio exiſtentiæ talis conditionis: ut ſi v. g. quis contrahat cum aliqua ſub hac conditione *ſi ſit virgo, vel ſi ſit nobilis.*

Reſp. affirmativè; quia ad valorem matrimonii requiritur ut uterque contrahens ſciat conſenſum alterius; quod in illo caſu fieri nequit niſi ſciat nobilitatem vel virginitatem puellæ.

Matrimonium initum ſub conditione de futuro neceſſaria, eſt ipſo facto validum.

Dico 2. matrimonium initum ſub conditione de futuro neceſſaria: ut ſi quis dicat, *duco te ſi ſol cras oriatur*, eſt abſolutè validum, quia talis conditio eſt de facto determinata in ſua cauſa naturali, adeoque eſt quaſi præſens & adimpleta, eò quod futuritio ejus de facto inſit rei: præterea ejuſmodi conditio cenſetur addita non tam ad ſuſpendendum conſenſum quam ad demonſtrandam illius certitudinem, ut ſenſus ſit ſicuti certum eſt ſolem cras oriturum, ſic certum eſt me ducere te.

Sub conditione vero de futuro contingẽti, ſuſpẽditur ad eventum conditionis.

Dico 3. matrimonium initum ſub conditione indifferente de futuro: ut hæc, *duco te ſi pater tuus conſenſerit*, ſuſpenditur uſque ad eventum conditionis: ratio eſt quia contrahentes non intendunt ſe obligare niſi poſt eventum conditionis.

Matrimonium ſub conditione de futuro turpi, eſt invalidum.

Dico 4. contractus matrimonialis initus ſub conditione turpi de futuro, ſi illa ſit contra ſubſtantiam matrimonii, eſt invalidus; ratio eſt quia ejuſmodi conditio turpis de futuro allicit homines ad patranda turpia, adeoque obligat ad peccatum: quod implicat contradictionem.

Dices,

Digitized by Google

Dices, valet contractus matrimonii initus ſub conditione turpi, eſto contra ſubſtantiam, ſi illa ſit de præſenti vel præterito, ut ſupra diximus; ergo valebit quoque matrimonium initum ſub tali conditione de futuro.

Cur potius quã ſub tali conditione de præſenti aut præterito.

Reſp. negando conſequentiam;& ratio diverſitatis eſt quod conditio turpis de præſenti vel præterito non ſuſpendat contractum, neque per illam contrahentes obligantur ad peccatum, quia ſupponitur delictum fuiſſe patratum: in matrimonio verò inito ſub conditione de futuro, ſuſpenditur conſenſus uſque ad eventum conditionis, adeoque obligantur homines ad patrandum peccatum: valet proinde matrimonium initum ſub hac conditione de præſenti, *ineo tecum matrimoniũ ſi prolem tuam occidiſti, ſi adulterata fueris* &c. Invalidum verò erit matrimonium ſub conditione turpi de futuro: ut v. g. ſi quis dicat *ineo tecum matrimonium ſi te obliges ad procurandum aborſum, ad adulterandum*: ratio eſt quia conditio contra ſubſtantiam alicujus contractus appoſita deſtruit ipſum contractum; quales ſunt illæ conditiones turpes de futuro contra bona matrimonii; nam ut ſic, imponunt obligationem obligationi matrimoniali directè contrariam: quod ſi tamen illæ adhibeantur poſt contractum matrimonialem validè initum, tunc illum non irritant, quippè antea validè contractum.

Matrimonium initum ſub conditione turpi de futuro etſi non contraria ſubſtantia matrimonii eſt invalidum.

Dico 5. conditiones turpes, quamvis non ſint contra ſubſtantiam contractus, dummodo ſint de futuro, invalidant contractum; nam, ut ſic, obligant & alliciunt ad peccatum, quod implicat contradictionem: idem quoque faciunt conditiones de jure impoſſibiles quando ſunt de futuro in aliis contractibus; quod tamen attinet ad contractum matrimonialem, illum nec irritant nec invalidant ſed habentur pro non adjectis: prout patet ex cap. *finali* de conditionibus appoſitis ubi Gregorius IX. ſtatuit conditiones impoſſibiles & turpes adjectas contractui matrimoniali, debere propter ejus favorem pro non adjectis haberi, ac proinde non irritare contractum, exceptis iis quæ ſunt contra ſubſtantiam.

Conditiones impoſſibiles in contractu matrimoniali habentur pro non adjectis.

Dices, tales conditiones matrimonio adjectæ ſunt potius ſignum diſſenſus quam conſenſus, quem Eccleſia in matrimonio nequit ſupplere eò quod quilibet quo ad illud ſit ſui juris; ergo tales nequeunt haberi pro non adjectis, ita ſcilicet ut matrimonium cum illis ſit validum: præterea

Digitized by Google

præterea conditio turpis de futuro allicit ad peccatum, ad quod nemo poteſt obligari, ergo.

Reſp. pro explicatione canonis citati notare oportet, quod conditiones impoſſibiles, item turpes de futuro dupliciter poſſint apponi contractui matrimoniali. 1. quatenus per talem conditionem immediatè exigitur ipſum opus turpe aut impoſſibile præſtandum; quo modo ſuſpenditur conſenſus donec opus quod exigitur, præſtetur: & eapropter dum conſtat talem conditionem taliter matrimonio eſſe appoſitam, tunc non eſt habenda pro non adjecta: nam, cum tunc non adſit conſenſus de præſenti, conſequens eſt tunc matrimonium non poſſe eſſe validum; & eapropter ſi ſit conditio abſolutè impoſſibilis, contractus matrimonialis quoque erit abſolutè invalidus: ſi verò ſit turpis aut ſolo jure impoſſibilis, tunc ſuſpendet contractum uſque ad eventum conditionis.

Conditio turpis aut impoſſibilis duplici modo poteſt adjici contractui.

II. Apponi poterit ejuſmodi conditio contractui matrimoniali, non quaſi exigatur immediatè ipſum opus malum præſtandum, ſed ſolum obligatio ad illud: ut ſi quis diceret *contraho tecum ſi matrem meam alueris*, id eſt ſi te de facto obliges ad matrem meam alendam illa conditio intellecta & appoſita non ſuſpendet contractum, ſed ſtatim altero conſentiente & conditionem acceptante perficitur contractus.

Quibus prænotatis.

Gregorius IX. cap. *finali* inſtruit judices in foro externo quomodo de hujuſmodi contractibus matrimonialibus in foro externo debeant judicare quando conſtare nequit quo animo conditio illa ſit adjecta, an ſcilicet animo immediatè exigendi opus turpe, an verò ſolo animo obligationem exigendi ad opus turpe: nam ſi conſtare poſſit de intentione, tunc abſolutè ſecundum illam eſt judicandum: quod ſi verò illa ſit dubia, tunc judicandum erit in favorem matrimonii, & conditiones illæ haberi debebunt pro non adjectis.

Dices, eſto quis conditionem impoſſibilem aut turpem apponat teſtamento, legato, vel inſtitutione hæredis, quâcumque intentione illa ponatur, habetur pro non adjectâ; ergo idem dicendum erit de contractu matrimoniali.

Cur conditio impoſſibilis non obſtet diſpoſitioni ultimæ voluntatis, obſtare autem poſſit matrimonio.

Reſp. negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt hæc, quod in contractibus memoratis jus poſitivum poſſit ſupplere conſenſum; eò quod res

externæ ſubſint diſpoſitioni juris humani, ſecus verò matrimonium in quo quilibet eſt ſui juris.

Porro cauſa cur jus poſitivum in ultimis voluntatibus hoc ita ſtatuerit, eſt, eoquod mortuo teſtatore non ſuperſit qui poſſet ejus mentem interpretari, qualiter nimirum conditionem intellexerit, ſerione an joco; unde naſci poſſent plurimæ lites.

Porro in aliis contractibus conditiones impoſſibiles illos omnino invalidant, eò quod potius ſint ſignum diſſenſus quam conſenſus

Petes, quid ſi contractui matrimoniali apponatur conditio quæ illi tacitè ineſt, an ille erit conditionatus.

Reſp. negativè, ſed abſolutus; ſi quidem per tales conditiones tacitas ſolum exprimitur id quod eſt de eſſentia veri contractus.

An ſit validum matrimonium ſub conditione ſi Papa diſpenſet.

Petes, qualis ſit illa conditio, *promitto tibi matrimonium ſi Papa diſpenſet.*

Reſp. ſi impedimentum ſit tale in quo Pontifex non poteſt diſpenſare, ut puta jure naturæ dirimens matrimonium, aut jure poſitivo divino, aut in quo poteſt quidem diſpenſare ſuppoſita juſta cauſa quæ hic non ſubeſt, tunc conditio illa venit annumeranda inter impoſſibiles: quod ſi verò impedimentum ſit tale in quo ſolet Pontifex diſpenſare, adeſtque juſta cauſa, tunc erit annumeranda inter contingentes, & tunc erit obligatio exſpectandi donec conditio impleatur, ita ut neutri altero invito fas ſit reſilire ante conditionem adimpletam: ratio eſt quia inſtitutio ſpurii in hæreditatem ſub conditione ſi princeps illum legitimet, eſt valida; ergo & hæc; neque enim conditio pendens à voluntate Principis reputatur impoſſibilis.

Si quis contrahat cum duabus ſub conditione, quod matrimoniũ valebit.

Petes, quid ſi quis contrahat cum duabus per verba de præſenti, attamen ſub conditione de futuro, quodnam matrimonium valebit.

Reſp. illius cujus conditio prius adimplebitur: quod ſi verò utriuſque conditio ſimul adimpleatur, tunc neutrum matrimonium valebit: eò quod incertitudo vitiet matrimonium: ut patet cap. *in litteris*: hinc ſi quis cum duabus contrahat ſponſalia conditionata, ſi conditiones ſimul impleantur, neutra obligabunt, eò quod vitientur ratione incertitudinis.

An valida ſint ſponſalia cum conditione contra.

Petes, an valeant ſponſalia inita ſub conditione quæ ſit contra ſubſtantiam matrimonii.

Reſp. ſi apponatur conditio adimplenda ſtante matrimonio, tunc illa ſponſalia annullabit: ratio

ſubſtantiam matrimonii.

tio eſt quia illa quæ contrariatur ſubſtantiæ matrimonii illud reddit invalidum, ad quod ſponſalia ordinantur: quod ſi vero ponatur tamquam implenda ante matrimonium, ut ſiquis dicat *promitto tibi matrimonium ſi ante matrimonium ſorniteris*, tunc ſponſalia erunt valida, eò quod illa conditio non obſit contractui matrimoniali: quod ſi verò quis ita contrahat, *promitto tibi matrimonium ſi veneno te ſterilem efficias ante matrimonium*, ſponſalia erunt invalida, eò quod conditio illa, quantumvis prævia contrarietur bono prolis.

Conditiones turpes aut impoſſibiles in ſponſalibus etiã habeantur pro non adjectis.

Petes, an ſicut conditiones turpes ita & impoſſibiles adjectæ ſponſalibus etiam debeant haberi pro non adjectis.

Reſp. affir. eò quod ſponſalia ſint quoddam matrimonii initium, adeoque id quod à jure quoad illas conditiones eſt diſpoſitũ pro matrimonio cenſetur quoque diſpoſitum pro ſponſalibus.

QUÆSTIO V.

An Matrimonium coactum ſeu cui metus cauſam dedit ſit validum.

Quid metus.

PRænotandum, metum eſſe mentis trepidationem imminentis alicujus mali cauſâ; qui dividitur in gravem vel levem; juſtum & injuſtum, quique incutitur vel à cauſa naturali, qualis eſt metus mortis proveniens ab aqua, fulmine, igne, feris animalibus: vel à cauſa libera v. g. ab homine.

Quia verò de illis fuſe egimus de Actibus Humanis tract. 6. quæſt. 2. dub. 1. eò Lectorem remittimus: hic verò ſolum tractabimus qualiter metus debeat eſſe circumſtantionatus ut dirimat matrimonium.

Dico 1. ut metus irritet matrimonium, requiruntur hæc tria. 1. Ut ſit metus gravis. 2. Ut ſit injuſtè incuſſus. 3. Ut ſit incuſſus in ordine ad extorquendum matrimonium. Quæ patent ex c. *veniens.* Item c. *conſultationi tuæ.* Et apertè colligitur ex cap. *cum locum.* Ex quo ſequitur quod ſi quis adoleſcens injuſtè minetur mortem puellæ niſi in matrimonium conſentiat, & illa eo metu coacta conſenſerit, matrimonium ſit nullum.

Dixi 1. metum debere eſſe gravem; quia matrimonium initum per metum levem, eſto injuſtè incuſſum, non eſt invalidum; eò quod in jure non habeatur ratio metus levis, ut patet in ſponſalibus & voto. Deinde quia ſicut cæteri contractus celebrati per metum levem non

 ſunt

ſunt irriti, ita neque matrimonium, unde nullus exſtat textus in Jure Canonico illud irritans.

Petes, an matrimonium ex gravi metu & circumſtionato prout ante contractum, non tantum ſit invalidum jure Eccleſiaſtico, ſed etiam jure naturæ.

Metus irritat matrimoniū jure non tantum poſitivo.

Reſp. negativè, nam ſi illud jure naturæ eſſet invalidum id proveniret defectu conſenſus, vel ratione injuriæ. Prius dici non poteſt: quia qui metu coactus conſentit, abſolutè voluntarie conſentit: nec obſtat quod illi volitioni adſit nolitio, quia hæc eſt ſolum inefficax, & nolleitas, quâ nollet conſentire ſi malum intentatum abeſſet. Nec ſecundum dici poteſt, ſcilicet id fieri ratione injuriæ: tum quia illa non eſt immediata cauſa contractus, ſed conſenſus contrahentis; tum quia licet illa poſſit eſſe ſufficiens ad revocandum conſenſum, non tamen eſt ſufficiens ut reddat contractum de facto irritum; ut patet in contractu, cui dolus cauſam dedit.

Alii contractus metu gravi initi non ſunt ipſo facto irriti.

Petes, an alii contractus metu gravi injuſtè incuſſo initi ſint ipſo facto irriti jure poſitivo.

Reſp. negativè, prout patet ex L. ult. cap. *de his quæ vi* ubi ſic habetur „venditiones, emptiones, tranſactiones quæ per „potentiam extortæ ſunt præcipimus infirmari „ ergo illæ aliquo modo erunt validæ, quamquam arbitrio ejus qui injuriam paſſus eſt irritandæ, juxta commune dictum. *Quæ vi & metu fiunt in irritum revocari debere*, intellige, ſi metus ſit incuſſus ad ineundum contractum.

Metus gravis juſte incuſſus nō irritat matrimonium.

Dixi 2. metum gravem debere in matrimonio eſt injuſtè incuſſum, quia ſi ille juſtè incutiatur, illud erit validum, ſi ſcilicet incutiatur juſte in ordine ad matrimonium: quod addo, quia metus eſt reſpectivè juſtus; & eapropter ille metus qui quandoque eſt juſtus ad unum finem, poteſt eſſe injuſtus ad alium finem: & ita poteſt quis metum accuſationis alicui injicere ob injuriam illatam, non tamen in ordine ad matrimonium, eò quod metus ille contrarietur libertati matrimonii: ex quo ſequitur ſi pater minetur alicui adoleſcenti accuſationem apud judicem niſi ducat filiam ſuam, quam conſentientem defloravit, matrimonium ex hoc metu contractum eſſe invalidum: nec refert quod pater ille habeat juſtam cauſam incutiendi metum accuſationis ad obtinendam ſatisfactionem pro injuria ſibi illata, quia non habet juſtam cauſam hunc metum incutiendi ad extorquendum matrimonium: ita quoque ſi quis minetur

Quando eſt juſtus in ordine ad matrimoniū.

Aliâs enim poteſt matrimoniū irritare.

minetur accuſare furem niſi filiam ſuam ducat in uxorem, injuſtè minatur in ordine ad matrimonium quamvis juſtè in ordine ad bonum publicum.

Ex his collige ſi quis ſub gravi pœna cogatur à judicè contrahere matrimonium; & ſtare ſponſalibus ante celebratis, illud ſic contractum eſſe validum, quia juſtè ad hoc compellitur. Idem dicendum de omnibus contractibus ex juſto metu elicitis: & ratio eſt quia tales reſcindi non poſſunt niſi ratione injuriæ quæ hiç non intervenit.

Dices, intervenire defectum conſenſus ſeu voluntarii.

Reſp. negando antecedens, ut patet ex antedictis: quinimo, rem moraliter conſiderando, nequidem intervenit involuntarium ſecundum quid, quia talis voluntariè cauſam metus poſuit; qui autem vult cauſam etiam cenſetur velle effectum: hinc infer validum eſſe matrimonium contractum à Petro metu juſtæ accuſationis incuſſo à Patre Catharinæ niſi Petrus ducat illam quam ſub ficta promiſſione defloravit, nam metus ille juſtè incutitur per ordinem ad matrimonium: ſecus decendum ſi alicui incutiatur metus mortis privatâ authoritate inferendæ.

Si Pater metu juſtæ accuſationis cogat injuſtum defloratorem ſuæ filiæ ad matrimoniũ illud eſt validum

Dixi 3. metum illum gravem debere injuſtè incuti per ordinem ad matrimonium extorquendum, nam, ſi metus ille ob alium finem incutiatur, ad quod malum evadendum matrimonium ſponte tamquam medium eligatur, illud valebit: ſiquidem adeſt ſufficiens voluntarium ad tale matrimonium, nec illud ullo jure irritatur.

Hinc infer ſi quis morti adjudicatus ad illam evadendam ducat meretricem, validum eſſe matrimonium; ſiquidem metus mortis non incutitur ad extorquendum matrimonium, ſed propter delictum commiſſum, ipſe autem eligit illud tamquam medium ad mortem evadendam: nec refert quod matrimonium illud ſit aliquo modo involuntarium (ſiquidem extra has circumſtantias nollet) quia illud involuntarium non eſt cauſa conſenſus, ſed tantum occaſio. Infer hinc quoque validum eſſe matrimonium contractum, à defloratore puellæ, quem frater illius volebat occidere, qui ſe ſponte obtulit ad filiam defloratam ducendam ut mortem evaderet, ſiquidem metus non eſt incuſſus ad extorquendum matrimonium (nam frater intendebat defloratorem occidere, non verò metum incutere ad matrimonium extorquendum; ſimiliter

liter ſi puella capta à latrone mortem minante niſi det centum florenos, illa autem in matrimonium ejus ſponte conſentiat ad evadendam mortem, tenebit matrimonium: ſimiliter ſi puella in aquas lapſa & mergi incipiens quam nauta recuſat juvare niſi promittat matrimonium; ſimiliter matrimonium contractum inter filium Doctoris Medici & ægrotam quam doctor recuſat ſanare niſi filium ſuum ducat aut ſe in maritum, & illa metu mortis illum ducat, erit validum, eò quod in ejuſmodi exemplis metus mortis non incutiatur à cauſa libera, nempe à nauta vel medico, ſed à cauſa naturali, ſcilicet aquâ, vel morbo.

Intellige tamen hæc ſi ſolum ex charitate & non ſimul ex juſtitia teneantur juvare, alioquin enim cenſebuntur cauſa moralis metus in ordine ad matrimonium.

Metus irritat matrimonium etſi non ſit à comparte injuſtè incuſſus.

Petes, à quo metus debeat incuti ut matrimonium ab eo contractum ſit irritum.

Reſp. id eſſe perinde ſive ſit incuſſus à comparte, ſive ab aliquo tertio; nam canones ponderant ſolum metum, non verò cauſam à qua ſit illatus, eò quod impertinens ſit à quo inferatur, ſi pars ex metu contrahens adigatur injurioſè ad matrimonium contrahendum cum læſione ſuæ libertatis.

Metus reverentialis injuſtus irritat matrimonium.

Petes, an matrimonium filiæ ſit invalidum quod illa init coacta metu reverentiali patris ſui valde auſteri ipſam ad hoc adigentis.

Reſp. affirmativè; quod ex antedictis patet.

Petes, quis ſit finis conſtitutionis Eccleſiaſticæ irritantis matrimonia ex metu contracta.

Cur Eccleſia irritet matrimonium metu contractum.

Reſp. bonum commune ut videlicet rixæ & infœlices exitus matrimoniorum evitentur, & pax in republica ſervetur.

Petes, an matrimonium ex metu circumſtantionato initum nullam pariat obligationem.

Reſp. ſi metus ſit incuſſus à comparte vel eâ conſentiente & valente impedire, ita ut illa ſit in culpa, tunc illa tenebitur conſenſum revocare, ſi is qui metum paſſus eſt velit, & alter non poſſit damnum ejus aliter avertere, eò quod per actum injurioſum illi ſit cauſa damni, prout quoque fit in aliis contractibus: quod ſi verò illa non ſit particeps culpæ, ex eò quod metus ab aliquo tertio eâ inſciâ ſit incuſſus, tunc poterit, cognitâ nullitate matrimonii ab ea recedere.

Petes, an ex dicto metu matrimo-

trimonium contrahens peccet.

An qui ex metu gravi injuſte contrahit matrimonium, peccet.

Reſp. ſi fictè conſentiat, peccabit ſaltem venialiter: ſi verò utatur amphibologia, prout tunc juſtè facere poteſt, non peccabit: quod ſi vero ſincerè conſentiat, neque tunc peccabit; nec enim dici poteſt quod ſit Sacramento injurioſus, quandoquidem ipſe illud non irritet, nec ad ejus irritationem cooperetur; ſiquidem conſenſus quem ipſe præſtat nec habet rationem materiæ nec formæ; nec ipſe quoque mentitur dum ait, accipio te in meam, quia hoc ſolum verum eſt quantum eſt ex parte ſua: neque refert quod poſſit validè contrahere adhibendo conſenſum liberum, quia ad hoc ob juſtam cauſam non tenetur, ſed poteſt ſiſtere in eo qui metu extorquetur.

Excuſatur ordinarie à peccato qui metu mortis contrahit cum conſanguinea v. g.

Petes, an non peccet qui metu mortis contrahit cum conſanguinea in gradu prohibito jure poſitivo humano.

Reſp. negativè, quia lex ejuſmodi contractum prohibens non obligat cum vitæ periculo niſi in caſu particulari bonum commune aliud poſtulet

QUÆSTIO VI.
De Matrimonio clandeſtino.

DUBIUM I.
Quid Matrimonium clandeſtinum.

Quando matrimonium dicatur clandeſtinum.

CLandeſtinum, prout nomen præ ſe fert, dicitur id quod clam fit: quod duobus modis contingit circa matrimonium. 1. Quando celebratur omiſſis proclamationibus: quod itamen impropriè vocatur clandeſtinum. 2. Quando fit ſine aſſiſtentia Parochi & duorum teſtium, illudque eſt propriè clandeſtinum, & eatenus diſtinguitur contra matrimonium ſolemne, quod contrahitur in facie Eccleſiæ; non quod in ipſa materiali Eccleſia debeat celebrari, ſed quia ſit coram aliqua multitudine fidelium repreſentante Eccleſiam, Parocho nimirum & teſtibus.

Utraque matrimonia clandeſtina ſemper deteſtata eſt Eccleſia, potiſſimum illa quæ ſunt poſterioris generis prout patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. ubi ait, „ nihilominus Sancta Dei Eccleſia ex ju-

„ ſtiſſimis

„ ſtiſſimis cauſis illa ſemper eſt „ deteſtata atque prohibuit.

Cur matrimonia clandeſtina ſint illicita.

Porro cauſæ hujus inhibitionis ſunt, quia cum Eccleſia non judicet de occultis, nec quiſpiam de contractu matrimoniali poſſit atteſtari, poſſent conjuges vel communi conſenſu, vel aliter, ſe invicem deſerere & ad aliud matrimonium procedere, & ita cum ſecunda vivere in continuo adulterio: inſuper caſu quo pœnitentiâ ducti vellent redire ad priorem conjugem qua cum clandeſtine contraxerant, cogebantur permanere cum ſecunda cum qua publicè contraxerant, eò quod judex Eccleſiaſticus non poterat pronuntiare pro priori matrimonio clandeſtino ſibi incognito.

Matrimonio præmittenda publica proclamationes.

Clandeſtina prioris generis eſſe quoque illicita, patet, quia ſunt contra inhibitionem Eccleſiæ in materia gravi; nam Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. ſic ait, „ idcirco Sacri Lateranenſis Concilii, ſub Innocentio III. celebrati, veſtigiis inhærendo „ præcipit ut impoſterum antequam matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis „ diebus feſtivis inter miſſarum „ ſolemnia publicè denuntietur „ inter quos matrimonium ſit „ contrahendum; quibus denuntiationibus factis ſi nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur.

Petes, quo jure matrimonia clandeſtina propriè dicta ſunt inhibita.

Reſp. non tantum lege poſitivâ Eccleſiaſtica ſed & lege naturali eò quod talis modus contrahendi præſertim ſine teſtibus per ſe præbeat occaſionem deferendi compartem, negligendi prolem, & aliud matrimonium incundi: ex quo patet ejuſmodi clandeſtina matrimonia etiam apud infideles ſine gravi peccato iniri non poſſe.

Petes, an ejuſmodi matrimonia clandeſtina ſint quoque invalida jure naturæ.

Reſp. negat. prout patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. his verbis „ tam etſi dubitandum non eſt clandeſtina „ matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia quam diu „ Eccleſia ea irrita non fecit .... „ nihilominus Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimus cauſis ea „ ſemper deteſtata eſt, &c.

Matrimonia clandeſtina jure tantùm

Petes, quo jure ergo illa matrimonia ſint invalida.

Reſp. jure novo Conc. Trid. ut patet Seſſ. 24. cap. 1. de Reform.

Eccleſiaſtico ſunt invalida.

form. his verbis,,,qui aliter quam ,, præſente Parocho vel alio ſacerdote de ipſius Parochi ſeu ,, ordinarii licentia, & duobus vel ,, tribus teſtibus matrimonium ,, contrahere attentarint, eos Sacra ,, Synodus ad ſic contrahendum ,, omnino inhabiles reddit, & ,, ejuſmodi contractus irritos & ,, nullos eſſe decernit, prout eos ,, præſenti decreto irritos facit & ,, annullat.

Dices, id quod eſt jure naturæ validum non poteſt Eccleſia irritare aut invalidare; ſed, ut dictum eſt, ejuſmodi matrimonia clandeſtina ſunt jure naturæ valida, ergo Eccleſia non poteſt ea invalidare.

Quo ſenſu illa dicantur valida jure naturali.

Reſp. diſtinguendo aſſumptum, & dico aliquid dupliciter dici jure naturæ validum. 1. Quidem ut hoc intelligatur de jure naturæ præcipiente. 2. Ut tantum intelligatur de jure naturæ permittente: priori modo concedimus id quod eſt jure naturæ præcipiente validum non poſſe ab Eccleſia invalidari; ſecus vero quod tantum eſt validum jure naturæ permittente; prout eſt contractus ille matrimonialis clandeſtinus: & ita quoque ſtando in ſolo jure naturæ permittente, quamplurimi alii contractus defectu alicujus ſolemnitatis à jure poſitivo requiſitæ ſunt invalidi, qualis eſt v. g. profeſſio Religioſi ante annum ætatis 16. completum; prout quoque contractus minorennium initi ſine tutoris conſenſu; & mulierum ſine conſenſu viri; item prodigi &c

Petes, quot modis Eccleſia matrimonium clandeſtinum invalidet.

Quomodo matrimonia clandeſtina ab Eccleſia reddantur nulla.

Reſp. tribus 1. *indirectè*, nempe perſonas contrahentes reddendo, inhabiles ad ſic contrahendum, eo modo quo magiſtratus prodigos & minorennes, item mulieres ſine conſenſu reſpectivè curatorum, tutorum, & maritorum ad contractus civiles reddit inhabiles. 2. *Directè* ipſum contractum ſecundum ſe invalidando quatenus, inhibet & facit ne mutuus conſenſus clandeſtinus ſit legitimus & ſufficiens ad mutuum corporum dominium transferendum, eo modò quo lex civilis irritat donationem minorennis ſine conſenſu curatoris, impediendo nimirum ne ejus voluntas ſit ſufficiens ad transferendum dominium rei donatæ. 3. Invalidat inſuper matrimonium clandeſtiunm *in ratione Sacramenti*, in quantum invalidat contractum qui eſt ipſius Sacramenti baſis, & fundamentum.

Dices, Eccleſia non poteſt, immutare materias & formas Sacramentorum, & facere quod

aliquid ſit de eorum ſubſtantia quod ante non erat, aut modo procuraret ut aliquid non ſit de ſeorum ſubſtantia quod ante erat, prout patet in materia baptiſmi, quia Eccleſia nequit efficere ut aqua naturalis non ſit materia baptiſmi aut panis triticeus aut vinum de vite non ſit materia Euchariſtiæ: ſed conſenſus clandeſtinus ante erat materia & forma ſufficiens ad valorem matrimonii: præterea aſſiſtentia Parochi & duorum teſtium ante Conc, Trid. non erat de ipſius eſſentia.

Eccleſia illa matrimonia irritando non immutat eſſentiā Sacramenti.

Reſp. Eccleſiam propriè loquendo non immutare materiam aut formam Sacramenti, eò quod illa nequeat efficere ut materia aut forma permanentes in ſua ſpecie prout illas Chriſtus inſtituit non ſint materia aut forma Sacramenti: poteſt tamen dici aliquo modo impropriè immutare quatenus poteſt materiam aut formam quam Chriſtus inſtituit ita deſtruere ut non ſit amplius ipſa materia Sacramenti, quod & quilibet particularis poteſt efficere v.g. aquam naturalem corrumpendo ne ſit materia baptiſmi, panem & vinum deſtruendo ne ſit materia Euchariſtiæ: hoc quoque modo in Sacramento Matrimonii materia & forma ſunt legitimi conſenſus ipſorum contrahentium, qui, quamdiu manent tales, ab Eccleſia invalidari non poſſunt; quia tamen hujuſmodi conſenſus ſubſunt publicæ poteſtati, poteſt circa illos aliquas conditiones ſeu qualitates requirere ſine quibus illi non erunt legitimi, adeoque nec apta materia Sacramenti Matrimonii, & ita aſſiſtentiam Parochi & duorum teſtium modo requirit tamquam qualitatem & conditionem eſſentialem, ad hoc ut ipſi conſenſus ſint legitimi.

Dices annullatio ſeu invalidatio alicujus actus eſt pœna, hæc autem non incurritur ante judicis ſententiam, ergo matrimonium clandeſtinum in conſcientia non eſt irritum.

Reſp. decretum aliquod ſeu conſtitutionem inducentem alicujus actus nullitatem dupliciter poſſe fieri 1. in odium tranſgredientis legem; quo caſu illa eſt pœna, quia tunc imponitur ut delicti ſupplicium. 2. propter defectum ſolemnitatis non obſervatæ, quia ſcilicet tradit certam formam requiſitam ad valorem actuum, quâ non obſervatâ actus eſt invalidus; & ita hoc ſecundo modo decretum latum eſt circa matrimonium clandeſtinum, circa teſtamentum minus ſolemne, circa alienationem rerum Eccleſiaſticarum ſine requiſita ſolemnitate.

Petes,

Petes, an ſit hæreſis negare Eccleſiæ poteſtatem irritandi matrimonia clandeſtina.

Reſp. affirma. quia conſtat ex Conc. Trid. Eccleſiam ejuſmodi matrimonia irritaſſe, & eſt dogma fidei quod Eccleſia in definiendis iis quæ ad fidem vel mores ſalutares pertinent errare non poſſit.

Cur Eccleſia irritet matrimonia clandeſtina.

Ex his ſequitur Eccleſiam valde providè hujuſmodi matrimonia irritaſſe requirendo aliquam externam ſolemnitatem per quã conſtaret Eccleſiæ de matrimonio contracto, idque ut evitarentur graviſſima incommoda ſuperius recenſita: porro prout habetur in Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1 de Reformatione Matrim. circa finem „decernit, S. Synodus ut hujuſmodi decretum in „unaquaque Parochia ſuum robur poſt 30. dies habere incipiat à die primæ publicationis, „in eadem Parochia factæ, numerandos. „ Ex quo ſequitur, quod, ſi quæ provincia Conc. Trid. ante non recepiſſet, illud verò modò pro hac parte ſuſcipiat, matrimonia clandeſtina ibidem celebrata non fore irrita ante completos 30. dies poſt publicationem.

DUBIUM II.

An ubi hoc Concilii decretum eſt receptum, ſit taliter neceſſaria aſſiſtentia Parochi & duorum teſtium, ut ſine his matrimonium nullo caſu ſit validum.

Reſp. affirma. per ſe loquendo quia hæc conſtitutio Con. Trid. inducit formam eſſentialem, ut patet ex textu; quando enim in aliqua conſtitutione dicitur contractum aliter fieri non poſſe, ſignum eſt ſolemnitatem illam taliter eſſe requiſitam ut ſine illa actus nequeat ſubſiſtere: quâ proinde deficiente matrimonium nullo modo poteſt eſſe validum.

Dices, leges divinæ patiuntur interpretationem ex æquo & bono, ſive epykeiam, ita nimirum ut quæ pro tuenda charitate ſunt inductæ, ipſi charitati non adverſentur: & ita Joan. 6. habetur neminem abſque; baptiſmo poſſe ſalvari; & tamen, deficiente miniſtri vel aquæ copiâ, ſufficit baptiſmi votum; ergo multò magis leges humanæ patientur epykeiam, præſertim in caſibus matrimonialibus, quia ſi matrimoniũ ſemper foret nullum defectu ſolemnitatis, perſæpe adverſare-

tur charitati, eò quod quandoque ſalus alicujus concubinarii morti proximi & valde affecti erga concubinam ſuam periclitaretur qui matrimonio clandeſtinè cum ea contracto poſſet ſalvari; ergo ſaltem hic caſus per epykeiam excipitur è decreto Conc. Trid.

Cur lex illa irritans non patitur epikiam.

Reſp, neg. conſequentiam: & ratio eſt ante data, quia ſcilicet hæc lex Eccleſiaſtica inducit huic contractui ſolemnitatem eſſentialem, unde nec patitur epykeiam; quod non adverſatur charitati, quandoquidem valde expediat bono communi ejuſmodi legem in eo rigore obſervari.

Dices præcepta Eccleſiæ non obligant cum iſto rigore ut in magna aliqua neceſſitate non liceat contra agere prout patet in præcepto jejunii, miſſæ &c. ergo nec obligabit hoc decretum Concilium Trid. in tali neceſſitate.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio deverſitatis eſt quia in hoc caſu matrimoniali non tantum concurrit præceptum Eccleſiaſticum, ſed & naturale divinum de non accedendo ad non ſuam; præterea antecedens tantum verum eſt de præcepto Eccleſiaſtico quod non inducit ſolemnitatem eſſentialem, nec materiam inhabilitat; prout v. g. jure Eccleſiaſtico conſanguinei in ſecundo gradu ſunt inhabiles ad matrimonium quod in nulla neceſſitate inire poſſunt.

Dices, in caſu concubinæ ſupra poſito ceſſant inconvenientia quibus Concil. Trid. voluit mederi, quia non eſt periculum ut conjux ſuperſtes contrahendo poſtea cum alio maneat in perpetuo adulterio.

Reſp. hanc ſolam rationem non fuiſſe ſolam cauſam finalem ipſius Concilii: præterea eſto ceſſaret finis legis in particulari, propterea tamen non ceſſabit lex

Dices, cuicumque licet plùs, licet minus; ſed cuicumque ſacerdoti licet in mortis articulo abſolvere à quibuſcumque peccatis; ergo & cuicumque ſacerdoti independenter à licentia proprii licebit aſſiſtere matrimonio.

Reſp. negando conſequentiam; eò quod præſentia proprii ſacerdotis, aut alterius de ejus licentia ſit qualitas eſſentialiter ingrediens materiam & formam matrimonii.

Petes, an ſaltem qui invincibiliter hoc decretum Concilii ignorarent, invalidè quoque contraherent ſi contraherent ſine Parocho & teſtibus.

Ignorans legem illam invalidè equidem contrahit clandeſtine.

Reſp. affirmativè; nam eſto lex

lex non afficiat invincibiliter ignorantes quoad pœnam, afficit tamen quoad nullitatem actus: præterea lex promulgata etiam afficit eos qui illam ignorant, eò quod obligatio non oriatur ex ſcientiâ ſubditi, ſed ex voluntate legiſlatoris ſigno aliquo externo manifeſtata; eò quod obligatio illa non ſit niſi debitum aliquod morale ſimile aliis rebus moralibus v. g. juribus, dominiis, ſervitutibus. quæ poſſunt in nobis naſci per ſolam voluntatem alterius nobis etiam ignorantibus.

Quo ſēſu ignorāris obligetur lege.

Petes, an Turcæ, judæi, aut alii infideles inhabitantes loca in quibus Concilium Trident. eſt receptum teneantur quoque contrahere matrimonium coram Parocho & teſtibus ad hoc ut ſit validum.

Infideles non obligantur illo decreto.

Reſp. negativè, eò quod lex illa Conc. Trid. ſit merè Eccleſiaſtica, cui infideles non ſubjiciuntur, quibus tamen per civilem poteſtatem expedit præſcribi externam aliquam ſolemnitatem ut de illorum matrimonio poſſit conſtare, eò quod interſit reipublicæ, idque ut evitentur quam plurima incommoda quæ ex matrimoniis clandeſtinis nata ſunt oriri.

Petes, an Anglus aliquis in cujus patria Concil. Trid. non eſt receptum transferens ſeſe Mechliniam poſſit ibidem validè contrahere matrimonium ſine præſentia Parochi & teſtium.

Reſp. ejuſmodi Anglum diverſimodè ſe poſſe habere, poteſt enim venire Mechliniam cum animo ibidem habitandi majori anni parte; quo pacto à prima die adventus ſui obligabitur ſervare leges & ſtatuta etiam particularia iſtius loci, quia ex tunc cenſetur ibidem habitare, adeoque eſſe ſubditus, quia prudenti judicio ad conſtituendum domicilium habitationis in ordine ad ſuſcipienda Sacramenta aliud non requiritur quam acceſſus ad aliquem locum cum animo ibidem permanendi majori anni parte; ad contrahendum verò alicubi domicilium abſolutum requiritur ut ibidem quis incipiat habitare cum animo perpetuò manendi: & eapropter ſi quis ſolum veniat ad aliquem locum ut ibidem ad tempus commoretur, prout faciunt ſtudioſi in univerſitatibus, non contraxit ibidem abſolutum domicilium: in dubio tamen an quis ſtatuerit alicubi permanere perpetuò vel ſolum ad tempus, decidendum id venit ex habitatione decennali, ex qua præſumitur perpetuò ibidem velle manere: porro ſi Anglus iſte tran-

An Anglus v.g. poſſit in Belgio validè clandeſtinè contrahere.

Quandonam contrahatur domicilium abſolutū.

ſeunter tantum exiſtat Mechliniæ, nequidem cum animo ibidem permanendi majori anni parte, invalidè equidem ibidem contrahet matrimonium ſine aſſiſtentia Parochi & duorum teſtium: ratio eſt quia licet peregrini probabiliter non conſtringantur legibus locorum per quæ tranſeuut id tamen minimè locum habet in contractibus & ſolemnitatibus eorum; nam quicumque contractus celebrandus eſt juxta conditiones præſcriptas in loco ubi is celebratur: unde & ratione contractus quilibet ſortitur forum, & tenetur illum celebrare juxta ſtatuta loci in quo invenitur: & eapropter ſi dubium circa talem contractum oriatur, judicandus is venit juxta leges & conſuetudines loci in quo celebratus eſt.

Tenentur peregrini celebrare contractus juxta leges loci in quo contrahunt.

An Belga validè contrahet clandeſtinè in Anglia.

Petes, an ergo incola loci in quo Concilium Tridentinum eſt receptum, v. g. civis Mechlinienſis, transferat ſe in Angliam ubi Conc. Trident. non eſt promulgatum; transferat, inquam, ſe per modum tranſitus, poſſit validè ibidem ſine Parocho & teſtibus matrimonium contrahere.

Reſp. ejuſmodi indubiè peccare mortaliter contra jus naturale & poſitivum inhibens matrimonia clandeſtina, attamen validè contrahet per ſe & ſtando juri communi, eò quod quoad ſolemnitatem contractus ſtandum ſit legibus & ſtatutis in quibus ille celebratur.

Dixi, *inſiſtendo juri communi*, quia inſiſtendo declarationibus Cardinalium quas adfert Zypæus in Conſultationibus Canonicis lib. 4. conſult. 6. dicendum eſt ejuſmodi matrimonium fore invalidum; quòd Urbanus VIII. ſuo brevi Pontificio ad inſtantiam Archi-Epiſcopi Colonienſis anno 1627. die 14. Auguſti confirmavit; nam cum congregatio Cardinalum huic interrogationi (*An ſi quis ſolo animo contrahendi matrimonium abſque parocho & teſtibus ſe transferret in aliam provinciam ubi Concilium Tridentinum non eſt receptum, habitationem tamen non mutans, illud eſſet legitimum*) reſpondiſſet, matrimonium inter ſic contrahentes cum fraude non eſſe legitimum: hanc reſolutionem inquit Pontifex in illo brevi, authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus: quæ reſolutio eſt conformis Concilio Trid. ſeſſ. 24. de Reform. quod attentantes contrahere matrimonium ſine parocho & teſtibus reddit inhabiles ad ſic contrahendum; & ipſos contractus decernit irritos & invalidos.

Petes, quid cenſendum de ma-

trimon iis

Digitized by Google

trimoniis vagabundorum, item operariorum qui in nullo loco hærent ſed continuo de uno migrant in alium.

Quis proprius Parochus vagabūdorum. Reſp. illos quoque in ordine ad matrimonium teneri ſervare formam à Concilio Trid. præſcriptam: porro proprius illorum Paſtor cenſetur is in quorum Parochia contingit eos verſari dum matrimonium contrahunt; cùm enim nullibi fixam ſedem habeant, cenſendi ſunt ſubditi illius loci in quo reipsâ reperiunturdum contrahunt: parochus tamen nequit illorum matrimonio aſſiſtere, vetante illud Concilio Trid. ſeſſ. 24. cap. 7. niſi prius diligentem inquiſitionem fecerit, & re ad Ordinarium delatâ ab illo licentiam id faciendi obtinuerit, ut quantum fieri poteſt, conſtet Eccleſiæ eos non habere uxores, quibus relictis ad alias nuptias convolent: quod ſi tamen hæc Parochi diligentia non interveniſſet, neque hujuſmodi matrimonium ad Epiſcopum eſſet delatum, propterea illud non eſſet cenſendum invalidum, quia nulla eſt particula illud irritans.

Quid cenſendū de matrimoniis clandeſtinis in Hollandia &c. Petes, quid cenſendum de matrimoniis tam hæreticorum quam fidelium qui contrahunt ſine Parocho & teſtibus in Hollandia, Zelandia, & aliis locis hæreticis in quibus conſtitutio Conc. Trid. quandoque fuit promulgata.

Reſp. ſi ejuſmodi matrimonia ſint contracta in ejuſmodi locis in quibus commodè poteſt haberi ſacerdos qui legitimè poſſit aſſiſtere matrimonio, illa prorſus eſſe invalida: quod ſi verò hæc matrimonia fuerint celebrata in ejuſmodi locis in quibus talis ſacerdos haberi non poteſt, aut qui poteſtate delegata vices Parochi ſuppleat, idque vel quia metu hæreticorum latet, aut eodem metu à parochia abſit, nec ad aliquem pateat acceſſus, tunc ejuſmodi matrimonia, ſaltem celebrata cum duobus teſtibus, haberi valida: ita teſtatur Pontificem reſpondiſſe Cardinalis Bellarminus, ad Tricarienſem Epiſcopum Nuntium Apoſtolicum in Belgio anno 1600. Die 30. Decembris; ita & idem ſcripto teſtatus eſt Reverendiſſimo Domino Cuyckio Epiſcopo Ruremundenſi: idem reſpondit congregatio Cardinalium Archi-Epiſcopo Philippenſi, Domino Sasboldo Vicario Apoſtolico in provinciis confœderatis anno 1603. die 19. Januarii ubi ait: hæreticos, ubi decretum Conc. Trid. eſt publicatum obligari ejus formam ſervare; & propterea ipſorum matrimonia abſque hac

hac Concilii forma, quamvis coram miniſtro hæretico vel magiſtratu loci contracta, eſſe nulla atque invalida: addens in hujuſmodi parochiis in quibus conſtat hoc decretum Concilii eſſe publicatum ſi careant proprio paſtore, & nullus alius adſit qui vices parochi ſuppleat illis deliteſcentibus aut abſentibus propter metum hæreticorum, matrimonia ſic contracta, ſervatâ quantum fieri poteſt Concilii Trid. formâ, nempe adhibitis duobus ſaltem teſtibus, ejuſmodi matrimonia abſque parocho contracta eſſe valida, neque ad ea pertinere decretum Concilii Trid. eò quod tunc in ejuſmodi locis illud obſervari non poſſit.

Ex his collige quia in pleriſque locis provinciarum confederatarum facile poſſunt haberi ſacerdotes habentes facultatem ſaltem delegatam aſſiſtendi matrimoniis, quique non difficulter poſſunt adiri, raro matrimonia aliter quam aſſiſtente Parocho vel alio ſacerdote de ejus licentia & duobus teſtibus contracta eſſe valida.

Petes ſi matrimonia hæreticorum in provinciis confæderatis coram miniſtro hæretico aut magiſtratu contracta ſint invalida, quomodo ergo infantes ex ejuſmodi matrimonio nati habentur legitimi, & permittuntur etiam in ditionibus Regi Hiſpaniarum ſubjectis ſuccedere hæredibus ſuis ab inteſtato vel aliter.

Reſp. ejuſmodi matrimonia numquam haberi valida in foro conſcientiæ; in foro tamen externo illa merè approbari quo ad effectus civiles ex illis reſultantes.

Non eſt licitum Catholico contrahere coram Miniſtro hæretico.

Petes, an ergo non ſit licitum catholico commoranti in Hollandia contrahere coram Prædicante ſeu Miniſtro hæretico dummodo poſtea contracturus ſit coram Paſtore Catholico.

Reſp. neg. quia taliter contrahens agnoſcit hujuſmodi miniſtrum tamquam miniſtrum veræ Eccleſiæ, quod falſum eſt; prætera communicat ritibus propriis illius ſectæ quos miniſter circa illum exercet.

Licet tamen coram Magiſtratu.

Petes, an ergo non ſit licitum in Hollandia contrahere coram magiſtratu hæretico dummodo antea vel poſt contrahat coram proprio Parocho & duobus teſtibus.

Reſp. affirm. nam quod contrahat coram magiſtratu civili, id ſolummodo ſit ob ſinem politicum nempe ut publicè conſtare poſſit quod contrahentes iniverint matrimonium.

D U-

DUBIUM III.

Cujus Parochi præſentia requiratur ut matrimonium ſubſiſtat,

AD validè contrahendum matrimonium requirit Con. Trid. Seſſ. 24. cap. 1. præſentiam proprii Parochi, vel alterius ſacerdotis de licentia Parochi, vel Ordinarii.

Vt matrimoniū ſit validum debet fieri coram proprio Parocho aut alio de ejus licentia.

Porro proprius Parochus non eſt Paſtor originis, ſed domicilii vel habitationis: & eapropter quamvis Epiſcopus tantum originis ſufficiat pro Sacramento Ordinis conferendo, nullatenus tamen ad aſſiſtendum matrimonio; eo quod Conc. Trid. cap. cit. ad valorem matrimonii requirat aſſiſtentiam proprii parochi; illa autem dicitur propria parochia aut diœceſis alicujus, in qua quis habet domicilium habitationis, ut docet Gloſſa cap. *ſtatutum*: cujus ratio eſt, quod in dubio non ſit recedendum à verborum proprietate: quod inde quoque confirmatur, quia dum jus Canonicum voluit ſufficere Epiſcopum originis, prout in Sacramento Ordinis; id expreſſe determinavit; prout patet cap. *cum nullus* de tempore. Ordinand.; & eapropter non origo, ſed habitatio conſtituit aliquem parochianum; & ita canonica portio, quæ eſt jus quoddam parochiale, non datur parocho originis, ſed habitationis.

Quis cenſeatur hic proprius parochus.

Petes, an ut quis poſſit valide contrahere coram aliquo parocho debeat in ejus parochia habere domicilum cum animo ibidem perpetuo manendi.

Quæ habitatio ſufficiat ad hoc ut quis ſit ſubditus alicui parochiæ.

Reſp. neg. ſed ſufficit ut ibidem ſit cum animo permanendi per majorem anni partem; & eapropter ſicuti talis poteſt in dicto loco recipere cætera Sacramenta, & ſepeliri per parochum illius loci, ita quoque poteſt matrimonio conjungi; prout colligitur ex cap. *De noſtra* de ſepulturis, in quo non requiritur, ad hoc ut aliquis ſit parochianus alicujus loci, animus perpetuò ibidem permanendi, ſed quod illum inhabitet: hoc ipſum patet ex cap. finali de parochiis.

Probatur hoc ipſum ratione; quia per ſolam habitationem conductâ domo vel officina acquiritur quaſi domicilium, ita ut ibidem poſſit conveniri & forum externum ſortiri: porro habitatio conſtituens quaſi domicilium ſufficit ad conſtituendum parochianum, prout patet ex cap. *In noſtra*, item cap. finali cit.

Petes, an ad hoc ſit opus ut quis de facto majori anni parte ibidem habitaverit ut efficiatur

 paro-

parochianus in ordine ad matrimonium contrahendum, an verò ſufficiat ut incipiat ibidem habitare cum animo permanendi majori parte anni.

Reſp. hoc poſtremum ſufficere; nam ſicuti ad contrahendum domicilium abſolutum nullius temporis habitatio requiritur, ſed ſufficit ut quis incipiat habitare cum animo ibidem perpetuò permanendi, prout paſſim docent Authores, ita quoque & hic.

Hinc infer ſi mulier nubat viro coram parocho ſuæ parochiæ, & illa eodem die tranſeat habitatum ad parochiam ſui viri, ſi matrimonium ejus fuerit nullum, illud non poſſe validari coram primo ſuo Parocho; quia deſiit eſſe ejus ſubdita mutando domicilium.

Habens duo domicilia poteſt utrobique cõtrahere

Petes, an obtinens duplicem habitationis parochiam poſſit indifferenter coram alterius parocho matrimonium inire, ut v.g. ſi hieme habitet in civitate, æſtate verò in pago.

Reſp. affir. ſi nimirum æqualiter habitet in utroque loco: quod non debet intelligi de æqualitare mathematica, ſed morali, quia uterq; locus æqualiter eſt ejus parochia, prout conſtat ex c. 2. de ſepul. in 6.

Petes, quid ſi alicubi duo parochi in ſolidum præſint alicui Eccleſiæ an poſſit alteruter ex illis invito altero aſſiſtere matrimonio, aut alteri aſſiſtendi licentiam concedere.

Paſtor non debet aſſiſtere matrimonio vagorum ſine licẽtia Epiſcopi.

Reſp. Affir. eò quod par in parem non habeat imperium quod attinet ad matrimonium vagorum, ut ſupra dictum eſt, non poteſt Parochus illi aſſiſtere niſi diligenti inquiſitione præmiſsâ, & obtentâ Ordinarii licentia; prout habet Concl. Trid. Seſſ. 24 cap. 1.

Porro quamvis decretum illud ſermonem de vagis faciat, tamen ob rationis identitatem etiam comprehendit alienigenas alibi habentes fixum domicilium; ſiquidem ad horum matrimonium quod contrahere intendunt in loco in quo fixam ſedem non habent, eadem inquiſitio & Ordinarii licentia eſt præmittenda, eò quod eadem prorſus ratio hic militet quæ eſt in vagis; cum enim ſint ignoti, poſſent alibi eſſe matrimonio juncti; unde ol m uſus obtinuit ne ignoti matrimonio jungerentur abſque litteris teſtimonialibus ſui Epiſcopi prout refert Abbas cap. finali.

De quibus vagis agat decretum Conc Trid.

Dictum tamen decretum Con. Trid. non venit intelligendum de quibuſcumque vagis, ſed de iis qui ita vagantur ut incertas habeant ſedes: & eapropter licet illi qui de una parochia in eodem oppido tranſeunt ad aliam, dicantur quoque vagi dum adhuc alibi hoſpitantur, nec adhuc certam

par-

Digitized by Google

parochiam elegerunt, de illis tamen non loquitur Conc. Trid. quia non ſunt ſtrictè vagantes, nec incertas habent ſedes, & præterea in illo oppido noti ſunt.

Petes, quid ſi alter ſponſorum ſolus ſit vagus.

Reſp. equidem requiri eandem diligentem inquiſitionem, prout & prævіam Ordinarii licentiam, quia periculum cui Conc. Trid. intendit occurrere adhuc militat.

Si unus tantum contrahentium ſit vagus coram quo debeant cōtrahere.

Hinc collige, ſi quis priſtinum domicilium abſolutè deſerat, & iter agat aut naviget animo acquirendi novum domicilium, quamdiu illud non obtinuit, poſſe eum coram quocumque parocho contrahere matrimonium, quia eſt vagus; imo ſi unus contrahentium tantum ſit vagus, alter vero incola loci, poterit quilibet parochus loci in quo ſunt eos matrimonio conjungere, qui tamen ſi hoc fecerit non ſervato decreto Concil. Tr. peccabit mortaliter, quia violat præceptum in materia gravi.

Petes, an in decreto Concil. Trid. idem cenſendus ſit parochus qui in cap. *omnis utriuſque ſexus* appellatur proprius ſacerdos in ordine ad audiendas confeſſiones; adeoque an habitatio quæ ſufficit ad eſſe parochianum alicujus loci in ordine ad confeſſionem aut communionem, ſufficiat quoque adeſſe parochianum in ordine ad contrahendum matrimonium.

An ille parochus qui poteſt abſolvere, poſſit idē matrimonio eundem jungere.

Reſp. negativè, quia ſacerdos iſtius loci per quem aliquis peregrinatur vel ad quem tendit pro modico tempore, recreationis cauſâ, poteſt illi abſolutionem & Euchariſtiam impertiri, nullatenus tamen illius matrimonio aſſiſtere: ratio diverſitatis eſt, quod cum hæc Sacramenta ſint magis neceſſaria, & ex eorum adminiſtratione à dicto parocho nullum ſequatur inconveniens, quinimo hoc expediat ſaluti fidelium: ideo Eug. IV. conceſſit ut peregrini & hoſpites poſſent à paſtoribus iſtius loci dicta Sacramenta accipere; quod tamen nullatenus conceſſit pro ineundo matrimonio; nec, ut concederet, erat expediens.

Petes, quis ergo hoc veniat nomine parochi.

Reſp. omnis ille qui habet poteſtatem ordinariam adminiſtrandi Sacramenta, qualis eſt Epiſcopus, etiam ſolùm confirmatus; quippe qui per ſolam confirmationem recipit omnem juriſdictionem Epiſcopalem. 2. Vicarius Generalis, item Vicarius perpetuus alicujus parochiæ; prout quoque deſervitor parochiæ vacantis.

Ad valorem matrimonii ſufficit pa-

Petes, an ad valorem matrimonii requiratur parochus utriuſque contrahentis.

Reſp. negativè, ſed ſufficit

 parochus

centia Parochi unius cõtrahentium.

parochus alterutrius, eò quod ratione connexionis quæ eſt inter contrahentes parochus unius cenſeatur parochus alterius.

Petes, an uterque parochus contrahentium indifferenter aſſiſtere poſſit ipſorum matrimonio dum ſunt ex diverſa parochia.

Si contrahentes ſunt ex diverſa Parochia coram quo debeant cõtrahere.

Reſp. negativè, adeoque inſpiciendam eſſe patriæ & diœceſium conſuetudinem; & eapropter in diœceſi Mechlinienſi jus aſſiſtendi matrimonio competit parocho ſponſæ.

Petes, an valebit matrimonium ſi parochus proprius aſſiſtat illi matrimonio in parochia alterius.

Parochus unius ſponſorũ validè aſſiſtit matrimonio extra ſuam Parochiã

Reſp. affirmativè; eò quod Concil. Trid. ad illius valorem tantum requirat aſſiſtentiam parochi, qui etiam extra fines ſuæ parochiæ non amittat jurisdictionem voluntariam; quo titulo quoque poteſt ſubditos ſuos etiam in aliena parochia validè abſolvere a peccatis.

Vti & validè extra ſuos ſubditos abſolvit.

Pro cujus majori explicatione.

Nota duplicem eſſe juriſdictionem, unam nimirum contentioſam quæ exercetur inter actorem & reum tamquam contendentes: aliam vero voluntariam quæ exercetur in ſubditos volentes & non invitos ſine ſtrepitu externo, & cognitione cauſæ.

Contentioſa exerceri nequit à judice extra proprium territorium: voluntaria autem ubique exerceri poteſt, eò quod non requirat judicem pro tribunali ſedentem, neque ullum ſtrepitum fori externi.

Petes, quid ſi proprius parochus aſſiſtat matrimonio in neutrius contrahentium parochia, aut in aliena diœceſi, an valebit matrimonium.

Reſp. affirmativè; quia illa aſſiſtentia parochi vel eſt actus juriſdictionis voluntariæ, qui quandoque validè exerceri poteſt extra territorium; vel eſt conditio requiſita ſine qua non, quam quoque poteſt præſtare parochus extra ſuam parochiam.

Petes, an parochus taliter aſſiſtendo non peccet.

Per ſe nõ peccat parochus extra ſuam parochiam aſſiſtens matrimonio ſui ſubditi.

Reſp. negativè, per ſe loquendo & ceſſante ſcandalo, quia ſi poſſit parochus audire confeſſiones ſuorum ſubditorum in aliena parochia, poterit quoque aſſiſtere matrimonio, præſertim cum id nullo jure reperiatur prohibitum, nec parochus loci id ægrè ferre poſſit, eò quod hoc non ſpectet ad juriſdictionem contentioſam.

Petes, an parochus proprius aſſiſtens matrimonio debeat eſſe ſacerdos.

Vt val-

Reſp. negat. eò quod Concil. Trid.

Digitized by Google

dum ſit matrimonium non debet contrahi coram ſacerdote

Trid. non reſtrinxerit parochum aſſiſtentem ut ſit ſacerdos.

Dices, verba Concilii ſunt hæc ,,qui aliter quam præſente parocho vel alio ſacerdote de ipſius ,, parochi ſeu ordinarii licentia, ,, & duobus vel tribus teſtibus ,, matrimonium contrahere attentabunt &c,,, ſed dictio, *alio*, ſignificat diſtinctionem inter ea quæ ſunt ejuſdem rationis; ergo ſi delegatus aſſiſtens matrimonio debeat eſſe ſacerdos, ipſe quoque parochus debebit eſſe ſacerdos.

Delegatus tamẽ à parocho ſacerdos.

Reſp. negando conſequentiam; neque verum eſt illud, *alio*, ſemper importare diſtinctionem inter ea quæ ſunt ejuſdem rationis, ſed quandoque inter ea quæ ſunt diverſæ ſpeciei; quod ex ſubjecta materia venit judicandum: ita enim Matth, 25. habetur quod cum Chriſto crucifixi ſint alii duo latrones, cum tamen Chriſtus non eſſet latro: & eapropter cum Conc. Trident. reſtrinxerit delegatum ad aſſiſtendum matrimonio ad ſolos ſacerdotes, & taliter non reſtrinxerit parochum proprium, ſequitur illum non debere eſſe ſacerdotem.

Dices, eſt probabile ex multorum doctorum ſententia quod parochus debeat eſſe ſacerdos ad valorem matrimonii; ergo parochus non ſacerdos non poterit illi licitè aſſiſtere: & ratio eſt quia eſſet cauſa quod ſponſi uterentur opinione probabili circa valorem matrimonii, quod licitè fieri non poteſt, quippe cum circa materiam aut formam aut alia ad Sacramentum eſſentialiter requiſita nemo poſſit ſequi ſententiam probabilem, utpote qui exponeret ſeſe periculo faciendi Sacramentum nullum.

Reſp. neg. conſequentiam; neque enim parochus non ſacerdos exponit matrimonium periculo nullitatis ei aſſiſtendo, eò quod re pendente ex ſolo jure poſitivo, prout hic, quando adeſt probabilis opinio, Eccleſia ſuppleat defectum, & ita faciat valere matrimonium ſic celebratum; ſecus dicendum de probabilitate circa materiam aut formam Sacramentorum; cum enim illæ ſint de jure divino, Eccleſia non poteſt illorum ſupplere defectum.

Petes, an valeat matrimonium contractum coram illo ſacerdote delegato qui licentiam aſſiſtendi extorſit à proprio parocho per gravum metum.

Quid ſi parochus metu coactus delegaverit alium an valeat matrimoniũ coram hoc contractum.

Reſp. affirm. eò quod juriſdictio metu extorta validè transferatur; utpote cum dici ſoleat ea quæ metu geſta ſunt valere, exceptis aliquibus caſibus: quin

imo eò magis tale matrimonium valebit, quo talis licentia dici poteſt non eſſe actus juriſdictionis, ſed ſolum actus parochi in quantum eſt teſtis à jure conſtitutus ad teſtificandum de matrimonio & ad ſubſtituendum alium in ordine ad hunc effectum.

Petes, quid ſi dolo & mendaciis extorta ſit ejuſmodi licentia, an valebit.

Quid ſi fraude talis obtinuerit delegationem.

Reſp. ſi dolus & mendacia verſentur circa cauſam finalem Reſpondeo negativè: Affirmativè verò, ſi tantum verſentur circa cauſam impulſivam.

Porro tunc dolus dicitur verſari circa cauſam finalem quando concedens licentiam movetur ob cauſam doloſe narratam, & ita affectus eſt ut ſi ſciret cauſam non ſubſiſtere, non concederet: tunc verò verſari circa cauſam impulſivam, quando concedens non movetur principaliter ad concedendam licentiam preciſe ob cauſam doloſe narratam: & eapropter ſi quis ſacerdos accedat parochum & ficto nomine alicujus nobilis petat facultatem aſſiſtendi matrimonio, quam ille concedit, matrimonium erit validum; eò quod Parochus ille non moveatur principaliter ad hanc illi concedendam ob petitionem viri illuſtris, eò quod hæc ad hoc ſit impertinens.

Petes, quid ſi Epiſcopus inhibeat alicui ſuo parocho aſſiſtere alicui ſuorum matrimonio, ille interim ſpreto Epiſcopi præcepto aſſiſtat, vel alteri ſacerdoti tribuat licentiam aſſiſtendi, an valebit matrimonium.

Valet matrimonium cõtractum coram parocho contra inhibitionẽ Epiſcopi.

Reſp. affirm. quod probatur, quia Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. prohibet parochis ne aſſiſtant matrimonio vagorum niſi præmiſsâ diligenti informatione, & habitâ licentiâ Ordinarii, & tamen ſine his ejuſmodi matrimonium contractum coram parocho erit validum 2. quia multa prohibentur fieri quæ tamen facta tenent: prout patet cap. ad Apoſt. de Regular. Peccabit tamen graviter ejuſmodi parochus.

Valet matrimonium coram delegato cõtractum extra parochiam delegãtis.

Petes, quid ſi Paſtor concedat alicui ſacerdoti licentiam aſſiſtendi matrimonio, ille autem aſſiſtat extra parochiam concedentis, an valebit matrimonium.

Reſp. affirm. eò quod juriſdictio voluntaria, ad quam hæc aſſiſtentia reducitur, poſſit valide ab ordinario aut delegato extra territorium exerceri: prout patet in caſu Confeſſarii ſupra citato.

Petes, an parochus excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, non tolleratus valide aſſiſtat matrimonio, aut dare poſſit licentiam alteri ſacerdoti aſſiſtendi matrimonio

Reſp.

Digitized by Google

Excommunicatus &c. poteſt validè aſſiſtere matrimonio.

Reſp. affirm. quia valde probabile eſt hanc aſſiſtentiam parochi tantum requiri ob auctoritatem; & licentiam, quæ ab eo alteri datur non eſſe actum juriſdictionis, quam talis non habet ſed tantum conceſſionem actus parochi in quantum eſt ligitimus teſtis.

DUBIUM IV.

Qualis præſentia Parochi & teſtium requiratur ad hoc ut matrimonium coram illis contractum ſit validum.

Qualis parochi & teſtiũ præſentia requiratur ad matrimonium.

Reſp. horum non ſolum requiri præſentiam phyſicam & corporalem, ſed inſuper etiam moralem; ita ſcilicet ut cum advertentia & uſu rationis adſint & intelligant quid agatur & de hoc teſtificari poſſint: & eapropter ſi teſtes eſſent ebrii, dormientes aut carentes uſu rationis, inepti eſſent ad hoc munus, eſto forent phyſicè præſentes; ſufficiet tamen ut parochus & teſtes aliquo ſenſu externo percipiant conſenſum contrahentium: ut ſi v.g. non audiant verba ipſorum, videant tamen ſigna externa mutui conſenſus: imo ſatis eſt ſi parochus & teſtes per interpretem intelligant mutuum conſenſum ut ſi v.g. contrahentes ſint diverſi idiomatis; ſiquidem alii contractus poſſunt per interpretem celebrari; ergo & matrimonium: quo tamen caſu ſtandum erit dictis ipſius interpretis.

In parocho & teſtibus requiritur advertẽtia ad contractum ut ſit validus.

Petes, quid ſi parochus accedat cum animo aſſiſtendi matrimonio, ſed tempore contractus in tantum diſtrahatur ut nihil ſciat quid actum ſit, an valebit matrimonium.

Reſp. negativè, eò quod attentio parochi & teſtium requiratur ut ipſorum teſtimonio poſſit comprobari & conſtare Eccleſiæ de matrimonio contracto; quod teſtimonium ferre non poſſunt niſi actu advertant.

Non ſufficit voluntas qualiſcumque aſſiſtendi.

Dices, talis parochus habet intentionem virtualem; ſed hæc ſufficit pro confectione aliorum Sacramentorum, prout quoque ad implendum præceptum Eccleſiæ de audienda miſſa, legendis horis canonicis &c. ergo quoque ſufficiet pro matrimonio.

Reſp. negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt quod parochus, item alii aſſiſtentes in matrimonio debeant eſſe teſtes ex certa notitia; ad quod actualis advertentia requiritur ad id quod agitur, quod non habet locum in aliis Sacramentis, prout neque in adimpletione præcepti de audienda miſſa aut legendis horis canonicis, in quibus ſufficit attentio

tentio virtualis ut actio quæ exercetur ſit humana.

Petes, an hæc præſentia parochi & teſtium præter advertentiam intellectus, poſcat quoque conſenſum voluntatis; ita ſcilicet ut ſi adductus per dolum, per metum, aut habeat intentionem contrariam, matrimonium non ſubſiſtat.

Non requiritur ut ſacerdos aut teſtes voluntariè aſſiſtant.

Reſp. negativè, eò quod poſitâ ſolâ intellectus advertentiâ ſalvetur finis decreti Conc. Trid. exigentis matrimonium celebrari coram parocho & teſtibus ut illud conſtet Eccleſiæ: nec eo ſpreto poſſit aliud iniri.

Ex his infer matrimonium eſſe validum celebratum coram parocho & teſtibus actu tranſeuntibus dummodo advertant quid agatur; quippe cum tales verè dicantur præſentes in ordine ad valorem matrimonii, Ex eodem quoque principio infer matrimonium initum coram parocho & teſtibus vi detentis eſſe validum, dummodo advertant quid agatur; eò quod hi omnes dicantur præſentes eo ipſo quo ſufficienter advertunt ad id quod agitur, poſſintque deſuper ferre teſtimonium; neque enim alia præſentia à Conc. Trident. requiritur quam quæ conſiſtit in advertentia intellectus quâ teſtimonium ferre poſſint de matrimonio contracto.

Teſtes in matrimonio nam debent eſſe exceptione majores.

Petes, an teſtes ad valorem matrimonii requiſiti debeant præter uſum rationis inſuper eſſe omni exceptione majores.

Reſp. negativè, quod patet ex Conc. Trid. ſupra citato quod aliud non requirit in teſtibus quam uſum rationis & advertentiam ejus quod agitur: & ea-propter impuberes, conſanguinei, ſervi, fæminæ, religioſi, infames, imo & infideles poſſunt aſſiſtere tamquam teſtes: & ſane ſi requirerentur teſtes omni exceptione majores, maxima continuò in contrahendis matrimoniis ſequerentur incommoda.

Petes, quid ſi Paſtor occludat aures & oculos & nolit intelligere quid agatur, an matrimonium ſic contractum erit validum.

Reſp. ſi non intellexerit nec adverterit quid actum ſit, tunc matrimonium non valere, quia tunc revera non eſt moraliter præſens ita ut poſſit teſtificari de matrimonio contrahendo: ſecus dic ſi advertat quid agatur, ſed affectat non intelligere, aut datâ operâ fingit ſe non intelligere.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM V.

An contractui matrimoniali debeant præmitti denuntiationes.

PRænotandum, denuntiationes eſſe quaſdam monitiones quæ præmittuntur matrimonio, ut ſi quis impedimentum noverit, illud aperiat,

Fuerunt autem illæ præceptæ in Concilio Lateran. prout patet cap. *finali* de clandeſtina deſponſat: quia verò multis in locis vel conſuetudine contrariâ, vel hominum malitia penè deſierant fieri, idcirco Conc. Trid eaſdem renovavit & ſeſſ 23. ſic ſtatuit & præcipit, ut impoſterum antequam matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium parocho tribus diebus feſtivis continuis in Eccleſia inter miſſarum ſolemnia publicè denuntietur inter quos matrimonium ſit contrahendum.

Petes, an hæ denuntiationes ſint de eſſentia matrimonii.

Reſp. neg. & eapropter illis etiam injuſtè &illicitè omiſſis valebit matrimonium:ratio eſt quia ante Con. Trid. illis omiſſis matrimonium erat validum; ergo etiam poſt Conc. Trid. quia illud circa has nihil innovavit, nec poſuit decretum irritans: unde & conceuit ex Epiſcopi diſpenſatione illas poſſe fieri poſt matrimonium.

Petes, an ſit peccatum mortale contrahere matrimonium ſine denuntiationibus abſque legitima diſpenſatione.

Ante matrimoniū præmittendæ denuntiationes.

Reſp. affirm. eò quod violetur præceptum Eccleſiæ in re graviſſima; quandoquidem ex illarum omiſſione poſſint ſequi graviſſima incommoda, quæ parochi diligentia non poteſt ſupplere: peccat proinde mortaliter Paſtor, prout & conjuges ſic contrahendo: quod etiam patet ex pœnis matrimonii clandeſtini quæ incurruntur omiſſis denuntiationibus.

Petes quid ſi una tantum denuntiatio omittatur an erit mortale.

Ubi faciendæ denuntiationes.

Reſp. affirm. eò quod ſit materia gravis & notabilis, debent autem dictæ denuntiationes fieri in parochia utriuſque contrahentis quando illi ſunt diverſarum parochiarum, quod & uſu receptum eſt. 2. debent fieri à proprio Parocho vel alio de ipſius licentia. 3. debent fieri in parochia utriuſque in qua diutius habitarunt; eò quod veroſimilius ibidem detegentur impedimenta ſi quæ ſint. 4. debent fieri tribus diebus continuis;inter quos tamen intercedere debent alii feriales:

Digitized by Google

tiales: & eapropter non debent res illi dies festi immediatè ſe invicem ſubſequi, nam ſic melius & commodius obtinebitur finis intentus. 5. ſi contrahentes recenter migraverint ad aliam parochiam in qua de eorum impedimentis non poteſt haberi comoda notitia, tunc denuntiationes fieri debent in parochia in qua habitarunt.

Petes, an ſatisfiat intentioni Concilii ſi hæ denuntiationes fiant in ſolemni concione etiam extra Eccleſiam.

Reſp. affirmativè; quia finis illius decreti quo Concilium vult in Eccleſia & inter miſſarum ſolemnia has fieri, eſt ut ad multorum notitiam perveniat matrimonium ut impedimenta facilius detegantur, quod accidit diebus feſtivis inter miſſarum ſolemnia quando frequentiſſimus concurſus hominum eſſe ſolet; proinde cum ſufficienter huic fini ſatisfiat ſi hæ denuntiationes habeantur in publica concione ſive intra ſive extra Eccleſiam, videntur hæ ſufficere.

Petes, quiſnam poteſt ſuper his denuntiationibus diſpenſare.

Reſp Epiſcopos jure antiquo in illis non potuiſſe diſpenſare, eò quod eſſent præcepta in Concicilio Generali, quamvis id poſtea potuerint ex conſuetudine ſcita & tolerata à Pontifice: hodie autem poteſt Epiſcopus vigore Concilii Trid. prout & poſſunt Abbates exempti habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem: eandem quoque poteſtatem habet Vicarius Generalis Epiſcopi, quia & ipſe venit nomine ordinarii: non poteſt tamen hoc Vicarius Epiſcopi forenſis: quia tantum eſt delegatus ad ſpeciales cauſas; neque id poſſet Vicarius Generalis ſi hanc poteſtatem diſpenſandi Epiſcopus ſibi ſpecialiter reſervaret; nam ſicut Epiſcopus poteſt totum officium Vicarii revocare, ita poteſt & partem.

Quis poſſet diſpenſare in denuntiationibus.

Porro nota ex Concil. Trid. requiri juſtam cauſam ad diſpenſandum, neque enim liberæ voluntati, ſed prudentiæ Epiſcopi Concilium hoc relinquit; qui proinde peccat mortaliter diſpenſans ſine juſta cauſa: cauſæ autem juſtæ communiter recenſentur ſequentes.

I. Eſt pudor contrahentium, ut quando nimio pudore ſuffunderentur ſi fierent proclamationes, idque ob nimiam contrahentium diſparitatem, ut ſi vir valde ſenex ducat juvenculam, vel valde nobilis ancillam, aut valde dives pauperculam, aut dum duo ſenes volunt inire matrimonium.

II.

Digitized by Google

Quibus caſibus non debent fieri denuntiationes.

II. Quando magnates contrahunt matrimonium, eò quod illorum matrimonia ſint valde publica, ſintque ipſi valde noti: & eapropter ſi aliquod impedimentum ſubeſſet illud facilè ſtatim ſciretur; idem quoque dicendum quando moraliter certum eſt nullum ſubeſſe impedimentum.

III. Quando matrimonium publicè bonâ fide contractum, ob impedimentum occultum reperitur invalidum, & obtentâ diſpenſatione ſuper illo impedimento renovatur conſenſus.

IV. Quando timetur ne conſanguinei matrimonium minis, dolo, vi, aut ſuppoſitis falſis teſtibus impediant; ſecus quando haberent juſtam cauſam impediendi ob notabilem diſparitatem, quia tunc utuntur jure ſuo.

V, Ob periculum animæ; ut ſi v.g. duo concubinarii velint inire matrimonium ut in bono ſtatu conſtituantur, & ſit periculum, dum denuntiationes præmittuntur, ulterioris peccati.

VI. Dum quis in articulo mortis conſtitutus vult ducere concubinam ad legitimandam prolem, vel ut in bono ſtatu decedat; quo caſu, ſi diſpenſatio Epiſcopalis tempeſtivè non poſſit haberi, poteſt Paſtor etiam non præmiſſis denuntiationibus procedere ad matrimonium, illas faciendo poſt matrimonium contractum: ratio hujus eſt quia tunc præſumitur ratihabitio Epiſcopi, & Eccleſia non præſumitur in hoc caſu obligare cum tanto incommodo.

Quæ pœna parochi omittentis denũtiationes.

Petes, quâ pœnâ plectendus ſit parochus omittens denuntiationes abſque legitima cauſa.

Reſp. eſt ſuſpendendus per triennium ab officio: ut patet ex cap *ex tenore*,

Petes, quâ pœnâ plectendus ſit ſacerdos ſive ſæcularis ſive regularis qui alterius parochiæ ſponſos ſine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere auſus fuerit.

Suſpenſus eſt ſacerdos aſſiſtens matrimonio alienorũ ſine licentia.

Reſp. ipſo jure illum ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. „tam diu „manere ſuſpenſum quam diu ab „Ordinario ejus parochi qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu „à quo benedictio accipienda „erat, abſolvatur.

A quo poſſit abſolvi ab illa ſuſpenſione.

Porro hæc ſuſpenſio eſt latæ ſententiæ, prout patet ex verbis citatis, comprehenditque ſuſpenſionem tam ab officio quam à beneficio; & ſolus Ordinarius parochi qui ex officio poterat intereſſe matrimonio ab hac ſuſpenſione eum poteſt abſolvere: ſacerdos tamen conjungens vel benedicens parochianos alterius parochiæ ſine licentia, vel ex igno-

 rantia

rantia vincibili, dummodo non affectata, eam non incurrit; eò quod ſit opus præſumptione ut ſacerdos eam incurrat; quia Concilium dicit, *auſus fuerit*, quod importat præſumptionem.

Factis proclamationibus tenentur conſcii impedimenti illud manifeſtare.

Petes, an ex vi præcepti Eccleſiaſtici quo debent præmitti tres denuntiationes teneatur is qui aliquod impedimentnm novit quantumvis occultum illud denuntiare.

Reſp. affirmativè; per ſe loquendo, idque ſub peccato mortali, etiamſi illud probare non poſſet: rationem aſſignat S. Thom. 2. 2. quæſt. 70. art. 1. quia quilibet, ſuperiore legitimè præcipiente, obligatur detegere peccatum inferens tertio damnum, prout hic, ubi ſuperior per denuntiationes legitimè interrogat: ex hoc autem quod impedimentum non detegatur ſequitur tertio grave damnum; nam ſi ſit dirimens, manebunt conjuges in perpetuo concubinatu, & filii erunt illegitimi: ſi verò ſit ſolum impediens, tunc infertur graviſſima injuria ipſi Sacramento.

Licet illud non poſſet probare.

Probatur 2. quia hæc denuntiatio non tendit ad punitionem criminis admiſſi, ſed ad impediendum ne crimen admittatur; adeoque quamvis denuntians nequeat probare, nec ſuum teſtimonium ſufficiat ad impediendum, tenetur nihilominus denuntiare, quia ſaltem aperiet ſuperiori viam ut diligenter inquirat de impedimento.

Probatur 3. quia revelanti in hoc caſu non incumbit onus probandi; ſed ſpectat ad Epiſcopum ordinare quid faciendum ſit.

Probatur 4. quia quando agitur de peccato vitando adeoque de periculo animæ, poteſt à reo exigi juramentum licet actor nihil probavit; ergo quoque id licitum erit in præſenti caſu, adeoque ad mandatum ſuperioris tenebitur detegere impedimentum; eò quod ſuperiori legitimè interroganti ſubditus teneatur reſpondere.

Vt inquiratur de impedimento non debet praceſſiſſe infamia.

Dices, judex non poteſt inquirere niſi præceſſerit infamia: ut patet ex cap. *qualiter & quando* de accuſat: ergo dum impedimentum eſt occultum non tenebitur quis illud deferre.

Reſp. antecedens eſſe verum quando fit inquiſitio in ordine ad punitionem; ſecus verò quando hæc fit contra aliquem promovendum ad aliquod officium vel dignitatem; tunc enim ſuperior ex officio tenetur inquirere ſuper vita & moribus, an non ſubſint crimina & impedimenta quæ illum reddant incapacem ad dictum officium vel dignitatem.

Dices, in aliis rebus non debet

Digitized by Google

bet quis detegere quod nequit probare, ergo neque tenebitur quo ad impedimentum matrimonii aut in ordine ad SS. Ordines ſuſcipiendos.

Reſp. neg. conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt quod in aliis rebus tale teſtimonium non ſufficiat ut occurratur malo, hic autem ſufficiat; quippe cum ad impediendam celebrationem contractus matrimonialis, aut ad impediendam promotionem alicujus ad SS. Ordines ſufficiat unus teſtis etiamſi ſit denuntiator, allegaretque turpitudinem ſuam: prout colligitur ex cap. *Ad audientiam* de Sponſalibus, & cap. juravit de probationibus. Et cap. 1. de Conſang. quia in his agitur de peccato vitando, non verò de peccato puniendo.

Petes, quid ſi impedimentum oriatur ex peccato occulto.

Si impedimentũ ortum ſit ex peccato occulto an requiratur fraterna prævia correptio.

Reſp. tunc ante denuntiationem præmitendam eſſe fraternam correptionem ſi ſubſit ſpes emendationis niſi tamen ſit periculum in morâ.

Petes, quid ſi impedimenti conſcius illud acceperit ſub ſecreto.

Reſp. equidem ipſum teneri denuntiare ſi acceperit à perſona fide digna, nam dictum hominis fide digni facit fidem & veram notitiam: ſecus vero ſi audiverit à perſona non fide digna, vel à perſona nihil certum ſciente, vel ſi non meminerit à qua perſona audivit: ratio prioris eſt quia quando ſecreto commiſſa vergunt vel in damnum publicum vel in damnum perſonæ alicujus tertiæ, illa ſunt manifeſtanda: hoc autem ſecretum eſt ejuſmodi; nam ſi ſit impedimentum dirimens, tendit in præjudicium alterius conjugis bona fide contrahentis: quod ſi uterque malâ fide contrahat, tendit in præjudicium matrimonii quod eſt nullum, & prolis quæ eſt illegitima, & in damnationem æternam utriuſque: idem conformiter dicendum de impedimento in ordine ad SS. Ordines.

Petes, an volentes contrahere ſi rogentur ab Ordinario an teneantur aliquo impedimento occulto, debeant illud fateri.

Contrahentes tenentur fateri impedimentum cujus ſunt conſcii.

Reſp. affirm. vel deſiſtere à matrimonio: & ratio eſt quia quando agitur de periculo animæ poteſt exigi juramentum ab reo licet actor nihil probaverit; & eapropter cum hic agatur de periculo animæ dum contrahitur matrimonium cum impedimento, poterit Ordinarius etiam abſque, prævia informatione inquirere à contrahentibus de impedimento occulo.

Petes quomodo ſe geret Paſtor reſciens extra confeſſionem aliquod

Digitized by Google

quod impedimentum occultum.

Quid agendum Paſtori dum ſcit eſſe impedimentum inter contrahentes

Reſp. muneris ſui eſſe non procedere ad matrimonium, non tamen ad ipſum ſpectat juridice de impedimento cognoſcere, ſed illud deferre debet ad Ordinarium ad quem ſpectat cognitio impedimentorum matrimonialium, prout patet ex cap. 1. de Conſan, & eapropter non poteſt Paſtor aſſiſtere matrimonio unius qui fregit fidem ſponſalium alteri filiæ, eo quod illa ſponſalia impediant quo minus licitè poſſit iniri aliud matrimonium; & eapropter, ubi conſtat de tali impedimento, tenetur Parochus illud deferre ad Ordinarium; qui nequidem poterit Parocho dare licentiam aſſiſtendi ejuſmodi matrimonio, ſed tenetur cogere talem ad ſervada ſponſalia; neque poteſt præſumere ejuſmodi ſponſum licitè poſſe reſilire à prioribus ſponſalibus, eo quod Ordinarius ſit judex in foro externo; qui proinde obligatur judicare ſecundum allegata & probata; adeoque cum illi conſtet de obligatione, debet quoque ipſi juridicè conſtare de liberatione ab illa; quam dum ille non probat, præſumptio eſt contra ipſum in favorem prioris ſponſæ.

Petes an poſſit Paſtor illum matrimonio jungere qui volens ducere ancillam, quam vivente propria uxore cognoverat, interrogatus à Paſtore an interveniſſet promiſſio de matrimonio ineundo, reſpondet affirm. cumque Paſtor inferret ſubeſſe impedimentum dirimens, tum revocavit priorem aſſertionem, & negavit interveniſſe promiſſionem.

Reſp. neg. quia quando quis faſſus eſt aliquod impedimentum non poteſt Paſtor aſſiſtere ejus matrimonio, ſed tenetur impedimentum illud prius deferre ad Ordinarium: præterea nimis indignum eſt ut id quod quis ſuâ voce dilucidè eſt proteſtatus, illud in eandem cauſam poſſit infirmare, prout habetur cap. *Per tuas* de probat. quod maximè habet locum in hoc caſu in quo ſunt vehementiſſimæ conjecturæ promiſſionis factæ; frequens enim eſt ejuſmodi turpi amore conglutinatos mutuam ſibi de contrahendo matrimonio fidem dare.

Si Paſtor ſciat extra confeſſionem occultum impedimentum an poſſit aſſiſtere matrimonio. dum ſpõſi illud negant.

Petes, quid faciet Paſtor cui conſtat de impedimento occulto extra confeſſionem. ſed ſponſus volens contrahere illud negat.

Reſp. non poſſe paſtorem in tali caſu matrimonio aſſiſtere, eſto talis ſponſus publice inſtet & ſeſe præſentet ad contrahendum; quia dum detegitur aliquod matrimonii impedimentum, non eſt

eſt paſtoris illius veritatem diſcutere, ſed tenetur rem ad ordinarium deferre: & eſto nemo deferret, ipſe interim illud ſecretò ſciret, tenebitur hoc ipſum ordinario manifeſtare cum majori obligatione quam quicumque alius; quandoquidem ipſi non ſolum ex charitate, ſed etiam ex officio incumbat ſaluti ovium ſuarum conſulere.

Petes, quid faciet Paſtor ſi ſponſus volens contrahere matrimonium iniverit antea ſponſalia cum aliqua tertia, quæ ipſe aſſerit fuiſſe ficta & ſine animo ineundi ſponſalia.

Reſp. non poſſe eum aſſiſtere ejuſmodi matrimonio, neque ejuſmodi ſponſo id aſſerenti in foro externo eſſe credendum, cum nemo præſumatur dicere quæ in corde non habet.

Quid faciendũ Paſtori cum habentibus diſpenſationem ſolum pro foro conſcientiæ.

Petes, quid faciet Paſtor qui novit impedimentum, ſed novit contrahentes obtinuiſſe diſpenſationem pro ſolo foro conſcientiæ, an poterit illorum matrimonio aſſiſtere.

Reſp. affirmativè; ſi nimirum nemo impedimentum coram ipſo denuntiet; quod tamen facere non poterit ſi quis impedimentum aliquod ad ipſum deferat, quo caſu nec poterit admittere diſpenſationem illam donec & quo uſque illa quoque pro foro externo facta aſſeratur, quia ex quo impedimentum eſt delatum non poteſt amplius procedere ad matrimonium, ſed debet rem deferre ad ordinarium; quâ ſibi delatâ, debet Ordinarius adminiſtrare juſtitiam, & circa illius impedimenti cognitionem procedere; cum enim ſit judex in foro externo debet judicare ſecundum leges illius fori, adeoque cum diſpenſatio data pro foro conſcientiæ nullo modo proſit pro foro externo, debebit pronuntiare matrimonium illud fore nullum niſi accedat alia diſpenſatio in foro externo.

Petes, an paſtor poſſit arcere à matrimonio eos qui ignorant orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum fidei, præcepta Decalogi & Eccleſiæ.

Non admittendi ad matrimoniũ qui ignorant rudimenta fidei.

Reſp. quamvis neque Epiſcopi neque Paſtoris ſit ſtatuere impedimenta matrimonii, eos tamen ſalubriter & providè facturos ſi differant aſſiſtere ſimilium hominum ignorantium matrimoniis donec & quo uſque illa didicerint quæ ipſi poſtea debent docere proles ſuas.

Qualis probatio impedimenti requiratur ut impe-

Petes, quæ & qualis probatio impedimenti ſufficiat ut matrimonium aliquod impediatur.

Reſp. ſufficere probationem unius teſtis omni exceptione majoris

diri poſſit matrimonii joris, qui teſtetur ex certa ſcientia, & ſub juramento deponat rem ita ſe habere, prout habetur cap. *præterea*, de Sponſal. & cap. *ſuper eo*, de Teſtibus: porro ratio ibidem aſſignatur, quia cum agatur de peccato vitando quod committerent contrahentes, minor probatio ſufficit quam dum agitur de punitione: debet tamen teſtis ille eſſe juratus & ocularis, ſive qui deponat ex certa ſcientia; quia, eſto agatur de peccato vitando, eſt tamen etiam aliquo uſque in præjudicium alterius: quo caſu non creditur niſi teſti jurato, & ex certa ſcientia deponenti, niſi teſtetur de impedimento affinitatis vel conſanguinitatis; tunc enim ſufficit ut ſub juramento deponat ſe id à duobus ſenioribus fide dignis audiviſſe.

Petes, quid ſi impedimentum quod defertur non dirimat matrimonium, ſed tantum præbeat jus comparti reſiliendi à ſponſalibus ut v. g. fornicatio ſponſæ, ſævitia ſponſi &c.

Reſp. tunc requiri duos teſtes omni exceptione majores ſub juramento ex certa ſcientia deponentes: & ratio eſt, quia tunc non agitur præcisè de peccato vitando, ratione cujus jure conceſſum eſt ut vel fama, vel unus teſtis ſufficiat ad probandum impedimentum matrimonii: ſed agitur de gravi præjudicio tertii, ubi duo teſtes neceſſario requiruntur: prout patet ex cap. *veniens*, item cap. *in omni negotio*, de Teſtibus.

DUBIUM VI.

Quænam requirantur ad revalidandum Matrimonium quod fuit invalidè contractum in facie Eccleſiæ.

Reſp. & dico I. vel paſſim ſcitur dictum matrimonium eſſe invalidum, aut ſaltem prudenter timetur invaliditatem ejus in aliorum notitiam deventuram: vel hoc omnimodè ignoritur, nec ſubeſt periculum divulgationis; in priori caſu, illud matrimonium debet iterum renovari coram Parocho & teſtibus; quia ſi hoc non fiat, non poterit conſtare Eccleſiæ de matrimonio inito, neque Eccleſia poſſet adigere reſilientes ad ſtandum contractui matrimoniali; in poſteriori caſu, nempe ſi impedimentum ſit occultum, & modo ſublatum nec ſit periculum quod deferetur ad judicium externum, in quo probatur, ſicut inde matrimonium diſſolvatur in foro externo ſitque illud impedimentum ignotum Parocho & teſtibus, tum non requiritur ut de novo coram Paſtore & teſti- *Si matrimonium ſit contractum in facie Eccleſiæ ſed invalide ob impedimentum, an illo ſublato debeat iterum publicè contrahi.*

teſtibus renovetur: ratio deſumitur partim ex praxi & uſu Eccleſiæ, partim ex declaratione Cardinalium: ex quibus habetur quod decretum Concilii Trid. requirens præſentiam parochi & teſtium non comprehendit hunc caſum, eò quod ratio ejus finalis ſufficienter ſalvetur, eſto matrimonium de novo non contrahatur coram Parocho & teſtibus; ſiquidem ratio finalis hujus decreti eſt ut vitentur gravia peccata & incommoda quæ ex matrimoniis clandeſtinis ſolent oriri, quæ ſufficienter vitantur quando matrimonium ſemel eſt contractum coram parocho & teſtibus, quamvis invalidè; ſiquidem incommoda quæ timentur ſunt periculum celebrandi novum matrimonium & deſerendi compartem, cui tunc ſufficienter occurritur; nam contrahentes per atteſtationem parochi & teſtium impediuntur ne novum matrimonium contrahant.

Quid ſi illud impedimentum fuerit notũ parocho & teſtibus.

Dixi ſignanter, *modo impedimentum fuerit ignotum parocho & teſtibus*, nam ſi parochus vel alter teſtium ſciebat ſubeſſe impedimentum dirimens eo tempore quo matrimonium fuit contractum, non poterant illi eſſe teſtes valoris, ſed potius nullitatis matrimonii, cum ſciant illud eſſe invalidum ratione impedimenti dirimentis; quod proinde de novo coram ipſis erit celebrandum; nam præſentia Paſtoris & teſtium requiritur ut teſtari poſſint de valore matrimonii, de quo teſtari non poſſunt ſcientes ſubeſſe impedimentum dirimens.

An ſublato impedimento requiratur renovatio conſenſus utriuſque contrahẽtium.

Dico 2. quando matrimonium eſt invalidum ratione impedimenti dirimentis, non ſufficit ut qui impedimentum novit ſecreto, renovet ſuum conſenſum: ſed requiritur, ſublato per diſpenſationem impedimento, novus utriuſque conſenſus. Ratio eſt quia cum prior conſenſus utriuſque fuerit omnino invalidus, utpote cadens ſuper materiam illegitimam, uterque denuo eſt renovandus; cum durare non poſſit conſenſus qui nullus fuit; cum enim permanentia præſupponat exiſtentiam, conſenſus qui numquam exſtitit, nequit permanere.

Petes, an non erit ſatis conſenſum ab utroque interius renovari.

Illa renovatio conſenſus debet ſigno externo exprimi.

Reſp. negativè, quia cum ambo fuerint invalidi, perinde fuerunt ac ſi non fuiſſent; & eapropter ſicuti à principio erat neceſſarius conſenſus utriuſque ſigno externo expreſſus, ita & modo.

Petes, an conjux impedimen-

Digitized by Google

ti conſcius debeat rogare alterum impedimenti ignarum ut poſt obtentam diſpenſationem de novo conſentiat manifeſtando ipſi impedimentum, & conſequenter nullitatem matrimonii.

Non eſt neceſſe ut impedimentum innoteſcat parti illud ignoranti.

Reſp. hoc abſolutè non eſſe neceſſe dummodo conjux impedimenti ignarus poſtmodum inducatur ut ita conſentiat ut velit matrimonium ſuum eſſe validum: ut ſi dicat, conſentio quantum poſſum, vel quantum debeo, vel quantum neceſſe eſt ad hujus matrimonii valorem; ſiquidem tunc adeſt conſenſus ſufficiens.

Petes, quid facto opus, ſi conjux ignarus impedimenti dirimentis, tantum intendat ratificare priorem contractum, quem putat fuiſſe validum.

Sed quid ſi pars ignara tantum intendat ratificare contractum prius initum putans illū fuiſſe validum.

Reſp. tunc neceſſe erit ipſi aperire, prius matrimonium fuiſſe invalidum; quia alioqui ſecundus ejus conſenſus non erit niſi approbatio prioris invalidi; aut certè cum illa dexteritate agere oportebit, ut velit mattimonium renovare perinde ac ſi ante non fuiſſet contractum, nam niſi hoc fiat, ſecundus ejus conſenſus erit ex errore circa ſubſtantiam contractus, conſentit enim quia putat prius matrimonium ſuum fuiſſe validum: procedet is quoque ex errore perſonæ; nam denuo conſentiet quia putat hanc ſuam eſſe conjugem cum tamen non ſit.

Petes quid remedii adhibendum, quando nullitas matrimonii eſt comparti ignota quæ nullo modo propter moroſitatem ſuam poteſt induci ad novam conſenſum præſtandum, modo ſupra dicto, quo illam in conjugem ſuſcipiat, etiamſi hactenus conjux non fuiſſet: & ex altera parte effugere non poteſt debiti redditionem, an ſufficiet ad revalidandum matrimonium, quod compars conſcia impedimenti ſublati de novo exterius conſentiet independenter à priori conſenſu invalido, comparte interim ignarâ in antiquo ſuo conſenſu permanente.

Si nullo modo poſſit induci ad renovandum abſolutè conſensū an poſſit pars alia reddere debitum.

Reſp. communiter, id nullatenus licere, & ſpeculative loquendo conſenſum illius de novo preſtitum nullatenus ſufficere ad revalidandum matrimoniū quippe cum conſenſus alterius ſit manifeſtè invalidus, utpote ortus ex errore, quo putat priorem ſuum conſenſum valere: & quamvis non deſint authores aſſerentes matrimonium hoc modo poſſe revalidari, tamen hac praxi utendum nullatenus eſt, niſi in graviſſima neceſſitate; quæ quandoque facit licitum, quod alias eſſet illicitum. Licitum eſt enim uti ſententia probabili, etiam in materia ſacramentorum, quando certa haberi

Digitized by Google

beri non poteſt, & eſt juſta neceſſitas: prout patet, quando infans tantum in digito baptiſatur, aliis ejus partibus non exſtantibus; & ita in graviſſima neceſſitate tolerari poterit hæc ſententia propter authoritatem graviorum doctorum id aſſerentium: ſed ubi non erit talis neceſſitas, omnino curandum eſt ut uterque conjux noſcat prius matrimonium non valuiſſe, aut certe ignarus nullitatis ex nunc conſentiat in matrimonium, caſu quo à principio fuiſſet irritum.

Si matrimoniũ fuerit nullum, defectus, conſenſus unius, revalidabitur præbito conſenſu ipſius.

Dico 2. ſi perſonæ ſint habiles ad contrahendum matrimonium tamen fuit invalidum defectu conſenſus in uno contrahentium, utpote qui vel fictè conſenſit, aut gravi metu adhoc adactus fuit, tunc ſatis erit illum de novo conſentire, quia ut ſupponitur, altera pars ſemel legitimè conſenſit, & in eo virtualiter perſeverat, ergo ad revalidandum ejuſmodi matrimonium ſufficit, ut accedat conſenſus illius, qui ante invalidè conſenſerat; qui dictum conſenſum debet ſigno aliquo externo manifeſtare, pro illo momento ſe collocare in ſtatu gratiæ, eò quod tunc ſuſcipiat Sacramentum vivorum. Neque ad hoc opus erit ſigno aliquo verbali, cum ſupradictum matrimonium poſſit revalidari per copulam affectu maritali habitam, eò quod uſu rei ſuæ quis ſufficienter exprimat conſenſum ſuum in dictam rem.

Si defectu conſenſus utriuſque uterque debet renovare conſenſũ.

Dico 3. ſi matrimonium fuerit invalidum defectu præcisè conſenſus utriuſque utpote, ut puta propter metum utrique injuſtè incuſſum in ordine ad matrimonium, tunc requiritur quod ambo contrahentes de novo conſentiant, illumque conſenſum ſigno aliquo exteriori exprimant.

Petes, an inſuper tunc requiratur ut renovatio conſenſus unius alteri viciſſim innoteſcat.

An illa renovatio debeat utrique innoteſcere.

Reſp. affirmativè; caſu quo ambo ſciverint interiores ſuos conſenſus fuiſſe nullos, ſiquidem in talibus circumſtantiis neuter ſibi poteſt prudenter perſuadere, compartem manere in conſenſu legitimè præſtito: quod ſi vero uterque ſit ignarus de conſenſu anteriori invalidè præſtito, tunc ſufficit quod ſinguli exterius conſenſum renovent, abſque eò quod alteri innoteſcat: ratio eſt, quia tunc quilibet præſumit alterum conſenſiſſe, & in illo conſenſu ſaltem virtualiter permanere. Atque adeo quilibet renovat conſenſum ſuum abſolutè.

Petes, an ſit validum matrimonium contractum cum falſo errore impedimenti.

Reſp. affirmativè; ſaltem in

Xxxxx 2 caſu

Digitized by Google

caſu particulari, dum nimirum contrahentes intendunt contrahere quantum poſſunt, eo modo quo is qui credit baptiſmum non valere, nihilominus intendit facere quod facit Eccleſia, valide baptiſat, eòquod cum errore particulari ſtet intentio faciendi quod facit Eccleſia: nec refert quod objici poſſet, quod intentio non feratur in impoſſibile, quia id ſolum verum eſt de tendentiâ abſolutâ, ſecus vero de conditionali, prout hic.

DUBIUM VII.

An Confeſſarius teneatur monere pœnitentem quem novit invalide contraxiſſe matrimonium ex ignorantia juris vel facti.

Confeſſarius debet monere pœnitentem de invaliditate matrimonii quando advertit illud cōtraxiſſe ex ignorantia mortaliter culpabili.

RESp. & dico 1. tenetur confeſſarius monere pœnitentem ſi invalide contraxerit ex ignorantia mortaliter culpabili: neque poteſt diſſimulare, quamvis admonitio non eſſet profutura & quodcumque ſcandalum pœnitentis ſequeretur.

Probatur 1. quia ejuſmodi pœnitens accedit ad confeſſarium tanquam ad Doctorem & Vicarium Dei, ut ab ipſo inſtruatur; ergo infideliter agit confeſſarius ipſum non inſtruens, & taciturnitate ſua approbat illius errorem.

2. Probatur, quia talis pœnitens eſt in peccato mortali, & eapropter ſi confeſſarius cum eo diſſimulet dabit Sacramentum indigno.

Si matrimonii contractum ſit cum ignorantia invincibili, tenetur cōfeſſarius monere de ejus nullitate ſi ſperet hoc profuturum.

Dico 2. ſi ejuſmodi pœnitens laboret ignorantiâ invincibili juris vel facti alicujus impedimenti dirimentis exemplum ignorantiæ juris eſt hoc, cum novit quis ante matrimonium initum conſanguineam ſuæ uxoris intra ſecundum gradum, & invincibiliter ignorans hoc eſſe impedimentum dirimens, contraxit matrimonium. Exemplum ignorantiæ facti eſt hoc; fæmina quædam præmiſsâ ſufficienti diligentiâ ſuper morte prioris ſui mariti, bona fide inivit ſecundas nuptias, ſcit tamen certo confeſſarius priorem maritum adhuc vivere, tenebitur ipſum monere ſi prudenter ſperet monitionem ſuam profuturam. Ratio eſt quia munus confeſſarii eſt pœnitentem inſtruere & docere, præſertim cum ſpes proficiendi adeſt: quando vero nullum, ſperat fructum ex ſuâ admonitione profuturum, quin potius ſcandalum, aut notabile in fœminam damnum eventurum, tunc per ſe loquendo non tenebitur monere; ut v. g. compars illa vellet recedere cum ſcandalo alterius compartis

Si vero ex tali monitione timea-

tur potius grave malum, poteſt abſtinere.

partis ignorantis, vel vellet perſiſtere in matrimonio obtentâ diſpenſatione, ſed alter nollet denuo conſentire. Ratio eſt quia nulla lex obligat ad actus inutiles & otioſos. 2. Præceptum correctionis non obligat, quando nullus ex correptione ſperatur fructus. 3. Quia nulli debemus injicere laqueum, ut habetur cap. *de viduis* ſed in hiſce circumſtantiis admonere non eſſet aliud quam laqueum injicere &ſcandalum dare. Nam conſtitutus in bono ſtatu & ſolum materialiter peccans, hac admonitione confeſſarii incipiet peccare formaliter, verſabiturque in ſtatu peccati mortalis.

Petes, quid ſi talis conjux invincibiliter ignorans matrimonium eſſe invalidum recuſet comparti ob iram aut averſionem animi reddere debitum an confeſſarius illum poterit abſolvere.

Reſp. negativè, quia ejuſmodi pœnitens eſt in ſtatu peccati mortalis credens injuſtè ſe negare debitum comparti.

Poteſt confeſſarius tali caſu præcipere ut ſibi reddant debitum.

Petes, an confeſſarius in caſu poſito non teneatur præcipere ejuſmodi pœnitenti ut reddat.

Reſp. affirmativè; neque verum eſt, confeſſarium in hiſce circumſtantiis præcipere rem intrinſecè malam, ſed ſuppoſita invincibili ignorantiâ formaliter bonam.

Dices, talis confeſſarius mentitur dicendo compartem, cui pœnitens non vult reddere debitum, eſſe ipſius uxorem.

Reſp. negando, antecedens; ſicut non eſt mentita Beata Virgo, quando J E S U in templo dixit *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Eſto enim Joſeph non eſſet verus pater, erat tamen talis reputatione.

Petes, quid ſi peccatnm pœnitentis, quod per invincilem ignorantiam excuſatur, cedat in præjudicium alicujus tertii, ut v. g. ſi pœnitens alicui teneatur ad reſtitutionem, ad quam invincibiliter ignorat ſe teneri, nec ex admonitione ſperatur aliquis fructus, an tacere debebit confeſſarius.

Reſp. ex dictis affirmativè; idque ne pœnitenti laqueum injiciat.

Petes, quid ſi confeſſarius putet pœnitentem, qui laborat ignorantia invincibili peccati ægrè laturum modò admonitionem, quam arbitratur ipſum melius ſuſcepturum alia vice, an poterit differre admonitionem in aliud tempus magis opportunum

Reſp. affirmativè; in quo prudenter procedet, & adimplebit ritè præceptum correctionis fraternæ. Quin imo valdè prudenter

operabitur confeſſarius, dum non omnia ad quæ tenetur pœnitens, ſimul & ſemel ipſi pro prima vice aperit, quorum laborat ignorantia invincibili, ne ille deterritus & quaſi obrutus, à confeſſione omnino abſtineat: ſed paulatim debet eum docere ea, ad quæ tenetur, dummodo tamen non laboret ignorantia invincibili eorum quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem.

Vnde cognoſcet confeſſarius an talis pœnitens laboret ignorantia invincibili.

Petes, quomodo cognoſcet confeſſarius, an pœnitens laboret ignorantia invincibili.

Reſp. ſi prudenter indaget, an pœnitens credat ſe eſſe in bono ſtatu, neque habeat conſcientiam dubiam alicujus delicti.

Petes, an confeſſarius obligetur pœnitenti aperire veritatem, quando ille dubius de impedimento confeſſarium deſuper interrogat.

Si pœnitens dubitans de impedimento, deſuper interroget confeſſarium tenetur hic aperire veritatem.

Reſp. affirmativè; etiamſi crederet ſe nihil profuturum manifeſtando veritatem. Ratio eſt, quia conſcientia pœnitentis illo dubio eſt lœſa, eſtque extra bonam fidem, poteritque taciturnitatem confeſſarii trahere in ſuum favorem, qui proinde, veritatem non manifeſtando, cenſebitur approbare errorem pœnitentis.

Petes, an ſi aliquis paſtor ex invincibili ignorantia doceret aliquem errorem in fide, an confeſſarius ejus non tenebitur ipſum monere, etſi prævideat monitionem ſuam non profuturam.

Reſp. affirmat. quia illa ignorantia eſt contra bonum commune, quod præferendum eſt cuilibet privato. Ex quo quoque ſequitur, quod publicus Doctor, aut concionator, teneatur publicè docere veritatem, eſto nullus inde fructus ſequatur, & hoc ideo quia illa doctrina ordinatur ad bonum publicum, quæ ob privatum malum non eſt omittenda. Sequitur quoque, quod ſi eſſet communis fama vel publicum ſcandalum, nullitatis alicujus matrimonii, obligari confeſſarium admonere conjugem, etiam invincibiliter ignorantem, quia talis ignorantia eſt contra bonum commune.

Si ſit fama de nullitate matrimonii tenetur Confeſſ. monere pœnitentem licet non ſperet et fructum.

Petes, an conjux impedimenti dirimentis conſcia, adeoque invaliditatis ipſius matrimonii ſui, poſſit illio non obſtante in eo perſeverare ad evitandum mortem vel ſcandala, quæ ex ſeparatione ſequerentur, adeoque an non poterit reddere debitum.

Conjux conſcius nullitatis matrimonii non poteſt reddere de-

Reſp. negativè, quia cum illud matrimonium ſit nullum, ſequeretur fornicationem aliquo caſu eſſe licitam, quod eſt erroneum, cum ſit intrinſecè mala.

Dices, peccatori occulto publicè

Digitized by Google

bitum ob quamcumque cauſam.

blicè petenti tenetur paſtor miniſtrare Euchariſtiam, quamvis hoc aliàs eſſet ſacrilegium: ergo ſimiliter, ſi vir bonâ fide debitum petat, & impedimentum dirimens ſit occultum, licebit uxori ei reddere.

Reſp. negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia peccator occultus habet jus juſtitiæ, ne publicè infametur, negatâ ſibi Euchariſtiâ: maritus autem ille, non habet verum jus petendi debitum, quando matrimonium eſt nullum,

Dices, quamvis admittere fornicationem, ſit intrinſecè malum; non tamen illam permittere ex juſta cauſa, prout hinc inde permittuntur meretrices in magnis civitatibus; ergo quamvis non liceat huic conjugi petere debitum, quod eſt facere malum, tamen licebit reddere, quod non eſt aliud, quam permittere quod alter utatur ſuo corpore ad vitanda majora mala.

Reſp. negando conſequentiam; quia permittere in alio quod vitare non poſſumus, non eſt propriè facere, ſed licitum ad vitanda majora mala, prout patet in exemplo adducto de meretricibus; porro in ſe ipſo admittere tale malum, eſt facere & fornicari. Ad quod excuſandum non refert axioma quod ex duobus malis minus ſit eligendum, quia hoc vel intelligitur de malis pœnæ, vel ſi intelligatur de malis culpæ, debet intelligi de his, quæ non ſunt intrinſecè mala, ſed ſolum de illis quæ idcirco mala ſunt, quia prohibita; ſed illa in concurſu majoris mali deſinunt eſſe prohibita; & ita licitum eſt ad vitandam mortem jejunium frangere, quod alias eſſet ſervandum ex præcepto Eccleſiæ.

Petes, quid interim factura eſt compars impedimenti derimentis, conſcia. ſi illud ſit jure naturæ indiſpenſabile & illa tale impedimentum probare nequeat, vel etiam illud detegere non poſſit ſine vitæ ſuæ aut famæ periculo, & interim illa ab Officiali compellatur reddere debitum petenti.

Impedimenti indiſpenſabilis conſcia nullo caſu poteſt reddere debitum.

Reſp. eam mandato Officialis nullatenus poſſe parere, aut comparti ſuæ poſſe cohabitare cum animo debitum reddendi, ſed potius debere tentare fugam, ſeque transferre in aliam regionem, ut effugiat manifeſtum peccati periculum.

DUBIUM VIII.

An poſt Matrimonium bonâ fide ab utroque conjugum contractum; ſi utrique vel alteri de valore ejus ſuperveniat dubium, poſſit dubitans petere & reddere debitum.

In dubiis poſſeſſio eſt ſufficiens ratio ad deponendum practicè dubium.

PRæmittendum hic primò, quod præmiſſa ſufficienti diligentia ad veritatem indagandam, poſſeſſio ſit ſufficiens titulus ad dubium ſpeculativum practicè deponendum, & contra illud operandum, non tantum in materia juſtitiæ, ſed etiam in materia aliarum virtutum, prout hoc fuſe deduximus in Tractatu de Actibus Humanis. Et ẽapropter incipiens bona fide rem aliquam poſſidere, ſi ſuperveniat dubium an res illa ſit aliena, tenetur primò diligentiam debitam adhibere ut veritatem aſſequatur, quam niſi adhibuerit, exponit ſe manifeſto periculo retinendi rem alienam: illâ vero adhibitâ, nec veritate detectâ, practicè dubium illud ſpeculativum poterit deponere, retinendo rem illam tamquam ſuam, eò quod juxta 65. regulam juris in ſexto, in pari causâ, potior ſit conditio poſſidentis. 2. Quia in foro externo talis protegetur in ſua poſſeſſione, nec compelletur aliquid reſtituere, ergo neque ad hoc compellendus erit in foro interno, eò quod non ſint diverſa utriuſque fori judicia, niſi dum externum nititur falſa præſumptione. 3. Quia in retentione nullum crimen admitti poteſt, niſi forſan injuſtitię, quod hic non ſubeſt, quia injuſtitia importat inæqualitatem inter jura utriuſque; quæ hic autem nulla eſt inæqualitas, eſſet, ſi fieret reſtitutio. Nam licet jus utriuſque in dubio ſit æquale, quoad proprietatem, non tamen eſt tale quoad poſſeſſionem; nam poſſidens eſt certus de jure poſſidendi, in quo proinde eſt potior ejus cauſa, adeoque nulla hic eſt inæqualitas, & conſequenter neque injuſtitia.

Petes, an bona fide rem poſſidere incipiens ſi poſtea dubitet an res ſit aliena, & negligat deſuper inquirere veritatem, teneatur ad reſtitutionem illi, de quo dubitat an res ſit ipſius.

Bonâ fide poſſidens ſi incipit dubitare tenetur adhibere diligentiam.

Reſp. affirmativè; idque plus minus prudenti judicio juxta qualitatem ſpei, quæ erat veritatem aſſequendi.

Porro in pari dubio utriuſque partis, in judicio contendentis, ita ut judex hæreat omnino anceps, tenebitur favere poſſidenti.

ti. Quod ſi verò neuter poſſideat erit res dividenda inter eos de quibus dubitatur cujus ſit, idque juxta dubii proportionem; ita ſcilicet, ut ſi dubium ſit æquale, cedat media pars uni & media pars alteri, quia æquale eſt utriuſque jus.

Petes, quid ſi ergo unus alteri conſuluerit homicidium, & poſtea dubitet an illud ex conſilio ſuo ſit ſecutum, an teneatur talis ad reſtitutionem.

Reſp. affirmativè; quia in hoc dubio poſſeſſio non ſtat pro conſulente dubitante, nam cum conſtet de injuſta actione ipſius, quæ apta eſt ad hunc effectum producendum, & ex natura ſua illum conſequitur: dum de effectu ſubſecuto conſtat, poſſeſſio eſt pro illa injuſta actione, quod ſit aſſecuta effectum: & hinc præſumendum ſine hoc conſilio homicidium illud non fuiſſe commiſſum, niſi forſan oppoſitæ conjecturæ aliud ſuadeant.

Petes, quid ſi bona fide poſſidens aliquam rem, poſtea dubius, magis inclinet rem illam eſſe alienam.

Reſp. tunc obligari illum partem illius reſtituere pro ratione majoris illius inclinationis, quia tunc non eſt par cauſa.

Petes, an bona fide poſſidens & poſtea dubius, poſſit ante debitum examen re illa uti.

An poſſidens rem de qua dubitat an ſit aliena poſſit illam abſumere.

Reſp. ſi intelligatur de uſu, quo res illa conſumitur, hoc nullatenus poſſe. Quod ſi verò intelligatur de uſu communi, & res illa ſit equus vel vacca, poſſe interea quo indagat veritatem, illa uti, animo ſolvendi Domino invento prætium illius uſus, deductis alimentorum expenſis; neque enim Dominus in hac parte eſt rationabiliter invitus. Examine verò præmiſſo, & remanenti æquali dubio, poterit re illa non tantum uti, ſed & illam quoque alienare, quia ſicuti illi competit juſta poſſeſſio, ita & illi competere debent, quæ ex illa oriri conſueverunt, uſus ſcilicet & alienatio.

Petes, quid ſi quis acceperit rem aliquam dubia fide titulo emptionis aut donationis, an teneatur illam reſtituere.

Si quis poſſidet rem dubio titulo an teneatur reſtituere.

Reſp. affirmativè; quia poſſeſſio illi non ſuffragatur, ut in dubio ſit melior ejus conditio, ſi quidem poſſeſſio eſt rei cum bona fide detentio: non tamen tenebitur rem integrè reſtituere, ſed plus vel minus pro qualitate dubii. Quia quamvis illi non ſuffragetur poſſeſſio, ut ratione illius poſſit aliquid retinere, quia tamen non conſtat illi, rem illam ad aliquem pertinere, adhibuitque debitam diligentiam ad ſciendum, non tenebitur inte-

grè, ſed ſolum partem pro ratione dubii.

Petes, quid ergo facturus ſit ille, qui rem aliquam accepit mala fide.

Ad quid tenetur poſſeſſor malæ fidei.

Resp. obligari primò adhibere debitam diligentiam ad aſſequendum rei veritatem, ne Domino rei injuriam & damnum inferat: qua diligentia adhibita, ſi non non poſſit veritatem invenire, tenetur reſtituere rem inter illos, quorum eſſe dubitat. Ratio eſt quia in dubio non eſt potior conditio poſſidentis mala fide. Hinc hæres qui incipit mala fide poſſidere bona, quæ defunctus bona fide poſſedit, tenetur ad ratam dubii illa reſtituere, inter eos quorum eſſe dubitat. inſuper comperto vero rei Domino, non tantum tenetur rem, ſed & rei fructus à ſe perceptos reſtituere, tamquam poſſeſſor malæ fidei.

Conjux dubitans de valore matrimonii nō poteſt petere debitum.

Dico 2. quando poſt matrimonium bona fide initum maritus dubitat de ejus valore, non poteſt, niſi poſt adhibitam diligentiam ad aſſequendam veritatem petere debitum: ratio eſt, quia alioqui exponeret ſe periculo fornicationis, ſiquidem fieri poteſt quod matrimonium non ſit validum. Tenebitur tamen talis petenti parti reddere exiſtenti in bona fide, eò quod hæc habeat jus petendi, utpote exiſtens in poſſeſſione: tum quia quando concurrunt ſimul duo præcepta, quæ ſimul ſervari non poſſunt, dictat recta ratio, ut ſervetur illud quod magis obligat: ſed hic duo talia concurrunt, nempe præceptum, *non fornicaberis*, & præceptum juſtitiæ de reddendo debitum. Quod ultimum, cum clarum ſit, magis obliget quam primum, adeoque illud eſt abſolutè ſervandum, & debitum eſt reddendum.

Poteſt tamen petenti reddere.

Poſt præmiſſam verò debitam diligentiam, ſi adhuc remaneat dubium, poterit illud practicè deponere. Ratio patet ex antedictis, quia in aliis contractibus, quando quis rem aliquam cæpit bona fide poſſidere, & poſteà ſupervenit dubium, an res ſit ſua an aliena; præmiſsâ deſuper debitâ diligentiâ poteſt illam rem retinere, uti & conſumere.

Prob. autem illa reſolutio ex c. *inquiſitioni* de ſent. excom. ubi Innoc. III. interrogatus an conjux qui dubitat de valore ſui matrimonii poſſit petere & reddere, debitū reſpondet in hunc modum „inquiſitioni tuæ reſpondentes „credimus diſtinguendum utrum „alter conjugum pro certo ſciat „impedimentum conjugii, propter quod ſine mortali peccato „non valet carnale commercium „exer-

„ exercere, quamvis illud apud „ Eccleſiam probare non poſſit; „ an non ſciat pro certo, ſed credat. In primò caſu debet potius „ excommunicationis ſententiam „ humiliter ſuſtinere, quam per „ carnale commercium peccatum „ operari mortale. In ſecundò di„ſtinguimus, utrum habeat con„ſcientiam hujuſmodi ex credu„litate levi, & temeraria: an „ probabili & diſcreta; & qui„dem ad ſui Paſtoris conſilium, „ conſcientiæ levis & temerariæ „ credulitate exploſâ, licite po„teſt non ſolum reddere, ſed „ exigere debitum conjugale. „ Verum cum conſcientia pulſat „ animum ex credulitate proba„bili & diſcreta, quamvis non „ evidenti & manifeſta: debi„tum quidem reddere poteſt, „ ſed poſtulare non debet; ne in „ alterutro, vel contra legem „ conjugii, vel contra judicium „ conſcientlæ committat offen„ſam. „

Petes, quid ſi maritus tantum ſit dubius, & ille ab uxore non dubitante petat debitum, an illa conſcia ipſius dubii, antequam ille adhibuit debitam diligentiam, teneatur ipſi reddere.

Reſp. negativè, quia ſciens ipſum habere tale dubium, ſcit quoque ipſum tunc non habere jus petendi ante præmiſſam debitam diligentiam.

Dico 3. quando quis mala fide contraxit matrimonium, ut v. g. dubitans de morte prioris conjugis, aut alio impedimento dirimente, non poteſt petere debitum, utpote qui nullum jus petendi acquiſivit per matrimonium cum tali dubio initum. Poſſeſſio enim mala fide incepta nullum tribuit jus: tenebitur tamen talis bona fide petenti comparti reddere, utpote habenti jus petendi, quo, propter ejus malam fidem, aut dubium, ſpoliari non poteſt.

Petes, quid ſi uterque mala fide contraxerit.

Qui malà fide cõtraxit nõ habet jus ex profeſſione.

Reſp. tunc neutrum poſſe petere vel reddere, quia nemo tunc acquiſivit jus petendi, niſi forſitan adhibitâ poſtmodum debitâ diligentiâ, dubium illud practicè poſſit deponi, & moraliter certò cognoſcatur nullum ſubeſſe impedimentum.

An conjux credere debeat alteri aſſerent invaliditatem matrimonii.

Petes, an uxore affirmante ſibi in contractu matrimoniali defuiſſe conſenſum poſſit maritus inire aliud matrimonium, credendo uxori aſſerenti ſe fictè contraxiſſe.

Reſp. regulariter eum non teneri illi credere, adeoque uti poſſe matrimonio cum illa uxore contracto, nec poſſe ſtatim alteri nubere; quod verum eſt, eſto uxor cum juramento aſſerat,

rat ſe fictè contraxiſſe, vel habere impedimentum dirimens. Et ratio eſt, quod veroſimilius ſit ipſam modo mentiri, quam mentita fuerit in contractu principali: nam cap. *tuas* tit. de probat. ait Innocentius III. nimis indignum eſt juxta legitimas ſanctiones, ut quod quiſque ſua voce dilucide eſt proteſtatus, valeat proprio teſtimonio infirmare

Dixi, *regulariter*, quia ſi adſint argumenta judicio virorum prudentum ſufficientia ad credendum, quod defuerit uxoris conſenſus, vel quod ſubſit impedimentum dirimens; tunc maritus inire poterit ſecundum matrimonium, & eo libere uti, accedente judicis Eccleſiaſtici ſententia, ſi prius matrimonium erat manifeſtum, & pro valido ante reputatum,

Quale teſtimonium requiratur de invaliditate matrimonii ut conjux teneatur credere.

Petes, an conjux teneatur credere ſubeſſe impedimentum dirimens in ſuo matrimonio, ſi intelligat tale ſubeſſe à viro fide digno, v. g. paſtore proprio cum juramento id aſſerente.

Reſp. negativè, quia dictum unius non inducit credendi neceſſitatem, ſed ad id oportet eſſe duos ut patet ex cap. *cum à nobis*, de teſtibus. Quod potiſſimum verum eſt, quando id cedit in noſtrum præjudicium: tenebitur tamen talis ſtatim adhibere diligentiam ad aſſequendam veritatem: alioqui enim cenſebitur laborare ignorantiâ affectatâ; tenebiturque dubitare de valore ſui matrimonii, adeoque ita ſe habere, ſicuti dubius de valore ſui matrimonii, qui quidem tenetur reddere, non tamen poteſt petere. Si quidem teſtimonium viri prudentis vel publica fama impedimenti dirimentis nos dubitare cogunt. Etenim fama eſt ad inſtar teſtis fide digni qui ſemiplenè probat.

Petes, qualis probatio impedimenti dirimentis requiratur ad matrimonium legitimè contractum diſſolvendum.

Ut matrimonium diſſolvi poſſit requiruntur ad minus duo teſtes impedimenti.

Reſp. quamvis ad impediendum matrimonium ne illud contrahatur, ſufficiat ut ſupra diximus unius teſtis fide dignus, vel fama impedimenti dirimentis; tamen ad illud diſſolvendum requiruntur duo teſtes omni exceptione majores, & hoc ideo, quia eſt cauſa graviſſima, in qua agitur de magno præjudicio tertii, prout expreſſe habetur cap. *de conſangnineis*. Excipe tamen, niſi agatur de matrimonio diſſolvendo ratione conſanguinitatis, tunc enim parentes, & conſanguinei habentur tamquam legitimi teſtes, ut patet ex cap. *ſuper eo* de teſtibus.

An illi teſtes debeant ſemper eſſe omni exceptione majores.

Petes, an ſicut ad diſſolvenda

da ſponſalia ſufficit confeſſio impedimenti utriuſque ſponſi, ita quoque ad diſſolutionem matrimonii ſufficiat confeſſio utriuſque conjugis petentis diſſolutionem.

Non ſufficit confeſſio utriuſque conjugis ordinariè

Reſp. negat. quia ut habetur cap. *ſuper eo* de conſang. in cauſa matrimonii non ſtatur litigantium confeſſioni, neque enim in eorum poteſtate eſt ita diſſolvere matrimonium, ſicut eſt dirimere ſponſalia.

Allegans propriam turpitudinem quando audiendus.

Quod ſi tamen uterque conjux ſtet pro valore ſui matrimonii, nec petat illud diſſolvi, judex autem ex officio inquirat, vel alius accuſet, tunc ſufficit; ut patet cap. *ſi duo*, quinimo ſufficiens eſt probatio, ſi fiat confeſſio ab altero conjuge ſtante pro matrimonio, cum impedimenti fama, etiamſi conjux ille ſuam turpitudinem alleget. Quoties enim de animæ periculo agitur allegans propriam turpitudinem eſt audiendus, & ex alia parte, cum velit matrimonium ſuum conſiſtere non præſumitur in proprium caput falſum confiteri. Hæc dicta ſint quando tractatur de matrimonio diſſolvendo quoad vinculum: ſi enim agatur de diſſolutione ſolum quoad ad thorum, tunc ſtatur confeſſioni alterius conjugis contra ſe ipſum prolatæ, ut patet ex cap. *literis* de divortiis, & ita ſi unus conjugum fateatur ſe adulterium perpetraſſe, conceditur conjugi innocenti jus celebrandi divortii.

Qualis certitudo mortis conjugis requiratur ut alter inire poſſit aliud matrimonium.

Petes, quomodo conſtare debeat de obitu conjugis, ut compars ſupervivens poſſit inire aliud matrimonium.

Reſp. non ſufficere, quantumvis longam conjugis abſentiam, quia mors non præſumitur ſed eſt probanda; adeoque quilibet præſumitur vivere, quamdiu non probatur mortuus. Unde & tamdiu poſſeſſio ſtat pro priori matrimonio, donec ſuperveniat certitudo moralis de obitu prioris conjugis. Ad quam faciendam, per ſe loquendo, non ſufficit unus teſtis, quia ſi dictum unius in cauſa pecuniaria eſt inſufficiens, quanto magis in matrimoniali, in qua vertitur periculum animæ & irritationis ipſius Sacramenti. Quod ſi tamen conjux obiiſſet in loco ita diſtanti, ut aliæ probationes vix haberi poſſent, tunc ſufficere aiunt Doctores nuntium vel unicum teſtem, attentâ perſonæ qualitate, quod veroſimilia dicat, quod judicis arbitrio relinquitur: nam quando probatio integra & plena haberi nequit, ſufficit illa præſertim in neceſſitate, quæ fit per conjecturas; nõ tamen ad probandam mortem conjugis ſufficit

 ſola

An ad hoc quandoque ſufficit fama de ejus morte.

ſola fama, utpote plerumque fallaci & incerto authore. Quod ſi tamen illa certis adminiculis juvetur, quandoque efficiet probationem moraliter certam. Porro adminicula illa ab aliquibus aſſignantur longitudo abſentiæ, ſi erat ſenex, ſi erat in bello nec reverſus eſt quantumvis multo tempore expectatus, ſi uxor accepit litteras mortis mariti ab iis cum quibus militavit &c. Sed quidquid ſit, ut fama probet obitum conjugis, debet originem ſuam trahere à cauſis moraliter certis.

DUBIUM IX.

An vinculum Matrimoniale quandoque poſſit diſſolvi.

Per libellum repudii in lege veteri ſolvebatur matrimonium.

SUpra de matrimonio dubio ſecundo oſtendimus illud jure naturali per ſe eſſe indiſſolubile. Hic modo queritur, an in aliquibus caſibus particularibus illud non poſſit diſſolvi per diſpenſationem.

Reſp. affirmativè.

Et primò quidem communis ſententia eſt quod in lege veteri, matrimoniale vinculum diſſolveretur per libellum repudii, ut conſtat Deutr. 24. his verbis: *Si quis homo acceperit uxorem & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo ſua.* Quod autem vinculum matrimoniale fuerit ſolutum, patet ex verſu quarto in quo dicitur, quod ſi repudiata alteri nupſerit, eamque dimiſerit, non poterit à priori marito in uxorem recipi: & certe ſi vinculum illud non fuiſſet ſublatum, fœmina illa alteri nupta, fuiſſet adultera, quæ ſecundum legem debuiſſet lapidari, quod tamen non fiebat: neque Prophetæ ejuſmodi libellum repudii umquam reprehenderunt, aut de ejus malitia populum admonuerunt, quod tamen feciſſent, ſi ſubfuiſſet aliquod peccatum.

Idque ex diſpenſatione divina.

Ex quo ſequitur hunc libellum repudii Judæis non tantum fuiſſe permiſſum, tamquam minus malum ad vitandum majus: ſed poſitive ipſis fuiſſe conceſſum ex juſta cauſa v. g. ob ſterilitatem, ob lepram, fornicationem & alias ſimiles, uxores ſuas dimittere quoad vinculum, quæ à marito dimiſſæ, poterat alteri nubere.

Dices, Matth. 19. ait Chriſtus, Moyſem ad duritiam cordis Judæorum permiſiſſe hunc libellum repudii, ergo per illum non ſolvebatur matrimonium.

Reſp. negando conſequentiam; & dico inde tantum ſequi duritiam cordis Judeorum fuiſſe cauſam

cauſam occaſionalem conceſſionis hujus libelli repudii.

Illa diſpenſatio revocata eſt per Christū in lege nova.

Porro hæc licentia conceſſa judæis revocata eſt à Christo Math 19. ubi reduxit matrimonium ad primævum ſuum ſtatum non condendo novam legem, ſed auferendo diſpenſationem, quæ pro iſto tempore ex cauſis à Deo fuerat conceſſa. Et eapropter modo illicitus eſt ille libellus repudii, etiam infidelibus; qui proinde graviter peccant ſi uxores ſuas quacumque ex causâ repudient. Et idcirco quando convertuntur ad fidem Catholicam cum priori manere aut illam recipere jubentur, niſi forſan illud ipſorum matrimonium fuerit nullum; ut puta ad tempus tantummodò contractum aut cum alia quadam conditione contraria bonis matrimonii.

Matrimonium ratum non conſummatum poteſt diſſolvi authoritate pontificis

Dico II. juſtâ interveniente causâ poteſt ſummus Pontifex licitè & validè per diſpenſationem ſolvere matrimonium ratum non conſummatum.

Probatur primo, quia de facto plures Pontifices ex juſtâ causâ in hoc diſpenſaverunt, ita enim Navarrus dicit Paulum III. & Pium IV. ſe petente, deſuper diſpenſaſſe, qui & refert Pium V. ter vel quater id ipſum quoque feciſſe: ſimiliter quoque Cajetanus tomo I. opſculorum tractatu 28. dicit Pontifices ſuo tempore frequenter in eo diſpenſaſſe & refert Henriques, de matrim. cap. 8, Greg. XIII. diſpenſaſſe uno die cum undecim: ſed non eſt præſumendum Pontifices in materia tam gravi & tantopere ad mores pertinente erraſſe; neque ſufficiet dicere illos ſequentes ſententiam probabilem deſuper diſpenſaſſe: ſic enim ſequeretur illos ſpeculative erraſſe, adeoque errorem in re adeo gravi & ad mores ſpectante commiſiſſe.

Illa poteſtas eſt Pontifici delegata à Christo.

Porrò habet Pontifex illam facultatem, non quidem ex poteſtate ordinaria, quam habet ut ſupremus in Eccleſiæ princeps; ſed extraordinariâ, quam habet ut vicarius Chriſti ad hoc ipſi ſpecialiter conceſſâ ad bonum Eccleſiæ regimen: ſiquidem exiſtimandum eſt à Chriſto collatam eſſe poteſtatem ſuo Vicario ad omnia illa quæ ſunt neceſſaria bono regimini Eccleſiæ; inter quæ eſt poteſtas diſpenſandi quãdoque ob graviſſimam cauſam in matrimonio rato non conſummato.

Dices, indiſſolubilitas matrimonii rati eſt juris divini naturalis; ſed in hoc non poteſt Pontifex diſpenſare; ergo.

Non inde ſequitur Pontific ẽ

Reſp. Neg. conſeq. & dico eum non poſſe diſpenſare in jure naturali abſoluto, quale eſt de

non

poſſe diſpenſare proprie in jure naturæ.

non adulterando, de non fornicando, de non blaſphemando &c. Bene tamen poſſe diſpenſare in jure naturali reſpectivo, quod ſcilicet fundatur in adjuncta aliqua obligatione humana, tollendo nimirum fundamentum iſtius obligationis humanæ: & ita, ſicuti hoc modo poteſt diſpenſari in voto, cujus obligatio etiam eſt juris naturæ, ita quoque in matrimonio rato non conſummato.

Dices Matth. 19. dicitur *quod Deus conjunxit homo non ſeparet*; ergo Pontifex non poteſt diſſolvere matrimonium ratum.

Reſp. ſcripturam illam intelligendam eſſe de matrimonio conſummato, prout patet ex contextu,& prout ait Alexander III. in cap. *Legitimum.* de Converſ. conjugatorum.

Invalida erit talis diſpenſatio ſine juſta cauſa facta.

Dixi, Pontificem ex cauſa juſta poſſe diſſolvere matrimonium ratum; nam ſine hac nec licitè nec validè id poteſt: nam cum vinculum matrimonii rati ſit ex ſe inſolubile, non poteſt Pontifex illud propriâ authoritate diſſolvere, ſed ſolum vicariâ illi conceſsâ; non eſt autem veroſimile Deum dediſſe illi hanc poteſtatem ſolvendi pro arbitrio, prout neque poteſt in voto aut juramento; neque enim ejuſmodi poteſtas cederet in ædificationem animarum, ſed potius in deſtructionem.

Matrimonium ratũ non conſummatum dirimitur per profeſſionẽ unius in religione approbata.

Dico III. profeſſio facta in religione approbata dirimit quoque matrimonium ante contractum, ita ut licitum ſit comparti remanenti in ſæculo ſecutâ profeſſione alterius, cum alio matrimonium contrahere: quod eſt de fide definitum in Conc. Trid. Seſſ. 24. can. 6. his verbis „Si quis dixerit matrimonium „ratum non conſummatum per „ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugis non dirimi, anathema ſit.

Confirmatur hoc ipſum ex antiquiſſimo uſu Eccleſiæ: & congruentia eſt, quia profeſſio eſt mors quædam ſpiritualis qua profeſſus cenſetur mundo mortuus; & eapropter ſicuti morte naturali ſolvitur vinculum matrimonii, ita ſimiliter ſolvitur morte illa ſpirituali.

Petes, quo jure profeſſio ſolemnis in religione approbata dirimat matrimonium ante contractum.

Idque ex jure ſolum Eccleſiaſtico

Reſp. jure ſolum Pontificio; ſiquidem ut ante probavimus Pontifices agnoſcunt in ſe poteſtatem gravibus de cauſis ſolvendi matrimonia: cum autem neque ex Scriptura, neque ex traditione conſtet hoc profeſſioni competere jure divino naturali, verius

rius eſt illam matrimonii rati diſſolutionem fieri jure Eccleſiaſtico.

Dices, profeſſio ſolemnis id habuit ab initio Eccleſiæ quod matrimonium ratum ſolverit; ergo habet hoc ex jure divino.

Reſp. negando conſequentiam; quia multa ab initio inveniuntur præcepta, quæ tamen non ſunt juris divini, quale eſt v. g. jejunium quadrageſimale jejunium quatuor temporum &c.

Petes, an matrimonium ratum diſſolvatur quoque per tria vota in Societate Jeſu emiſſa poſt biennium.

Non tamen per votum ſimplex in Societate Ieſu emiſſum.

Reſp. negativè, quia etſi prædicta vota in Societate emiſſa conſtituant verum religioſum, ita ut illa emittentes ſint veri religioſi, prout definiunt Gregorius XIII. in Bulla. *Aſcendente Domino*, quam confirmavit Gregorius XIV. ea tamen vota ſunt tantum ſimplicia & non ſolemnia, quia non ſunt abſolutè perpetua ex parte illa admittentis; quippe qui ex rationabili cauſa poteſt ſic voventes ex Societate dimittere, quo caſu ceſſant dicta vota.

Petes, quandonam matrimonium cenſeatur ratum, & quando conſummatum.

Quid matrimonium ratum & quod conſummatum.

Reſp. tunc cenſeri conſummatum, quando ſponſus & ſponſa per commixtionem ſeminum facti ſunt una caro; tunc verò ratum tantum quando eſt contractum in facie Eccleſiæ non ſecutâ copulâ.

Petes, quid ſi ſponſus ante matrimonium cognoverit ſponſam: dein inito matrimonio profiteatur in religione approbatâ, an compars manens in ſæculo, ſecuta ipſius profeſſione, poſſit inire aliud matrimonium.

Reſp. affirm. quia illud tantum fuit ratum, neque enim conſummatur niſi per copulam matrimonialem; prior autem copula fuit fornicaria: prout patet ex cap. *Veniens*. De ſponſalibus.

Conſummatum matrimonium non diſſolvitur per profeſſionem

Petes, quid ſi ſponſa fuerit vi cognita à ſponſo an ſecuta profeſſione ſponſi in religione approbata, illa poterit inire aliud matrimonium,

Reſp. neg. ſive id contigerit poſt primum bimeſtre ſive intra illud bimeſtre: & ratio eſt quia illud matrimonium eſt abſolute conſummatum; prout patet ex Cap. *Diſcet*. De eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ; ubi definitur ex tali copula oriri affinitatem; copula autem ex qua oritur affinitas, conſummat matrimonium; conſummato autem matrimonio jura clamant neutri conjugi altero invito licere ingredi religionem.

Zzzzz Petes

Petes, an ſponſis jurantibus ſe necdum conſummaſſe matrimonium ſit præſtanda fides in foro externo eo fine ut uno profeſſionem ſolemnem emittente in religione approbata alius remanens in ſæculo poſſit aliud matrimonium inire.

An ſponſis jurantibus matrimonium non eſſe conſummatum ſit credẽdum.

Reſp. quando ſponſa non erat virgo, nec ad domum ſponſi traducta, adhibetur illorum juramento fides; eò quod tunc aliunde alia probatio haberi non poſſit: ſi autem traducta ſit in domum ſponſi, aut ſimul cubaverint in eodem lecto, tunc non creditur illis in præjudicium matrimonii, pro cujus conſummatione tunc ſtat præſumptio: quod ſi verò ſponſa erat virgo, & talis quoque poſtmodum à matronis fide dignis viſitata appareat, eſto fuiſſet traducta in domum ſponſi, creditur illis; quia omnis probatio vincitur aſpectu contrarium atteſtante.

Duo mẽſes conceduntur ſponſis intra quos religionẽ intrare, & debitum negare poſſiunt.

Notandum hic, utrique conjugum poſt contractum matrimonium, ſed necdum conſummatum, de jure conceſſum eſſe ſpatium duorum menſium ad deliberandum de ingreſſu religionis; quo tempore uterque conjux poteſt alteri negare debitum, & licitè quoque intrare religionem altero invito; elapſo verò illo termino eos peccare non reddendo debitum petenti: prout patet ex cap. *ex publico.* De conv. conjugat.

Matrimonio conſummato illicitum eſt intrare religionem invita comparte.

Dico IV. matrimonium conſummatum & initum ante profeſſionem non dirimitur per ſubſequentem profeſſionem: prout expreſsè habetur quæſt. 27. can. 2. *ſi quis conjugatus*: inſuper hoc quoque conſtat ex multis Sacræ Script. locis, nominatim Matth. 19. *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, qui intelligitur de matrimonio conſummato: & eapropter matrimonio conſummato neutri licitum eſt tranſire ad religionem altero invito: ſequitur quoque invalidam eſſe profeſſionem quam unus conjugum emiſit credens bonâ fide comparem mortuam & quando ſuperſtitem cognovit, debere ad illam reverti, illique reddere debitum; quia eſt invalidè profeſſus; non tamen poterit petere; eò quod votum caſtitatis in dicta profeſſione emiſſum, licet ſit invalidum quo ad ſolemnitatem, habet nihilominus vim ſimplicis voti,

Votum ſolemne dirimit ſubſequẽs matrimonium.

Dico V. votum ſolemne annexum Ordinibus Sacris, prout & profeſſioni in religione approbata dirimit matrimonium ſubſequens contractum: quod eſt de fide definitum in Conc. Trid. ſeſſ. 24. contra hujus temporis

hæreticos

Digitized by Google

hæreticos can. 9. his verbis, „ ſi „ quis dixerit clericos in SS. Ordinis conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſticâ vel voto; & oppoſitum nihil eſſe aliud quam damnare matrimonium; poſſeque omnes contrahere matrimonium qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum, anathema ſit: cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari: „ quæ doctrina, quod ex Apoſtolica traditione procedat probari poteſt per Regulam S. Auguſtini, „ quod „ univerſa tenet Eccleſia, nec „ Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolicâ traditum, rectiſſimè creditur „ nam quod votum ſolemne caſtitatis dirimat matrimonium poſt illud contractum, non invenitur vel ab aliquo Concilio, vel aliquo Pontifice inſtitutum, ſed ſemper in Eccleſia fuit obſervatum: & eapropter Syricius Papa qui vixit circa annum Domini 389. Epiſt. 1, cap. 6. jubet religioſos qui matrimonia contraxerant in carceribus totâ vitâ pœnitentiam agere, addens quod ejuſmodi nuptias publicæ leges, & Eccleſiaſtica jura condemnent.

Petes, quo jure ejuſmodi matrimonia ſint nulla.

Iure ſolum Eccleſiaſtico. Reſp. ſolo jure Eccleſiaſtico: ratio eſt quia votum ſimplex non ex natura ſua aut jure divino dirimit matrimonium, ergo nec ſolemne: ratio conſequentiæ eſt, quia votum ſolemne ſupra ſimplex non habet aliud per quod matrimonium dirimat præter decretum Eccleſiæ; neque enim irritat matrimonium quà ratione votum eſt, nam alioquin omne votum irritaret, ſed quà ratione ſolemne eſt; ſolemnitas autem eſt ex ſolo jure Eccleſiaſtico: prout ex cap. *unico*, idque in favorem ſtatus religioſi, ut homo per illum ſeſe perfectè tradat Deo. *Solemnitas voti eſt ex inſtitutione tantum Eccleſiæ.*

Non poteſt Pontifex diſſolvere matrimonium ratum conſummatum. Dico VI. ſummus Pontifex nullo modo poteſt diſpenſare in matrimonio conſummato: quod colligitur à poſteriori quia numquam in hoc diſpenſavit, & hoc ideo quia non agnoſcit in ſe ejuſmodi facultatem in eo diſpenſandi; idque quia illud repreſentat unionem hypoſtaticam verbi cum natura humana, quæ eſt inſolubilis.

Petes, an ergo nullum matrimonium conſummatum de facto diſſolvi poſſit.

Digitized by Google

Illud tamen poteſt in aliquo caſu diſſolvi.

Reſp. affirmativè; nempe matrimonium conſummatum infidelium per alterius converſionem ad fidem quando alter non vult cohabitare cum jam baptizato; aut ſi vult, id vult cum contumelia creatoris, vel ut ipſum baptizatum petrahat ad peccatum: & in hoc ſenſu intelligit Eccleſia illud Pauli ad Cor. 7. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi*: ex quibus verbis conſtat Chriſtum Dominum hoc privilegium converſo ad fidem dediſſe ad diſſolvendum matrimonium etiam conſummatum in favorem baptiſmi: nec huic obſtat illud Matth. 19. *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet* quia illud non humana authoritate, ſed divinâ diſſolvitur.

DUBIUM X.

An Matrimonium per procuratorem contractum ſit validum.

Poteſt matrimonium validè contrahi per procuratorem.

Reſp. affirmativè; quia hic modus contrahendi matrimonium non repugnat naturæ contractus, qui ex ſe patitur ut per procuratorem fieri poſſit; nec Chriſtus Dominus mutavit illius naturam, ſed tantum elevavit ad eſſe Sacramenti; nec Concilium Trident. illud prohibuit aut irritavit, ſed ſolum decrevit ut matrimonium validè fieri non poſſit abſque præſentia parochi & duorum teſtium: quod confirmat praxis fidelium talia matrimonia poſt Conc. Trid. celebrantium.

Petes quæ conditiones requirantur ut matrimonium per procuratorem celebratum ſit validum

Quæ conditiones ad hoc requirantur.

Reſp. hæ ſequentes.

I. Ut procuratores exprimant coram Parocho aut alio Sacerdote de ejus licentia & duobus teſtibus conſenſum ſuorum principalium, conformiter ad diſpoſitionem Concilii Trid.

II. Ut procuratores habeant ſpeciale mandatum ad contrahendum cum certa & determinata perſona: & eapropter non ſufficit generale mandatum ad contrahendum cum quacumque; ut patet ex lege *Generaliter*. De ritu nuptiarum.

Procurator conſtitutus ad matrimoniū non poteſt aliū ſubdelegare.

III. Ut procurator per ſe ipſum exequatur; neque enim poteſt alium ſubſtituere niſi id expreſſe contineatur in mandato; quia eligitur induſtria ipſius perſonæ: prout expreſſe habetur in Cap. *Finali* De Procurat. in ſexto.

IV. Quod mandatum non ſit revocatum pro tempore quo celebratur contractus per procuratores: nam ſi ſit revocatum, quantumvis etiam ignorante procuratore

curatore

Digitized by Google

Revocato mandato invalide contrahet procurator, etſi hoc ignoret.

curatore non valet matrimonium, quia defuit conſenſus: quod ſi revocatio ſit tantum interna, ſolum proderit pro foro conſcientiæ: unde in foro externo incumbet revocanti onus eam probandi.

Porro quod hujuſmodi contractus matrimonialis ſit invalidus, eſt quid ſpeciale; ſiquidem alii contractus etiam internè revocato mandato ſubſiſtunt, eo quod jus in illis ſuppleat defectum, quod nequit facere in matrimonio.

Petes quo modo matrimonium coram procuratore contractum ſit validum, quandoquidem ipſi principales contrahentes poſtmodum rurſus perſonaliter contrahant.

Reſp. hoc non ideo fieri quod exiſtimetur matrimonium per procuratorem contractum fuiſſe invalidum, ſed ad tollendos ſcrupulos, ne forte alter internè revocaverit commiſſionem, aut mutaverit voluntatem.

Qua forma uti debeant procuratores alieno nomine contrahentes

Petes quæ verba ſint adhibenda à procuratore dum nomine alterius matrimonium contrahit.

Reſp. hæc, aut ſimilia, recipio te in uxorem nomine Petri tamquam mei principalis;& ſponſa reſpondere debet, recipio te in maritum nomine Petri: ſiquidem taliter ſufficienter exprimitur conſenſus matrimonialis.

Non peccant ſic contrahendo in peccato mortali.

Petes, an procuratores in mortali exſtentes, & nomine ſuorum principalium contrahentes matrimonium, non peccent mortaliter taliter contrahendo.

Reſp. negativè, quia non ipſi ſed principales recipiunt Sacramentum; & ideo iſti, & non illi tenentur eſſe in gratia tempore contractus, quo credunt procuratores ſuos pro ſe conſenſuros.

Dices, ſi hoc ita ſit ſequetur ipſos principales etiam dormiendo poſſe peccare aut recipere gratiam: nam ſi principalis ſit in peccato dum procurator contrahit, peccat mortaliter: ſi vero ſit diſpoſitus, recipit gratiam.

Reſp. non eſſe mirum dormientes poſſe peccare vel recipere gratiam ratione alicujus actus aut conſenſus præſtiti in vigilia; ſiquidem plurima peccata in ſomno contingunt, quæ ſunt voluntaria in cauſa.

Poteſt matrimonium iniri per epiſtolam

Petes, an poſſit matrimonium validè celebrari per epiſtolam.

Reſp. affirmativè; quia non repugnat naturæ contractus illum per epiſtolam celebrari: poteſt enim quis per epiſtolam conſenſum ſuum coram parocho & teſtibus exprimere,& per eandem epiſtolam conſenſum alterius coram eiſdem acceptare, idque hoc modo, ut ſi ſcribens epiſtolam dicat ſe tradere corpus ſuum filiæ,

& acceptare traditionem viciſſim corporis filiæ ſibi per illam faciendam: nam ſi talis epiſtola legatur coram parocho & duobus teſtibus, & altera pars coram eiſdem conſentiat, erit validum matrimonium.

DUBIUM XI.

Quis poſſit quandoque diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium.

Pontifex poteſt diſpenſare in impedimentibus dirimentibus jure humano.

RESpon. & dico 1. Summus Pontifex poteſt diſpenſare in omnibus impedimentis jure humano matrimonium dirimentibus: ratio eſt quia ipſe eſt ſuperior, & ſupremam habet in terris poteſtatem; ſuperior autem poteſt in ſua lege, prout & in quacumque lege ſuorum inferiorum, diſpenſare.

Non autem in iis quæ ſunt juris divini aut naturalis

Dixi ſignanter, *in impedimentis jure humano matrimonium dirimentibus*, quia Pontifex non poteſt diſpenſare in impedimentis jure naturæ matrimonium dirimentibus, eo quod non conſtet illi ejuſmodi facultatem eſſe conceſſam.

Epiſcopus quandoque etiã poteſt in illis diſpenſare.

Dico 2. in caſu urgentis neceſſitatis poteſt quandoque Epiſcopus in impedimentis jure humano matrimonium dirimentibus diſpenſare poſt matrimonium contractum, idque concurrentibus hiſce conditionibus.

Et quibus caſibus.

1. Ut matrimonium ſit publicum, & bonâ fide contractum.

2. Ut impedimentum dirimens ſit occultum.

3. Ut conjuges non poſſint ſeparari ab invicem abſque magno ſcandalo.

4 Ut ad Pontificem non pateat aditus propter paupertatem, aut alia legitima impedimenta. Ratio eſt quia poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi omne id quod Pontifex poteſt in tota Eccleſia niſi aliquid ſpecialiter ſibi Pontifex reſervet; ſed non eſt credibile ſummum Pontificem in caſu tantæ neceſſitatis & cum tanto animarum præjudicio velle ſibi reſervare ejuſmodi diſpenſationem; ergo ex tacita facultate poterit Epiſcopus tunc ſaltem pro foro conſcientiæ diſpenſare.

2. Quia dantur plurimi caſus Papales quorum abſolutionem ſibi Pontifex reſervat præterquam in mortis articulo, à quibus tamen, ut ſupra diximus Tractatu de Pœnitentia, Doctores communiter aſſerunt, Epiſcopum poſſe abſolvere, quando ratione alicujus impedimenti non datur recurſus ad Summum Pontificem; ergo id à fortiori poterit Epiſcopus in noſtro caſu, in quo non eſt tam rigida reſervatio quam in priori.

Dixi ſignanter, *modo matrimonium*

Digitized by Google

monium ſit publicum & bonâ fide contractum; quia ſi malâ fide ſit contractum, tunc præſumitur Pontifex reſervare ſibi facultatem diſpenſandi, & contrahentium iniquitati nolle favere juxta Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. aſſerens ejuſmodi contrahentes ſeparandos eſſe ſine ſpe diſpenſationis obtinendæ.

Petes, quandonam dicatur matrimonium malâ fide initum cum impedimento dirimente.

Quandonam matrimonium cenſendum malâ fide contrahi.

Reſp. non eſſe ſatis ſcientiam ſpeculativam qua v. g. conjux novit ſe habuiſſe copulam cum conſanguinea ejus in ſecundo gradu cum qua vult contrahere, niſi conjungâtur ſcientia practica qua ſciat inde oriri impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium.

Petes, quid ſi tales contrahentes non eſſent pauperes ſed poſſent expenſas facere ad diſpenſationem Pontificis obtinendam, an Epiſcopus urgente neceſſitate in illis poterit diſpenſare.

Reſp. affirmativè; quia idem incontinentiæ periculum in illis poterit ſubeſſe.

Ex urgentiſſima cauſa poſſet Epiſcopus diſpenſare

Petes, an Epiſcopus ex urgentiſſima cauſa non poſſit quandoque diſpenſare in impedimento dirimente jure humano non ſolum poſt contractum matrimonium, ſed etiam ante illud contractum.

In impedimento dirimente etiam ante contractum matrimonium.

Reſp. affirmativè; ſaltem pro foro conſcientiæ. Primò quia non eſt credibile mentem ſuæ Sanctitatis eſſe in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis in qua agitur de ſalute animarum, ejuſmodi diſpenſationem ſibi velle reſervare; eò quod reſervatio facta ſit ob ſalutem animarum, & ob commune bonum: eſſet autem in deſtructionem animarum bonique communis in caſu tantæ neceſſitatis, quando aliter ſcandala & peccata vitari non poſſunt, ejuſmodi facultatem ſibi reſervare, homineſque deſtituere remedio ſuæ ſalutis.

2. Quia votum perpetuæ caſtitatis jure divino impedit matrimonium contrahendum ejuſque diſpenſatio reſervatur Summo Pontifici; & tamen in caſu urgentis neceſſitatis quando ſubeſt magnum periculum incontinentiæ, nec Summus Pontifex conſuli poteſt, aut ratione paupertatis, aut quia eſt grave periculum in mora, poteſt Epiſcopus diſpenſare: prout complures graves Doctores docent; ergo poterit quoque diſpenſare in impedimento dirimente in caſu præſenti.

3. Quia verior ſententia aſſerens Epiſcopum poſſe diſpenſare in impedimento dirimente poſt contractum matrimonium, huic funda

Digitized by Google

fundamento nititur, quod poſſit Epiſcopus ex urgenti neceſſitate in lege Pontificia, aut Concilii Generalis diſpenſare; ergo ſimiliter id poterit ante matrimonium in urgenti neceſſitate: cum enim ſolum jus humanum in utroque caſu reſiſtat, poterit eidem, occurrente pari neceſſitate, contravenire.

An id poſſit ſi poſſit adiri legatus Apoſtolicus ſed non Pontifex.

Petes an Epiſcopus poſſit in ejuſmodi caſibus diſpenſare quando eſt facilis recurſus ad Nuntium Apoſtolicum habentem poteſtatem in ſimilibus diſpenſandi.

Reſpondet Henriques lib. 6. de Pænit. c. 10. Affirm. eo quod jus ſoli Pontifici reſervet diſpenſationem, qui cum conſuli nequit, poterit, inquit, Epiſcopus tamquam Paſtor Ordinarius diſpenſare. Communiter tamen ad hoc Doctores reſpondent negativè; eo quod Epiſcopus ſolum poſſit diſpenſare ob neceſſitatem, quâ poſitâ cenſetur Pontifex permittere ut Epiſcopus utatur ordinariâ ſuâ poteſtate quam habet ſepoſita reſervatione, eo quod nolit reſervationem ſuam eſſe in ſubverſionem animarum quæ facta eſt in ædificationem; ſed hic deficit neceſſitas dum adeſt Nuntius Pontificius valens diſpenſare, ergo.

Petes, quid faciendum quando contrahentes bona fide contraxerunt matrimonium, deinde detegitur impedimentum dirimens & occultum ſuper quo Epiſcopus diſpenſavit pro foro conſcientiæ; quid, inquam faciendum ſi id poſtea fiat publicum.

Talis Epiſcopi diſpenſatio eſt ſolum pro foro interno.

Reſp. illud matrimonium in foro externo judicandum eſſe nullum; adeoque conjuges illos per judicem eccleſiaſticum à ſe invicem eſſe ſeparandos donec obtineant ratificationem diſpenſationis pro foro externo; nam diſpenſatio pro ſolo foro conſcientiæ non prodeſt pro foro externo, eo quod actus non operentur ultra intentionem agentium.

QUÆSTIO VII.
De Impedimentis Dirimentibus Matrimonium.

DUBIUM I,
Quis poſſit ſtatuere impedimenta Matrimonium dirimentia: & quale peccatum contrahere cum impedimento dirimente.

ANtequam agamus de ſingulis impedimentis in particulari, præmittendæ prius ſunt aliquæ quæſtiones generales hæc concernentes. Itaque.

Dico 1.

Vir ſine conſenſu uxoris ordinatus eſt irregularis.

gatum ſine licentia uxoris aſſumentem Ordines SS. incurrere irregularitatem, ita ut non poſſit in ſuſcepto ordine miniſtrare, nec aſcendere ad ſuperiorem ordinem, nec officium aut beneficium acquirere: prout patet ex Extravag. *antiquo*, de voto.

Clericus conjugatus quando gaudeat privilegio fori.

Petes, an clericus in minoribus conſtitutus ſi matrimonium ineat, adhuc gaudeat privilegiis Canonis & fori.

Reſp. affirmativè; dummodo tamen virginem ducat, habitum & tonſuram geſtet, & inſerviat alicui Eccleſiæ ex deputatione Epiſcopi: prout patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. de Reform. quod ſi tamen is prædictas conditiones non ſervet; ut ſi ducat corruptam ab alio, vel non deferat tonſuram vel habitum, vel non miniſtret alicui Eccleſiæ, tunc non gaudebit ejuſmodi privilegiis: & eapropter non excommunicabitur qui talem percutiet, quod eſt privilegium Canonis, nec ſuberit foro Eccleſiaſtico, ſed ſæculari aut civili, quod vocatur privilegium fori.

DUBIUM VIII.

Quid Impedimentum conſanguinitatis.

Quid conſanguinitas.

CONſanguinitas eſt vinculum aliquarum perſonarum ab eodem propinquo ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum, vel quarum una deſcendit ab altera.

Dixi, *vinculum*, ob conjunctionem quâ conſanguinei inter ſe magis ligantur, quam cum exteris; ſiquidem omnes gentes agnoſcunt aliquam naturalem conjunctionem animarum cum ſimilitudine corporum inter perſonas conſanguineas intercedere. Porro vocatur vinculum cauſaliter, quia nimirum inter perſonas conſanguineas illam conjunctionem animarum cauſat.

Dicitur, *Perſonarum*, ad excludenda bruta, quæ etſi ab eodem ſtipite procedant, non dicuntur conſanguinea quia non conjunguntur ad fovendam amicitam.

Dicitur, *ab eodem propinquo ſtipite*, nam ſi ſufficeret ſtipes remotus, omnes homines eſſent inter ſe conſanguinei, utpote deſcendentes ab eodem parente, Adamo vel Noë: præterea virtus generativa ſtipitis debet perſeverare in conſanguineis, &

Digitized by Google

grè, ſed ſolum partem pro ratione dubii.

Petes, quid ergo facturus ſit ille, qui rem aliquam accepit mala fide.

Ad quid tenetur poſſeſſor malæ fidei.

Reſp. obligari primò adhibere debitam diligentiam ad aſſequendum rei veritatem, ne Domino rei injuriam & damnum inferat: qua diligentia adhibita, ſi non non poſſit veritatem invenire, tenetur reſtituere rem inter illos, quorum eſſe dubitat. Ratio eſt quia in dubio non eſt potior conditio poſſidentis mala fide. Hinc hæres qui incipit mala fide poſſidere bona, quæ defunctus bona fide poſſedit, tenetur ad ratam dubii illa reſtituere, inter eos quorum eſſe dubitat. inſuper comperto vero rei Domino, non tantum tenetur rem, ſed & rei fructus à ſe perceptos reſtituere, tamquam poſſeſſor malæ fidei.

Conjux dubitans de valore matrimonii nõ poteſt petere debitum.

Dico 2. quando poſt matrimonium bona fide initum maritus dubitat de ejus valore, non poteſt, niſi poſt adhibitam diligentiam ad aſſequendam veritatem petere debitum: ratio eſt, quia alioqui exponeret ſe periculo fornicationis, ſiquidem fieri poteſt quod matrimonium non ſit validum. Tenebitur tamen talis petenti parti reddere exiſtenti in bona fide, eò quod hæc habeat jus petendi, utpote exiſtens in poſſeſſione: tum quia quando concurrunt ſimul duo præcepta, quæ ſimul ſervari non poſſunt, dictat recta ratio, ut ſervetur illud quod magis obligat: ſed hic duo talia concurrunt, nempe præceptum, *non fornicaberis*, & præceptum juſtitiæ de reddendo debitum. Quod ultimum, cum clarum ſit, magis obliget quam primum, adeoque illud eſt abſolutè ſervandum, & debitum eſt reddendum.

Poteſt tamen petenti reddere.

Poſt præmiſſam verò debitam diligentiam, ſi adhuc remaneat dubium, poterit illud practicè deponere. Ratio patet ex antedictis, quia in aliis contractibus, quando quis rem aliquam cæpit bona fide poſſidere, & poſteà ſupervenit dubium, an res ſit ſua an aliena; præmiſsâ deſuper debitâ diligentiâ poteſt illam rem retinere, uti & conſumere.

Prob. autem illa reſolutio ex c. *inquiſitioni* de ſent. excom. ubi Innoc. III. interrogatus an conjux qui dubitat de valore ſui matrimonii poſſit petere & reddere, debitũ reſpondet in hunc modum „inquiſitioni tuæ reſpondentes „credimus diſtinguendum utrum „alter conjugum pro certo ſciat „impedimentum conjugii, pro„pter quod ſine mortali peccato „non valet carnale commercium

„exer-

„ exercere, quamvis illud apud „ Eccleſiam probare non poſſit; „ an non ſciat pro certo, ſed cre- „ dat. In primò caſu debet potius „ excommunicationis ſententiam „ humiliter ſuſtinere, quam per „ carnale commercium peccatum „ operari mortale. In ſecundò di- „ ſtinguimus, utrum habeat con- „ ſcientiam hujuſmodi ex credu- „ litate levi, & temeraria: an „ probabili & diſcreta; & qui- „ dem ad ſui Paſtoris conſilium, „ conſcientiæ levis & temerariæ „ credulitate exploſâ, licite po- „ teſt non ſolum reddere, ſed „ exigere debitum conjugale. „ Verum cum conſcientia pulſat „ animum ex credulitate proba- „ bili & diſcreta, quamvis non „ evidenti & manifeſta: debi- „ tum quidem reddere poteſt, „ ſed poſtulare non debet; ne in „ alterutro, vel contra legem „ conjugii, vel contra judicium „ conſcientiæ committat offen- „ ſam. „

Petes, quid ſi maritus tantum ſit dubius, & ille ab uxore non dubitante petat debitum, an illa conſcia ipſius dubii, antequam il- le adhibuit debitam diligentiam, teneatur ipſi reddere.

Reſp. negativè, quia ſciens ipſum habere tale dubium, ſcit quoque ipſum tunc non habere jus petendi ante præmiſſam de- bitam diligentiam.

Dico 3. quando quis mala fi- de contraxit matrimonium, ut v. g. dubitans de morte prioris conjugis, aut alio impedimento dirimente, non poteſt petere de- bitum, utpote qui nullum jus petendi acquiſivit per matrimo- nium cum tali dubio initum. Poſ- ſeſſio enim mala fide incepta nul- lum tribuit jus: tenebitur ta- men talis bona fide petenti com- parti reddere, utpote habenti jus petendi, quo, propter ejus malam fidem, aut dubium, ſpo- liari non poteſt.

Petes, quid ſi uterque mala fide contraxerit.

Qui ma- lâ fide cō- traxit nō habet jus ex pro- feſſione.

Reſp. tunc neutrum poſſe pe- tere vel reddere, quia nemo tunc acquiſivit jus petendi, niſi for- ſitan adhibitâ poſtmodum de- bitâ diligentiâ, dubium illud practicè poſſit deponi, & mora- liter certò cognoſcatur nullum ſubeſſe impedimentum.

An con- jux cre- dere de- beat al- teri aſſe- rent in- validita- tatem matrimo- nii.

Petes, an uxore affirmante ſibi in contractu matrimoniali defuiſſe conſenſum poſſit mari- tus inire aliud matrimonium, credendo uxori aſſerenti ſe fictè contraxiſſe.

Reſp. regulariter eum non te- neri illi credere, adeoque uti poſſe matrimonio cum illa uxo re contracto, nec poſſe ſtatim alteri nubere; quod verum eſt, eſto uxor cum juramento aſſe- rat,

Digitized by Google

rat ſe fictè contraxiſſe, vel habere impedimentum dirimens. Et ratio eſt, quod veroſimilius ſit ipſam modo mentiri, quam mentita fuerit in contractu principali: nam cap. *tuas* tit. de probat. ait Innocentius III. nimis indignum eſt juxta legitimas ſanctiones, ut quod quiſque ſua voce dilucide eſt proteſtatus, valeat proprio teſtimonio infirmare

Dixi, *regulariter*, quia ſi adſint argumenta judicio virorum prudentum ſufficientia ad credendum, quod defuerit uxoris conſenſus, vel quod ſubſit impedimentum dirimens; tunc maritus inire poterit ſecundum matrimonium, & eo libere uti, accedente judicis Eccleſiaſtici ſententia, ſi prius matrimonium erat manifeſtum, & pro valido ante reputatum,

Quale teſtimonium requiratur de invaliditate matrimonii ut conjux teneatur credere.

Petes, an conjux teneatur credere ſubeſſe impedimentum dirimens in ſuo matrimonio, ſi intelligat tale ſubeſſe à viro fide digno, v. g. paſtore proprio cum juramento id aſſerente.

Reſp. negativè, quia dictum unius non inducit credendi neceſſitatem, ſed ad id oportet eſſe duos ut patet ex cap. *cum à nobis*, de teſtibus. Quod potiſſimum verum eſt, quando id cedit in noſtrum præjudicium: tenebitur tamen talis ſtatim adhibere diligentiam ad aſſequendam veritatem: alioqui enim cenſebitur laborare ignorantiâ affectatâ; tenebiturque dubitare de valore ſui matrimonii, adeoque ita ſe habere, ſicuti dubius de valore ſui matrimonii, qui quidem tenetur reddere, non tamen poteſt petere. Si quidem teſtimonium viri prudentis vel publica fama impedimenti dirimentis nos dubitare cogunt. Etenim fama eſt ad inſtar teſtis fide digni qui ſemiplenè probat.

Petes, qualis probatio impedimenti dirimentis requiratur ad matrimonium legitimè contractum diſſolvendum.

Vt matrimonium diſſolvi poſſit requiruntur ad minus duo teſtes impedimenti.

Reſp. quamvis ad impediendum matrimonium ne illud contrahatur, ſufficiat ut ſupra diximus unius teſtis fide dignus, vel fama impedimenti dirimentis; tamen ad illud diſſolvendum requiruntur duo teſtes omni exceptione majores, & hoc ideo, quia eſt cauſa graviſſima, in qua agitur de magno præjudicio tertii, prout expreſſe habetur cap. *de conſanguineis*. Excipe tamen, niſi agatur de matrimonio diſſolvendo ratione conſanguinitatis, tunc enim parentes, & conſanguinei habentur tamquam legitimi teſtes, ut patet ex cap. *ſuper eo* de teſtibus.

An illi teſtes debeant ſemper eſſe omni exceptione majores.

Petes, an ſicut ad diſſolvenda

da

da ſponſalia ſufficit confeſſio impedimenti utriuſque ſponſi, ita quoque ad diſſolutionem matrimonii ſufficiat confeſſio utriuſque conjugis petentis diſſolutionem.

Non ſufficit confeſſio utriuſque conjugis ordinariè

Reſp. negat. quia ut habetur cap. *ſuper eo* de conſang. in cauſa matrimonii non ſtatur litigantium confeſſioni, neque enim in eorum poteſtate eſt ita diſſolvere matrimonium, ſicut eſt dirimere ſponſalia.

Allegans propriam turpitudinem quando audiendus.

Quod ſi tamen uterque conjux ſtet pro valore ſui matrimonii, nec petat illud diſſolvi, judex autem ex officio inquirat, vel alius accuſet, tunc ſufficit; ut patet cap. *ſi duo*, quinimo ſufficiens eſt probatio, ſi fiat confeſſio ab altero conjuge ſtante pro matrimonio, cum impedimenti fama, etiamſi conjux ille ſuam turpitudinem alleget. Quoties enim de animæ periculo agitur allegans propriam turpitudinem eſt audiendus, & ex alia parte, cum velit matrimonium ſuum conſiſtere non præſumitur in proprium caput falſum confiteri. Hæc dicta ſint quando tractatur de matrimonio diſſolvendo quoad vinculum; ſi enim agatur de diſſolutione ſolum quoad ad thorum, tunc ſtatur confeſſioni alterius conjugis contra ſe ipſum prolatæ, ut patet ex cap. *litteris* de divortiis, & ita ſi unus conjugum fateatur ſe adulterium perpetraſſe, conceditur conjugi innocenti jus celebrandi divortii.

Qualis certitudo mortis conjugis requiratur ut alter inire poſſit aliud matrimonium.

Petes, quomodo conſtare debeat de obitu conjugis, ut compars ſupervivens poſſit inire aliud matrimonium.

Reſp. non ſufficere, quantumvis longam conjugis abſentiam, quia mors non præſumitur ſed eſt probanda; adeoque quilibet præſumitur vivere, quamdiu non probatur mortuus. Unde & tamdiu poſſeſſio ſtat pro priori matrimonio, donec ſuperveniat certitudo moralis de obitu prioris conjugis. Ad quam faciendam, per ſe loquendo, non ſufficit unus teſtis, quia ſi dictum unius in cauſa pecuniaria eſt inſufficiens, quanto magis in matrimoniali, in qua vertitur periculum animæ & irritationis ipſius Sacramenti. Quod ſi tamen conjux obiiſſet in loco ita diſtanti, ut aliæ probationes vix haberi poſſent, tunc ſufficere aiunt Doctores nuntium vel unicum teſtem, attentâ perſonæ qualitate, quod veroſimilia dicat, quod judicis arbitrio relinquitur: nam quando probatio integra & plena haberi nequit, ſufficit illa præſertim in neceſſitate, quæ fit per conjecturas; nõ tamen ad probandam mortem conjugis ſufficit ſola

An ad hoc quãdoque ſufficit fama de ejus morte.

ſola fama, utpote plerumque fallaci & incerto authore. Quod ſi tamen illa certis adminiculis juvetur, quandoque efficiet probationem moraliter certam. Porro adminicula illa ab aliquibus aſſignantur longitudo abſentiæ. ſi erat ſenex, ſi erat in bello nec reverſus eſt quantumvis multo tempore expectatus, ſi uxor accepit litteras mortis mariti ab iis cum quibus militavit &c. Sed quidquid ſit, ut fama probet obitum conjugis, debet originem ſuam trahere à cauſis moraliter certis.

DUBIUM IX.

An vinculum Matrimoniale quandoque poſſit diſſolvi.

Per libellum repudii in lege veteri ſolvebatur matrimonium.

Supra de matrimonio dubio ſecundo oſtendimus illud jure naturali per ſe eſſe indiſſolubile. Hic modo queritur, an in aliquibus caſibus particularibus illud non poſſit diſſolvi per diſpenſationem.

Reſp. affirmativè.

Et primò quidem communis ſententia eſt quod in lege veteri, matrimoniale vinculum diſſolveretur per libellum repudii, ut conſtat Deutr. 24. his verbis: *Si quis homo acceperit uxorem & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo ſuâ.* Quod autem vinculum matrimoniale fuerit ſolutum, patet ex verſu quarto in quo dicitur, quod ſi repudiata alteri nupſerit, eamque dimiſerit, non poterit à priori marito in uxorem recipi: & certe ſi vinculum illud non fuiſſet ſublatum, fœmina illa alteri nupta, fuiſſet adultera, quæ ſecundum legem debuiſſet lapidari, quod tamen non fiebat: neque Prophetæ ejuſmodi libellum repudii umquam reprehenderunt, aut de ejus malitia populum admonuerunt, quod tamen feciſſent, ſi ſubfuiſſet aliquod peccatum.

Idque ex diſpenſatione divina.

Ex quo ſequitur hunc libellum repudii Judæis non tantum fuiſſe permiſſum, tamquam minus malum ad vitandum majus: ſed poſitive ipſis fuiſſe conceſſum ex juſta cauſa v. g. ob ſterilitatem, ob lepram, fornicationem & alias ſimiles, uxores ſuas dimittere quoad vinculum, quæ à marito dimiſſæ, poterat alteri nubere.

Dices, Matth. 19. ait Chriſtus, Moyſem ad duritiam cordis Judæorum permiſiſſe hunc libellum repudii, ergo per illum non ſolvebatur matrimonium.

Reſp. negando conſequentiam; & dico inde tantum ſequi duritiam cordis Judæorum fuiſſe cauſam

cauſam occaſionalem conceſſionis hujus libelli repudii.

Illa diſpenſatio revocata eſt per Chriſtũ in lege nova.

Porro hæc licentia conceſſa judæis revocata eſt à Chriſto Matth 19. ubi reduxit matrimonium ad primævum ſuum ſtatum non condendo novam legem, ſed auferendo diſpenſationem, quæ pro iſto tempore ex cauſis à Deo fuerat conceſſa. Et eapropter modo illicitus eſt ille libellus repudii, etiam infidelibus; qui proinde graviter peccant ſi uxores ſuas quacumque ex causâ repudient. Et idcirco quando convertuntur ad fidem Catholicam cum priori manere aut illam recipere jubentur, niſi forſan illud ipſorum matrimonium fuerit nullum; ut puta ad tempus tantummodò contractum aut cum alia quadam conditione contraria bonis matrimonii.

Matrimonium ratum non conſummatum poteſt diſſolvi authoritate pontificis

Dico II. juſtâ interveniente causâ poteſt ſummus Pontifex licitè & validè per diſpenſationem ſolvere matrimonium ratum non conſummatum.

Probatur primo, quia de facto plures Pontifices ex juſtâ causâ in hoc diſpenſaverunt, ita enim Navarrus dicit Paulum III. & Pium IV. ſe petente, deſuper diſpenſaſſe, qui & refert Pium V. ter vel quater id ipſum quoque feciſſe: ſimiliter quoque Cajetanus tomo I. opſculorum tractatu 28. dicit Pontifices ſuo tempore frequenter in eo diſpenſaſſe & refert Henriques, de matrim. cap. 8, Greg. XIII. diſpenſaſſe uno die cum undecim: ſed non eſt præſumendum Pontifices in materia tam gravi & tantopere ad mores pertinente erraſſe; neque ſufficiet dicere illos ſequentes ſententiam probabilem deſuper diſpenſaſſe: ſic enim ſequeretur illos ſpeculative erraſſe, adeoque errorem in re adeo gravi & ad mores ſpectante commiſiſſe.

Illa poteſtas eſt Pontifici delegata à Chriſto.

Porrò habet Pontifex illam facultatem, non quidem ex poteſtate ordinaria, quam habet ut ſupremus in Eccleſiæ princeps; ſed extraordinariâ, quam habet ut vicarius Chriſti ad hoc ipſi ſpecialiter conceſsâ ad bonum Eccleſiæ regimen: ſiquidem exiſtimandum eſt à Chriſto collatam eſſe poteſtatem ſuo Vicario ad omnia illa quæ ſunt neceſſaria bono regimini Eccleſiæ; inter quæ eſt poteſtas diſpenſandi quãdoque ob graviſſimam cauſam in matrimonio rato non conſummato.

Dices, indiſſolubilitas matrimonii rati eſt juris divini naturalis; ſed in hoc non poteſt Pontifex diſpenſare; ergo.

Non inde ſequitur Pontifu ẽ

Reſp. Neg. conſeq. & dico eum non poſſe diſpenſare in jure naturali abſoluto, quale eſt de

non

poſſe diſpenſare proprie in jure naturæ.

non adulterando, de non fornicando, de non blaſphemando &c. Bene tamen poſſe diſpenſare in jure naturali reſpectivo, quod ſcilicet fundatur in adjuncta aliqua obligatione humana, tollendo nimirum fundamentum iſtius obligationis humanæ: & ita, ſicuti hoc modo poteſt diſpenſari in voto, cujus obligatio etiam eſt juris naturæ, ita quoque in matrimonio rato non conſummato.

Dices Matth. 19. dicitur *quod Deus conjunxit homo non ſeparet*; ergo Pontifex non poteſt diſſolvere matrimonium ratum.

Reſp. ſcripturam illam intelligendam eſſe de matrimonio conſummato, prout patet ex contextu, & prout ait Alexander III. in cap. *Legitimum.* de Converſ. conjugatorum.

Invalida erit talis diſpenſatio ſine juſta cauſa facta.

Dixi, Pontificem ex cauſa juſta poſſe diſſolvere matrimonium ratum; nam ſine hac nec licitè nec validè id poteſt: nam cum vinculum matrimonii rati ſit ex ſe inſolubile, non poteſt Pontifex illud propriâ authoritate diſſolvere, ſed ſolum vicariâ illi conceſsâ; non eſt autem veroſimile Deum dediſſe illi hanc poteſtatem ſolvendi pro arbitrio, prout neque poteſt in voto aut juramento; neque enim ejuſmodi poteſtas cederet in ædificationem animarum, ſed potius in deſtructionem.

Matrimonium ratũ non conſummatum dirimitur per profeſſionẽ unius in religione approbata.

Dico III. profeſſio facta in religione approbata dirimit quoque matrimonium ante contractum, ita ut licitum ſit comparti remanenti in ſæculo ſecutâ profeſſione alterius, cum alio matrimonium contrahere: quod eſt de fide definitum in Conc. Trid. Seſſ. 24. can. 6. his verbis „Si quis dixerit matrimonium „ratum non conſummatum per „ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugis non dirimi, anathema ſit.

Confirmatur hoc ipſum ex antiquiſſimo uſu Eccleſiæ: & congruentia eſt, quia profeſſio eſt mors quædam ſpiritualis qua profeſſus cenſetur mundo mortuus; & eapropter ſicuti morte naturali ſolvitur vinculum matrimonii, ita ſimiliter ſolvitur morte illa ſpirituali.

Petes, quo jure profeſſio ſolemnis in religione approbata dirimat matrimonium ante contractum.

Idque ex jure ſolum Eccleſiaſtico

Reſp. jure ſolum Pontificio; ſiquidem ut ante probavimus Pontifices agnoſcunt in ſe poteſtatem gravibus de cauſis ſolvendi matrimonia: cum autem neque ex Scriptura, neque ex traditione conſtet hoc profeſſioni competere jure divino naturali, verius

Digitized by Google

rius eſt illam matrimonii rati diſſolutionem fieri jure Eccleſiaſtico.

Dices, profeſſio ſolemnis id habuit ab initio Eccleſiæ quod matrimonium ratum ſolverit; ergo habet hoc ex jure divino.

Reſp. negando conſequentiam; quia multa ab initio inveniuntur præcepta, quæ tamen non ſunt juris divini, quale eſt v. g. jejunium quadrageſimale jejunium quatuor temporum &c.

Petes, an matrimonium ratum diſſolvatur quoque per tria vota in Societate Jeſu emiſſa poſt biennium.

Non tamen per votum ſimplex in Societate Ieſu emiſſum.

Reſp. negativè, quia etſi prædicta vota in Societate emiſſa conſtituant verum religioſum, ita ut illa emittentes ſint veri religioſi, prout definiunt Gregorius XIII. in Bulla. *Aſcendente Domino*, quam confirmavit Gregorius XIV. ea tamen vota ſunt tantum ſimplicia & non ſolemnia, quia non ſunt abſolutè perpetua ex parte illa admittentis; quippe qui ex rationabili cauſa poteſt ſic voventes ex Societate dimittere, quo caſu ceſſant dicta vota.

Petes, quandonam matrimonium cenſeatur ratum, & quando conſummatum.

Quid matrimonium ratum & quod conſummatum.

Reſp. tunc cenſeri conſummatum, quando ſponſus & ſponſa per commixtionem ſeminum facti ſunt una caro; tunc verò ratum tantum quando eſt contractum in facie Eccleſiæ non ſecutâ copulâ.

Petes, quid ſi ſponſus ante matrimonium cognoverit ſponſam: dein inito matrimonio profiteatur in religione approbatâ, an compars manens in ſæculo, ſecuta ipſius profeſſione, poſſit inire aliud matrimonium.

Reſp. affirm. quia illud tantum fuit ratum, neque enim conſummatur niſi per copulam matrimonialem; prior autem copula fuit fornicaria: prout patet ex cap. *Veniens.* De ſponſalibus.

Conſummatum matrimonium non diſſolvitur per profeſſionem

Petes, quid ſi ſponſa fuerit vi cognita à ſponſo an ſecuta profeſſione ſponſi in religione approbata, illa poterit inire aliud matrimonium,

Reſp. neg. ſive id contigerit poſt primum bimeſtre ſive intra illud bimeſtre: & ratio eſt quia illud matrimonium eſt abſolute conſummatum; prout patet ex Cap. *Diſcet.* De eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ; ubi definitur ex tali copula oriri affinitatem; copula autem ex qua oritur affinitas, conſummat matrimonium; conſummato autem matrimonio jura clamant neutri conjugi altero invito licere ingredi religionem.

Digitized by Google

Petes, an ſponſis jurantibus ſe necdum conſummaſſe matrimonium ſit præſtanda fides in foro externo eo fine ut uno profeſſionem ſolemnem emittente in religione approbata alius remanens in ſæculo poſſit aliud matrimonium inire.

An ſponſis jurantibus matrimonium non eſſe conſummatum ſit credēdum.

Reſp. quando ſponſa non erat virgo, nec ad domum ſponſi traducta, adhibetur illorum juramento fides; eò quod tunc aliunde alia probatio haberi non poſſit: ſi autem traducta ſit in domum ſponſi, aut ſimul cubaverint in eodem lecto, tunc non creditur illis in præjudicium matrimonii, pro cujus conſummatione tunc ſtat præſumptio: quod ſi verò ſponſa erat virgo, & talis quoque poſtmodum à matronis fide dignis viſitata appareat, eſto fuiſſet traducta in domum ſponſi, creditur illis; quia omnis probatio vincitur aſpectu contrarium atteſtante.

Duo mēſes conceduntur ſponſis intra quos religionē intrare, & debitum negare poſſiunt.

Notandum hic, utrique conjugum poſt contractum matrimonium, ſed necdum conſummatum, de jure conceſſum eſſe ſpatium duorum menſium ad deliberandum de ingreſſu religionis; quo tempore uterque conjux poteſt alteri negare debitum, & licitè quoque intrare religionem altero invito; elapſo verò illo termino eos peccare non reddendo debitum petenti: prout patet ex cap. *ex publico*. De conv. conjugat.

Matrimonio conſummato illicitum eſt intrare religionem invita comparte.

Dico IV. matrimoninm conſummatum & initum ante profeſſionem non dirimitur per ſubſequentem profeſſionem: prout expreſsè habetur quæſt. 27. can. 2. *ſi quis conjugatus*: inſuper hoc quoque conſtat ex multis Sacræ Script. locis, nominatim Matth. 19. *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, qui intelligitur de matrimonio conſummato: & capropter matrimonio conſummato neutri licitum eſt tranſire ad religionem altero invito: ſequitur quoque invalidam eſſe profeſſionem quam unus conjugum emiſit credens bonâ fide comparrem mortuam & quando ſuperſtitem cognovit, debere ad illam reverti, illique reddere debitum; quia eſt invalidè profeſſus; non tamen poterit petere; eò quod votum caſtitatis in dicta profeſſione emiſſum, licet ſit invalidum quo ad ſolemnitatem, habet nihilominus vim ſimplicis voti,

Votum ſolemne dirimit ſubſequēs matrimonium.

Dico V. votum ſolemne annexum Ordinibus Sacris, prout & profeſſioni in religione approbata dirimit matrimonium ſubſequens contractum: quod eſt de fide definitum in Conc. Trid. ſeſſ. 24. contra hujus temporis hæreticos

Digitized by Google

hæreticos can. 9. his verbis, „ſi „ quis dixerit clericos in SS. Ordinis conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiasticâ vel voto; & oppoſitum nihil eſſe aliud quam damnare matrimonium; poſſeque omnes contrahere matrimonium qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum, anathema ſit: cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari: „ quæ doctrina, quod ex Apoſtolica traditione procedat probari poteſt per Regulam S. Auguſtini, „ quod „ univerſa tenet Eccleſia, nec „ Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolicâ traditum, rectiſſimè creditur „ nam quod votum ſolemne caſtitatis dirimat matrimonium poſt illud contractum, non invenitur vel ab aliquo Concilio, vel aliquo Pontifice inſtitutum, ſed ſemper in Eccleſia fuit obſervatum: & eapropter Syricius Papa qui vixit circa annum Domini 389. Epiſt. 1. cap. 6. jubet religioſos qui matrimonia contraxerant in carceribus totâ vitâ pœnitentiam agere, addens quod ejuſmodi nuptias publicæ leges, & Eccleſiaſtica jura condemnent.

Petes, quo jure ejuſmodi matrimonia ſint nulla.

Iure ſolum Eccleſiaſtico.

Reſp. ſolo jure Eccleſiaſtico: ratio eſt quia votum ſimplex non ex natura ſua aut jure divino dirimit matrimonium, ergo nec ſolemne: ratio conſequentiæ eſt, quia votum ſolemne ſupra ſimplex non habet aliud per quod matrimonium dirimat præter decretum Eccleſiæ; neque enim irritat matrimonium quâ ratione votum eſt, nam alioquin omne votum irritaret, ſed quâ ratione ſolemne eſt; ſolemnitas autem eſt ex ſolo jure Eccleſiaſtico: prout ex cap. *unico*, idque in favorem ſtatus religioſi, ut homo per illum ſeſe perfectè tradat Deo.

Solemnitas voti eſt ex inſtitutione tantum Eccleſiæ.

Non poteſt Pontifex diſſolvere matrimonium ratum conſummatum.

Dico VI. ſummus Pontifex nullo modo poteſt diſpenſare in matrimonio conſummato: quod colligitur à poſteriori quia numquam in hoc diſpenſavit, & hoc ideo quia non agnoſcit in ſe ejuſmodi facultatem in eo diſpenſandi; idque quia illud repreſentat unionem hypoſtaticam verbi cum natura humana, quæ eſt inſolubilis.

Petes, an ergo nullum matrimonium conſummatum de facto diſſolvi poſſit.

Illud tamen poteſt in aliquo caſu diſſolvi.

Reſp. affirmativè; nempe matrimonium conſummatum infidelium per alterius converſionem ad fidem quando alter non vult cohabitare cum jam baptizato; aut ſi vult, id vult cum contumelia creatoris, vel ut ipſum baptizatum pertrahat ad peccatum: & in hoc ſenſu intelligit Eccleſia illud Pauli ad Cor. 7. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi*: ex quibus verbis conſtat Chriſtum Dominum hoc privilegium converſo ad fidem dediſſe ad diſſolvendum matrimonium etiam conſummatum in favorem baptiſmi: nec huic obſtat illud Matth. 19. *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet* quia illud non humana authoritate, ſed divinâ diſſolvitur.

DUBIUM X.

An Matrimonium per procuratorem contractum ſit validum.

Poteſt matrimonium validè contrahi per procuratorē.

Reſp. affirmativè; quia hic modus contrahendi matrimonium non repugnat naturæ contractus, qui ex ſe patitur ut per procuratorem fieri poſſit; nec Chriſtus Dominus mutavit illius naturam, ſed tantum elevavit ad eſſe Sacramenti; nec Concilium Trident. illud prohibuit aut irritavit, ſed ſolum decrevit ut matrimonium validè fieri non poſſit abſque præſentia parochi & duorum teſtium: quod confirmat praxis fidelium talia matrimonia poſt Conc. Trid. celebrantium.

Petes quæ conditiones requirantur ut matrimonium per procuratorem celebratum ſit validum

Quæ cōditiones ad hoc requirantur.

Reſp. hæ ſequentes.

I. Ut procuratores exprimant coram Parocho aut alio Sacerdote de ejus licentia & duobus teſtibus conſenſum ſuorum principalium, conformiter ad diſpoſitionem Concilii Trid.

II. Ut procuratores habeant ſpeciale mandatum ad contrahendum cum certa & determinata perſona: & ea propter non ſufficit generale mandatum ad contrahendum cum quacumque; ut patet ex lege *Generaliter*. De ritu nuptiarum.

Procurator conſtitutus ad matrimoniū non poteſt aliū ſubdelegare.

III. Ut procurator per ſe ipſum exequatur; neque enim poteſt alium ſubſtituere niſi id expreſſe contineatur in mandato; quia eligitur induſtria ipſius perſonæ: prout expreſſe habetur in Cap. *Finali* De Procurat. in ſexto.

IV. Quod mandatum non ſit revocatum pro tempore quo celebratur contractus per procuratores: nam ſi ſit revocatum, quantumvis etiam ignorante procuratore

curatore

Digitized by Google

Revocato mandato invalide contrahet procurator, etſi hoc ignoret.

curatore non valet matrimonium, quia defuit conſenſus: quod ſi revocatio ſit tantum interna, ſolum proderit pro foro conſcientiæ: unde in foro externo incumbet revocanti onus eam probandi.

Porro quod hujuſmodi contractus matrimonialis ſit invalidus, eſt quid ſpeciale; ſiquidem alii contractus etiam internè revocato mandato ſubſiſtunt, eo quod jus in illis ſuppleat defectum, quod nequit facere in matrimonio.

Petes quo modo matrimonium coram procuratore contractum ſit validum, quandoquidem ipſi principales contrahentes poſtmodum rurſus perſonaliter contrahant.

Reſp. hoc non ideo fieri quod exiſtimetur matrimonium per procuratorem contractum fuiſſe invalidum, ſed ad tollendos ſcrupulos, ne forte alter internè revocaverit commiſſionem, aut mutaverit voluntatem.

Qua forma uti debeant procuratores alieno nomine contrahentes

Petes quæ verba ſint adhibenda à procuratore dum nomine alterius matrimonium contrahit.

Reſp. hæc, aut ſimilia, recipio te in uxorem nomine Petri tamquam mei principalis; & ſponſa reſpondere debet, recipio te in maritum nomine Petri: ſiquidem taliter ſufficienter exprimitur conſenſus matrimonialis.

Non peccant ſic contrahendo in peccato mortali.

Petes, an procuratores in mortali exſtentes, & nomine ſuorum principalium contrahentes matrimonium, non peccent mortaliter taliter contrahendo.

Reſp. negativè, quia non ipſi ſed principales recipiunt Sacramentum; & ideo iſti, & non illi tenentur eſſe in gratia tempore contractus, quo credunt procuratores ſuos pro ſe conſenſuros.

Dices, ſi hoc ita ſit ſequetur ipſos principales etiam dormiendo poſſe peccare aut recipere gratiam: nam ſi principalis ſit in peccato dum procurator contrahit, peccat mortaliter: ſi vero ſit diſpoſitus, recipit gratiam.

Reſp. non eſſe mirum dormientes poſſe peccare vel recipere gratiam ratione alicujus actus aut conſenſus præſtiti in vigilia; ſiquidem plurima peccata in ſomno contingunt, quæ ſunt voluntaria in cauſa.

Poteſt matrimonium iniri per epiſtolam

Petes, an poſſit matrimonium validè celebrari per epiſtolam.

Reſp. affirmativè; quia non repugnat naturæ contractus illum per epiſtolam celebrari: poteſt enim quis per epiſtolam conſenſum ſuum coram parocho & teſtibus exprimere, & per eandem epiſtolam conſenſum alterius coram eiſdem acceptare, idque hoc modo, ut ſi ſcribens epiſtolam dicat ſe tradere corpus ſuum filiæ,

& acceptare traditionem viciſſim corporis filiæ ſibi per illam faciendam: nam ſi talis epiſtola legatur coram parocho & duobus teſtibus, & altera pars coram eiſdem conſentiat, erit validum matrimonium.

DUBIUM XI.

Quis poſſit quandoque diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium.

Pontifex poteſt diſpenſare in impedimentis dirimentibus jure humano.

RESpon. & dico 1. Summus Pontifex poteſt diſpenſare in omnibus impedimentis jure humano matrimonium dirimentibus. ratio eſt quia ipſe eſt ſuperior, & ſupremam habet in terris poteſtatem; ſuperior autem poteſt in ſua lege, prout & in quacumque lege ſuorum inferiorum, diſpenſare.

Non autem in iis quæ ſunt juris divini aut naturalis

Dixi ſignanter, *in impedimentis jure humano matrimonium dirimentibus*, quia Pontifex non poteſt diſpenſare in impedimentis jure naturæ matrimonium dirimentibus, eo quod non conſtet illi ejuſmodi facultatem eſſe conceſſam.

Epiſcopus quandoque etiã poteſt in illis diſpenſare.

Dico 2. in caſu urgentis neceſſitatis poteſt quandoque Epiſcopus in impedimentis jure humano matrimonium dirimentibus diſpenſare poſt matrimonium contractum, idque concurrentibus hiſce conditionibus.

Et quibus caſibus.

1. Ut matrimonium ſit publicum, & bonâ fide contractum.

2. Ut impedimentum dirimens ſit occultum.

3. Ut conjuges non poſſint ſeparari ab invicem abſque magno ſcandalo.

4 Ut ad Pontificem non pateat aditus propter paupertatem, aut alia legitima impedimenta. Ratio eſt quia poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi omne id quod Pontifex poteſt in tota Eccleſia niſi aliquid ſpecialiter ſibi Pontifex reſervet; ſed non eſt credibile ſummum Pontificem in caſu tantæ neceſſitatis & cum tanto animarum præjudicio velle ſibi reſervare ejuſmodi diſpenſationem; ergo ex tacita facultate poterit Epiſcopus tunc ſaltem pro foro conſcientiæ diſpenſare.

2. Quia dantur plurimi caſus Papales quorum abſolutionem ſibi Pontifex reſervat præterquam in mortis articulo, à quibus tamen, ut ſupra diximus Tractatu de Pœnitentia, Doctores communiter aſſerunt, Epiſcopum poſſe abſolvere, quando ratione alicujus impedimenti non datur recurſus ad Summum Pontificem; ergo id à fortiori poterit Epiſcopus in noſtro caſu, in quo non eſt tam rigida reſervatio quam in priori.

Dixi ſignanter, *modo matrimonium*

Digitized by Google

monium ſit publicum & bonâ fide contractum; quia ſi malâ fide ſit contractum, tunc præſumitur Pontifex reſervare ſibi facultatem diſpenſandi, & contrahentium iniquitati nolle favere juxta Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. aſſerens ejuſmodi contrahentes ſeparandos eſſe ſine ſpe diſpenſationis obtinendæ.

Petes, quandonam dicatur matrimonium malâ fide initum cum impedimento dirimente.

Quandonam matrimonium cenſendum malâ fide contrahi.

Reſp. non eſſe ſatis ſcientiam ſpeculativam qua v. g. conjux novit ſe habuiſſe copulam cum conſanguinea ejus in ſecundo gradu cum qua vult contrahere, niſi conjungâtur ſcientia practica qua ſciat inde oriri impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium.

Petes, quid ſi tales contrahentes non eſſent pauperes ſed poſſent expenſas facere ad diſpenſationem Pontificis obtinendam, an Epiſcopus urgente neceſſitate in illis poterit diſpenſare.

Reſp. affirmativè; quia idem incontinentiæ periculum in illis poterit ſubeſſe.

Ex urgentiſſima cauſa poſſet Epiſcopus diſpenſare

Petes, an Epiſcopus ex urgentiſſima cauſa non poſſit quandoque diſpenſare in impedimento dirimente jure humano non ſolum poſt contractum matrimonium, ſed etiam ante illud contractum.

in impedimento etiam ante contractum matrimonium.

Reſp. affirmativè; ſaltem pro foro conſcientiæ. Primò quia non eſt credibile mentem ſuæ Sanctitatis eſſe in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis in qua agitur de ſalute animarum, ejuſmodi diſpenſationem ſibi velle reſervare; eò quod reſervatio facta ſit ob ſalutem animarum, & ob commune bonum: eſſet autem in deſtructionem animarum bonique communis in caſu tantæ neceſſitatis, quando aliter ſcandala & peccata vitari non poſſunt, ejuſmodi facultatem ſibi reſervare, homineſque deſtituere remedio ſuæ ſalutis.

2. Quia votum perpetuæ caſtitatis jure divino impedit matrimonium contrahendum ejuſque diſpenſatio reſervatur Summo Pontifici; & tamen in caſu urgentis neceſſitatis quando ſubeſt magnum periculum incontinentiæ, nec Summus Pontifex conſuli poteſt, aut ratione paupertatis, aut quia eſt grave periculum in mora, poteſt Epiſcopus diſpenſare: prout complures graves Doctores docent; ergo poterit quoque diſpenſare in impedimento dirimente in caſu præſenti.

3. Quia verior ſententia aſſerens Epiſcopum poſſe diſpenſare in impedimento dirimente poſt contractum matrimonium, huic funda

Vir ſine conſenſu uxoris ordinatus eſt irregularis.

gatum ſine licentia uxoris aſſumentem Ordines SS. incurrere irregularitatem, ita ut non poſſit in ſuſcepto ordine miniſtrare, nec aſcendere ad ſuperiorem ordinem, nec officium aut beneficium acquirere: prout patet ex Extravag. *antiquo*, de voto.

Clericus conjugatus quando gaudeat privilegio fori.

Petes, an clericus in minoribus conſtitutus ſi matrimonium ineat, adhuc gaudeat privilegiis Canonis & fori.

Reſp. affirmativè; dummodo tamen virginem ducat, habitum & tonſuram geſtet, & inſerviat alicui Eccleſiæ ex deputatione Epiſcopi: prout patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. de Reform. quod ſi tamen is prædictas conditiones non ſervet; ut ſi ducat corruptam ab alio, vel non deferat tonſuram vel habitum, vel non miniſtret alicui Eccleſiæ, tunc non gaudebit ejuſmodi privilegiis: & eapropter non excommunicabitur qui talem percutiet, quod eſt privilegium Canonis, nec ſuberit foro Eccleſiaſtico, ſed ſæculari aut civili, quod vocatur privilegium fori.

DUBIUM VIII.

Quid Impedimentum conſanguinitatis.

Quid conſanguinitas.

Conſanguinitas eſt vinculum aliquarum perſonarum ab eodem propinquo ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum, vel quarum una deſcendit ab altera.

Dixi, *vinculum*, ob conjunctionem quâ conſanguinei inter ſe magis ligantur, quam cum exteris; ſiquidem omnes gentes agnoſcunt aliquam naturalem conjunctionem animarum cum ſimilitudine corporum inter perſonas conſanguineas intercedere. Porro vocatur vinculum cauſaliter, quia nimirum inter perſonas conſanguineas illam conjunctionem animarum cauſat.

Dicitur, *Perſonarum*, ad excludenda bruta, quæ etſi ab eodem ſtipite procedant, non dicuntur conſanguinea quia non conjunguntur ad fovendam amicitam.

Dicitur, *ab eodem propinquo ſtipite*, nam ſi ſufficeret ſtipes remotus, omnes homines eſſent inter ſe conſanguinei, utpote deſcendentes ab eodem parente, Adamo vel Noë: præterea virtus generativa ſtipitis debet perſeverare in conſanguineis, &

Digitized by Google

hæc propenſa eſt ad generandum ſui ſimile: verùm quo magis per ſuccedentes generationes, quaſi per quoſdam gradus, fit deſcenſus à communi ſtipite, eò magis ſimilitudo ſanguinis minuitur: unde qui tam remotè à ſtipite deſcendunt, minimè appellantur conſanguinei.

Quid ſtipes in conſanguinitate

Eſt autem ſtipes, perſona illa à qua ceteræ, de quarum conſanguinitate tractatur, originem ducunt.

Dicitur, *vinculum illud carnali propagatione contractum*, quia conſanguinitas non deſcendit per quamcumque dependentiam ab alio, ſed per carnalem propagationem: & eapropter licet Angeli procedant à Deo per creationem, non tamen propterea inter ſe ſunt conſanguinei; proptetea etiam Adam non fuit conſanguineus Evæ: Chriſtus tamen fuit conſanguineus BB. Virginis utpote ab ipſius ſemine procedens

Additur ultimò, *vel quarum una deſcendit ab altera*; quia Adam & ejus filius Abel erant verè conſanguinei, etiamſi ab uno & eodem ſtipite per carnalem propagationem non deſcenderent.

Porro conſanguinitas diſtinguitur adinſtar ſcalæ per lineas & gradus.

Quid Linea.

Linea verò eſt ordinata connexio, ſeu ſeries aliquarum perſonarum deſcendentium ab eodem ſtipite, continens diverſos gradus.

Quid Gradus.

Gradus verò eſt ipſa diſtantia perſonarum ſanguine junctarum, ſeu menſura quâ cognoſcitur propinquitas inter perſonas ſanguine junctas; quæ lineæ includuntur ad ſimilitudinem graduum ſcalæ, per quam ſurſum vel deorſum deſcenditur.

Linea aſcendentium,

Eſt autem triplex linea inter conſanguineos, ſcilicet aſcendentium, quâ nimirum progredimur à genitis ad genitores quærendo illorum ſtipitem: ut dum numero memetipſum, patrem meum, avum, proavum &c.

Linea deſcendentium.

Linea ſecunda, eſt deſcendentium, quâ nimirum progredimur à genitoribus ad genitos, ſcilicet à patre ad filium, ad nepotem &c.

Porro duplex hæc linea continetur in unica linea recta.

Collateralis.

Tertia linea vocatur collateralis ſeu tranſverſa, ſecundùm quam multæ perſonæ ab uno ſtipite mediatè vel immediatè deſcendunt, ſic ut una ab alia non deſcendat: & eapropter filii Noë, qui ſunt fratres, conſtituunt inter ſe lineam collateralem, eò quod unus frater non deſcendat ab alio fratre.

Petes, quomodo debeant computari gradus conſanguinitatis, ut cognoſcatur in quo gradu unus

unus ſit alteri conſanguineus.

Regula ad dignoſcendum quoto gradu aliqui ſint conſanguinei in linea recta.

Reſp. pro linea recta aſcendentium vel deſcendentium ſervandam eſſe hanc regulam, tam Jure Canonico quam Civili receptam, videlicet, quod tot ſint gradus in linea recta, quot numerantur perſonæ, una dempta, ſcilicet ſtipite; eapropter cum pater & filius ſint duæ perſonæ, ſi patrem demas, erunt illi duo ſibi conſanguinei in primo gradu; ſimiliter cum pater filius & nepos ſint tres perſonæ, ſi unam demas, pater & nepos erunt ſibi conſanguinei in ſecundo gradu.

Regula pro dignoſcendo gradu conſanguinitatis in linea collaterali.

Pro linea collaterali verò ſervandæ ſunt hæ duæ regulæ.

Si perſonæ conſanguineæ, de quibus quæritur, diſtent æqualiter à communi ſtipite, tunc tot gradibus diſtant inter ſe, quot diſtant à communi ſtipite: & eapropter cum duo fratres diſtent tantùm uno gradu à patre ſuo tamquam ſtipite, etiam uno tantùm gradu diſtabunt inter ſe: patrueles verò, ſeu cognati germani quia diſtant duobus gradibus ab avo ſuo, tamquam communi ſtipite, diſtabunt quoque duobus gradibus inter ſe.

Si verò perſonæ conſanguineæ inæqualiter diſtent à communi ſtipite, tunc tot gradibus diſtabunt inter ſe, quot remotior diſtat à communi ſtipite: & eapropter Petrus diſtat in ſecundo gradu à filiis fratris ſui; in tertio gradu à filiis filiorum fratris ſui; eò quod illi totidem gradibus diſtent à communi ſtipite.

Jus civile & canonicum non eodẽ modo gradus enumerant in collaterali.

Et quidem hæ regulæ ſervandæ ſunt in materia matrimoniali, tam in foro conſcientiæ quam in externo, omiſſa computatione Juris Civilis: quod, licet in linea recta concordet cum Jure Canonico, diſcrepat tamen in linea collaterali; nam in illa quoque tot gradus conſtituit, quot ſunt perſonæ dempto ſtipite: & eapropter jure civili duo fratres diſtant in ſecundo gradu; & hoc ideo quia jus civile numerat gradus ut hæreditas ab una perſona ad alteram devolvatur; & hæc eſt cauſa cur ponat tot gradus quot ſunt perſonæ: jus canonicum verò computat gradus propter matrimonium; quod, quia non poteſt eſſe niſi inter duas perſonas, ideo duas perſonas collocat in uno gradu.

Petes, an in linea recta gradus aliquis jure naturæ dirimat matrimonium.

Primus gradus in linea recta jure naturæ dirimit matrimoniũ

Reſp. affirmativè; nempe primus: & eapropter communi conſenſu non tantùm Doctorum ſed etiam omnium nationum, invalidum eſt matrimonium quod init mater cum filio, & pater cum filia: ratio eſt, quia maxima

reverentia debetur à filio aut filia patri aut matri, tamquam principiis generationis, huic autem reverentiæ maximè repugnat actus matrimonialis, habens adjunctam quamdam turpitudinem contrariam reverentiæ parentibus debitæ.

Præterea lex matrimonialis eſt, ut uxor ſit ſubdita viro, & ſit illi par in actu conjugali; ac proinde repugnat juri naturæ, filiam eſſe æqualem patri, aut filium eſſe æqualem matri. Hinc apud omnes nationes talis concubitus matris cum filio, aut patris cum filia habetur nefandus; quin imo plurimæ beſtiæ à tali concubitu abhorrent: & eapropter Levit. 18. dicitur *turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non diſcoperies*. Nota tamen hoc non eſſe ita intrinſecè malum ut Deus non poſſit in eo diſpenſare poſitis certis circumſtantiis, nempè in caſu extremæ neceſſitatis, aut ſi pater & filia ſolùm eſſent in mundo ſuperſtites; quo caſu id quoque poſſent ſine Dei diſpenſatione: & hoc modo SS. Chryſoſtomus & Ambroſius liberant à culpa filias Loth dormientes cum patre, quia putabant ſe ſolas eſſe in mundo.

Ex diſpenſatione divina inter patrē & filiam poſſet eſſe matrimonium.

Porro in aliis gradibus lineæ rectæ, quamvis jus civile impedimentum dirimens ſtatuat in infinitum, aliqui tamen probabiliter dicunt quod ejuſmodi ſtatutum non approbetur à jure canonico, ſed ab illo potiùs reprobetur. cap. *non debet* De conſang. unde & Conc. Trid. Seſſ. 24. de matrimonio. Can. 3. ſtatuit conſanguinitatem tantùm dirimere matrimonium uſque ad quartum gradum incluſivè, abſque diſtinctione lineæ rectæ vel collateralis: & eapropter dum lex inter illas duas lineas non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere, ſed conſequenter aſſerere, quod conſanguinitas ſolùm dirimat matrimonium, tam in linea recta quam collaterali, uſque ad quartum gradum incluſivè; idque conformiter naturis rerum, eò quod apparens ſit, conſanguinitatem terminari ad aliquem gradum, ad illum ſcilicet ad quem virtus generantis reddita eſt ita debilis, ut pœnè videatur extincta. Alii tamen communius & veriſimilius tenent, quod omne tale matrimonium inter conſanguineas perſonas in linea recta ſit juri naturæ contrarium & proinde irritum: quia illæ rationes quæ oſtendunt inter filiam & patrem eſſe irritum, etiam probant idem eſſe irritum inter avum & neptem, cum hæc illi non minorem reverentiam & ſubjectionem debeat quam filia patri. & ad cap. *Non debet* & canonem Trid. reſpondent

An inter conſanguineos in linea recta matrimoniū ſemper ſit jure naturæ irritum.

dent illa non loqui expreſse & in ſpecie de iſta linea recta, ſed loqui tantùm de iis gradibus quorum diſpoſitio ſubjicet juri poſitivo; cui non ſubjacent gradus conſanguinitatis in linea recta, ut rationes probant.

Matrimonium inter conſanguineos in primo gradu collaterali eſt jure natura invalidum,

Petes, an in linea collaterali primus gradus jure naturæ dirimat matrimonium.

Reſp. Affir. & eapropter jure naturæ invalidum eſt matrimonium inter fratrem & ſororem, idque ideo, quia inter illos duos eſt maximus pudor naturalis cui actus conjugalis adverſatur. 2. quia etiam omnes gentes ſolo lumine naturali ductæ, à tali matrimonio abhorrent; & idcirco Eccleſia nunquam in hujuſmodi gradu diſpenſavit, quantumvis deſuper aliquando requiſita.

Dices fratres in initio mundi contrahebant matrimonia cum ſuis ſororibus.

Niſi neceſſi as excuſet ut in filiis Adami.

Reſp. conced. antecedens, ſed neceſſitatem hoc feciſſe licitum quod extra illam eſt illicitum, eo modo quo accipere rem alienam in extrema neceſſitate eſt licitum, quod extra illam eſt illicitum; neque enim matrimonium fratris cum ſorore eſt ita intrinſecè malum ſicut eſt blaſphemia aut perjurium, quod nulla circumſtantia poteſt cohoneſtari.

In aliis gradibus non ita.

Petes, an in ſequentibus gradibus, ſcilicet in ſecundo, tertio, aut quarto in linea collaterali conſanguinitas dirimat matrimonium jure naturæ.

Reſp. neg. prout patet ex Cap. *Gaudemus*, De Divortiis, in quo ſtatuitur in aliis gradibus, ultra primum eſſe ſeparandos infideles ad fidem converſos: quod tamen dicendum foret ſi illud jure naturæ eſſet irritum.

Quod confirmatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. quod concedit Papam in ſecundo gradu poſſe diſpenſare cum magnis viris, idque ex publica cauſa.

DUBIUM IX.

De impedimento Affinitatis.

Quid affinitas.

Affinitas propriè loquendo eſt propinquitas perſonarum orta ex copula; addunt alii vel ex jure ad copulam per matrimonium ratum. Dicitur, *Propinquitas*, loco generis.

Dicitur, *orta ex copula &c.* Loco differentiæ: nam per hoc diſtinguitur à conſanguinitate; ſiquidem propriè loquendo ex ipſa copula oritur affinitas; ſive illa ſit licita ſive illicita.

Ex qua copula oritur affinitas.

Eſt autem copula, actus conſummatus inter virum & fœminam ex quo poteſt ſequi generatio: & eapropter etiam ex copula hominum ſterilium oritur affinitas, non tamen ex copula

 ho-

hominum frigidorum & impotentium; nam ad actum conſummatum requiritur ſeminatio ex parte utriuſque intra vas naturale fœminæ: ex quo ſequitur quod ex ſola ſeminatione fœminæ, & ex pollutione viri extra vas fœminæ non oriatur affinitas: & hoc ideo quia non ſunt actus conſummatus ex quo ſequi poſſit generatio, neque in ſimilibus duæ perſonæ fiant una caro.

Ex his collige valere matrimonium Petri cum Maria cujus ſororem impuberem Petrus ante cognoverat; cum enim ſoror illa eſſet incapax ſeminandi, actus ille non fuit conſummatus in ordine ad generationem, ex quo ſolo oritur affinitas.

Quomodo computandi gradus in affinitate

Petes; quomodo gradus & lineæ computentur in affinitate ut cognoſcatur in quo gradu vel in qua linea unus alteri ſit affinis.

Reſp. eodem prorſus modo quo conſtituuntur in conſanguinitate: affinitas enim propriè oritur inter perſonam cognitam & conſanguineas perſonæ cognoſcentis, item inter perſonam cognoſcentem & conſanguineos perſonæ cognitæ, & hoc in eodem prorſus gradu in quo ſunt conſanguineæ.

Hinc ſerviet illa regula, quod quoto gradu aliquis eſt conſanguineus viri qui cum fœmina habuit copulam, in eodem gradu fiat affinis fœminæ: & quoto gradu quis eſt conſanguineus fæminæ cognitæ, eodem fiat affinis viro qui illam cognovit.

Petes, quiſnam ſit ſtipes ſeu origo affinitatis.

Quis ſtipes unde illi computantur.

Reſp. ſunt ipſæ perſonæ, ſcilicet vir & fœmina, inter quas intervenit carnalis copula; neque enim illi dicuntur affines inter ſe, ſed quia per copulam facta ſunt una caro, idcirco ſunt origo & ſtipes affinitatis aliorum.

Petes, quinam ſint affines fæminæ in linea recta.

Reſp. illi qui ſunt conſanguinei viri in linea recta, prout ſunt pater, mater, avus & avia viri: item pater & mater fæminæ, inſuper avus & avia illius ſunt affines viro in linea recta, prout & generaliter omnes aſcendentes vel deſcendentes illius perſonæ cum qua habita fuit copula, fiunt affines alteri in eadem prorſus linea & gradu quo ſunt conſanguinei illi cum qua habita fuit copula.

Petes, in qua linea vitricus ſit affinis privignæ ſuæ, item noverca privigno ſuo, item gener ſocero ſuo.

Reſp. in primo gradu lineæ rectæ, & hoc ideo quia mater privignæ, cum qua vitricus habuit copulam, eſt conſanguinea

privignæ

Digitized by Google

privignæ in primo gradu lineæ rectæ: ſimiliter pater privigni qui cum noverca habuit copulam eſt conſanguineus privigno in primo gradu lineæ rectæ &c.

Petes, quinam ſint affines alicujus perſonæ in linea tranſverſa ſeu collaterali.

Reſp. omnes qui ſunt conſanguinei in linea collaterali illi perſonæ cum qua is habuit copulam: & ea propter dum Petrus cognoſcit Catharinam, fratres & ſorores Catharinæ fiunt affines Petro in primo gradu lineæ collateralis; filii verò fratrum & ſororum Catharinæ fiunt ipſi affines in ſecundo gradu lineæ collateralis: & ſic de cæteris.

Petes, an ſimiliter conſanguinei Petri fiant affines conſanguineis Catharinæ quam cognovit.

Affinitas non parit affinitatem.

Reſp. negativè, quia affinitas non parit affinitatem: hoc eſt perſona quæ mihi eſt affinis non poteſt alios affines facere.

Petes, an Petrus qui duxit Catharinam, poſſit illâ mortuâ contrahere matrimonium cum uxore fratris Catharinæ.

Reſp. affirmativè; eò quod per copulam habitam cum Catharina tantùm ſit factus affinis fratri Catharinæ, non verò uxori ejus.

Petes, quoto gradu affinitas dirimat matrimonium.

Affinitas ex copula licita dirimit ad quartum gradum incluſivè.

Reſp. cum diſtinctione: ſi affinitas oriatur ex copula licita ſeu matrimoniali, tunc dirimit matrimonium uſque ad quartum gradum incluſivè: quod ſi verò oriatur ex copula illicita, tunc dirimit matrimonium uſque ad ſecundum gradum incluſive: & eapropter Joannes qui fornicatus eſt cum Maria, non poteſt validè contrahere matrimonium cum ſorore Mariæ, aut etiam cum nepte ejus in ſecundo gradu: poterit tamen validè inire matrimonium cum conſanguinea Mariæ in tertio gradu: Petrus verò qui inivit matrimonium cum Catharina non poteſt validè inire matrimonium cum conſanguineis Catharinæ uſque ad quartum gradum, ita ſtatuente Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 4.

Ex illicita ad ſecundum incluſivè.

Petes, an affinitas orta ex copula licita, jure ſolùm Eccleſiaſtico dirimat matrimonium uſque ad quartum gradum.

Affinitas an jure naturæ matrimonium dirimat.

Reſp. affirmat. & eapropter matrimonium hominis infidelis contractum cum conſanguinea uxoris ſuæ in ſecundo, tertio, aut quarto gradu eſt validum.

Petes an affinitas in nullo ſaltem gradu dirimat matrimonium jure naturæ.

Reſp. affirm. ſcilicet in primo gradu lineæ rectæ, quando hæc oritur ex copula licita: & eapro-

pter inter privignum & novercam, item inter vitricum & privignam, item inter ſocerum & nurum, inter generum & ſocrum non eſt validum matrimonium, idque propter reverentiam quam ſimiles perſonæ ſibi invicem debent: tum etiam, quia Eccleſia numquam hactenus in ſe agnovit poteſtatem diſpenſandi cum affine in primo gradu lineæ rectæ, dum affinitas oritur ex copula licita: & eapropter quantumvis hactenus frequenter deſuper requiſita, nunquam in illo gradu diſpenſavit,

Dices, apud gentiles & apud judæos referuntur matrimonia in eo gradu cum affinibus celebrata ut Antiochi cum Stratonice uxore Seleuci patris ſui, item Adoniæ filii Davidis, qui petiit Sunamitidem uxorem patris ſui.

Reſp. ejuſmodi matrimonia invalidè & illicitè ab illis fuiſſe contracta.

Dixi ſignanter, *Affinitatem jure naturæ dirimere matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, quando oritur ex copula licita*; quia ſatis probabile eſt, ex affinitate etiam in primo gradu lineæ rectæ, dum illa oritur ex copula fornicaria, nullum jure naturæ oriri impedimentum dirimens: & hoc ideo, quod inter conſanguineos viri & fœminam ab eo fornicariè cognitam nulla oriatur amicitia, cujus affinitas eſt fundamentum: ſed potius inimicitia: ac proinde valebit matrimonium quod filius infidelis init cum concubina ſui patris.

Quot effectus pariat affinitas superveniens matrimonio.

Petes quos effectus pariat affinitas ſuperveniens matrimonio ut v. g. ſi Petrus conjugatus cum Catharina cognoſcat conſanguineam Catharinæ, in primo vel ſecundo gradu,

Reſp. hos duos 1. quod non poſſit petere debitum 2. quod mortuâ conjuge Catharina quam modo habet non poſſit ducere iſtam aliam: prout patet ex cap. 1. de eo qui cognovit.

Petes, quid ſi Petrus ita cognoverit conſanguineam uxoris ſuæ in primo, aut ſecundo gradu, ſed invincibiliter ignoraverit eſſe ejus conſanguineam, an ligetur his pœnis.

Reſp. Probabiliter negativè, quia illæ ſunt pœnæ incœſtus, Petrus autem non commiſit formaliter culpam incœſtus, ſed adulterii.

Ignorantia invincibilis legis excuſat à pœna per illam ſtatuta.

Petes quid ſi quis ſcienter copuletur cum conſanguinea ſuæ uxoris in primo aut ſecundo gradu, ſed invincibiliter ignorat, hoc ipſi ab Eccleſia ſub hac pœna eſſe prohibitum, an privetur jure petendi debitum.

Reſp. neg. eſto enim peccaverit

rit peccato adulterii, adeoque contra jus naturæ: non tamen peccavit contra præceptum Eccleſiæ hoc ſub tali pœna inhibens, adeoque ignorantia invincibilis ipſum excuſat à pœna per Eccleſiaſticum præceptum impoſita.

Petes, an ſaltem qui ſcienter cognovit affinem ſuam in primo vel ſecundo gradu; & eapropter privatus eſt jure petendi debitum, non teneatur reddere.

Reſp. Affir. eò quod non ſit æquum, ut innocens patiatur damnum ex delicto nocentis.

Dices, qui peccavit cum propria ſua conſanguinea in primo vel ſecundo gradu, non privatur jure petendi debitum; ergo neque is qui cognovit conſanguineam ſuæ uxoris in primo vel ſecundo gradu.

Qui adulteratur cum conſanguinea propria non ideo privatur jure petendi debitum.

Reſp. negan. conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod jura ſub hac particulari pœna prohibeant incæſtum commiſſum cum conſanguinea compartis, non verò cum conſanguineis propriis.

Petes cur Conc. Trid. Seſſ. 24 cap. 4. potius reſtrinxit affinitatem ex fornicatione contractam, ut dirimat matrimonium ad ſecundum gradum tantum, quam contractam ex matrimonio.

Cur affinitas ex copula licita potius dirimat matrimonium ad quartum gradum quam ex illicita.

Reſp. ex eo, quod prima frequenter contrahatur occultè; & ex ea non oriatur aliquod vinculum amicitiæ inter affines, prout oritur ex affinitate contracta ex copula conjugali.

Petes ad quotum gradum extendatur affinitas ex alio concubitu illicito præterquam ex fornicatione, ut puta ex adulterio, ſtupro &c.

Quid intelligendũ per copulam fornicariam

Reſp. ad ſecundum gradum tantum, nam dum Conc. Trid. affinitatem ortam ex fornicatione tantum, reſtringit ad ſecundum gradum, tunc accipit illam genericè pro omni concubitu illicito cum conſanguineis compartis: quod non eſt infrequens in ſcriptura S. ut patet Tob. 4. dum dicitur, *Fili mi attende tibi ab omni fornicatione.* Præterea ratio motiva Con. Trid. ad dictam reſtrictionẽ faciendam, nempe talem affinitatem occultam communiter ignorari, ac proinde multa damna inde pullulare, militat quoque in omni alia copula illicita inter affines.

Petes, an ergo non ſit incæſtus, dum vir accedit ad conſanguineam in tertio gradu illius, quam primò cognovit extra matrimonium.

Reſp. negativè, ſed ſimplex fornicatio, eò quod inter illos non prohibeatur matrimonium ob reverentiam affinibus debitam.

Porro hic notandum me in definitione affinitatis addidiſſe, ex *jure ad copulam per matrimonium*

An affinitas oriatur ex matrimonio rato non conſummato.

ratum: ſiquidem non parva quæſtio eſt inter Doctores, an etiam non oriatur affinitas ex matrimonio rato non conſummato, an verò potius impedimentum dirimens ortum ex matrimonio rato non conſummato reduci debeat ad publicam honeſtatem: ſed placet ſententia affirmans hoc impedimentum reduci debere ad affinitatem: nam quamvis vir & fæmina ante conſummationem matrimonii non ſit una caro per commixtionem ſeminis, poſſunt tamen dici una caro, eò quod unus habeat dominium alterius in ordine ad generationem: prætterea apud omnes paſſim cenſetur contrahi affinitas per ipſum contractum matrimonialem poſt quē ſeſe mutuo appellant affines; tum denique quia Conc. Trid. impedimentum publicæ honeſtatis tantum reſtrinxit ad primum gradum, hoc autem impedimentum ortum ex matrimonio rato, ſeſe extendit ad quartum gradum: denique Pius V. in motu proprio qui incipit *Ad Romanum Pontificem*, declaravit hoc impedimentum eſſe reducendum ad affinitatem.

Peres, an hoc impedimentum etiam conſurgat ex matrimonio invalido.

An illud impedimentum oriatur ex matrimonio invalido.

Reſp. affirm. ſi nimirum ſit invalidum aliunde quam defectu conſenſus: ratio eſt, quia jure antiquo, ut patet ex Cap. *Sponſa* De ſponſalibus oriebatur quoque hoc impedimentum ex matrimonio invalido, aliter quam defectu conſenſus, ſeque extendebat uſque ad quartum gradum, ergo & adhuc modo idem eſt dicendum, eò quod non ſit recedendum à jure antiquo, niſi quatenus aliter decernitur jure novo; porro jure novo non eſt aliter ſtatutum.

Quod ſi verò matrimonium ſit invalidum defectu conſenſus: ut puta quia unus conſenſit fictè, aut gravi ex metu &c. tunc ex ſimili matrimonio non exſurget hoc impedimentum.

DUBIUM X.

De impedimento Cognationis Spiritualis.

Quid cognatio ſpiritualis.

COgnatio Spiritualis eſt propinquitas quarumdam perſonarum conſurgens ex adminiſtratione vel ſuſceptione baptiſmi vel confirmationis, idque ex Eccleſiæ ſtatuto: nam ſicut per carnalem generationem homo naſcitur, & poſtea corroboratur: ita quoque per baptiſmum homo ſpiritualiter renaſcitur, & per confirmationem ſpiritualiter roboratur; & caepropter ſicut in corporali generatione & accretione: ita quoque in ſpirituali generatione & accretione intelliguntur

ligantur intervenire ſpirituales parentes, nempe miniſtri qui illa Sacramenta adminiſtrant, & patrini, quibus ſecundum eccleſiaſticam traditionem magna debetur reverentia: & ideo antiquitus in Eccleſia conſtitutum fuit, ut hæc ſpiritualis cognatio, perinde ac carnalis, eſſet impedimentum dirimens matrimonii: prout conſtat ex Cap. *Si quis filiaſtrum* De Cognat Spirit.

Dicitur; *Propinquitas*, quia illa cognatio eſt veluti quoddam vinculum connectens & conjungens certas perſonas, & idcirco in genere definiti convenit cum cognatione carnali & legali.

Dicitur, *Perſonarum*, quia hæc tantum oriri poteſt inter creaturas rationales, ſcilicet homines, Sacramentorum capaces.

Eſt introducta jure ſolum Eccleſiaſtico.

Dicitur, *conſurgens ex ſtatuto Eccleſiæ*, quia illa cognatio ſpiritualis non eſt jure divino vel naturali introducta, ſed ſtatuta ab Eccleſia, cujus ratio motiva ſupra eſt inſinuata.

Inter quos contrahatur cognatio ſpirituali.

Porro hæc cognatio ſpiritualis in Sacramento Baptiſmi contrahitur. 1. Inter baptiſantem ab una parte, & baptiſatum, baptiſatique patrem & matrem ab altera parte. 2. Inter ſuſcipientem ab una parte, & ſuſceptum, ſuſceptique parentes ab altera; eodem quoque modo contrahitur in confirmatione. 1. Scilicet inter confirmantem, confirmatum, & confirmati patrem & matrem. 2. Inter ſuſcipientem, confirmatum, confirmatique patrem & matrem: porro ab aliis non contrahitur, prout patet ex Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. de Reform. ubi cognatio ſpiritualis reſtringitur ad paternitatem, confraternitas verò omnino tollitur. Pro quo,

Notandum antiquitus fuiſſe triplicem cognationem ſpiritualem. 1. Scilicet paternitatem; & hæc erat inter baptizantem vel confirmantem, item ſuſcipientem, & baptizatum vel confirmatum; & ob id ille dicebatur patrinus, quia ſcilicet vel baptiſabat, vel confirmabat, vel ſuſcipiebat infantem. 2. Erat compaternitas, ſcilicet inter baptiſantem, confirmantem, ſuſcipientem, & inter patrem vel matrem carnalem baptiſati, vel confirmati. 3. Erat confraternitas, quæ modo eſt ſublata, & illa erat inter filios vel filias baptizantis, confirmantis, vel ſuſcipientis, & inter baptizatum vel confirmatum.

Non oritur illa cognatio inter patrinum & matrinam.

Petes, an hæc cognatio ſpiritualis non oriatur quoque inter ipſos ſuſceptores.

Reſp. negat. ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de Reform.

Ddddd 2 Petes,

Petes, quæ ſint requiſita ad contrahendam hanc cognationem ſpiritualem.

Quæ requiſita ad contrahendã illam cognationem.

Reſp. I. ut compater, vel commater prolem ſuſcipiant de manibus baptizantis, aut confirmantis: & ideo primò requiritur phyſicus contactus, & hoc ideo quia, dum jura de hac cognatione loquuntur, utuntur verbis ſignificantibus phyſicum contactum: & eapropter, cum introductio impedimentorum ſit odioſa, reſtringi debet, quantum verborum proprietas patitur.

II. Requiritur ut contactus ille phyſicus fiat in baptiſmo ſolemni: ratio eſt, quia illæ ceremoniæ ſunt ab Eccleſia tantum inſtitutæ pro baptiſmo ſolemni: prout patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. & idcirco ſuſceptores in baptiſmo privato non ſolent vocari patrini.

Petes, an ergo baptiſans in baptiſmo privato non contrahat hanc cognationem.

Baptiſans etiam nõ ſolemniter contrahit illam.

Reſp. affirmativè; eò quod jura hoc diſponant de adminiſtrante, non autem de ſuſcipiente.

III. Ut adſit intentio infantem de ſacro fonte ſuſcipientis tacita vel expreſſa præſtandi munus patrini: & eapropter ſicut is qui baptiſat abſque intentione baptiſandi non verè baptiſat, neque contrahit cognationem ſpiritualẽ ita neq; qui ſuſcipit infantem abſque intentione ſuſcipiendi munus patrini: & ex hoc capite procurator ſuſcipiens infantem de baptiſmo nomine ſui principalis, non contrahit hanc cognationem ſpiritualem, quia ſcilicet id facit cum intentione non ſubeundi munus patrini.

Procuratorio nomine ſuſcipiens prolem non contrahit illam.

Petes, quæ qualitates adhuc requirantur in ipſo ſuſcipiente, ad introducendum hoc impedimentum dirimens.

Reſp. ut ſuſcipiens non ſit infidelis, quia illud introducitur ab Eccleſia, cujus legibus ipſe non ſubjacet.

Petes, an etiam requiratur ut ipſe ſuſcipiens ſit confirmatus.

Reſp. fidelem non confirmatum adminiſtrantem, vel ſuſcipientem contrahere cognationem ſpiritualem, in baptiſmo: tamen, ſi non ſit confirmatus, non contrahet cognationem ſpitualem ex alicujus ſuſceptione in confirmatione: eſto enim talis habeat vitam ſpiritualem ratione baptiſmi, non tamen habet conditiones requiſitas ad verum ſuſceptorem in confirmatione: prout patet cap. 17, *de Baptiſmate*, diſt. 4. de Confirmatione.

Petes, cujus ætatis debeat eſſe ille qui vult agere patrinum vel matrinam.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. nullam à jure determinari, modò adſit uſus rationis quo poſſit formare intentionem ſubeundi munus patrini.

Petes, cur infideles potius validè baptiſent quam ſubeant validè munus patrini.

Reſp. quia baptiſans concurrit ad eſſentiam baptiſmi, tanquam miniſter, qui ex Chriſti inſtitutione ob neceſſitatem eſt omnis homo: ſuſceptor autem non eſt de eſſentia baptiſmi.

Petes, an Religioſi exiſtentes patrini in baptiſmo vel confirmatione contrahant hanc cognationem ſpiritualem.

Reſp. affirmativè, utpote illius capaces; qui tamen ſuſcipiendo peccant contra prohibitionem Eccleſiæ: ut patet cap. *licet* de Conſecrat. diſt. 4.

Petes quot poſſint eſſe patrini in Baptiſmo.

Patrinus non niſi unus, aut ad ſummum unus, & una admitti poſſunt.

Reſp. id patere ex Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 2. ubi ſic loquitur „Docet experientia ob multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis contrahi matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque S. Synodus huic incommodo prævidere: & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit ut unus tantum, ſive vir ſive mulier, vel ad ſummum unus & una baptiſatum de baptiſmo ſuſcipiant; inter quos & baptiſatum ipſum, & illius patrem & matrem: nec non inter baptiſantem & baptiſatum, baptiſatique patrem & matrem tantum, cognatio ſpiritualis contrahatur.

Petes, quid ſi plures accedant ut ſint patrini.

Quid ſi plures ſe præſentent.

Reſp. tunc juxta Conc. Trid. in loc. cit. „Parochus antequam „ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos ſpectabit, inquirere debet quem, vel quos elegerint ut baptiſatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina ſcribat, doceatque eos quam cognationem contraxerint &c.„ Quod ſi verò alii, ultra deſignatos, baptiſatum atigerint, inquit Concilium, cognationem ſpiritualem nullo modo contrahent.

Petes, quid ſi nulli patrini ſint deſignati, & interea multi ſimul infantem de ſacro fonte levent, an omnes contrahant cognationem ſpiritualem.

Reſp. affirmativè; quia ſtandum eſt juri antiquo, quando aliter non decernitur jure novo; ſed jure antiquo omnes contrahebant ſimul tangendo: ut pa-

tet ex cap. *finali* de conſang. ſpir. in ſexto, & jure novo nihil in hac parte eſt innovatum.

Si tamen plures admittantur, deſignati, cognationem contrahent.

Petes, quid ſi plures quam duo à parentibus, vel ab iis qui curam infantis habent ſint deſignati & admiſſi à parocho, & omnes ſimul infantem levent, an omnes contrahant cognationem ſpiritualem.

Reſp. affirmativè; quia actus contra legem geſtus, quamvis illicitus, validus tamen eſt, quando lex illum non irritat prout Conc. Trid. ejuſmodi actum loco citato non irritat, ſed tantum imponit pœnam arbitrio Ordinarii, contra parochum qui plures admittit.

Non ita ſi non fuerint deſignati

Petes, quid ſi parentes duos tantum deſignaverint, ſed paſtor plures admittat, an omnes illi contrahent cognationem ſpiritualem.

Reſp. negativè, eò quod non ſpectet ad paſtorem deſignare patrinos, quando parentes deſignarunt: prout patet ex Conc. Trid. loco cit.

Petes, quid ſi parentes nullos deſignaverint, an deſignati à parocho contrahent cognationem ſpiritualem.

Reſp. affirmativè; quia dum parentes nullos deſignarunt, ſpectat ad parochum curare ut baptiſmus celebretur ſecundùm ceremonias conſuetas, quarum una eſt deſignatio patrini.

Petes, an poſſint admitti duo viri patrini, vel duæ fœminæ matrinæ.

Reſp. negativè, nec Epiſcopus in eo poteſt diſpenſare, eò quod inferior nequeat diſpenſare in lege ſuperioris, lex autem inhibens eſt lex Conc. Trid.

Petes, an ſi paſtor admittat plures quam duos, peccet mortaliter.

Reſp. affirmativè; quia facit contra inhibitionem Concilii, in materia gravi.

DUBIUM XI.

De Cognatione Legali.

Quid legalis cognatio.

Cognatio legalis eſt propinquitas proveniens ex adoptione. Adoptio autem eſt aſſumptio legitima perſonæ extraneæ in filium aut nepotem, filiam vel neptem. Perſona extranea vocatur, quæ non eſt ex deſcendentibus, ſive interim ſit adoptantis conſanguinea ſive non. Vocatur legitima, quia lege civili conſtituta & lege canonica eſt probata: idcirco neceſsè eſt ut aſſumptio illa fiat ſecundum conditiones lege civili præſcriptas, videlicet ut adoptans ſit maſculus, ſui juris, major vigintiquinque annis, ad liberos gignendos natu-

Quid adoptio.

Digitized by Google

naturaliter non impotens. 2. Ut perſona adoptata in adoptionem conſentiat, & ut octodecim annis ſit minor adoptante, adeoque illum pro patre, ſpectatâ ratione ætatis habere poſſit.

Porro duplex eſt adoptio, una perfecta quæ vocatur, *Arrogatio*: hæc fit reſcripto Principis, & per illam adoptatus in patriam poteſtatem adoptantis transfertur, illique ſuccedit ab inteſtato, tamquam hæres neceſſarius in quarta parte, ita ut arrogator non poſſit ipſum privare ſuâ legitimâ.

Adoptatio imperfecta fit authoritate magiſtratus, nec transfert adoptatum in poteſtatem adoptantis, nec facit illum ſuccedere ut hæredem neceſſarium ex teſtamento, ſicut ſuccedit arrogatus in quarta bonorum parte ſed tantum ab inteſtato. His præ notatis.

Qua adoptatio dirimat matrimonium.

Adoptatio perfecta dirimit matrimonium in linea recta uſque ad quartum gradum deſcendentium, ſcilicet inter adoptantem & adoptatam & adoptatæ poſteros uſque ad quartum gradum: in linea tranſverſa verò dirimit matrimonium inter filios naturales adoptantis & eum qui perfectè eſt adoptatus: præterea per modum affinitatis dirimit matrimonium inter adoptatum & uxorem adoptantis, quæ eſt ipſi veluti noverca: ita quoque dirimitur hoc modo matrimonium inter adoptantem & conjugem adoptati. Legatur ſuper his Cap. *Vnicum* de Cognat. legali: item Cap. *Per adoptionem* cauſa 30. q. 3. item Cap. *Ita diligere* cauſa 30. q. 3.

Quod attinet ad imperfectam adoptionem, quamvis diverſi affirment & illam dirimere matrimonium, probabilius tamen negatur: & ratio eſt, quia hoc impedimentum eſt introductum ob ſimilitudinem quam filii adoptivi gerunt cum legitimè natis: porro imperfectè adoptivi ejuſmodi ſimilitudinem non gerunt, quandoquidem in poteſtatem patris adoptivi non tranſeant: & inſuper quia in dubio talia impedimenta, utpote odioſa, ſunt reſtringenda.

DUBIUM XII.

De impedimento publicæ honeſtatis.

Quid impedimentum publicæ honeſtatis.

PUblica honeſtas, eſt propinquitas alia quarum perſonarum exurgens ex ſponſalibus validis.

Notandum jure antiquo hoc impedimentum diremiſſe matrimonium uſque ad quartum gradum. Jure novo verò Conc. Trid.

Seſſ. 24.

Dirimit ſolum ad primum gradum. Seſſ. 24. cap. 3. de matrimonio eſſe reſtrictum uſque ad primum gradum conſanguinitatis incluſivè; cum affinibus verò alterius ſponſi, nequidem quoad primum gradum illud oriri; eò quod jus non faciat illorum mentionem, ſed ſolum conſanguineorum.

Petes, an hoc impedimentum ſit jure naturæ introductum.

Idque ſolo jure Eccleſiaſtico. Reſp. neg, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico, idque propter decentiam & honeſtatem.

Petes, an hoc impedimentum ſit perpetuum, ita ut nec morte alterius ſponſi diſſolvatur, aut ſaltem non ceſſet quando mutuo conſenſu ſponſalia diſſolvuntur.

An impedimentum illud ſit perpetuum. Reſp. complures id affirmare; eò quod hoc impedimentum non pendeat à voluntate contrahentium, ſed ex Eccleſiæ inſtituto, quæ hoc impedimentum voluit conſurgere ex ſponſalibus validis; ſponſalia autem non deſinunt fuiſſe valida, eò quod poſtmodum mutuo conſenſu diſſolvantur, aut morte alterius tollantur: verumtamen Baſilius Pontius de Matrim. lib. 6. cap. 36. citat. declarationem Cardinalium ſic aſſerentem, „ ſi ſponſalia ſolvantur de mutuo conſenſu, Congregatio cenſuit illa eſſe invalida „: quare ſi de hac declaratione authenticè conſtet, dicendum erit ex ſponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis, nullum naſci impedimentum.

Petes, an ſimiliter ſic diſſolvantur ſponſalia morte alterius ſponſi.

Reſp negativè, & ratio eſt, quia Congregatio Cardinalium deſuper nihil reſolvit: præterea ſponſalia quæ mutuo conſenſu diſſolvuntur, evaneſcunt immediatè ratione ſui, non vero quæ morte alterius, quæ ſolum ſolvuntur mediatè, nempe defectu ſubjecti; ac proinde ex illis, utpote perpetuis, ſemper manet ejuſmodi impedimentum.

Petes, an ex ſponſalibus ob juſtam cauſam diſſolutis, item ex ſponſalibus conditionatis ante eventum conditionis, ejuſmodi impedimentum oriatur.

Ex quibus ſponſalibus oriatur. Reſp, negativè, quia ejuſmodi ſponſalia non ſunt, neque fuerunt abſolutè valida.

Petes, an hoc impedimentum poſſit ſimul concurrere cum impedimento affinitatis.

Reſp. affirmativè; ut ſi poſtmodum ſponſus cognoverit ſororem ſuæ ſponſæ.

Petes, quid ſi ſponſus ante cognoverit ſororem ſponſæ ſuæ, & dein ineat ſponſalia cum ſua ſponſa, an illa erunt valida.

Reſp. negativè, quia nimirum inter ipſum & ſponſam intercedit

intercedit impedimentum dirimens affinitatis in primo gradu lineæ tranſverſæ.

Ex his deducitur quid reſpondendum ad hanc quæſtionem: Petrus cognovit Catharinam, & deinde inivit ſponſalia cum ſorore Catharinæ; quam è duabus poterit ducere.

Reſp. primam; neque refert quod iniverit ſponſalia cum ſorore illius, quia illa fuerunt invalida.

Petes, quid ſi Petrus iniverit ſponſalia cum prima ſorore, & poſtmodum cognoverit ſecundam ſororem, quam ex duabus poterit ducere.

Reſp. neutram: non enim primam, quia intercedit impedimentum affinitatis: non ſecundam, quia intercedit impedimentum publicæ honeſtatis, ortum ex ſponſalibus validis.

DUBIUM XIII.

De Impedimento Impotentiæ.

Impotentia multiplex.

PRænotandum duplicem eſſe impotentiam, unam ſcilicet ad prolem generandam, quæ alio nomine vocatur ſterilitas; & hæc ſi ſit ſola, non dirimit matrimonium: alia eſt impotentia ad copulam carnalem, quæ rurſus eſt duplex, ſcilicet perpetua, & temporalis: perpetua eſt quæ arte humanâ nequit tolli, aut ſaltem non ſine probabili periculo animæ aut corporis; talis quandoque eſt intrinſeca, ob defectum naturæ; qualis in viro eſt frigiditas, vel nimia caliditas, ita ut nequeat exſpectare vas fœminæ: in fœmina verò eſt nimia arctitudo ad intra recipiendum ſemen virile.

Quandoque autem eſt extrinſeca & accidentalis, orta ex maleficio: quæ eſt communis tam viro quam fœminæ; vel ex caſtratione, quæ particularis eſt viris.

Impotentia perpetua alia abſoluta alia reſpectiva.

Impotentia perpetua rurſus dividitur in abſolutam & reſpectivam; reſpectiva eſt quę eſt reſpectu alicujus in particulari tantum; abſoluta eſt quæ eſt reſpectu cujuſcumque. His præmiſſis.

Dico 1. impotentia perpetua in viro vel in fœmina, ſive ſit abſoluta ſive reſpectiva, dirimit matrimonium ſubſequens, idque jure naturæ: ratio, eſt quia de ratione matrimonii eſt traditio poteſtatis corporis ad uſum conjugalem, quam impotens dare non poteſt, cum nemo poſſit dare quod non habet. Accedit bulla Sixti V. edita anno 1587. declarans matrimonia ſpadonum vel eunuchorum prorſus eviratorum, cum quibuſvis mulieribus, ſive ſcientibus, ſive ignoran-

Digitized by Google

tibus eſſe, ſemper fuiſſe irrita & invalida: & eapropter in confeſſione eunuchi venit explicanda circumſtantia impotentiæ, non ſolum in fornicatione, ſed etiam in peccatis internis contra caſtitatem; eo quod talis circumſtantia ſuperaddat malitiam contra caſtitatem.

Petes an dari poſſit impotentia perpetua reſpectiva.

Reſp. Affirm. quia fieri poteſt quod mulier reſpectu alicujus viri tam ſit arcta ut ab ipſo cognoſci non poſſit ob magnitudinem membri virilis, quæ tamen poterit cognoſci ab alio: ſimiliter fieri poteſt quod vir ſit ita debilis ut nequeat cognoſcere virginem, poterit tamen corruptam; & quidem ſi hoc impedimentum ſit perpetuum, erit dirimens reſpectu illius, eſto proveniat ex abominatione fæminæ.

Quæ impotentia reſpectiva dirimat matrimonium.

Dices quid ſi fœmina arte medicinæ, ſine periculo animæ & corporis, reſpectu talis viri poſſit reddi apta.

Reſp. tunc matrimonium valere, quia cap. *fraternitatis* traditur illa regula generalis ad dignoſcendum an impedimentum ſit perpetuum & dirimens matrimonium, ſcilicet ſi tale ſit ut ope humana abſque periculo animæ aut corporis tolli nequeat, tunc eſt dirimens reſpectu matrimonii ſubſequentis.

Petes quid ſi ejuſmodi impedimentum in fæmina proveniat ex debilitate viri, non valentis penetrare vas fœminæ, an illa teneatur pati inciſionem.

Reſp. neg. eo quod obſtaculum non proveniat ex parte fœminæ, ſed ex parte viri, qui arte medicinæ venit juvandus.

Petes, quid ſi impedimentum nequeat tolli niſi per miraculum.

Quandonam impotentia reſpectiva cenſeatur perpetua.

Reſp. tunc illud debere cenſeri perpetuum: & eapropter ſi contracto matrimonio impotentia per miraculum auferatur, non propterea ſubſiſtet matrimonium ſed opus erit utriuſque novo conſenſu; ita quoque impedimentum cenſetur perpetuum quod tolli nequit ſine peccato, nam quod licitè fieri nequit, reputatur impoſſibile: & eapropter ſi fœmina nequeat adaptari viro niſi alteri valentiori prius commiſceatur, illud impedimentum habetur perpetuum.

Porro ſi judicio medicorum impedimentum impotentiæ tolli poſſit abſque vitæ periculo, quamvis fœmina renuat inciſionem aut neceſſaria medicamenta, matrimonium tamen ejus erit validum; eò quod valor illius pendeat ex natura rei, non verò ex voluntate fœminæ: ejuſmodi autem impedimentum ex natura

Digitized by Google

tura rei, tantùm eſt temporale; & quidem talis fœmina, ſi impedimentum proveniat ex parte ipſius, nec ſit conjunctum vitæ periculum, tenetur pati inciſionem cum aliqua moleſtia & gravi dolore, non tamen cum incommodo gravis morbi: ratio prioris eſt, quia eo ipſo quo tranſtulit in maritum jus corporis, neceſſè apparet ut ſe ſubjiciat alicui moleſtiæ & dolori, ne vir innocens cogatur perpetuò eſſe ſine uſu matrimonii: ratio ſecundi eſt, quia cum tanto corporis periculo non obligatur mulier ad actum conjugalem: unde nec vir tunc habet jus ad illam cogendam ad ejuſmodi inciſionem.

Dum dubitatur de impotentia perpetua poſſunt conjuges per trienniũ experiri.

Petes, quid facto opus quando eſt dubium an impedimentum ſit perpetuum.

Reſp. tunc concedi à jure canonico triennium, ad bonâ fide probandum: prout habetur cap. *laudabilem* de frigidis & malefic. quod ſi autem intra tale tempus non ſucceſſerit, debet contra illos Eccleſia pronuntiare ſententiam divortii: & ſi poſtea deprehendatur impedimentum non fuiſſe perpetuum, revocandi ſunt ad prius matrimonium, etiamſi alia matrimonia iniviſſent.

Petes, an matrimonium contractum à ſene decrepito ſit validum.

An matrimonia ſenũ ſint validum

Reſp. negativè, ſi ſit omnino impotens ad copulam, ſecus verò ſi ſit potens.

Petes, an matrimonium contractum à vetula omnino decrepita ſit validum.

Reſp. ita, eſto etiam foret frigida, dummodo poſſit recipere ſemen humanum: niſi forſitan in ſententia ſatis probabili ad perfectam copulam requirente commixtionem utriuſque ſeminis; ſecundum quam, matrimonium ejus erit invalidum.

Petes, an quando conſtat adeſſe impedimentum perpetuum antecedens matrimonium, poſſit peti aut reddi debitum.

Reſp. ex antedictis negativè, ſecus verò ſi ſit conſequens, quia talis tunc utitur jure ſuo dummodo abſit periculum pollutionis.

Plura quæ hic quæri poſſent potius ſpectant ad judices vel medicos, quam ad confeſſarios adeoque ab illis ſuperſedemus.

DUBIUM XIV.
De impedimento maleficii.

Supponendum 1. poſſe maleficos reddere homines impotentes ad copulam: prout conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ poſt triennii experientiam tales ſeparat à conjugio: ut patet ex cap. finali de frigidis.

Digitized by Google

Quibus modis per maleficium causetur impotentia.

Porro variis modis id præſtat dæmon; præcipuè autem viros reddit inhabiles imminuendo calorem naturalem, & impediendo ſpiritus, quæ duo neceſſaria ſunt ad copulam: fœminas verò reddit inhabiles per ſolam læſionem phantaſiæ qua apprehendunt aliqua quæ faciunt virum abominari: aut quandoque etiam vas fœminæ arctando.

Impotentia ex maleficio perpetua dirimit matrimonium ſubſequens.

Porro maleficium iſtud quandoque impedit potentiam quoad omnes, quandoque vero reſpectu unius ſolius. His præmiſſis.

Dico 1. quod ſi impotentia ex maleficio conſurgens ſit perpetua, dirimitur ſubſequens matrimonium: ſecus verò ſi ſubſequatur matrimonium jam contractum.

Petes, quandonam cenſebitur maleficium perpetuum.

Quandonam talis impotentia cenſenda perpetua.

Reſp. quando erit tale quod ſine novo maleficio, aut ſine miraculo tolli nequit.

Petes, quid ſi per exorciſmos Eccleſiæ tolli poſſit.

Reſp. tunc non eſſe cenſendum perpetuum, eò quod res illa ſit obvia & humanâ ope factibilis

Petes, quid facto opus quando dubitatur an ſit perpetuum.

Reſp. tunc præſumi tale, ſi poſt experientiam trium annorum conjuges non potuerunt conſummare; quod ſi tamen poſtea deprehenderetur maleficium ceſſaſſe, ut ſi poſt triennii experientiam conjuges ſeparati, ſeſe cognoverint carnaliter, valuit prius matrimonium: adeoque ſi poſt talem ſeparationem forte inivisſent aliud matrimonium. illud judicaretur nullum.

DUBIUM XI.

De Impedimento diſparitatis cultûs.

Quid imped. diſparitatis cultus. Dirimit matrimonium & quo jure.

Notandum; hoc impedimentum reperiri inter baptiſatum & non baptiſatum; quod quidem matrimonium dirimit, non tamen jure naturæ aut divino, ſed eccleſiaſtico, non quidem ſcripto, (quia tale nullum exſtat: unde etſi Conc. Calcedonenſe prohibeat matrimonia cum judæis aut paganis, non tamen facit ea irrita:) & eapropter iſtud impedimentum conſuetudine Eccleſiæ eſt introductum quæ habet vim legis.

Petes, an matrimonium initum inter catholicum & hæreticam ſimiliter ſit irritum & nullum.

Reſp. negativè.

Validum eſt matrimoniū inter Catholicum & hæreticam.

Dices in ſexta Synodo generali Can. 72. expreſsè decernitur, non licere orthodoxum conjungi cum hæretica, nec orthodoxam cum hæretico, ſed etſi quid hujuſmodi

Digitized by Google

juſmodi factum apparuerit, irritas nuptias exiſtimari & nefarium conjugium diſſolvi.

Reſp. 1. Canones iſtius concilii ab Eccleſia non probari, ut bene oſtendit Baronius ad annum 692. eo quod Canones illi ſint editi apud Trullum in palatio Imperatoris à quibuſdam Epiſcopis iligitimè congregatis poſt abſolutam ſynodum, & ideo iſtud concilabulum, ut ait Baronius à Sergio Papa fuit condemnatum, & omnes Canones rejecti.

Petes, an ſaltem ſint licita matrimonia catholicorum cum hæreticis.

Per ſe tamen eſt illicitum. Reſp. illa per ſe loquendo eſſe illicita: prout patet ex Conc. Agathenſi can. 67. & refertur Can. *Non oportet* cauſa 28. q. 1. ubi ait „non oportet cum hominibus hæreticis miſcere connubia, vel aut filios aut filias dare; ſed potius accipere, ſi tamen profiteantur ſe chriſtianos eſſe futuros & catholicos.

Petes, quam ob cauſam matrimonium catholici cum hæretica ſit illicitum.

Et quare Reſp. prima cauſa eſt periculum perverſionis, quod manifeſtè patuit in Salomone 3. Reg. 2. qui per hoc quod adamaret mulieres alienigenas incidit in idolatriam, dicente Scripturâ S. *Et averterunt mulieres cor ejus*: & certè ſi hoc factum fuit Salomoni omnium ſapientiſſimo, quis ſibi fidet inire matrimonium cum perſona hæretica,

2 Ejuſmodi matrimonia ſunt illicita propter evidens periculum ſubverſionis prolium, quæ ordinariè inclinantur ad libertatem & ideo ſequuntur fidem parentis hæretici.

Petes, an matrimonia catholicorum cum hæreticis in nullis circumſtantiis poſſint eſſe licita.

In aliquibus caſibus poteſt eſſe licitum. Reſp. affirm. prout patet ex verbis Conc. Agath. ante citatis & ratio eſt, quia poſſunt ceſſare rationes ob quas talia matrimonia redduntur illicita: quarum 1. eſt ut bene caveatur catholico à periculo perverſionis, ita ut ex pacto permittatur illi libere vivere juxta ſuam religionem 2. ut deducatur in pactum ut proles poſſint in fide catholica enutriri 3. ut abſit ſcandalum, videlicet ut id fiat in tali loco ubi paſſim viget conſuetudo contrahendi cum hæretico 4. ut ſubſit gravis aliqua cauſa potius ineundi matrimonium cum hæretico quam cum catholico, 5. ut hæreticus non ſit nominatim excommunicatus.

Dices numquam eſt licitum alicui indigno conferre Sacramentum.

Digitized by Google

Reſp. per ſe loquendo id eſſe verum: Dico tamen illud non adeo eſſe intrinſecè malum ut nullo caſu ſit licitum, prout patet ſi peccator occultus publicè petat S. Euchariſtiam: præterea non cenſetur aliquis cooperari peccato alterius, qui habet gravem cauſam aliquid faciendi, quod alter cum quo fit, malè facit, cum tamen poſſit bene facere.

DUBIUM XV.

De impedimento criminis.

Quid impedimentum criminis. PRænotandum duo eſſe crimina quæ matrimonium ſubſequens per conſtitutionem Eccleſiaſticam dirimunt, homicidium ſcilicet, & adulterium.

Quandonam homicidium dirimat matrimonium. Porro ut crimen ſolius homicidii inducat impedimentum dirimens, requiruntur hæ tres conditiones; quarum prima eſt phyſica occiſio proprii conjugis 2. ut hæc acciderit ex mutua conſpiratione eorum qui volunt inter ſe contrahere matrimonium: & eapropter ſi unus tantùm id fecerit inſcio altero, non contrahetur impedimentum dirimens.

3. Ut fiat occiſio animo contrahendi inter ſe matrimonium: & eapropter maritus qui inivit partum cum ſua ancilla occidendi propriam uxorem, eò quod ſit nimium moroſa vel avara, non contrahunt inter ſe impedimentum dirimens matrimonii: quæ omnia parent, partim ex cap. *laudabilem* de converſ. infidelium; partim ex cap. *ſuper hoc* de eò quod duxit in matrimonium &c.

Ratio autem quæ induxit Eccleſiam hoc impedimentum ſtatuendi fuit, ut tolleretur occaſio, ne unus conjugum occidat alterum, ad ineundum matrimonium cum aliquo tertio delinquente: debet autem mors ſequi cum effectu; & eapropter ſola machinatio ſine effectu non ſufficit.

Notandum autem hoc impedimentum non reddere machinantes ſimpliciter inhabiles ad quodcumque matrimonium, ſed tantum reſpectivè, ſcilicet cum illa perſona quæ ſimul cum effectu conſpiravit in mortem conjugis.

Quandonam adulterii dirimat matrimonium inter adulteros. Secundum crimen dirimens matrimonium, eſt adulterium: quod tripliciter dirimit matrimonium, prout tripliciter circumſtantionatur. Et

I Quidem dirimit matrimonium prout conjungitur cum homicidio compartis.

Porro ut hoc primo modo dirimat, requiritur ut ab utraque parte ſit adulterium formale, ſive

ut

ut utrique parti illud ſit notum: uti patet ex Cap. *Veniens*. De eo qui duxit in Matr. & eapropter ſi Petrus conjugatus commiſit adulterium cum Catharina quæ ipſum bonâ fide putavit cælibem & Petrus occidat ſuam uxorem clanculum ex intentione contrahendi cum Catharina, matrimonium erit validum cum illa, eò quod ex parte Catharinæ non fuerit adulterium formale. 2. requiritur ut adulterium ſit conſummatum. 3. ut homicidium conjugis committatur à comparte cum intentione ineundi matrimonium cum illo cum quo commiſſum eſt adulterium; quæ omnia patent ex Cap. *Si quid*: & licet in foro conſcientiæ fides adhibeatur delinquenti aſſerenti ſe occidiſſe animo ineundi matrimonium; in foro tamen externo ſemper præſumitur occidiſſe animo ineundi matrimonium, ſi poſtea matrimonium iniverit cum adultera. Porro ut hoc crimen dirimat matrimonium hoc modo, non requiritur ut uterque contrahens fuerit particeps homicidii, nam hoc modo diſtinguitur crimen adulterii à crimine ſolius homicidii.

II. Adulterium dirimit matrimonium quando ſic eſt circumſtantionatum ut conjunctum habeat promiſſionem cum complice de matrimonio ineundo.

Ad hoc autem requiritur 1. ut adulterium & promiſſio de matrimonio ineundo fiant vivente conjuge illius qui eſt complex adulterii. 2. Requiritur ut promiſſio ſit ſigno aliquo externo expreſſa & acceptata, nam ante acceptationem non eſt promiſſio, ſed nuda pollicitatio: quæ omnia patent ex cap. *finali* de eo qui. Ex quo eapropter Doctores communiter colligunt requiri ut tam adulterium quam promiſſio intervenerit durante eodem matrimonio; adeoque non ſufficere ſi in diverſis conjugiis intervenerint. Hinc patet reſponſio ad caſum quo quæritur, an Petrus & Catharina qui dant ſibi invicem fidem quod mortuis ſuis conjugibus matrimonium inter ſe contrahent: Petrus autem mortuâ uxore ſua ducit aliam, & ea vivente adulteratur cum Catharina, an inquam poſſit ducere Catharinam.

Adulterium cõjunctum cum promiſſione matrimonii, illud irritat.

Reſp. affirm. eò quod adulterium & promiſſio non contigerint in eodem matrimonio: prout & in caſu, ſi Petrus vivente viro Catharinæ adulteretur cum ipſa, & mortuo marito dent ſibi invicem fidem de matrimonio ineundo.

Petes, quid ſi Petrus & Catharina conjugata durante eodem

matri-

matrimonio ſibi invicem promiſerint matrimonium, ſed poſtea pœnitentiâ ducti reſilierint à prima promiſſione, ante ſecutam copulam, quæ deinde eſt ſecuta abſque nova promiſſione, an inter eos ſit natum impedimentum dirimens.

Reſp. negativè, eò quod data fides ſit ſublata ante ſecutam copulam: aliter dicendum eſſet ſi ſecuta promiſſione & copulâ, ſimul poſtea vellent reſilire à promiſſione, quia tunc eſt impedimentum inductum, utpote adulterium cum promiſſione.

III. Adulterium conjunctum cum matrimonio de facto invalidè inito per verba de præſenti, ut ſi adulter & adultera dicant *Ego coram Deo accipio te in meam & ego te accipio in meum*: dirimit matrimonium inter tales adulteros.

DUBIUM XVI.

De Impedimento Raptus.

Quid raptus. TErtium crimen jure novo Conc. Trid. introductum, eſt raptus, qui non eſt aliud quam violenta abductio alicujus perſonæ causâ libidinis vel matrimonii ineundi.

Quæ ad illum requirātur Ex qua definitione colligitur duo ad raptum requiri, nempe violentiam illatam ipſi perſonæ quæ abducitur, ita ſcilicet ut ipſa invita & reſiſtens abducatur, vel ſimilis violentia inferatur parentibus ejus, ſeu illis ſub quorum cura digit 2. ut illa abductio fiat causâ libidinis vel matrimonii: & eapropter ſi fœmina violentè abducatur ex cauſa reducendi illam in ſervitutem, erit plagium non verò raptus.

Notandum autem raptum committi non ſolùm quando abducitur fœmina per vim, ſive illa ſit virgo ſive non, ſed etiam quando abducitur vir.

Quis raptus dirimat matrimoniū Petes, an omnis raptus ſit impedimentum dirimens matrimonium faciatque raptorem obnoxium pœnis contra raptorem in Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. ſtatutis.

Reſp. etſi probabile ſit utrumque raptum, nempe factum ſive libidinis ſive matrimonii causâ, has cauſare: probabilius tamen eſt, hoc impedimentum non contrahi, niſi raptus fiat causâ contrahendi matrimonium cum rapta; ratio eſt, quia, prout ex textu Conc. Trid, patet, punitur raptor tantùm tamquam injuſtus violator libertatis matrimonii contrahendi; & ideo decernitur raptam reponendam eſſe in priſtinam libertatem; & quamvis Conc. Trid. expreſse hæc non reſtringat ad raptum causâ matrimonii ineundi, tamen hoc ſufficien-

Digitized by Google

ſufficienter datur intellgi ex initio capitis 6. Seſſ. 24. ſcilicet de ſolo raptu libertati matrimonii contrario ibidem eſſe ſermonem

Quæ pœna in raptores ſtatuta à Trid.

Petes, quænam pœnæ dicto capite à Conc. Trid. in raptorem ſunt conſtitutæ.

Reſp. 1. hæc quod nter ipſum & raptam non poſſit ſubſiſtere matrimonium, quamdiu rapta exiſtit in poteſtate raptoris, nec perſona rapta in loco tuto & libero eſt conſtituta, eſto etiam ipſa voluntarie conſentiret.

An illa pœna incurrâtur ante judicis ſententiam.

2 Quod raptor, item dantes conſilium, auxilium vel favorem ſint ipſo jure excommunicati & perpetuò infames & incapaces omnium dignitatum.

3 Quod raptor, teneatur raptam dotare. Circa quas pœnas.

Notandum 1. excommunicationem illam eſſe ſententiæ latæ, ſed nemini reſervatam: pœnæ autem infamiæ, ſicuti & incapacitas ad omnes dignitates, non incurruntur ante ſententiam judicis, prout nec pœna dotis; utpote arbitrio ipſius conſtituenda.

Si mulier conſenſerit in raptū an valebit matrimoniū

Petes, quid ſi ſola vis inferatur parentibus, vel illis quorum curæ filia ſubeſt, illa autem ſponte ſuâ comitetur, an erit raptus dirimens matrimonium.

Reſp. negativè, quia Concil. Trid. ſolùm voluit proſpicere libertati nuptiarum; & eſto dum vis infertur parentibus filia interim conſentiente & ſua ſponte comitante, appelletur raptus jure civili, non tamen jure canonico, in quo raptus ſolum dicitur ille, quo violentia infertur perſonæ raptæ: & hic ſolus conſtituit impedimentum dirimens.

Petes, an aliquis tertius non poſſit cum rapta validè inire matrimonium pro illo tempore quo eſt conſtituta in poteſtate raptoris.

Reſp. affirm. eò quod pœna Conc. Trid. ſit conſtituta contra raptorem & raptam, non verè contra raptam & alium qui non rapuit.

Petes an non ſubſiſtat matrimonium ſi rapta liberè in illud conſentiat antequam loco tuto reſtituatur.

Raptus dirimit matrim. quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris, eſto conſentiat in illud.

Reſp, neg. eò quod Concil, Trid. reddat omnem conſenſum puellæ raptæ inefficacem ad matrimonium cum raptore ineundum ante actualem & realem ſeparationem ab eo; prout patet ex textu quo dicitur „ quod ſi „ rapta à raptore ſeparata, & in „ loco tuto & libero conſtituta „ illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem „ habeat „: ex quibus verbis patet non poſſe ſubſiſtere matrimonium quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris, quamvis illa con-

conſenſerit: alias enim nulla fuiſſet ratio à Concilio hæc verba adjiciendi.

Pœnæ incurrũtur etiã ſecuto matrimonio.

Petes, an raptor incurrat pœnas à Conc. Trid. conſtitutas eſto raptam poſtmodum ducat in uxorem.

Reſp. affirm. quia illæ incurruntur etiam ante matrimonium initum cum rapta: neque eſt textus qui declarat eas per ſubſequens matrimonium aboleri.

QUÆSTIO VIII.

De Divortio.

DUBIUM I.

Quid Divortium & quotupliciter accipiatur.

Quid divortiũ, & quotuplex.

DIvortium eſt legitima ſeparatio viri ab uxore & uxoris à viro.

Accipitur tripliciter: 1. pro ſeparatione quoad thorum tantum.

2. Pro ſeparatione quoad thorum & habitationem tantum.

3. Pro ſeparatione quoad thorum, habitationem & vinculum matrimoniale; & hoc tertio modo accipitur à Juriſperitis tit. de Divort.

Porrò propriè & famoſè accipitur à Theologis, pro ſeparatione quoad thorum & habitationem tantum.

DUBIUM II.

An Divortium ſit licitum.

DIco pimò conjuges per ſe loquendo, obſtrictos eſſe ſibi invicen cohabitare; quæ obligatio cohabitandi oritur in ipſis ex naturâ contractus matrimonialis, vi cujus obligantur ſibi invicem reddere debitum, & prolem debite educare, quæ fieri non poſſunt ſine cohabitatione. Et eapropter Gen. 2. ait primus noſter parens: *Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & Matrem & adhærebit uxori ſuæ*, volens illis indicare obligationem, quam habet maritus cohabitandi uxori ſuæ.

Petes, an ergo maritus non poſſit diu abeſſe ab uxore ſua.

Reſp. negativè, nempe ſine gravi & juſta cauſa, ſine qua, ſi hoc faciat mortaliter peccabit; quod ſi tamen ob cauſam juſtam, ſive publicam ſive privatam id faciat, ut puta ſi ob negotia domeſtica diu domo abeſſe cogatur, aut ad militiam à principe vocetur, non peccabit.

Petes; an uxor teneatur comitari virum mutantem ſuum domicilium.

Reſp. affirmativè, per ſe loquendo; quia cum vir ſit caput mulieris, competit ipſi adminiſtratio

ſtratio familiæ, quam proinde invitâ uxore poteſt aliò transferre, quæ conſequenter ex obligatione viro cohabitandi, illum tenetur ſequi.

Dixi per ſe loquendo, quia per accidens ab hâc obligatione poteſt eſſe immunis, ut puta, ſi ex hac ſequela, ipſi immineat periculum in anima, in corpore vel in fama.

Ex quibus concluditur, conjuges à ſe invicem per ſe loquendo, non poſſe ſeparari quoad thorum & habitationem, adeoque divortium per ſe loquendo, eſſe illicitum.

Poteſt divortium eſſe licitum. Dico 2. de fide certum eſt, fideles matrimonio conjunctos poſſe à ſe invicem quoad thorum & habitationem ex juſta cauſa ſeparari, quamvis non quoad vinculum matrimoniale.

Probatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. can. 8. his verbis, „ſi „quis dixerit Eccleſiam errare, „cum ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quoad „thorum ſeu quoad habitationem ad certum incertumve „tempus fieri poſſe decernit, „anathema ſit.

Probatur 2. ex Matth. 19. ubi Chriſtus ait, *quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem & aliam duxerit mœchatur*.

Per adulterium non diſſolvitur matrimonium quoad vinculum. Porro quod hoc intelligi debeat de dimiſſione quoad thorum & habitationem, non verò quoad vinculum matrimoniale, fide certum eſt; adeoque, quidquid obganniant hæretici, conjux innocens non poteſt, ob adulterium à comparte commiſſum, ab eo quoad vinculum ſeparari; prout noviſſimè definivit Conc. Trident. ſeſſ. 24. can. 7. & manifeſtè patet ex Apoſt. 1. ad Corinth. 7. dum ait, *iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus uxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit*, nempe ex juſtâ & gravi cauſa, *manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*.

Petes, an ſola fornicatio ſeu adulterium compartis poſſit eſſe cauſa divortii.

Reſp. hanc ſolam quidem Chriſtum exprimere Matth. 19, idque quia hæc ſola eſt, quæ oritur ex naturâ contractus matrimonialis, eò quod frangenti fidem fides meritò frangatur eidem; præter quam tamen per accidens adhuc plures aſſignantur, de quibus agemus Dubio ſequenti.

An Conjux innocens poſſit propria authoritate facere divortium, à comparte, quæ commiſit adulterium, an verò prærequiratur ſententia judicis.

Reſp. & dico primo quando conjux innocens eſt moraliter

 certus

Digitized by Google

certus de adulterio alterius, eo ipſo eſt liber à redditione debiti, poteſtque ab eo ſeparari quoad thorum, etiam ante ſententiam judicis. Ratio eſt, quia in matrimonio ſubeſt tacita conditio, ut frangenti fidem fides frangatur eidem; quod verum eſt, etiamſi adulterium eſſet plane occultum.

An divortium fieri poſſit ſine authoritate judicis.

Porro ſi adulterium ſit notorium, ita ut nulla poſſit tergiverſatione celari, poterit quoque conjux innocens, propriâ authoritate, facere divortium, ſeque ſeparare à comparte non ſolùm quoad thorum, ſed etiam quoad habitationem idque ante omnem judicis ſententiam, ſepoſito ſcandalo. Ratio eſt, quia ejuſmodi notoreitas æquivalet ſententiæ.

Petes, an adulterium compartis, ſemper ſufficiat ad faciendum divortium.

Reſp. negativè; non enim tunc quando uterque conjux commiſit adulterium, prout patet ex cap. *Significaſti* de divortiis. & ratio eſt, quia paria delicta mutuâ compenſatione abolentur.

Ita neque conjux innocens poteſt facere divortium à nocente, quando illum ſibi ante reconciliavit, & injuriam per adulterium commiſſam condonavit: porro hæc condonatio fieri poteſt dupliciter, ſcilicet expreſsè, quando nimirum verbis affirmat ſe remittere injuriam illatam 2. tacitè, ut puta quando ſignis aut factis ſignificat ſe condonare. Ut ſi certò ſciens illius adulterium, illum equidem apud ſe detineat, in eodem lecto dormiat, oſcula & amplexus permittat. Ratio eſt, quia hæc ſunt manifeſta ſigna amicitiæ, quæ etiam in aliis injuriis ſignificant tacitam remiſſionem.

DUBIUM III.

Quæ ſint aliæ cauſæ ob quas ſit licitum facere divortium.

Suppono ex ante dictis tamquam fide certum, licere ob alias juſtas cauſas ab adulterio diſtinctas, facere divortium: ita enim definitur à Tridentino ſeſſ. 14. can. 8. „Si quis dixerit Eccleſiam errare cum ob multas „cauſas ſeparationes inter con„juges, quoad thorum ſeu quo„ad cohabitionem ad certum in„certumue tempus fieri poſſe „decernit, anathema ſit „ quod ratio confirmat, quia tranſlatio dominii corporis in ordine ad generationem, quæ fit in matrimonio non tribuit tale jus, ut compartem obliget quocumque caſu alteri cohabitare, cum manifeſto corporis & animæ periculo.

Ob quas cauſas licitum ſit facere divortiū

Ita-

Digitized by Google

Itaque dico primo; Hæreſis eſt una ex cauſis ob quam licitum eſt facere divortium; fundatur autem hæc in periculo perverſionis conjugis Catholici, patetque ex cap. ultimo de converſ. conjugat. & cap. *De illâ* de divort.

Porro ſub hæreſi comprehenditur omnis infidelitas in quam labitur compars poſt baptiſmum. Porro non tantùm licet comparti innocenti tunc facere divortium, ſed etiam ad hoc tenetur ſubſiſtente periculo perverſionis, niſi nocens velit reſipiſcere, quod ipſi conceditur jure naturæ; quippe quod dat jus & obligationem vitandi proximum animæ periculum.

Secunda cauſa eſt ſævitia conjugis; dum hæc eſt tanta, ut abſque gravi periculo corporis non poſſit illi cohabitare: quod addo, quia divortium eſt res gravis, adeoque requirens gravem metum mali inferendi.

Porro ad divortium ex hâc cauſa faciendum, non ſolum ſufficit periculum vitæ, ſed etiam moleſta valde cohabitatio, graves diſcordiæ, & frequentia jurgia.

Poterit proinde his poſitis conjux innocens à judice petere ſeparationem; quinimo ſi urgeat periculum, ita ut ſibi nequeat conſulere, niſi per fugam, poterit propria authoritate illam inire, & tamdiu ſeparatim vivere, quam diu durat hujuſmodi morale periculum ſævitiæ.

Tertia cauſa ex quâ licet facere divortium, eſt quando conjux nequit cohabitare ſuæ comparti, ſine gravi animæ ſuæ periculo, ut puta, dum illam inducit ad peccandum mortaliter, quippe cum jure naturæ licitum ſit cuicumque, cavere periculum grave tam corporis quam animæ: & certè ſi ſit licitum facere divortium à conjuge leproſo, ſi timeatur infectio corporis, multò magis illud licebit, ſi timeatur infectio animæ.

Ex quo patet, uxorem habere juſtam cauſam ſe à viro divertendi, ſi ille ſit leno ſuæ uxoris, aut illam pertrahat ad peccata contra naturam, aut alia gravia: hoc tamen divortium non poteſt naturâ ſuâ eſſe perpetuum, prout idquod fit per adulterium, ſed tantum ad tempus, dum ſcilicet durat inductio ad peccatum: quippe cum tantùm ob periculum perverſionis excuſetur conjux à cohabitatione, quo ceſſante tenetur reverti ad cohabitandum comparti.

Petes, quid ſi vir non conetur uxorem ſuam pervertere, ſed tamen ſit totus criminoſus, an uxor non poterit ob hujuſ modi

crimina ab illo facere divortium.

Reſp. per ſe loquendo negativè, niſi forſitan ſit probabilis ſpes hujuſmodi virum corrigendi, ſi uxor ad tempus illum derelinquat, quo caſu ad hoc tenebitur ex præcepto correctionis fraternæ: idem pariformiter dic de viro reſpectu uxoris crimi-noſæ.

RECOLLECTIO.

Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum & faucibus meis ſcaturiginem ſuſpiriorum atque gemituum ad dignè deplorandum opprobria, ſacrilegia & injurias, quæ promiſcuè Sacramento Matrimonii ab ipſis conjugibus inferuntur. Docet nos, Domine Deus, Apoſtolus tuus electus Paulus, loquens de Matrimonio Adæ & Evæ, ex latere Adæ formatæ, illud eſſe Sacramentum magnum, ad Epheſ. 5. ego autem, *inquit*, dico in Chriſto & in Eccleſia. *Siquidem conjunctio illa indiſſolubilis viri cum fœmina, ſignum eſt conjunctionis illius inſeparabilis, qua tu ut ſponſus, Amore pleniſſimus, Eccleſiæ tuæ ſponſæ conjungeris, & illa tibi viciſſim in charitate & fidei ſinceritate adhærret, ut numquam tu eam poſſis repellere, nec illa te poſſit in perpetuum deſerere.*

Porrò confert hoc Sacramentum ex liberalitate tua gratiam copioſam, iis omnibus à quibus dignè in tuo ſancto timore ſuſcipitur, ad prolis procreationem & educationem, qui juxta Raphaëlis Angeli tui inſtructionem conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum à mente ſuâ non excludant, neque ut loquitur junior Tobias, luxuriæ causâ conjugem ſuſcipiunt, ſed poſteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum in ſæcula. Sed proh dolor quam pauci tales reperiuntur! conveniunt imò concurrunt plerumque ad invicem conjuges, non ſicuti rationales homines, amore prolis, neque ut Chriſti fideles, in timore Domini, ſed tanquam irrationabiles pecudes, ſicut inquam equus & mulus, quibus non eſt intellectus, in ardore libidinis, tanquam Diaboli mancipia, ad voluptates ſuas

ſuas carnales explendas & ita fit, ut pauciſſima, quæ inter Chriſtianos celebrantur conjugia, Sacramenti fructum participent, quin econtra infelices plerumque habeant exitus.

Proin te, Domine Deus rogo reſtitue Matrimonium in ſtatum priſtinum, ut quomodo olim in Sancto tuo timore Patriarchæ & Prophetæ ſuis copulabantur uxoribus, in omni ſanctitate & caſtitate, ſic & modò, religatis malis dæmoniis & carnis concupiſcentiis, & revertatur ad populum tuum, honorabile conjugium, & thorus immaculatus ad laudem & gloriam ſuperexcelſi nominis tui, quod eſt benedictum in ſæcula. Ita voveo & hæc omnia mea ſcripta cenſuræ Eccleſiæ, ſponſæ tuæ, quæ eſt firmamentum & columna veritatis, humiliter ſubmitto. Amen.

ERRO-

ERRORES CORRIGENDI.

PAg. 9. colum. 1. lin. 15. *in infantibus adultis.* Lege in infantibus nec adultis amentibus. Pag. 30. col. 1. lin. 18. *qui* lege quæ. Pag. 41. col. 1. lin. 18. *debeat* leg. debent. Pag. 48. col. 2. lin. 2. cap. 17. adde *Geneſ.* Pag. 56. col. 1. lin. 2. *affectus.* lege effectus. Pag. 73. col. 2. lin. 21. *Sacramenta,* lege Sacramentalia. Pag. 75. col. 1. lin. 22. *teneamur,* lege cenſeamur. Pag. 84. col. 2. lin. 4. *reperitur* lege requiritur. Pag. 102. col. l. 3. *Baptiſmo*, lege martyrio, Pag. 142. col. lin. 32. *amore* lege tempore. Pag. 162. c. 1, lin. 21. *Epiſcopus* lege Epiſcopis. Pag. 186. col. 2. lin. penult. *Panirinus* lege Panuinus. Pag. 188. col. 1. l. 1. *non* dele. Pag. 209. c. 2. l. 28. *Barius* lege Bruis. Pag. 215. col. 1. l. 5. à 325. lege 318. Pag. 226. col. 2. l. 27. *Panem,* lege penonem. ibid. l. ultim. *noluerit,* lege voluerit. Pag. 251. colum. 1. lin. 24. *niſi quod non fieret*, lege quod non fieret niſi. Pagin. 261. col. 1. lin. 27. *&*, lege quam. Pag. 268. col. 2. l. 18. *confitendi*, lege communicandi. Pag. 273. col. 1. lin. 23. *immunditie*, lege munditiei. Pag. 277. c. 2. *Dub.* 2. lege Dub. 3. Pag. 387. col. 2. lin. 5. *elici ab habente*, lege elici niſi ab habente. Pag. 294. col. 2. l. 21. *error* lege terror. Pag. 576. in marginali 2. dele *non.* Pag. 618. col. 2. lin. 20. *affirmativè* lege negativè. Pag. 770. col. 2. lin. 24. *invincibilis*, lege, etiam vincibilis.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Quæ in hoc Volumine continentur.

A

ABSOLVERE.

ABſolvendus eſt moribundus qui dat ſolum ſigna contritionis 509.
Item qui talia ſigna non poteſt dare, modo Chriſtiane vixerit 510.
An abſolvi poſſit qui in flagranti delicto incidit in impotentiam confitendi. ibid.
An incola unius loci abſolvi poſſit à Paſtore alterius loci. 524
Valet abſolutio ab eo qui habet titulum coloratum cum errore communi. 527
Vid. V. *Pœnitentiæ miniſter. Confeſſarius. Paſtor.*
Adulterium. Vid. V. *Crimen. Divortium.*

AFFLICTIO.

NOn omnes afflictiones juſtorum ſunt pœnæ peccatorum ipſorum. 439

AFFINITAS.

QUid ſit. Inter quos conſiſtat. 937. 938
Ex qua copula oriatur. 937. 941
Affinitas non parit affinitatem. 939
Quomodo computandi gradus affinitatis. 938
Affinitas quo jure dirimat matrimonium. 939
Ex copula licita dirimit matrimonium uſque ad quartum gradum incluſive. ibid.
Ex illicita copula ſolum ad ſecundum incluſ. 939. 941
Affinitas ſuperveniens matrimonio quos effectus pariat. 940
An oriatur affinitas ex matrimonio rato non conſummato. 942
Illud impedimentum dirimit matrimonium ad quartum gradum incluſive 942
An oriatur ex matrimonio invalido. ibid

ALTARE.

AD celebrationem miſſarum neceſſarium eſt altare. 355
In Eccleſia licitum eſt celebrare in altari portatili. ibid.
Quandonam altare fixum aut portatile amittat conſecrationem. ibid.
Quòmodo altare debeat eſſe ornatum. 356
Attritio vid V. *Contritio.*

APPROBATIO.

APprobatio neceſſaria eſt ut ſacerdos poſſit à peccatis mortalibus abſolvere. 531. 538
A quo illa obtinenda. 531
Approbatus in una Diœceſi non eſt approbatus ubique. 532
Habens beneficium curatum cenſetur ubique approbatus. 534
Obtinens beneficium curatum non indiget alia approbatione. 536
Poteſt Epiſcopus etiam Paſtorem revocare ad examen. 537
Approbatio poteſt dari cum limitatione. ibid.
Etiam Regularibus. ibid.
Approbatio ſemel data poteſt revocari 535
An ſi ſine cauſa revocetur valeat revocatio. 535
Non tenetur Epiſcopus etiam capacem approbare, ſi ſufficiant alii Confeſſarii. 538
Vid verb. *Pœnitentiæ miniſter. Regulares.*

Gggggg *BAPTIS-*

Digitized by Google

B

BAPTISMUS.

Quid ſit. 95
Baptiſmus proprie dictus eſt unicus. ibid.
Quid Baptiſmus flaminis & ſanguinis. ibid.
Baptiſmus eſt Sacram. n. l. à Chriſto inſtitutum. 96
Ante paſſionem quando à Joanne eſt Baptiſatus. 97
Non tamen fuit neceſſarium ad ſalutem ante paſſionem Chriſti. ibid.
Quæ differentia inter Baptiſmum Chriſti & Joannis. 98
Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem in re vel voto. 98. 125
Etiam neceſſitate præcepti adultis. 99
Etiam iis qui per contritionem ante fuerint juſtificati. ibid.
Quandonam illud præceptum obliget adultos. 99. 103
Baptiſmus re ſuſceptus eſt parvulis neneceſſarius ad ſalutem. 99
Excepto caſu ſolo martyrii. 99. 102

BAPTISMI MATERIA.

Alia remota, alia proxima & quæ. 104
Aqua artificialis; cereviſia: nix, aut glacies non eſt ſufficiens materia baptiſmi. ibid.
Tenetur miniſter adhibere aquam benedictam dum haberi poteſt. ibid.
In caſu neceſſitatis licitum eſt baptiſare in aqua dubia, dum certa non poteſt. 105
Et tunc baptiſandum ſub conditione. ibid.
An ſic baptiſatum rebaptiſari oporteat. ib.
Ablutio debet fieri juxta ritum Eccleſiæ in qua baptiſatur. ibid.
Quanta quantitas requiratur ad ablutionem. ibid.
Quæ corporis pars ſit abluenda. ibid.
Quod ſi aqua crines tantum aut veſtes tangat, baptiſmus incertus eſt, ac proinde iterandus. 106
Ablutio debet fieri à baptiſante. 108
In neceſſitate projiciens prolem in puteum & proferens verba, validè baptiſat. Committit tamen homicidium. ibid.
Qui prolem cadentem in aquam videt, licet formam proferat, invalidè baptiſat. ibid.

BAPTISMI FORMA.

Quæ eſſe debeat. 109
In illa debet actio miniſtri exprimi. ibid.
Unde ſi unus abluat & alter formam proferat, nihil fit, 109. 119.
Forma baptiſandi Græcorum *Baptiſetur ſervus Chriſti &c.* Intelligitur imperativè, & non deprecativè. 110
Debet exprimi perſona baptiſanda. ibid.
Nemo ſeipſum poteſt validè baptiſare. ib.
In forma debet exprimi unitas divinæ eſſentiæ & trinitas perſonarum. 111
Idque per nomina ſignificantia proprietates relativas. ibid.
Baptiſmus collatus in nomine tantum Chriſti eſt invalidus. 112
An valeat collatus ſub hac forma, *ego te Baptiſo in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. & B. Virginis.* 15

BAPTISMI MINISTER.

Ex officio ſolus eſt ſacerdos. 116
Nec omnis, ſed qui juriſdictionem habet ordinariam aut delegatam. 116
Paſtori nondum Sacerdoti non competit ex officio baptiſare. 117
Simplex ſacerdos ſine licentia extra neceſſitatem baptizans peccat peccato injuſtitiæ. ibid.
Sacerdos extra neceſſitatem baptiſans ſine ſolemnitate peccat mortaliter. ibid.
Item ſi omittat in baptiſmo cæremoniam notabilem. 118
Laicus baptiſans extra neceſſitatem peccat mortaliter. 117
Diaconus ſolemniter baptiſans extra neceſſitatem fit irreg. 118
Non ita ſi ſolùm privatim baptizet. ibid.

Parens

Digitized by Google

Parens in neceſſitate baptiſans filium legitimum non privatur jure petendi debitum. ibid.
Secus ſi baptiſat extra neceſſitatem. 120
Miniſter in neceſſitate baptiſans contrahit cognationem ſpiritualem cum prole & ejus parentibus. 118
Filium proprium illegitimum baptiſans in neceſſit. illam contrahit cum matre ejus. ibid.
In caſu neceſſitatis quilibet poteſt validè baptiſare. 120
Servandus tamen ordo ut laicus præſente clerico non baptiſet. ibid.
An duo ſimul poſſint eundem baptiſare. 119
Vide V. *Miniſter Sacramenti.*

BAPTISMI SUBIECTUM.

OMnis homo poteſt & debet baptizari. 125
Baptiſmus datus infanti invitis parentibus eſt validus. 126
Infidelium filii adulti petentes baptiſmum licitè baptiſantur invitis parentibus. ibid
Infantes eorum infidelium qui à fide receſſerunt licitè baptiſantur invitis parentibus. ibid.
An etiam pueri infidelium ſubditorum Chriſtiano Principi. 127
Pueri infidelium non ſubditorum Chriſtiano Principi non poſſunt ordinariè baptiſari invitis parentibus. ibid.
Quomodo baptiſandum monſtrum conſtans duplici capite humano. ibid.
Item illud de quo dubitatur an ſit homo. ibid.
An baptiſari poſſit adultus qui non petito baptiſmo incidit in amentiam. 128
Quando pueris dandus baptiſmus. 128. 135
Quando adulti obligentur præcepto baptiſmi. 128
An proles baptiſari poſſit in utero matris. 107
Quid agendum Paſtori dum prægnans moritur. ibid.
Non licet matrem licet certo morituram occidere: ut proles baptizari poſſit 107.
Niſi eſſet juſte ad mortem damnata 108.
Quo caſu debet ordinarie differri ſupplicium uſque poſt partum. ibid.

DISPOSITIONES EX PARTE BAPTIZANDI.

AD valorem baptiſmi in adultis requiritur eorum conſenſus. 129.
Sufficit interpretativus. 130.
Sufficit conſenſus metu etiam gravi extortus. ibid.
Ad valorem baptiſmi non requiritur fides in ſuſcipiente. 125. 130.
Eſt tamen neceſſaria adulto ad effectum baptiſmi. 130.
Uti & contritio de peccatis commiſſis. ibid.
Non ita de ſolo peccato originali. ibid.
Quorum articulorum fides neceſſaria in baptizando. 131.
Quid agendum cum judæis aut hæreticis qui baptiſari petunt. 131.

BAPTISMI EFFECTUS.

QUi & quot ſint. 132.
Baptiſmus delet omnem prorſus culpam. 132.
Et pœnam peccatis debitam. 133.
Cur pænalitates per illum non auferantur in hac vita. 134
Baptiſmus rite diſpoſitis confert gratiam habitualem & cæteras virtutes. 134.
Et inſuper propriam gratiam actualem. 135.
In parvulis omnibus confert æqualem effectum. ibid.
In adultis inæqualem pro inæqualitate diſpoſitionis eorum. ibid.
Inprimit characterem indelebilem. ibid.
Quis dicatur fictus accedere ad baptiſmum. 63. 136.
Per quid auferri poſſit illa fictio. ibid.
Sublata fictione per quid remittantur peccata ficti. 137. 459.

Digitized by Google

CÆREMONIÆ BAPTISMI.

QUæ cæremoniæ adhibendæ in baptiſmo. 137
Quid ſingulæ ſignificent. 137. 139.
Uſus illarum eſt in Eccleſia antiquiſſimus 137.
Peccat mortaliter miniſter omittens notabilem cæremoniam in baptiſmo. 118

BAPTISMI ITERATIO.

BAptiſmus validè collatus eſt irreiterabilis. 113.
Quando rationabiliter dubitatur an fuerit validus, ſub conditione eſt iterandus. ib.
Quale dubium ad hoc ſufficiat. 114.
Pueri expoſititii etſi habeant ſignum aliquod accepti baptiſmi, ſunt ſub conditione baptizandi. 115.
Uti & infantes domi ab obſtetrice baptiſati. ibid.
Non poſſunt Paſtores extra neceſſitatem proles domi baptiſare. 116.
Qui cum fundamento dubitat an ſit validè baptiſatus, tenetur iterum baptiſari ſub conditione. 19. 20.

BENEFICIATVS.

OBligatus ad miſſas ratione beneficii, illas tenetur applicare juxta intentionem fundatoris. 338.
An poſſit illas miſſas anticipando perſolvere. 333. 345.
An poſſit illas curare perſolvi ab alio aſſignata tantum parte fructuum beneficii. 337.
Quid ſi onus miſſarum excedat fructus beneficii. 338.
Quid ſi per morbum impeditus fuerit à celebratione Miſſarum an teneatur per ſe vel alium eas perſolvere. 342.
Beneficiatus obligatus legere in certo loco aut altari, an ſatisfaciat legendo alibi. 344.

BERENGARIVS.

AUthor hæreſis Sacramentariorum. 208
Damnatur à diverſis pontificibus & Conciliis. 209
Ejus in fine vitæ fidei profeſſio. 209. 215.

C

CÆREMONIÆ.

CÆremoniæ circa Sacramenta cur ab Eccleſia inſtitutæ. 91
Impiè traducuntur ab hæreticis tamquam ſuperſtitiones. 91. 139
Graviter peccat miniſter qui ſine juſta cauſa illas omittit. 92. 367
Unde colligatur quandonam ſit peccatum mortale aliquam cæremoniam omittere. ibid.
In adminiſtratione Sacramentorum tenetur quilibet ſeruare ritum ſuæ Eccleſiæ Diœceſanæ. 92
Quæ cæremoniæ adhibendæ in baptiſmo. 137
Quid illæ ſignificent. 138
De Cæremoniis Miſſæ vid. v. *Miſſa.*
Calix vid. v. *Miſſa.*

CARACTER SACRAMENTALIS.

QUid ſit. 43
Eſt qualitas realis. ibid.
Tria Sacramenta imprimunt caracterem. 41
Cur per illa potius quam per alia Sacramenta. 42
Quomodo diſtinguatur à gratia ſanctificante. 43
Eſt indelebilis. 44
In omnibus æqualis. ibid.
Manet etiam poſt hanc vitam in bonis & malis. ibid.
Caracter confirmationis ſupponit neceſſario caracterem baptiſmi. Et eſt ab illo diverſus. 160
Caracter baptiſmi non deletur in ſagis. 45

CASVVM RESERVATIO.

IN Eccleſia eſt poteſtas caſus reſervandi. 571
Illa fundatur in natura judicii. 572
Cur expediat reſervare caſus certos graviores. 573

Digitized by Google

Relaxata reſervatione caſuum, relaxata eſt pariter Eccleſiæ diſcipiina. ibid.
Quid reſervatio caſuum. 574
Quid caſus reſervatus. 573
Reſervatio non debet fieri ſine gravi cauſa. 574
An reſervatio facta ſine cauſa ſit valida. ibid.
In mortis articulo nihil eſt reſervatum. 575
Venialia non reſervantur. ibid.
Nec mortalia ſolum interna; licet poſſint. ibid.
Nec mortalia dubia. 576
Nullum eſt peccatum Pontifici reſervatum niſi ratione cenſuræ reſervatæ. 577. 585
Caſus reſervati Pontifici ex Bulla cœnæ. 578
Abſolvens à talibus ſine licentia, excommunicatur. 579
Alii caſus Pontifici reſervati extra Bullam cœnæ. 580
A caſibus Papæ reſervatis, ſi ſint occulti, poteſt Epiſcopus abſolvere. ibid.
In quibus caſibus poſſit Epiſcopus abſolvere à reſervatis Pontifici. 581. 640. 653
Qui caſus reſerventur in Provincia Mechlinienſi. 582
Qui reſervati Epiſcopo Leodienſi, & Namurcenſi. 583
Qui caſus reſerventur Prælatis Religioſorum. 584
Qui habeant facultatem caſus reſervandi. ibid.
Qui poſſint abſolvere à reſervatis. 585
An poſſit illa abſolutio concedi extra Sacramentum. ibid.
Reſervatio caſuum non expirat morte reſervantis. 587
Qui dubitat an habeat poteſtatem abſolvendi à reſervatis, illicitè abſolvit. 588
Licitè abſolvet ſi dubitet ſolum an peccatum ſit reſervatum. 589
Regulares vi ſuorum privilegiorum non poſſunt abſolvere à reſervatis. ibid.
Non poteſt Confeſſarius abſolvere aliquem à reſervatis, eo ſolum titulo, quia hic inſcriptus eſt certæ Confraternitati. 586
Qui à Papa habet facultatem abſolvendi à reſervatis, an poſſit abſolvere à reſervatis Epiſcopo. 587
Extra mortis periculum poteſt quandoque ſimplex Confeſſarius abſolvere indirectè à reſervatis. 592
Pœnitens ſic abſolutus tenetur poſtea ea reſervata confiteri alteri habenti facultatem à reſervatis 593
Qui in confeſſione oblitus eſt peccati reſervati an cenſeatur ab eo abſolutus. 576. 594
Habens reſervata & alia non reſervata an poſſit abſolvi à ſolis reſervatis. 594
An unum reſervatum poſſit tolli ſine alio. ibid.
Qui tempore Jubilæi invalide confeſſus eſt, an cenſeatur abſolutus à reſervatis. 577
Quibus caſibus caſus Papales fiant Epiſcopales. 581. 641
Habens facultatem ab Epiſcopo abſolvendi à caſibus reſervatis, non poteſt abſolvere à cenſuris ab illo latis. 587
Quid agendum Confeſſario non habenti facultatem à reſervatis quando pœnitens illa confitetur. 592

CAUSA.

Quid cauſa moralis. 36

CENSURA ECCLESIASTICA.

Quid ſit, & unde dicta. 629
Quotuplex ſit. 631
Alia eſt à jure, alia ab homine inflicta: Item alia ſententiæ latæ, alia ferendæ. ib.
Et unde hoc dignoſci poſſit ibid.
In dubio cenſeri debet ſententiæ tantum ferendæ. ibid.
Ferre cenſuram ſolum competit Eccleſiaſticæ juriſdictioni. 632

Cenſura non incurritur niſi propter peccat mortalia externum & contra præceptum Eccleſiæ commiſſum. 634. 635
Non poteſt infligi cenſura ob peccatum mere internum. 635
Non poteſt ferri cenſura in non ſubditum. 633
An poſſit ferri in ſubditum abſentem à territorio. ibid.
Ut cenſura feratur à judice requiritur trina prævia monitio. 636
Non ita ut incurratur à jure. 637
Cauſa excuſans à peccato, excuſat à cenſuræ incurſu. ibid.
Quæ ignorantia excuſet ab incurſu cenſuræ. ibid. 638
Ad quid teneatur ligatus injuſta cenſura. 639
Quis poſſit abſolvere à cenſuris. 639
Poteſt Epiſcopus abſolvere ab omni cenſura occulta. 640
Et etiam à publica Papæ reſervata in certis caſibus. 641
Quandonam cenſenda cenſura eſſe occulta. 640
In periculo mortis nulla cenſura eſt reſervata & quo ſenſu. 641
Abſolutus à cenſura ob periculum mortis ad quid teneatur. ibid.
Forma abſolutionis à cenſuris. 643
Vid. verb. *Excommunicatio*, *Interdictum*, *Suſpenſio*.

CHARITAS.

PRo objecto formali habet Dei bonitatem. 391
Quid intelligatur per Dei bonitatem. ibid.
Varii gradus charitatis actualis. ibid.
Quid charitas perfecta, quid imperfecta. 392
Charitas actualis poteſt conſiſtere cum peccato mortali. 395
Vide verb. *Contritio*.
Chriſma vid. *Confirmationis materia*.

CHRISTVS.

PRo omnibus mortuus eſt quoad ſufficientiam, licet non quoad ad efficaciam. 39
Chriſtus inſtituit materiam & formam omnium Sacramentorum novæ legis. 10
Circumſtantiæ. vid. v. *Confeſſio*.

CIRCVMCISIO.

NOn fuit inſtituta primario ad delendum peccatum originale. 48
Sed ut eſſet ſignum diſtinctivum populi Judaici. ibid.
Non contulit gratiam ex opere operato. 51
An fuerit Sacramentum veteris legis. 50
Parvulis in illa remittebatur peccatum originale. 51
Cur fiebat in membro genitali. ibid.
Quo inſtrumento fiebat. 52
In quo loco fiebat. 52

CLAVES.

POteſtas clavium duplex, ordinis & juriſdictionis. 516
Utraque requiritur ad validam abſolutionem à peccatis. 517
A quo detur ſacerdoti poteſtas juriſdictionis. ibid.

CLERICVS.

CUr ita dictus. 748
Quia rceantur à clericatu. 749
Obligantur clerici geſtare coronam & veſtes clericales. ibid.
Quid ſignificet corona. ibid.
Privilegia clericorum. 750
Qui clerici illis gaudeant. ibid.

COGNATIO LEGALIS.

QUid ſit 946
Dirimit matrimon. & inter quos. ibid.

COGNATIO SPIRITVALIS.

QUid ſit. 942
Inter quos contrahatur. 943
Non oritur inter ſuſceptorem & ſuſceptricem. ibid.
Eſt impedimentum dirimens jure Eccleſiaſtico. 943
Quę requiſita ad illam contrahendam. 944
Vid.

Digitized by Google

Vid. verb. *Patrinus.*

CONDITIO.

COnditio an poſſit apponi contractui matrimoniali. 856
Matrimonium initum ſub conditione an & quando ſit ratum. 857. 858
Conditio appoſita contractui. Vid. verb. *Matrimonium.*

CONFESSARIUS.

IN foro pœnitentiæ ſubit officium judicis & medici. 491
Quæ qualitates in confeſſario requiſitæ. 540
Debet eſſe approbatus 531 & ſequentibus.
Quæ ſcientia ipſi neceſſaria. 542
Quanta item prudentia. 544
Ut licite abſolvat debet eſſe in ſtatu gratiæ. 540
In ſtatu p. m. exiſtens toties mortaliter peccat quot ſunt perſonæ quas abſolvit. 541
Validè tamen abſolvit. ibid.
Quantam diligentiam teneatur adhibere in examinando pœnitente. 547. & ſequentibus.
Quid agendum cum pœnitente ignorante neceſſaria ad ſalutem. 550. 565
Qualiter interrogare debeat pœnitentem circa credenda 550
Item circa dilectionem Dei & proximi. 553
Circa præceptum dandi eleëmoſynas. 554
Circa odium proximi. 556
Circa hæreſim. 560
Item illos qui dubitant de valore præteritarum confeſſionum. 557
Et eos qui ſolent nonniſi venialia confiteri. 558
Qualiter examinare debeat ſuccubos aut incubos, Sagos, maleficos. 561
Debitores, caupones, foro cedentes. 563 568.
Detractores, perjures, turpiloquos. 564. 565.
Item in officio aliquo conſtitutos. 571.
Confeſſarius dubitans an pœnitens ſit legitime diſpoſitus, non poteſt illum abſolvere extra neceſſitatem. 466.
Confeſſarius invalide abſolvit abſentem. 467.
Quandoque abſolvere poteſt eum qui non eſt integre confeſſus. 468.
Non eſt id licitum ob magnum concurſum populi. ibid.
Quid agendum Confeſſario advertenti ſe aliquem invalide abſolviſſe. 468. 469.
Si Confeſſarius omittat monere pœnitentem de obligatione reſtitutionis, an ipſe tenebitur reſtituere. ibid.
Si quem cogat reſtituere quod non debet, huic obligabitur. ibid.
Quid illi agendum cum conjugibus quando novit matrimonium eſſe nullum. 890. 896. & ſequent.
Confeſſarius qualiter ad ſigillum obligetur. 596. 604.
Tenetur pœnitentias proportionatas peccatis injungere. 620.
Tenetur ſcire Canones pœnitentiales. ibid.
Confeſſarius peccans cum pænitente qualiter peccet. 501.
Quibus competat facultas eligendi Confeſſarium. 523.

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

QUid ſit. 471.
Cujus virtutis ſit actus. 472.
Eſt jure divino neceſſaria ad ſalutem. ibid.
Non eſt ex ſolo jure Eccleſiaſtico introducta. 474.
Quam confeſſionem Nectarius ſuſtulerit ab Eccleſia Conſtantinop. 473.
Confeſſionis variæ virtutes. ibid.
Quandonam obliget præceptum divinum Confeſſionis. 475. 476.
Quinam illo obligentur. ibid.
Quæ debeant eſſe qualitates confeſſionis. 482.

Digitized by Google

An ſcripto fieri poſſit. 467.
Si quis confiteri nequit niſi ſcripto, an ad hoc obligetur. 486.
Confeſſio poteſt fieri per interpretem. 485.
Nullus tamen ad hoc obligatur extra mortis periculum. ibid.
Confeſſio debet eſſe integra ſaltem formaliter ut ſit valida. 468. 490.
Ob quas cauſas licitum ſit aliquando non integre confiteri. 468.
Ad valorem Sacramenti non ſemper requiritur integritas materialis confeſſionis. 49. 505.
Quæ diligentia adhibenda in examine conſcientiæ. 492.
An & qualiter abſolvendus moribundus qui loqui non poteſt. 509.
Ut confeſſio ſit integra debent explicari omnes ſpecies peccatorum mortalium commiſſorum. 493.
Item eorum numerus. 495.
Qualiter numerus ille ſit exprimendus. 496.
Circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſunt explicandæ. 498.
Et quæ. 500.
Peccata dubia an & qualiter in confeſſione explicanda. 502.
Qui ex cauſa juſta reticuit peccatum mort tenetur illud poſtea confiteri. 507.
An quis teneatur exprimere peccatum quod non poteſt niſi manifeſtando complicem. 507. 508.
Confeſſio informis quæ dicatur, 487
An talis dari poſſit ibid.
Confeſſio irrita eſſe poteſt vel ex parte confitentis, vel ex parte abſolventis. 511.
Confeſſio facta ſacerdoti juriſdictionem non habenti, eſt irrita. 513.
An confeſſio facta indocto ſacerdoti ſit valida. ibid.
Poteſt confeſſio eſſe valida in qua tacitum eſt aliquod peccatum mortale. 498. 488. 505. 512.
An omnes confeſſiones ſubſequentes irritam, ſint ſemper repetendæ. ibid.
Ex præcepto Eccleſiæ tenentur fideles dum ad annos diſcretionis pervenerunt & mortaliter peccarunt, ſemel in anno confiteri. 476. 480.
Quandonam aliquis cenſendus perveniſſe ad annos diſcretionis. 481.
Quid agendum cum pueris de quibus dubitatur an pervenerint ad annos diſcretionis aut mortaliter peccaverint. ibid.
Præceptum confeſſionis annuæ implet qui intra anni ſpatium ſemel confitetur 477. 478.
Quomodo debet ille annus computari. 477.
Præceptum illud per ſe non obligat tempore Paſchali. ibid.
Qui prævidet ſe non habiturum occaſionem confitendi poſtea, tenetur jam confiteri. 478.
Qui omiſit confiteri intra annum, adhuc obligatur illo præcepto. ibid.
Talis anno ſequenti confitens, ſatisfacit obligationi utriuſque anni. 479.
Qui toto anno non peccavit mortaliter non obligatur illo præcepto. 480.
Qui peccatum mort. commiſit tenetur illud intra annum confiteri, etſi eſſet confeſſus venialia. 477.
Non ſatisfit præcepto annuæ confeſſionis per confeſſionem invalidam. 479
Quas pœnas incurrant transgreſſores illius præcepti. 477

CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM.

Quid ſit. 149
Eſt Sacramentum novæ legis. 147
Varia ejus nomina. ibid.
Et immediatè à Chriſto inſtitutum, in ultima cœna. 148
Non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. 149
Eſt tamen in præcepto graviter obligante. 149. 150

Digitized by Google

Debet poſt baptiſmum ante alia Sacramenta ſuſcipi. 151.
Fit irregularis qui ante confirmationem ordinatur. ibid.
Debet ſuſcipi in ſtatu gratiæ. ibid.

EIVS MATERIA ET FORMA.

MAteria ejus remota eſt Chriſma. 151
Quid Chriſma. ibid.
Balſamum eſt de neceſſitate materiæ confirmationis. ibid.
Chriſtus docuit Apoſtolos in ultima cœna Chriſma conficere, 152
Apoſtoli confirmantes uſi ſunt Chriſmate. 153
Chriſma debet neceſſariò ab Epiſcopo eſſe benedictum. 154
Materia ejus proxima eſt unctio Chriſmatis facta in modum crucis in fronte. 155
An & quæ manuum impoſitio requiratur ad hoc Sacramentum, ibid.
Quæ ſit forma hujus Sacramenti. 156

SVBIECTVM.

COnfirmandi ſunt omnes baptizati. 165
Pueris olim ſtatim poſt baptiſmum dabatur confirmatio. ibid.
Modò tamen ex conſuetudine Eccleſiæ non ſunt confirmandi ante uſum rationis. ibid.
An perpetuò amentes ſint confirmandi. 157
Confirmandi adulti dum ſunt in periculo mortis. ibid.
Confirmandus adultus debet habere intentionem Sacramentum ſuſcipiendi. 158
Debet eſſe in ſtatu gratiæ. ibid.
In confirmatione adhibendus Patrinus. ib.

CONFIRMATIONIS EFFECTVS.

PRimarius eſt augmentum gratiæ ſanctificantis. 159
Effectus ejus proprius ſunt gratiæ actuales roborantes ad fidem fortiter profitendam. ibid.
Item character. ibid.

EIVS MINISTER.

ORdinarius eſt ſolus Epiſcopus conſecratus. 161
Poteſt confirmare ſibi non ſubditos. ibid.
Tenetur Epiſcopus ſuis ſubditis illud Sacramentum miniſtrare. ibid.
Cur in confirmatione alapam impingat 162
Simplex ſacerdos ex commiſſione Pontificis poteſt confirmare. 154. 162
Epiſcopus non poteſt hoc concedere. 163

CONIVGES.

EX duabus ſolum cauſis licitè utuntur conjugio, causâ generandi prolem, & reddendi debiti. 850
Venialiter peccant ſi cauſâ voluptatis contrahant, aut coëant. 847. 848
Delectatio carnalis in actu matrimoniali non eſt ſem per peccaminoſa. 850
Peccat martaliter conjux qui cognoſcendo uxorem delectatur circa aliam. 852
Item cognoſcens uxorem extra vas naturale. ibid.
Aut alio modo præternaturali. 853
Aut exercēdo actus impudicos cū periculo pollutionis ſine ordine ad copulam. ibid
Tenentur taliter peccantes in confeſſione exprimere circumſtantiam conjugii 852
Peccat venialiter maritus utens uxore gravida. 855
An teneatur ſemper conjux reddere debitum alteri petenti. 856. 902. 903
An conjux ignara impedimenti debeat deſuper moneri à Confeſſario. 896
An debeat credere comparti aſſerenti matrimonium eſſe nullum. 903
Qualis certitudo mortis prioris conjugis requiratur ad aliud matrimonium ineundum. 905
An conjux dubitans de valore matrimonii bona fide contracti poſſit debitum petere & reddere. 902
An idem poſſit ſi matrimonium fuerit mala fide contractum. 903
An conjux invitâ comparte poſſit ſe in ſervum vendere. 923

zed by Google

An votum caſtitatis emiſſum ſine conſenſu compartis ſit validum. 927

CONSANGVINITAS.

Quid ſit. 933

Quid ſtipes, linea, gradus in conſanguinitate. 934

Quomodo computandi gradus conſanguinitatis. 935

Conſanguinitas in primo gradu dirimit matrimonium jure naturæ. 936

In linea recta probabiliter dirimit matrim. etiam ultra quartum gradum. ibid.

In linea collaterali dirimit matrim. uſque ad quartum gradum incluſivè jure Eccleſiaſtico. ibid.

Conſecratio. Vid. V. *Miſſa*.

CONTRITIO.

Quid ſit. 385

Unde dicta. 384

Contritio eſt formaliter dolor de peccatis. 385

Non requirit neceſſariò dolorem in appetito ſenſitivo. 380. 405

Non eſt Sacramentum. 5

Eſt actus imperatus à pœnitentia & elicitus à charitate. 383

Ad contritionem ſalutarem requiritur Dei amor. Et quidem ſuper omnia. 386

Illo enim ſolo poteſt excludi voluntas peccandi. 387. 400

Non ſemper debet eſſe expreſſus & formalis Dei amor. 387. 487

Ad veram contritionem non ſufficit amor Dei concupiſcentiæ. 393

Nec quivis amor Dei benevolentiæ. ibid.

Motivum contritionis poteſt eſſe quodlibet Dei attributum 390

Ad contritionem requiritur propoſitum non peccandi de cætero. 388

An illud debeat eſſe formale & expreſſum. ibid.

Ad contritionem requiritur formalis dolor de peccatis, nec ſufficit virtualis tantùm. 390

Dolor poteſt dupliciter dici virtualis. ibid.

Contritio ad delendum peccatum actuale ſemper fuit neceſſaria. 142

Non poteſt eſſe contritio de uno peccato mortali & non de alio cómiſſo. 386. 436

Quandonam contritio virtualis de peccato ſufficiat ad ejus remiſſionem. 389. 420. 434

Non omnis contritio ex amore Dei ſuper omnia ſemper juſtificat extra Sacramentum. 393

Reſpondetur ad objectiones in contrarium. 395. 396

An contritio charitate perfecta ſemper juſtificet extra Sacramentum. 396

Dupliciter intelligi poteſt contritio eſſe charitate perfecta. ibid.

Quibus caſibus contritio imperfecta juſtificet extra Sacramentum. 398

Numquam juſtificat ſine voto Sacramenti. 472

Ad juſtificationem adulti etiam cum Sacramento requiritur contritio ex amore Dei ſuper omnia. 399

Solus amor Dei ſuper omnia valet excludere voluntatem peccandi, quod requiritur ad contritionem ſalutarem. 387. 400

Attritio ſervilis tantum, non ſufficit ad juſtificationem etiam cum Sacramento. 401

Nec talis valet excludere voluntatem peccandi. 403

Oppoſita ſententia eſt periculoſa in praxi. 404

Contritio debet eſſe dolor appretiativè ſummus. 406

Ut ſit talis non debet in particulari fieri comparatio ad alia mala. 407

Nec hoc conſultum eſt ſaltem infirmis. ib.

Contritio debet eſſe dolor intenſivè ſummus. 408

An debeat eſſe de ſingulis peccatis commiſſis. 411

Non debet multiplicari pro numero peccatorum. 412

Debet

Digitized by Google

Debet eſſe major de peccato majori. 40.
An cenſenda ſit eſſe contritio in eo qui dicit ſe dolere quod non ſatis doleat 413
Quæ præparatio ad veram contritionem eliciendam ſit neceſſaria. 452
Contritio vera non in verbis conſiſtit ſed in affectu. 453
Formulæ diverſæ eliciendi contritionem. 454
Non ſtatim quis cenſendus contritus qui ejuſmodi formulam recitavit. ibid.
Non omnis contritio ſemper confert gratiam juſtificantem. 311. 143. 393.
Contritio ſaltem naturâ debet præcedere confeſſionem Sacramentalem. 413
Contritio in Sacram. Pœnitent. eſt diſpoſitio & pars. 414.
Contritio in peccatore adulto eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii. ibid.
Et neceſſitate præcepti ibid.
Quandonam illud præceptum obliget peccatorem. 415. 417.
An ſit ſpeciale peccatum non ſtatim conteri poſt commiſſum mortale. 416.
Contritio requiritur ad remiſſionem cujuſcumque peccati actualis. 420. 434
An ſit neceſſaria formalis de eo contritio. ibid.
Contritio poteſt remittere unum veniale ſine alio. 423.
Contritio non ſemper remittit totam pœnam. 96.
Contritio eſt actus arduus. 452.
Et effectus ſpecialis Dei gratiæ. 427.

CORPUS.

Poteſt idem corpus ſimul eſſe in pluribus locis. 132 234.
Poteſt eſſe ſine extenſione locali. 233.
Poteſt idem corpus ſimul eſſe in pluribus locis circumſcriptive, ibid.
Homo replicatus ſi in uno loco Deum diligat, etiam diliget in alio loco, 236.
Non poteſt in uno loco eſſe hæreticus in alio catholicus ibid.

Corpus Chriſti. Vid. V. *Euchariſtia.*
Communicare. Vid. V. *Euchariſtia.*

CRIMEN.

Quid impedimentum criminis dirimens matrimonium. 952
Eſt duplex homicidium & adulterium. ibid.
Quæ conditiones requiſitæ ut homicidium conjugis ſit impedimentum dirimens. ibid.
Adulterium conjunctum cum occiſione alterius conjugis. dirimit matrimonium inter adulteros 954.
Et quæ conditiones ad hoc requirantur. 955.
Adulterium conjunctum cum promiſſione matrimonii, illud dirimit. 955.
Quæ conditiones ad hoc requiſitæ. ibid.
Adulterium conjunctum cum matrimonio de præſenti, dirimit ſubſequens matrimonium inter adulteros. 956.

CULTUS DISPARITAS

Eſt impedimentum dirimens matrimonium & quo jure. 952.
Validum eſt matrimonium catholici cum hæretica. ibid.
An eſſe poſſit licitum. ibid.

D.

DAMNATI.

Non poſſint juvari precibus fidelium. 318.
Fabuloſum eſt aliquos damnatos precibus fidelium fuiſſe liberatos à pœna inferni. ibid.
Non poteſt Deus hominem juſtum damnare in æternum. 439.

DEGRADATIO.

Quid ſit. 639.
Quæ ejus forma. ibid.
Ob quæ crimina ſit facienda. 660
Non eſt cenſura Eccleſiaſtica. ibid.
Denuntiatio. Vid. V. *Matrim. clandeſt.*

DIACONUS.

Quid Diaconatus, quæ ejus materia & forma. 756.

Digitized by Google

Non eſt certum Diaconatus ordinem eſſe Sacramentum. 747
An Chriſtus determinaverit ejus materiam ibid.
Quodnam ſit officium Diaconi. ibid.
Diaconus miniſtrans in ſtatu peccati, mortalis peccat mortaliter. 73

DIMISSORIALES.

AD quos ſpectet eas concedere. 782
Diſpenſatio vid. V. *Epiſcopus. Matrim. Impedim.*

DIVES.

TEnentur divites ex ſuperfluis dare eleemoſynas. 554
Quæ cenſenda ſint ſuperflua. 555
Ad hoc maximè obligantur Eccleſiaſtici.
Etiam in communi neceſſitate. ibid.

DIVORTIUM.

QUid ſit. 958
Aliud eſt quoad thorum tantum, aliud quoad thorum & habitationem, aliud quoad vinculum. ibid.
Divortium per ſe eſt illicitum. ibid.
Ex cauſa tamen juſta poteſt fieri licitè. 959
Ob adulterium conjux innocens poteſt facere divortium. ibid.
Etiam propria authoritate. ibid.
Non tamen ſemper. 560
Poteſt fieri divortium ob alias cauſas. 961
Matrimonium non diſſolvitur quoad vinculum ob adulterium. 959

DOMICILIUM.

QUid requiratur ad abſolutum domicilium. 873
Quandonam contrahatur domicilium ut quis ratione illius fiat ſubditus. 522. 523. 781
Quale domicilium requiratur ut quis ibi contrahere poſſit matrimonium. 874. 877

E

ECCLESIA.

NOn poteſt immutare eſſentialia Sacramentorum. 53
Eccleſia ſex modis poteſt violari. 349
1. Per homicidium voluntarium injuſtum in ea factum. ibid.
2. Per injurioſam ſanguinis effuſionem. ibid.
3. Per illicitam ſeminis effuſionem. 350
4 Per ſepulturam excommunicati vitandi. ibid.
5. Aut non baptizati. 351
6. Si major pars ejus ſimul deſtruatur. ib.
Ut Eccleſia per aliquod illorum violetur, debet factum eſſe publicum. ibid.
Violatâ Eccleſiâ, cæmiterium eſt violatum; non econtra. ibid.
Violata Eccleſia per quem poſſit reconciliari. ibid.
Non eſt cenſenda reconciliata per hoc quod in ea celebrata ſit miſſa. 352
Poteſt in Eccleſia violata celebrari miſſa ex conceſſione Epiſcopi. ibid.
Quid agendum ſacerdoti ſi tempore miſſæ Eccleſia violetur. ibid.
Eſt peccatum mortale celebrare in Eccleſia violata ſine licentia. ibid.
Eccleſiæ immunitas. Vide *Immunitas.*

EPISCOPUS.

EPiſcopatus eſt ordo diſtinctus à ſacerdotio. 759
Ejus materia & forma. 760
Ad ordinandum Epiſcopum ſufficit unus Epiſcopus ex diſpenſatione Pontificis. ibid.
Epiſcopus originis, domicilii, & beneficii 781
Epiſcopi nemini debent manus cito imponere. 762. 784
Poſſunt abſolvere à caſibus Papæ reſervatis quando ſunt occulti. 581. 640. 653

Digitized by Google

Etiam hoc poſſunt quandoque in publicis. 641. 654
Ex gravi cauſa poſſunt diſpenſare in impedimentis occultis ante contractum matrimonium. 914
Imo etiam poſt contractum matrimonium. 915

ERROR.

Error perſonæ invalidat matrimonium, non ſic alia Sacramenta & cur. 90 920
Privatus error miniſtri non invalidat Sacramentum. 836
Error in quo differat ab ignorantia. 920
Error antecedens facit actum involuntarium, non ita concomitans. 920
Vid. V. *Matrim. Imped.*

EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM.

Est maximum inter novæ legis Sacramenta. 165
Diverſa nomina quibus illud Sacramentum appellatur. 166
Eſt à Chriſto inſtitutum in ultima cœna. 167
Et ob quas rationes ſit inſtitutum. 168
In quo formaliter conſiſtat illud Sacramentum. 169. 170
Non conſiſtit in actione tranſeunte ut cætera Sacramenta. 169. 173
Eſt adorandum cultu latriæ. 170. 173
Quo ſenſu ſpecies dicuntur Sacramentum. 170.
Corpus Chriſti ſub ſpeciebus habet rationem formæ, ſpecies rationem materiæ. 171.
Euchariſtiæ Sacram. dupliciter conſiderari poteſt; in fieri, & infacto eſſe. 172.
Sub priori conſideratione panis & vinum eſt ejus materia ex qua, verba conſecrationis ejus forma efficiens. ibid.
Cur ſumptio hujus Sacramenti non ſit Sacramentum. ibid.
Qua ratione Euchariſtia vocetur modò unum, modò plura Sacramenta. 174.
Sumens tantùm unam ſpeciem accipit integrum Sacramentum. 175.
An plures hoſtiæ conſecratæ ſint plura Sacramenta. ibid.

EUCHARISTIÆ MATERIA.

Materia ejus alia remota alia proxima. 181.
Materia remota in hoc Sacramento eſt tranſiens, proxima remanens; econtra in aliis Sacramentis. 182.
Materia remota eſt ſolus panis triticius uſualis, & vinum de vite. 181 183.
Debet panis ille eſſe confectus ex aqua naturali & coctus. ibid.
Panis ex ſpelta, avena, hordeo, non eſt materia Euchariſtiæ. ibid.
Uti nec panis ſiligineus ſaltem probabiliter ibid.
Qualis figuræ debet eſſe hoſtia conſecranda. 184.
Acetum, agreſta, &c. Non ſunt materia valida hujus Sacramenti. ibid.
Muſtum eſt materia valida, ſed illicita. ibid.
An validè poſſit conſecrari in vino congelato. 185.
Cur potius quam validè baptiſari in aqua congelata. ibid.
Vino eſt admiſcenda aqua, idque ſub præcepto graviter obligante. 192.
Non tamen eſt de neceſſitate Sacramenti. ibid.
Debet admiſceri in modica quantitate. 193.
An illa aqua ſimul cum vino immediate convertatur in ſanguinem. ibid.
Qualiter materia debeat eſſe præſens ut conſecrari poſſit. 195.
Particula inſenſibilis ſeorſim exiſtens non poteſt conſecrari. 197.
Secus dum eſt conjuncta toti ſenſibili. ibid.
Particula inſenſibilis conſecrata remanet etſi ſeparetur. ibid.
Materia conſecranda debet determinari à conſecrante. 189.

Unde ſi quis ex decem hoſtiis vellet in confuſo tantum quatuor conſecrari nihil efficeret. ibid.

Sacerdos videns duas hoſtias, putans tantum eſſe unicam, utramque conſecrat. 198.

An guttæ ſeparatim adhærentes calici, ſimul ſint conſecratæ. ibid.

Validè conſecratur ſive in fermentato, ſive in azymo pane. 188. 216.

Tenetur tamen ſacerdos Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſervare. ibid.

Unde orta diverſitas quoad hunc ritum inter Græcam & Latinam Eccleſiam. ibid.

Rationes congruentiæ pro ritu Rom. Eccleſiæ. ibid.

Chriſtus conſecravit in pane azymo. 189.

An Græcus in Latina celebrans debeat in azymo celebrare. 190.

An ad miniſtrandum viaticum ægro liceat celebrare in fermentato ſi deſit azymus. 191.

Illicitum eſt tantum unam ſpeciem conſecrare. 186.

Eſtque contra jus divinum. Nec poteſt pontifex in eo diſpenſare. ibid.

Si ſacerdos deficiat poſt conſecrationem unius ſpeciei, debet alius ſacerdos etſi non jejunus Sacrificium perficere. 187.

Peccat ſacerdos ſi hoſtiam quam conſecravit non ſumat. 184.

EUCHARISTIÆ FORMA.

Quæ ſit. 200

Quæ verba ſint de eſſentia utriuſque formæ. 202. 203

Pronomen *hoc* quid demonſtret in forma panis. 204

Quis ſenſus verborum formæ calicis. ibid

Converſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

Primis 600. annis in Eccleſia univerſaliter credita eſt vera tranſſubſtantiatio. 207

Joannes Scotus & Berengarius primi authores hæreſis Sacramentariorum. 208.

Qui contra eos ſcripſerint. ibid.

Berengarii Damnatio à diverſis Pontificis & Conciliis, & in fine vitæ fidei confeſſio. 209. 215

Corpus & ſanguis Chriſti eſt verè & realiter præſens in Euchariſtia. 210

Probatur illa veritas ex verbis conſecrationis. ibid.

Ex Conciliis. 215

Ex SS. Patribus per ſingula ſæcula. 217

Solvuntur objectiones hæreticorum prolatæ ex Scripturis. 223

Solvuntur objectiones petitæ ex SS. Patribus. 226

Quo ſenſu dicant PP. Euchariſtiam eſſe ſignum corporis Chriſti. 227

Si Eccleſia ab initio non credidiſſet realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, impoſſibile fuiſſet quod ad illam fidem tranſiviſſet. 229. 230

Solvuntur objectiones petitæ à ratione. 232

Panis & vinum tranſſubſtantiantur in corpus & ſanguinem Chriſti. 236

Poſt conſecrationem non remanère panem & vinum in Euchariſtia, probatur. 237

Chriſtus eſt totus ſub qualibet parte ſpeciei conſecratæ. 242

Chriſtus tamdiu remanet ſub ſpeciebus conſecratis, quamdiu non ita corrumpuntur ut ſub illis remaneret panis & vini ſubſtantia. 244

Qualiter deſinat corpus Chriſti eſſe præſens ſub ſpeciebus dum corrumpuntur. ibid.

Quas actiones poſſit exercere corpus Chriſti quatenus eſt in Euchariſtia. 246

An poſſit ibi pati ab agente extrinſeco. 247

Apparitiones miraculoſæ in Euchariſtia dupliciter fieri poſſunt. 248

An quando apparet puer aut caro, ibi ſit Chriſtus. 249

Tales apparitiones poſſunt eſſe illuſoriæ ibid.

Quid agendum ſacerdoti dum poſt conſecratio-

Digitized by Google

rationem contingit talis apparitio in ſpeciebus. 250
Accidentia panis & vini poſt conſecrationem remanent. ibid.
Quantitas panis & vini eſt extra omne ſubjectum cætera accidentia in illa ſubſiſtunt. ibid.
Quomodo ex ſpeciebus illis generetur aliquod corpus. 252

EUCHARISTIÆ NECESSITAS.

Eucharistia realiter ſuſcepta non eſt parvulis neceſſaria ad ſalutem. 177
Nec etiam eſt adultis neceſſaria neceſſitate medii. ibid.
Euchariſtiæ votum nec parvulis nec adultis neceſſarium eſt neceſſitate medii ad primam juſtificationem. 178
Quo ſenſu Patres dicant Euchariſtiam eſſe parvulis neceſſariam ad ſalutem. 179. 181
Euchariſtia in re vel voto eſt adultis neceſſaria ad conſervationem juſtitiæ. 179
Votum illud debet eſſe explicitum. 180
Non ſufficit votum generale incluſum in voluntate implendi mandata Dei. ibid.

EUCHARISTIÆ EFFECTUS.

Enumerantur ſpecialiter octo. 252
Euchariſtia confert gratiæ augmentum. ibid.
Non eſt inſtituta ad conferendam primam gratiam. 253
Aliquando tamen illam confert. 254
Poteſt quis ſuſcipiendo Euchariſtiam non peccare, & tamen per illam non ſuſcipere gratiam. ibid.
Quas gratias actuales conferat. 255
Non omnes communicantes æqualiter illas accipiunt. 256
Habet vim minuendi concupiſcentiam. ib.
Qualiter Euchariſtia valeat ex opere operato ad venialium remiſſionem, 258
Per illam homo unitur Chriſto, ibid.
Cauſat corporum reſurrectionem. 259
Non cauſat illos effectus niſi dum realiter manducatur. ibid.
Qui tamdiu ſpecies in ore detinet donec ibi totaliter corrumpantur antequam deglutiat, propriè non manducat Euchariſtiam. 259
Et talis graviter peccat, 244. 260
Euchariſtia tamdiu producit ſuos effectus quamdiu ſpecies in ſumente remanent. 260
Sumens plures hoſtias conſecratas ſimul, vel majorem, non accipit per ſe majorem gratiam. 176. 261
An communicans ſub utraque ſpecie accipiat majorem gratiam quam qui ſub una tantum. 176

Diſpoſitiones requiſitæ in ſumentibus Euchariſtiam.

Eucharistia ut producat ſuos effectus requirit in ſumente actualem devotionem. 262
Sumens illam cum diſtractione veniali non percipit augmentum gratiæ. 263
Ex quo non ſequitur quod peccet mortaliter. 61. 62. 263
An peccet venialiter qui cum peccato veniali communicat. 267
Triplex modus ſumendi Euchariſtiam. 264
Ad dignè communicandum non ſufficit ſola fides. 265
Requiritur ſtatus gratiæ. ibid.
Cur ſumens Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis potius peccet mortaliter quam illam aſpiciens. ibid.
Conſcius ſibi peccati mortalis ante communionem debet præmittere confeſſionem. 267
Idque ex præcepto divino. 261
Niſi in caſu quo adeſſet juſta neceſſitas communicandi, & deeſſet copia Confeſſarii. ibid.
Quandonam cenſenda juſta neceſſitas communicandi. 268. 269. 271
Quandonam cenſeatur deeſſe copia Confeſſarii. 269
Religioſus non cenſendus carere copia Confeſſarii ſi poteſt confiteri ſacerdoti ſæculari. 270

Quid

Quid ſi quis habeat caſum reſervatum, aut peccatum quod timet confiteri præſenti ſacerdoti ibid.
Communicaturus non habens copiam Confeſſarii debet elicere contritionem ſuorum peccatorum. 271
Et ſi ſit ſacerdos qui ita celebravit, tenetur ſtatim poſtea confiteri. ibid.
Non habens copiam approbati, non tenetur confiteri non approbato. 271
Dubius de peccato mortali tenetur illud confiteri. 272
An pollutio impediat à ſuſceptione Euchariſtiæ. 273. 275. 277
An actus conjugalis impediat à communione. 277
Euchariſtia extra caſum neceſſitatis ſumenda tantum à jejunis. 279
Idque ex traditione Apoſtolica. ibid.
Dubitans an aliquid ſumpſerit poſt mediam noctem non poteſt illo die communicare. 281
Quibus caſibus non jejuno liceat communicare. 282
Non licet ſacerdoti non jejuno conſecrare, ut detur viaticum infirmo. 283
Amentibus, dæmoniacis, pueris, an licitum ſit miniſtrari Euchariſtiam. 248. 288

OBLIGATIO SVMENDI EVCHARISTIAM.

OBligantur homines communicare ex præcepto divino. 285
Illud præceptum per ſe obligat in periculo mortis conſtitutum. ibid.
Eſto aliquot diebus ante illud periculum communicaſſet. 286
Illud præceptum etiam obligat extra mortis periculum. ibid.
Obligat autem omnes qui ad annos diſcretionis pervenerint, etſi non baptiſatos. ibid.
Surdus & mutus à nativitate poteſt quandoque licitè admitti ad Euchariſtiam. 278. 288
Quid ſi quis inciderit in amentiam & dubitetur an ſit in ſtatu gratiæ. 288. 289
Peccator publicus ante publicam emendationem non eſt admittendus ad Euchariſtiam. 289
Infectis peſte quomodo miniſtranda Euchariſtia. ibid.
Item ægroto non valenti os aperire. 290
Ex præcepto Eccleſiæ obligantur omnes fideles adulti in Paſchate ſingulis annis communicare in propria Eccleſia. 291
Quamdiu duret tempus Paſchale. ibid.
Qui illo tempore non communicavit, obligatur quamprimum communicare. ibid.
Poteſt tamen ex Conſilio Confeſſarii differri communio ultra tempus Paſchale. ibid.
Non ſatiſfit præcepto illi per communionem ſacrilegam. 292
Qui prævidet ſe impediendum à communione tempore Paſchali, an teneatur prævenire. ibid.
Non ſatisfaciunt laici illi præcepto, communicando in Eccleſiis Regularium. 293
Vagi & habentes diverſa domicilia, ubi communicare debeant. ibid.
Miniſtrare Euchariſtiam competit ſolis habentibus ad hoc facultatem. 294
Peccant Regulares ſine Paſtorum licentia deferentes viaticum ad ægrotos. 295
Peccat mortaliter ſacerdos in peccato mortali diſtribuens Euchariſtiam. 72
An expediat frequenter Euchariſtiam ſumere. 295

EXCOMMVNICATIO.

QUid ſit. 943.
In quo differat ab anathemate. ibid.
Alia major alia minor. ibid.
Qui ſint effectus excommunicationis. 647
Quibus bonis privet excommunicatio. 644
Quæ ſint communia Eccleſiæ ſuffragia. ib.
Non licet miniſtro in perſona Eccleſiæ applicare illa ſuffragia excommunicatis. 645.

Licet

Digitized by Google

Licet tamen privatim pro illis orare. 321. 645. 647.
Excommunicatio alia à jure alia ab homine. 645.
Qui ſint excommunicati tolerati, & qui vitandi. ibid. & 77.
Quis cenſendus excommunicatus denuntiatus. 646.
Solus excommunicatus nominatim, & notorius percuſſor clerici eſt vitandus. 77. 651
Quinam comprehenduntur nomine clerici. 651
Quandonam cenſeatur violenta injectio manuum. ibid.
Quæ requirantur ad illam excommunicationem incurrendam. 652
An & qui cooperantes illam incurrant. ib.
Quænam percuſſio cenſenda levis, gravis, enormis. 653
Quis poſſit ab illa excommunicatione abſolvere. ibid.
Quandonam percutiens clericum excuſetur ab excommunicatione. 654
Quæ excommunicationes reſervatæ Pontifici. 578. 579
Quibus caſibus liceat Epiſcopis ab illis abſolvere. 581
Quæ ignorantia excuſet ab incurrenda excommunicatione. 638
Excommunicatus poteſt validè conficere Sacramenta. 66
An extra caſum neceſſitatis poſſit validè abſolvere. 648
Clericus excommunicatus exercens actum ordinis fit irregularis. 650
Excommnnicati probibentur à communione fidelium. 636
Non tenentur tamen fideles vitare omnes excommunicatos. ibid.
Extra caſum neceſſitatis aut juſtæ cauſæ non licet petere Sacramentum ab excommunicato etiam tolerato. 77
In ſolo caſu extremæ neceſſitatis licitum eſt Sacram. Baptiſmi & Pœnitentiæ petere ab excommunicato denuntiato. ibid.

F

FICTIO.

Quis dicatur fictus accedere ad Sacramentum. 63. 236
An fictio impediat effectum Sacramenti. 63
Ficté accedens ad Sacramentum peccat mortaliter. 64
An recedente fictione Sacramentum producat ſuum effectum. 64. 65. 136
Quis proprie dicatur fictus accedere ad baptiſmum. 136
An illa fictio tolli debeat per Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.
Per quid deleantur peccata hominis qui cum fictione baptiſmum accepit, quando illa fictio tollitur. 137
An illa fictio ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ. 459

FIDES.

Sola non ſufficit ad juſtificationem 23
Quo ſenſu Scriptura dicat hominem juſtificari per fidem. ibid.
Quæ ſint neceſſario credenda ad ſalutem. 551

FORMA SACRAMENTORUM.

Conſiderari poteſt duplex, una, in verbis, alia in ſignificatione ipſorum conſiſtens. 6
Forma Sacramentorum eſt à Chriſto determinata. 10. 12
Nec illam poteſt Eccleſia immutare ſubſtantialiter. 10
Quandonam aliqua forma cenſeatur ſubſtantialiter immutari. 13
Forma Sacramenti debet eſſe moraliter conjuncta cum materia. ibid.
Immutare ſubſtantialiter formam in adminiſtratione Sacramenti per ſe eſt peccatum ſacrilegii. 18
Adhibere formam dubiam eſt grave peccatum. ibid.
Id tamen licet in caſu neceſſitatis. 19

Digitized by Google

Forma non poteſt validè iterari ſuper eadem materia. 19. 20
Si tamen dubitetur an forma legitimè prolata fuerit, poteſt iterari. 19

FORNICATIO.

Eſt jure naturæ illicita, & cur. 825

FORUM.

IN foro interno idem judicandum ac in foro externo, niſi quando hoc innititur falſa præſumptione. 857. 900

G.

GRATIA.

GRatia propriè non creatur. 37
Producitur phiſice à Sacrumentis N. L. ibid.
Gratia eſt vita animæ. 446.
Vid. verb. *Sacramenta Charitas.*

H

HABITUS.

HAbitus charitatis & aliarum virtutum infunditur in baptiſmo. 134.

HÆRETICUS.

AN filii hæreticorum ſint irregulares in his partibus. 668.
Poteſt valide conficere Sacramenta. 69.
Valida ſunt matrimonia hæreticorum cum Catholicis. 95.
Quid cenſendum de matrimoniis clandeſtinis hæreticorum in Belgio. 875
Qualiter Confeſſario agendum cum iis qui ſe accuſant de hæreſi. 560

HONESTAS PUBLICA.

QUid impedimentum publicæ honeſtatis, & unde oriatur. 947
Dirimit matrimonium ad primum gradum tantum. 948
Ex quibus ſponſalibus oriatur. ibid.
An diſſolutis ſponſalibus ceſſet. ibid.

I

IEIUNIUM.

JEjunium naturale requiritur ut quis licite extra caſum neceſſitatis ſumat Euchariſtiam. 279
Si quis os abluendo modicum aquæ deglutiat an deſinat eſſe jejunus. ibid.
Sumptio tabaci an jejunium naturale frangat. 280
A quo tempore debeat incipere jejunium illud naturale. ibid.
Dubitans an comederit poſt medium noctis, non poteſt illo die communicare. 281

ILLEGITIMI.

SUnt irregulares. 672. 772
Quibus modis tolli poſſit illa irregularitas. 673
Irregularis validè profeſſus poteſt ordinari ſine alia diſpenſatione. 272

IMMUNITAS ECCLESIASTICA.

IMmunitas perſonarum & locorum ſacrorum eſt ex Dei ordinatione. 353
In quo differat libertas Eccleſiaſtica ab immunitate. ibid.
Quibus locis competat immunitas Eccleſiaſtica. ibid.
Quinam delinquentes non gaudeant illa immunitate. ibid.
Tales non poſſint extrahi à loco ſacro ſine conſenſu poteſtatis Eccleſiaſticæ. 354
Violans immunitatem Eccleſiaſticum ipſo facto excommunicatur. ibid.
Et eſt excommunicatio reſervata Papæ. 355

IMPOTENTIA.

QUæ impotentia dirimat matrimonium. 950
Quandonam cenſenda impotentia eſſe perpetua. 951
Impotentia perpetua reſpectiva dirimit matrimonium. 949

Alia

Digitized by Google

Alia ex maleficio, alia à cauſa naturali alia. 951
Quandonam impotentia ex maleficio cenſenda perpetua. 952

INDULGENTIÆ.

Quid ſint. 689. 691
Non ſunt pura abſolutio à pœnis. 689
Sed ſunt ſolutio per applicationem theſauri Eccleſiæ. ibid.
Quotuplices ſint indulgentiæ. 681
Quid intelligendum per indulgentias v. g. 100. annorum. 682
Eſt in Eccleſia poteſtas concedendi indulgentias. 676
Semper fuit in Eccleſia uſus indulgentiarum. 678
Rarior tamen quam nunc. 679
Indulgentiæ valeat pro remittendis pœnis purgatorii. 680
Quota remiſſio pœnæ purgatorii reſpondeat indulgentiæ v. g. centum annorum. 683
Indulgentia alia plenaria, alia plenarior, alia pleniſſima, & in quo differant. 684
In quo differant à Jubilæo. ibid.
An quis per idem opus poſſit lucrari diverſas indulgentias. 685
An eodem tempore quis lucrari poſſit diverſas indulgentias. ibid.
An indulgentia conceſſa alicui Eccleſiæ ceſſet per illius deſtructionem. ibid.
Ad valorem indulgentiarum requiritur juſta cauſa ex parte concedentis. 686
In quo conſiſtat juſtitia illius cauſæ. ibid.
Debet illa cauſa eſſe proportionata valori indulgentiarum. ibid.
Quomodo intelligendum quod indulgentiæ tantum valeant quantum ſonent. 688
Ad effectum indulgentiarum conſequendum requiritur ex parte lucrantis opus proportionatum. ibid.
Duo idem opus præſtantes non ſemper æqualem effectum conſequuntur. 689
Conceſſio indulgentiæ eſt actus juriſdictionis. 690
Qui habeant poteſtatem concedendi indulgentias. 691
Epiſcopi non concedunt Indulgentias Plenarias. 692
Ut quis lucretur indulgentias debet eſſe in ſtatu gratiæ. 693
An debeat præmitti confeſſio ad effectum conſequendum dum quis eſt in ſtatu peccati mortalis. ibid.
Debent opera præſcripta fieri in ſtatu gratiæ. ibid.
Et ex bono fine. 694
Poteſt Confeſſarius ex rationabili cauſa opus præſcriptum commutare in aliud. 695
Poteſt Pontifex concedere indulgentias pro defunctis. ibid.
Illis non applicantur per modum abſolutionis, ſed ſolutionis. 691
Nec illis infallibiliter applicantur. 695
Quibus animabus præſertim proſint indulgentiæ. ibid.
Ut quis lucretur indulgentias pro defunctis non debet eſſe in ſtatu gratiæ. 696

INGRATITUDO.

An ingratitudo relabentium in mortale poſt juſtificationem ſit circumſtantia exprimenda in confeſſione. 444. 445
An ratione illius peccata ante remiſſa redeant. 443
An ratione illius ſubſequens peccatum contrahat reatum omnium antea dimiſſorum. 445

INTENTIO.

Alia actualis, alia virtualis, alia habitualis, alia denique interpretativa. 85
Intentio actualis in miniſtro conficiente Sacramentum optima eſt non tamen neceſſaria. ibid.
Sufficit virtualis, non autem habitualis tantum. 86
Nec etiam ſolum interpretativa. 87

Intentio miniſtri debet eſſe abſoluta & non conditionata. 89
Qui intendit Petrum baptizare, & Paulum baptizat an valeat baptiſmus. 110
Requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia. 17. 83. 84
Poteſt talis intentio ſubſiſtere cum errore interno miniſtri. 17. 84
Qui loco miniſtrat Sacramentum an validè illud miniſtret. 84
Dupliciter poteſt actio aliqua jocoſe fieri. 84. 85
Ex eo quod requiratur intentio in miniſtro non ſequitur quod homines debeant eſſe anxii de validitate Sacramentorum. 85
In adultis ut validè ſuſcipiant Sacramentum requiritur intentio. 57
Non tamen requiritur actualis: ſufficit virtualis; imo quandoque interpretativa. 57
Quæ dicatur intentio habitualis. ibid.
Illa non eſt ſufficiens ad validam ſuſceptionem omnium Sacramentorum. 57. 86
Intentio ſufficiens ad valide ſuſcipiendum Sacramentum, non eſt ſemper ſufficiens ad valide miniſtrandum. 59

INTERDICTUM ECCLESIASTICUM.

Quid ſit. 660
In quo differat ab aliis cenſuris. ibid.
Interdictum aliud perſonale, aliud locale, aliud mixtum. 661
Interdictum ob quas cauſas ferri poſſit. ib.
Interdictâ civitate cenſentur interdicta ejus ſuburbia. ibid.
Interdicto loco non cenſetur interdictus populus. 662
Qui effectus interdicti. ibid.
Quis poſſit interdictum ferre. 662
An interdictus perſonaliter, debeat vitari. ibid.
Tempore interdicti an & quando liceat divinum officium facere. ibid.
Clericus violans interdictum incurrit irregularitatem. 664

IRREGULARITAS.

Quid ſit. 664
Non eſt cenſura Eccleſiaſtica. 630
Quomodo à cenſuris diſtinguatur. 664
Alia eſt ex defectu, alia ex delicto. ibid.
Non incurritur irregularitas niſi in caſibus à jure expreſſis. 665
Dubitans prudenter an ſit irregularis, non debet ſe gerere ut irregularem. ibid.
Niſi in caſu homicidii. ibid.
Irregularitas effectus qui ſint. 666
Privat uſu ordinum ſuſceptorum. ibid.
Inhabilitat ad ordines ſuſcipiendos. ibid.
Item ad acquirendum beneficium. ibid.
Non tamen privat adepto beneficio. 667
Perſonæ infames ſunt irregulares. 668
Valida eſſe poſſunt acta irregularis. 667
Ex quibus delictis incurratur irregularitas. ibid.
An filii hæreticorum ſint irregulares in his partibus. 668
Irregularitas contrahitur ex homicidio etiam caſuali. ibid.
Et ex mutilatione. 669
Quis in illa poſſit diſpenſare. ibid.
Judex juſte etiam condemnans aliquem ad mortem, & omnes qui illi morti cooperantur, fiunt irregulares. 670
Poteſt Epiſcopus in illa diſpenſare. 671
Non fiunt irregulares qui ſolum interſunt ſupplicio. 670
An accuſator in judicio ſanguinis ſit irregularis. 671
An militantes in bello juſto ſint irregulares. 672
Quæ ſint irregularitates ex defectu. ibid.
Illegitimi ſunt irregulares. ibid.
Quibus modis tollatur illa irregulatitas. 673
Bigami ſunt irregulares. 675
In illa ſolus Pontifex poteſt diſpenſare. ibid.
Expoſititii reputandi irregulares. 673
Qui monſtruoſi ſint irregulares. ibid.

IVRISDICTIO.

ALia contentioſa, alia voluntaria. 880
Contentioſa non poteſt ordinarie exerceri extra proprium territorium. ibid.
Vid verb. *Abſolvere. Confeſſarius. Claves.*

IVSTITIA.

IN quo differant juſtitia diſtributiva & commutativa. 378

IVSTIFICATIO.

IN juſtificatione reviviſcunt merita præcedentia mortificata. 448. 450
Per juſtificationem homo reſurgit ad majorem gratiam quam ante lapſum habuerat. 451

L

LEX VETVS.

QUo ſenſu dicat Apoſtolus, *ex operibus legis non juſtificatur omnis caro.* 48
Juſti qui vixerunt tempore veteris pertinebat ad legem novam. ibid
Lex nova non intelligitur ſine gratia in qua principaliter conſiſtit. 41

LIBELLVS REPVDII.

PEr libellum repudii in lege Moſaïca diſſolvebatur matrimonium. 906
Illud privilegium eſt revocatum in lege nova. 607

M

MARTYRIVM.

NOn eſt Sacramentum. 5
Non confert gratiam ex opere operato, nec ſolùm ex opere operantis, ſed ex privilegio ſpeciali. 51. 143
Quid martyrium. 140
Martyrem non facit pœna, ſed cauſa. ib.
Quæ ſit illa cauſa ob quam poſſit quis fieri martyr. ibid.
Martyrium ſine charitate nihil prodeſt. 141
Cujus virtutis ſit actus. 140
Unde Eccleſiæ conſtare certè poſſit aliquem ſuſtinuiſſe martyrium ex charitate. 141
Peccator qui ducitur ad martyrium debet ſua peccata confiteri ſi poſſit, aut ſaltem de illis conteri. 142
Ad martyrium non requiritur ut mors de facto ſequatur. 143
Quatuor martyrii gradus. ibid.
Ut infantes dicantur martyres ſufficit ſi occidantur in odium Chriſtianæ religionis. 144
Ad martyrium requiritur paſſio voluntaria. ibid.
Martyrium ſupplet defectum baptiſmi dum haberi non poteſt. ibid.

MATERIA SACRAMENTORVM.

ESt à Chriſto determinata. 10
Non tamen ſemper quoad ſpeciem. 10. 757
Alia eſt remota, alia proxima. 8
Eccleſia non habet poteſtatem immutandi materiam Sacramentorum. 10
Non licet adhibere materiam dubiam dum certa haberi poteſt. 12. 18
Sed tamen licet in caſu neceſſitatis, dum certa haberi non poteſt. 12. 19. 894

MATRIMONIVM SECVNDVM SE.

QUid matrimonium, & unde dictum. 822
Tria in matrimonio reperiuntur, contractus, jus in mutua corpora, & vinculum indiſſolubile. ibid.
In quo illorum formaliter conſiſtat matrimonium. 823
Inter B. Virginem & S. Joſeph, fuit verum matrimonium. ibid.
Ad validitatem matrimonii non requiritur neceſſario conſenſus in copulam. 824. 844
Matrimonium jure divino & naturali eſt indiſſolubile. 124. 833
Matrimonium infidelium quibus caſibus poſſit diſſolvi. 834
Initio generis humani matrimonium erat ſingulis in præcepto. 825
Secus poſt ejus ſufficientem multiplicationem. 826
An illud præceptum abſolute ceſſet. 827

Digitized by Google

MATRIMONII SACRAMENTUM.

MAtrimonium eſt novæ legis Sacramentum. 829
Significat conjunctionem duplicem Chriſti cum Eccleſia. 824
Quæ bona ſpiritualia cauſentur per illud. 830
Eccleſia non poteſt immutare ejus eſſentiam. ibid.
An ſit præſtantius virginitate. 831
Quandonam fuerit inſtitutum. 832
Matrimonium infidelium non eſt n. l. Sacramentum. ibid.
An illud fiat Sacramentum dum ad fidem convertuntur. 833
Omne matrimonium validum inter fideles, eſt Sacramentum. 835
Quid ſi contrahentes non intendant Sacramentum efficere. 836
Quæ ſit hujus Sacramenti materia & forma. 837
Contrahentes ſunt miniſtri hujus Sacramenti. 838
Matrimonia clandeſtina valida, ſunt Sacramenta. 839
Quis ſenſus illorum verborum Parochi, *ego vos conjungo*. ibid.
Peccant contrahentes matrimonium in ſtatu peccati mortalis. 149
Item fictè contrahentes. ibid.
Aut cum impedimento, clandeſtinè, aut ſine proclamationibus præmiſſis. 850

MATRIMONII USUS.

EST licitus. 827
Poteſt eſſe meritorius. 828
Peccant conjuges ob delectationem utentes conjugio. 848. 851
Non peccat qui debitum reddit petenti ex concupiſcentia. 848
Non licet petere debitum niſi cauſa ſolius generationis prolis. 850
Licitum eſt illud reddere ob duas cauſas. ib.
Delectatio carnalis non eſt ſemper peccatum in conjugibus ibid.
peccant qui ſcientes ſe ſteriles matrimonio utuntur. 851
Uſus conjugii eſt peccaminoſus dum fit ob indebitum finem. ibid.
Cognoſcens uxorem delectando ſe circa aliam adulterium committit. 852
Conjux peccans mortaliter contra naturam, tenetur circumſtantiam conjugii explicare. 852

FINIS MATRIMONII.

FInis ejus primarius eſt generatio prolis. 847
Secundarius eſt remedium concupiſcentiæ. 847. 849
Peccant venialiter ſaltem, qui ob illum ſolum ſecundarium finem contrahunt. 847
Peccant conjuges contrahentes ob malum finem. 849
An peccent ſi intendant alios fines extrinſecos. ibid.

CAUSA EFFICIENS MATRIMONII.

EST conſenſus liber contrahentium. 840
Poſſet Deus abſolute aliquos conjungere matrimonio ſine eorum conſenſu. 841
Ille conſenſus non poteſt ſuppleri ab alio ſuperiore. 841. 857. 861.
An Superior poſſit ſubditum cogere ad ineundum matrimonium. 841
Ad valorem matrimonii filiorum non requiritur conſenſus parentum. 822
Non requiritur ut conſenſus contrahentium verbis exprimatur. 843.
Quomodo ad validitatem ejus requiratur ſimultaneus conſenſus contrahentium. ib
Quod ſit objectum conſenſus contrahentium. 844.
Non eſt neceſsè ut conſentiant in copulam. ibid.
Conſenſus matrimonialis fertur in tria bona matrimonii. 845.
Qui in contractu excludit expreſſe aliquod illorum invalide contrahit. 846.

MATRIMONIUM CONDITIONATUM.

POſt Concil. Trident. matrimonium debet abſolute, & non conditionate contrahi. 846

Digitized by Google

Matrimonium propriè non poteſt eſſe conditionatum, licet poſſit contrahi per conſenſum conditionatum. 847.
Matrimonium contractum ſub conditione de præſenti aut præterito non eſt proprie conditionatum. 859.
Matrimonium initum ſub conditione turpi & contra ſubſtantiam matrimonii de præſenti aut præterito an ſit validum. ibid.
Matrimonium initum ſub conditione de futuro neceſſario eo ipſo eſt validum. ib.
Sub conditione de futuro contingenti ſuſpenditur ad eventum conditionis. ibid.
Initum ſub conditione turpi de futuro an ſit nullum. 159. 860. 861.
Quid ſi illa conditio non ſit contra bonum matrimonii. 860.
Si quis cum duabus contraxerit per verba de præſenti ſub conditione de futuro. utrum matrimonium valebit. 862.

METV CONTRACTVM.

QUis metus irritet matrimonium. 863.
Matrimonium metu gravi injuſto contractū eſt invalidum ſolo jure poſitivo. 894
Quandonam metus cenſendus injuſte incuſſus in ordine ad matrimonium. ibid.
Matrimonium initum ex metu gravi injuſtè incuſſo poteſt eſſe validum. ibid.
An valeat matrimonium juvenis ægri cum filia medici qui illum non vult curare niſi illam ducat. 866.
Metus irritat matrimonium etſi à comparte non ſit incuſſus. ibid.
Metus reverentialis poteſt irritare matrimonium. ibid.
Cur Eccleſia irritat matrimonia metu contracta. ibid.
An peccet qui metu coactus matrimonium contrahit. 867.

MATRIMONIVM CLANDESTINVM.

QUandonam dicatur matrimoniū clandeſtinum. 867.
Matrimonia clandeſtina ſemper deteſtata eſt Eccleſia. ibid.
Cur ſint illicita. 868.
Sunt invalida jure poſitivo Concilii Trid. ibid.
Quo ſenſu dicantur valida jure naturæ. 869
Cur Eccleſia illa irritet. 868. 871
Quomodo invalidentur ab Eccleſia cum illa nihil immutare poſſit quoad eſſentialia Sacramentorum. 869. 891.
Eccleſia non immutat per hoc eſſentiam Sacramenti. 890.
Sunt irrita ante declarationem judicis. 878.
Invalidum eſt clandeſtinum matrimonium etſi metu mortis aut alia neceſſitate contractum. 871
Invincibiliter ignorans decretum illud irritans equidem invalide contrahet clandeſtine. 872
Infideles validè contrahunt clandeſtine. 873
An peregrini locorum in quibus Concilium Tridentinum non eſt promulgatum valide contrahere poſſint clandeſtine in locis ubi fuit promulgatum. 874
An econtra. ibid
Quid cenſendum de matrimoniis clandeſtinis hæreticorum aut Catholicorum in Provinciis confæderatis Belgii. 875
Illicitum eſt Catholicis ibi contrahere coram miniſtro hæretico. 876
Non tamen eſt illicitum contrahere coram Magiſtratu Civili. ibid.

MATRIMONII SOLEMNITAS.

AD valorem matrimonii requiritur præſentia proprii Paſtoris aut alterius de ejus licentia. 877
Quis ſit hic proprius Parochus. ibid.
Habens domicilium in diverſis Parochiis poteſt in utravis contrahere. 878
Vagorum matrimoniis non poteſt Paſtor aſſiſtere niſi habitā licentiā ordinarii. ibid.
Etiamſi alter tantum contrahentium eſſet vagus. 879
Si contrahentes ſint ex diverſa Parochia coram

igitized by Google

coram quo Parocho debeant contrahere. 880
Poteſt Parochus aſſiſtere matrimonio ſuorum extra ſuam Parochiam. ibid.
Parochus non ſacerdos poteſt valide aſſiſtere matrimonio. 881
Si Parochus vi coactus dederit licentiam alteri aſſiſtendi matrimonio, valebit coram hoc contractum. ibid.
Non ita ſi hic fraude aut dolo licentiam obtinuiſſet. 882
Parochus valide aſſiſtit matrimonio licet prohibitus ab Epiſcopo ſuo. ibid.
Uti & excommunicatus, ſuſpenſus aut irregularis. ibid.
Qualis præſentia Parochi & teſtium requiratur ad valorem matrimonii. 883
Requiritur in illis advertentia ad contractum. ibid.
Et quidem actualis. ibid.
Non tamen requiritur ut voluntariè aſſiſtant. 884
Teſtes in matrimonio non debent eſſe qualificati. ibid.
Ante contractum matrimonialem debent præmitti denuntiationes. 885
Ubi & quoties illæ faciendæ. ibid.
Quis poſſit diſpenſare ſuper illis. 886
Ex quibus cauſis concedi poſſit illa diſpenſatio. 886. 887
Parochus omittens denuntiationes eſt ſuſpenſus ab officio ipſo facto. 887
A quo abſolvi poſſit ab illa ſuſpenſione. ibid.
Facta denuntiatione conſcii impedimenti tenentur illud denuntiare Parocho. 888
An ante talem denuntiationem non ſit præmittenda fraterna correptio. 889
Paſtor ſi ſciat extra confeſſionem ſubeſſe impedimentum occultum inter ſponſos quid agere debeat. 890. 896
Quid ſi ſponſi illud impedimentum negent. 891
An Paſtor poſſit aſſiſtere matrimonio talium ſi ſolum diſpenſatum ſit in impedimento pro foro interno. 891

MATRIMONII DISSOLUTIO.

Quæ ſit probatio impedimenti requiratur ut matrimonium impediri poſſit. 891
Quæ probatio requiratur ut jam contractum poſſit diſſolvi. 904
An ſufficiat confeſſio propria conjugum. 90[illegible]
Matrimonium in lege veteri diſſolvebatur per libellum repudii. 906
Non poteſt ſic diſſolvi in lege nova. 907
Poteſt Pontifex ex juſta cauſa diſſolvere matrimonium ratum non conſummatum. ibid.
Non poteſt abſque juſta cauſa. 908
Non ideo diſpenſat Pontifex in lege naturæ. 907
Matrimonium ratum non conſummatum diſſolvitur per profeſſionem in religione approbata 908
Jure tantum Eccleſiaſtico. ibid.
An ſponſis jurantibus ſe matrimonium non conſummaſſe ſit credendum. 910
Paſtor non debet admittere ad matrimonium ignorantes rudimenta fidei. 891
Matrimonium ratum conſummatum quo caſu poſſit diſſolvi quoad vinculum. 912
Matrimonium contractum cum falſo errore impedimenti an ſit validum. 895
Tenetur Confeſſarius admonere pœnitentem de nullitate matrimonii dum advertit illud contraxiſſe ex ignorantia culpabili. 896
Secus ſi ex ignorantia invincibili, & non ſperet fructum ex tali monitione. ibid.
Aut ſi grave incommodum timeatur. ib.
Poteſt in illo caſu Confeſſarius præcipere ut debitum reddatur. 897
Unde poterit dignoſcere an ſit ignorantia invincibilis. 898
Si pœnitens interroget de valore matrimonii tenetur Confeſſarius aperire veritatem, licet non ſperet fructum, & cur. ibid.

Conjux

Digitized by Google

Conjux conſcius impedimenti ob nullam cauſam poteſt reddere debitum. 898
Quid tali agendum quando ad hoc per judicem cogitur 899
Si conjux dubitet de valore ſui matrimonii non poteſt petere debitum. 902
An conjux debeat credere alteri conjugi aſſerenti matrimonium eſſe nullum. 903

MATRIMONII REVALIDATIO.

SI matrimonium publicè contractum irritum fuerit, ſublato per diſpenſationem impedimento, non eſt neceſſe iterum publicè contrahere. 892
Niſi impedimentum foret publicum aut publicandum. ibid.
Quomodo revalidari debeat matrimonium irritum propter aliquod impedimentum dirimens. ibid.
Sublato impedimento non ratificatur per conſenſum novum unius tantum conjugum. 893
Sed uterque debet externe renovare conſenſum. ibid.
Non tamen debet neceſſariò manifeſtari nullitas parti ignoranti. 894
Niſi pars ignara aliter induci non poſſet ad renovandum conſenſum. ibid.
An ſi illa nullo modo ad hoc induci poſſit licitum ſit alteri parti ex graviſſima cauſa permanere in conjugio. ibid.
Quid agendum quando matrimonium fuit nullum defectu conſenſus. 895

MATRIMONII IMPEDIMENTA.

POſſunt Principes ſæculares ſtatuere impedimenta dirimentia matrimonium. 917
Inter Chriſtianos tamen hoc reſervatur Eccleſiaſticæ poteſtati. ibid.
De fide eſt illam poteſtatem competere Eccleſiæ. ibid.
Qui ſcienter contrahit cum impedimento dirimente peccat mortaliter. 918
Peccat duplici peccato talis contrahens ſic in facie Eccleſiæ. ibid.
Sciente iter contrahentes cum impedimento dirimente quando incurrant excommunicationem. 932
An tales conſummantes matrimonium committant peccatum ſpecie diſtinctum à fornicatione. 918
Impedimenta alia ſunt impedientia tantum, & quæ. 919
Alia etiam dirimentia. ibid.
Quis error invalidet matrimonium & quo jure. 920
Cur error potius invalidet matrimonium quam alia Sacramenta. ibid.
Quod votum dirimat matrimonium & quo jure. 911
Quæ impotentia matrimonium dirimat. 949. 951
Conſanguinitas eſt impedimentum dirimens. 933
Item affinitas & in quoto gradu. 937
Item cognatio ſpiritualis. 945
Cognatio legalis. 946
Publica honeſtas. 947
Cultus diſparitas. 952
Quid impedimentum criminis. 954
Poteſt Pontifex diſpenſare in omnibus impedimentis dirimentibus ſolo jure humano. 914
Poteſt Epiſcopus in illis diſpenſare ex urgente cauſa. 914
Etiam ante contractum matrimonium 915
Saltem pro foro interno. 916
An id poſſit ſi adiri poſſit Nuntius Apoſtolicus habens facultatem diſpenſandi. 916

MATRIMONIUM PER PROCURATOREM INITUM.

POteſt eſſe validum. 912
Quæ conditiones ad hoc requirantur. ibid.
Poteſt matrimonium per epiſtolam contrahi. 913

Kkkkkk MEN-

Digitized by Google

MENDACIUM.

Mentiri in confeſſione dum eſt in gravi materia eſt grave ſacrilegium. 488

Mendacium de ſolo veniali an & quando ſit peccatum mortale in confeſſione 489

MERITA.

Merita Chriſti quomodo in Sacramentis applicentur illa ſuſcipientibus. 39. 41. 442.

Merita per peccatum mortificata reviviſcunt per ſubſequentem pœnitentiam. 442. 446.

METUS.

Quid ſit. 863.

Quis metus irritet matrimonium. 863. & ſequentibus.

Metus irritat matrimonium tantum jure humano. 864.

Non irritat ipſo facto alios contractus. ibid.

MINISTER SACRAMENTORUM

Non omnis ille eſt miniſter Sacramenti qui materiam ponit 462.

Miniſter utens forma legitima & intendens facere quod facit Eccleſia, validè conficit Sacramentum, licet interius intendat errorem. 17. 84.

Quis error miniſtri circa formam, eam vitiet. 15. 16. 17.

Committit ſacrilegium miniſter dum formam ſubſtantialiter immutat. 18.

Uti & ſi extra neceſſitatem adhibeat formam aut materiam dubiam. 12. 18. 21.

An poſſit formam repetere ſuper eadem materia. 20.

Peccat miniſter ſi formam immutet etiam accidentaliter. 21.

An quò miniſter eſt ſanctior eo majorem conferat gratiam per Sacramentum. 28.

Chriſtus eſt miniſter principalis Sacramentorum. 53

Soli homines ſunt inſtituti miniſtri Sacramentorum. ibid.

Poſſet tamen Angelus ex Dei diſpenſatione Sacramentum miniſtrare. 54

Si conſtet eſſe Angelum bonum qui Sacramentum confert haberi debet validum, ſecus de diabolo. 54.

Anima ſeparata non poteſt conficere Sacramentum. ibid.

Nec beati reaſſumpto corpore. 55.

Validum eſt Sacramentum quod conficit hæreticus, aut exiſtens in peccato mortali. 66. 67.

Poteſtas miniſtrandi Sacramenta eſt gratia gratis data. 67.

Miniſter quo ſenſu dicatur conferre gratiam. 67. 69.

Miniſtrans ex officio in peccato mortali per ſe peccat mortaliter. 69. 417

Sacerdos celebrans in peccato mortali committit duplex peccatum. 71

Non ſic adminiſtrando alia Sacramenta ibid.

An contrahentes matrimonium in ſtatu peccati mortalis peccent mortaliter & qua ratione. 72.

Sacerdos aſſiſtens matrimonio in ſtatu pecti mortalis non peccat mortaliter. ibid.

Sacerdos in peccato mortali diſtribuens Euchariſtiam peccat mortaliter. ibid.

Et quidem toties quot ſunt perſonæ quibus illam diſtribuit. 72.

Idemdicendum de Epiſcopo confirmante confeſſario abſolvente &c. in tali ſtatu. ibid.

Diaconus & Subdiaconus miniſtrantes in peccato mortali peccant mortaliter. 73.

An miniſter habens conſcientiam peccati mortalis teneatur præmittere confeſſionem antequam Sacramentum adminiſtret. 73. 270.

Paſtor ex juſtitia obligatur ſuis ſubditis miniſtrare Sacramenta quoties rationabiliter petunt, 78.

Non eſt licitum per ſe loquendo miniſtrare Sacramentum non rite diſpoſitis. 80.

Quam notitiam debeat habere miniſter de diſpoſitione legitima ſuſcipientes. 81.

Occulto

Digitized by Google

Occulto peccatum publice petenti dandum eſt Sacramentum. 81.
Occulto occulte petenti negandum. 82.
Sed quid agendum ſi talis cognoſcatur ſolùm ex confeſſione Sacramentali. ibid.
Publici peccatores ādmittendi non ſunt ad Sacramenta niſi conſtet publice de eorum emendatione. 83.
Si conſtet aliquem in ſtatu peccati mortalis incidiſſe in amentiam an liceat ipſi Sacramenta mniſtrare. 288.
Dum non adeſt juſta cauſa illicitum eſt accipere Sacramenta à malis miniſtris. 74.
Id tamen licet ex rationabli cauſa. 75.
Non poteſt ſubditus petere Sacramenta à malo Parocho dum illa ab alio poteſt accipere. ibid.

MISSA.

An & quale ſtipendium accipere poſſit miniſter pro celebratione Miſſæ. 337. Vid. V. *Sacerdos Beneficium.*
Miſſa ad quid valeat Vid. V. *Sacrificium.*
An ſacerdos teneatur legere miſſam de tempore. 343.
Differens ad notabile tempus legere miſſas pro quibus accepit ſtipendia, graviter peccat. 344.
Quot miſſarum onus poſſit ſimul acceptare ſacerdos. 345.
Quā parte die facienda ſit miſſa. 346.
An ſit peccatum legere miſſam non lecto matutino. 347.
Quo in loco celebrandæ miſſæ. ibid.
An celebrari poſſint in mari. 348.
Item an in Eccleſia violata. 349. 352.
Miſſa legi non debet niſi in altari lapideo. 355.
Quo ſenſu dicatur illicitum celebrare in altari portatili. ibid.
Quis debeat eſſe ornatus altaris. 356
Corporale debet eſſe ex lino, mundum & conſecratum. 357
In altari debet accendi lumen tempore Miſſæ. ibid.
Debet in illo eſſe crux. 358
Ad Miſſam celebrandam requiritur calix conſecratus. 359
Calix non cenſetur conſecratus per hoc quod in illo miſſa ſit celebrata. 360
Pixis & remonſtrantia in qua aſſervantur Hoſtiæ conſecratæ debent eſſe conſecrata. 360
Quæ veſtes ſacerdoti neceſſariæ ad celebrandum. 361
Debent eſſe benedictæ. ibid.
Quandonam amittant illam benedictionem. ibid.
Quid ſingulæ ſignificent. 362
Singulæ habent duas ſignificationes, unam reſpectu Chriſti, alteram reſpectu ſacerdotis. ibid.
Obligantur ſacerdotes ſcire illas ſignificationes. 363
Peccat mortaliter ſacerdos ſcienter omittens aliquam iſtarum veſtium in celebratione miſſæ. ibid.
Non licet ſine illis celebrare nequidem ad dandum viaticum ægroto morituro. 364
Illicitum & miſſam celebrare capite cooperto. ibid.
Sacerdoti celebranti debet adeſſe miniſter. 365
Fœmina non poteſt miniſtrare miſſæ ibid.
Ritus & cæremoniæ miſſæ ſunt ex traditione Apoſtolorum. 366
Peccatum eſt ex genere ſuo mortale omittere aliquam cæremoniam in miſſæ celebratione. 367
Undenam in his petenda parvitas aut gravitas materiæ. ibid.
Qui aliquam cæremoniam omiſit in miſſa an teneatur illam repetere. 368
Sacerdos qui omiſit aliquid pertinens ad ſubſtantiam Sacrificii qualiter debeat illud ſupplere. 369
Quid agendum ſacerdoti ſi poſt ſumptionem calicis advertat non fuiſſe vinum conſecratum. 370

Digitized by Google

An & quando ſit licitum miſſam interrumpere. 372

MONIALES.

QUis illarum confeſſiones poſſit audire. 525

Præter ordinarium Confeſſarium alius extraordinarius ab Epiſcopo eſt aſſignandus. ibid.

Etiamſi illæ non ſubſint juriſdictioni ordinariæ Epiſcopi. ibid.

Non tenentur moniales confiteri illi extraordinario niſi velint. ibid.

MVTVS.

MUtus & ſurdus à nativitate qualiter poſſit judicari capax Sacramentorum Euchariſtiæ & Pœnitentiæ. 287

N

NECESSITAS.

QUid dicatur neceſſarium neceſſitate medii, item præcepti. 98

Facta ex neceſſitate ſæpe ſunt licita, quæ extra illam illicite fierent. 894

In caſu neceſſitatis licitum eſt in Sacramentis uti materiâ dubiâ. 12. 19. 894

In communi pauperum neceſſitate tenentur divites de ſuperfluis dare illis eleëmoſynam. 554

Quænam communis, gravis, & extrema neceſſitas. ibid.

NECTARIVS.

AN ſuſtulerit confeſsionem Sacramentalem ex Eccleſia Conſtantinopolitana 473

O

OBEX.

NOn ſolum peccatum mortale eſt obex effectus Sacramenti. 26

Eſt duplex, unus affirmativus alter negativus, & in quo uterque conſiſtat. 63. 254

Quid obex. 63

An peccatum veniale commiſſum in ſuſceptione Sacramenti ſit obex illius effectus. 61. 62

Qui voluntariè ponit obicem Sacramento, committit ſacrilegium. 63. 64

Per quid tollatur obex. 64

Si obex erat contra ſubſtantiam Sacramenti, illo ſublato non reviviſcit Sacramentum. 64

Si ſolum erat contra effectum Sacramenti, illo ſublato quædam Sacramenta operantur illum effectum, quædam non 65

OPVS OPERA.

QUid opus operatum, & operantis. 21

Quid gratiam conferri ex opere operato. 21. 25

Sacramenta novæ legis conferunt gratiam ex opere operato. 24

Ille modus loquendi non eſt noviter inventus. 26

Per hoc non excluduntur diſpoſitiones neceſſariæ ex parte miniſtri aut ſuſcipientis. 25

Datur medium inter cauſare gratiam ex opere operantis & opere operato. 51

Opera bona unde dicantur viva. 446

Opera alia viva alia mortua; alia mortificata alia vivificata. ibid.

Opera mortua aut mortifera non reviviſcunt per pœnitentiam. 447

Opera mortificata reviviſcunt per pœnitentiam. 442. 447

Cur merita mortificata potius reviviſcunt per pœnitentiam quam peccata per ſubſequens peccatum. 448

Merita per pœnitentiam reviviſcunt ſecundum totum ſuum valorem. 449

Ut opus ſit meritorium vitæ æternæ tria requiruntur. 448

Opera bona à peccatore facta ad quæ ſunt utilia. 447

ORDO.

Digitized by Google

ORDO.

ORdo quid ſit. 742
Quid Sacramentum Ordinis. ibid.
Ordo eſt Sacramentum novæ legis. 743
Quot ſint ordines Eccleſiaſtici, 744
An omnes ſint Sacramenta. 746
Certum eſt ordinem Presbyteratus eſſe Sacramentum, non ita de aliis inferioribus. 747
Minores ordines ſunt quatuor. 751
Quid ſinguli, quæ eorum materia & forma. ibid.
Suſcipiens minores ordines debet eſſe in ſtatu gratiæ. 755
Quid Subdiaconatus, ejus materia, forma, & officium. ibid.
Quid Diaconatus, ejus materia, forma & officium. 756. 757
Quid Presbyteratus. 757
Ejus materia & forma eſt duplex. ibid.
Complectitur duplicem ordinationem Sacramentalem. ibid.
Non eſt eadem forma ordinationis apud Græcos & Latinos. 585
Quid ſit officium Sacerdotis. 758
Epiſcopatus eſt Sacramentum & ordo diſtinctus ab ordine Sacerdotali. ibid.
Quæ ejus materia & forma. 760. 761
Ad ordinationem Epiſcopi de jure divino ſufficit unus Epiſcopus. 760
Ad validitatem ordinationis requiritur contactus materiæ. 761

SUBIECTUM ORDINIS.

MUlier jure divino ex incapax ordinis. 766. 767
Item non baptizatus. 766
Qui metu injuſto ordinatur, valide ordinatur. ibid.
Talis non obligatur ad cælibatum. 766. 931
Ad valorem ordinationis adulti requiritur aliquis ejus conſenſus. 766. 767. 930
Poteſt puer valide ordinari. 766

QUALITATES ORDINANDORUM.

ORdinandus debet examinare an ſit vocatus, & ex quibus ſignis hoc poſſit colligere. 762
Ordinem ſuſcipiens debet eſſe in ſtatu gratiæ. 768
Debet eſſe probæ famæ & vitæ. ibid.
Et ætatis competentis. 770
Ad Subdiaconatum requiritur ætas 23. annorum. ibid.
Ad Diaconatum 23 annorum. ibid.
Ad Presbyteratum 25. annorum. ibid.
Illi anni non debent eſſe completi. ibid.
Qui ſcienter ante illam ætatem ordinantur, ſuſpenſi ſunt. ibid.
Irregularis an poſſit ordinari. 771
Illegitimi arceantur ab ordinibus. 772
In ordinando quæ requiratur ſcientia. ibid.
Ordinandus debet habere titulum. 773
Ille poteſt eſſe triplex. 774
Ordinatus ſine titulo eſt ſuſpenſus. ibid.
Inter ordines ſuſcipiendos ſervando interſtitia. 776
Quis poſſit in illis diſpenſare. 777
Ordinatus obligatur ad perpetuam caſtitatem. 785
Idque ex voto & lege Eccleſiaſtica. ibid.
Ordinatus ignorans invincibiliter votum annexum, illo non obligatur. 785
Obligabitur tamen ex lege Eccleſiaſtica. ibid.
Ordinatus per metum gravem injuſtum non obligatur ad caſtitatem. 930
Uti nec ordinatus ante pubertatem. 931
Lex cœlibatus obligavit ſacerdotes jam à temporibus Apoſtolorum. 786
Lex illa non eſt contra Apoſtolum. 788
Nunquam licuit poſt ſacerdotium uxorem ducere. 787. 930
Et tale matrimonium eſt irritum. 786. 911. 930
Unde Græcis conſuetudo retinendi uxores ductas ante ſacerdotium. 787
Poteſt uxoratus licite ordinari. 931
Ordinari tamen non debet niſi uxor conti-

continentiam voveat. 785. 931.
Non poteſt invita uxore ordinari. 932
Et talis eſſet irregularis. 933
Ordinatus ſcienter contrahens matrimonium excommunicatur. 932

ORDINIS MINISTER.

EST Epiſcopus, non plebs aut Magiſtratus. 779
Epiſcopus excommunicatus valide poteſt ordinare. 780
Ex commiſſione Papæ poteſt inferior Epiſcopo minores ordines conferre. ibi.
Et etiam Subdiaconatum. 780
A quo Epiſcopo quis poſſit ordinari. 781

ORDINIS EFFECTUS.

ORdo confert gratiam habitualem & actualem. 778
Imprimit characterem. ibid.
Quandonam ille imprimatur. ibid.
Caracter ordinis præſupponit caracterem baptiſmi. 779
In ſingulis ordinibus imprimitur novus caracter. ibid.
Et ſunt illi inter ſe ſpecie diſtincti. ibid.

P

PAROCHIA.

QUandonam aliquis fiat ſubditus alicujus parochiæ. 875. 877

PASSIO CHRISTI.

ESt cauſa moralis gratiæ quæ datur per Sacramenta. 37
Sacramenta novæ legis totam ſuam vim habent ex Chriſti Paſſione. 39
Cur Paſſioni Chriſti peculiariter præ aliis ejus operibus attribuatur redemptio & juſtificatio noſtra. 41
Paſſio Chriſti licet quoad ſufficientiam valeat ad remiſſionem omnium peccatorum, non tamen illam operatur niſi applicetur, 39. 438

PASTOR.

TEnetur jure divino & naturali populum ſibi ſubditum paſcere. 79
Ex officio tenetur ſubditis Sacramenta miniſtrare quoties rationabiliter petunt. 78
Non tamen tenetur per ſe omnium ſubditorum confeſſiones excipere. 79
Paſtor in neceſſitate tenetur ſubditis Sacramenta miniſtrare etiam cum propriæ vitæ periculo. 80. 727
Infectis peſte quomodo adminiſtrare debeat Sacramenta. 289
An teneatur miſſas pro ſubditis applicare & quando. 341
Non poteſt miniſtrare Sacramenta publicis peccatoribus niſi publicè ſe emendaverint. 83. 289
Paſtor aſsiſtens matrimonio in ſtatu peccati mortalis non peccat mortaliter. 72
Quis cenſendus proprius Paſtor in ordine ad matrimonium. 875. 877. 879
Obtinens Paſtoratum non indiget ulteriori approbatione. 536
Talis cenſetur ubique approbatus. 534
Poteſt Epiſcopus revocare Paſtorem ad Examen. 537
Vid. verb. *Miniſter Sacram. Sacerdos. Confeſſ.*

PATRINUS.

PAtrinus adhiberi debet in baptiſmo ſolen. 121
Non tamen neceſſario in privato. ibid.
Quod ſit patrini officium. ibid.
Patrinus eſſe non poteſt hæreticus, infidelis, nec Religioſus. 122
Si non adſint alii quam hæreticus, nec ſic eſt adhibendus. ibid.
Mater aut Pater baptizandi non poſſunt eſſe patrini. ibid.
Alias contraherent cognationem ſpiritualem. 122. 158
Patrinus adhiberi non poteſt niſi unus, aut ad ſummum unus cum una. 122. 945
Ut patrinus contrahat cognationem ſpiritualem debet eſſe deſignatus. 123
Ad quem pertineat patrinum diſignare. ibid.
Quod ſi plures ſint deſignati debet Paſtor unum

Digitized by Google

unum ex illis tantum adhibere. 123. 946
Quid ſi plures illi deſignati admittantur à baptizante, an omnes contrahent cognationem ſpiritualem. ibid.
Ut Patrinus illam contrahat debet baptizatum propriis manibus de ſonte levare. 123
Unde patrinus tantum per procuratorem illam non contrahit. ibid.
Debet inſuper habere intentionem expreſſam aut tacitam ſuſcipiendi munus patrini. 124
Unde levans alieno nomine illam cognationem non contrahit. ibid.
Ut cognatio illa contrahatur non requiritur intentio illam contrahendi. 124. 944
Patrinus adhibitus in baptiſmo privato non contrahit cognationem ſpiritualem. ibid.
Uti nec qui adhibetur patrinus dum adultus rebaptizatur ſub conditione. ibid.
Qui ſuſcipit prolem de baptiſmo putans eſſe aliam, an illam contrahat. 124
Illa cognatio non contrahitur inter patrinum & matrinam. 125. 943
Sed inter patrinum & matrinam ab una parte, & inter baptizatum baptizatique parentes ab alia parte. 125
Idem eſt in confirmatione. 158
Quæ obligatio patrini. ibid.

PECCATOR.

Peccator publicus non eſt admittendus ad Sacramentum niſi publice ſe emẽdet. 83. 289.
Peccatori occulto publice petenti dandum eſt Sacramentum. 81.
Occultus petenti ordinarie eſt denegandum. 88.

PECCATUM ORIGINALE.

Sub lege naturæ erat aliquod remediũ ad delendum peccatum originale. 46. 49.
Quo remedio tollebatur peccatum orig. in fœmellis in lege veteri. 52.
Peccatum originale non delebatur per circumciſionem ex opere operato. 50.

PECCATUM MORTALE.

Non omnia peccata mortalia ſunt æqualia. 446
Peccatum augetur ex dignitate perſonæ in quam peccatur. 266. 501
Ex peccato duplex relinquitur macula in anima. 434
Peccata dubia qualiter in confeſsione ſunt exprimenda. 502
Peccata remittuntur à Deo abſolute & non ſolum conditionate. 441
Licet abſolute ita fieri poſſet. ibid.
Remiſsâ culpâ, non ſemper remittitur tota pœna. 437
Peccatum unum mortale non poteſt remitti ſine alio conjuncto. 436
Peccatum mortale per quid formaliter tollatur. 421. 435
Peccata per pœnitentiam remiſſa non redeunt per ſubſequens peccatum. 440. 443
Vid. verb. *Confeſſio.*

PECCATUM VENIALE.

Non remittitur ſine pœnitentia. 420
Non poſt remitti per ſolas vires naturæ. 419
Ad remiſſionem venialis in Sacramento Pœnitentiæ requiritur dolor ejus formalis; non ſic ſemper in aliis caſibus. 420
Peccatum veniale non tollitur per ſolam attritionem ſervilem. 421
Poteſt tolli per contritionem etiam imperfectam extra Sacramentum. 422
Non omne peccatum veniale remittitur per illam contritionem per quam remittitur mortale in Sacramento. ibid.
Quænam contritio remittat veniale peccatum. 423
Poteſt deleri unum veniale ſine alio. ibid.
Per quid remittatur veniale cum quo quis moritur 424

Veniale in inferno nunquã remittitur. 425
Peccatum veniale in hac vita non remittitur ſine infuſione gratiæ. ibid.
Nec remittitur ſine mortali conjuncto. ibid.
Venialia qualiter per Sacramentalia remittantur. 426
Quæ diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente Sacramentum ut venialia per illud remittantur 427

PEREGRINI.

Tenentur contrahere ſecundum leges locorum, in quibus contrahunt. 874.
Quis cenſendus proprius Paſtor illorum in ordine ad matrimonium. 875.
Non poteſt Paſtor aſſiſtere illorum matrimoniis ſine licentia ordinarii. 878.

PERICVLVM.

Quandonam aliquis cenſendus conſtitutus in mortis periculo. 475.

POENA.

Omnis reatus pœnæ peccato debitæ tollitur per baptiſmum. 133.
Non ſic per Sacramentum Pœnitentiæ. 437 609.

POENITENTIÆ VIRTVS.

Quid pœnitentia, & unde dicta. 375.
Pœnitentia eſt virtus. ibid.
Ejus objectum primarium eſt ſervare jus Dei illæſum. 376.
Secundario verſatur circa peccata. ibid.
Pœnitentia eſt virtus ſpecialis. 377.
Quodnam ſit ejus objectum formale. ibid.
Qualiter differat à virtute charitatis. 379
Non omnis dolor de peccatis eſt actus virtutis pœnitentiæ. 377
Quid virtus ſpecialis pœnitentiæ. 380
Quis ejus actus. ibid.
Poteſt eſſe virtus illa in eo qui non peccavit. ibid.
Contritio eſt actus imperatus à virtute pœnitentiæ. 381
An dolor ſenſibilis in appetitu inferiori ſit effectus virtutis pœnitentiæ. 380
Enumerantur actus qui ordinariè ad veram contritionem concurrunt. 382
Timor ſervilis quo ſenſu dicatur initium pœnitentiæ. ibid.
Eſt initum illius ſolum extrinſecum & remotum. ibid.
Pœnitentiæ virtus qualiter ſe habeat ad alias virtutes. 383
Pœnitentia vera eſt effectus ſpecialis Dei gratiæ. 428
Pœnitentiæ donum non eſt omnibus ſemper paratum. 429. 433. 444
Deus juſtè illud donum aliquibus denegat. 430
Initium pœnitentiæ non eſt ex nobis, ſed ex Deo. 432
Pœnitentia neceſſaria eſt ad remiſſionem peccati actualis. 420. 434
An Deus poſſit remittere homini peccatum mortale ſine pœnitentia. 435
Non poteſt per pœnitentiam remitti unum mortale non remiſſo altero conjuncto. 436
Remiſsâ culpâ non ſemper remittitur reatus pœnæ temporalis. 437. 439. 609
Peccata per pœnitentiam remiſſa an redeant per ſubſequens peccatum. 440
Et quo ſenſu hoc dici poſſit. 443
Per pœnitentiam reviviſcunt merita omnia per peccatum mortificata. 448
Item virtutes omnes ante habitæ. 450
Peccator per pœnitentiam reſurgit ad majorem gratiam quam ante habuerat. 451

POENITENTIÆ SACRAMENTVM.

Pœnitentia eſt Sacramentum n. 1. 457
In quo differat à baptiſmo. ibid.
Quandonam à Chriſto ſit inſtitutum. 458
An poſſit eſſe informe. 587
Varia ejus nomina apud SS. Patres. 458
Ejus definitio. 462

EIVS MATERIA.

Eſt duplex. 459
Peccata quæ & qua ratione ſint materia hujus Sacramenti. ibid.

Peccata

Digitized by Google

Peccata venialia ſunt materia ejus, ſed non neceſſaria. 460
Uti & mortalia alias remiſſa. ibid.
Cur potius eadem peccata poſſint ſæpius remitti quam eadem hoſtia ſæpius conſecrari. ibid.
Peccatum mortale per ſolam contritionem extra Sacramentum remiſſum eſt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ. 461
Quæ materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.
Confeſſio & contritio ſunt partes ejus neceſſariæ. ibid.

EIUS FORMA.

Sunt illa verba *ego te abſolvo* &c. 462
Quænam verba ſint de eſſentia illius formæ. ibid.
Licet non omnia ſint de ejus eſſentia nulla tamen poſſunt omitti. 463
An ſit licitum aliqua alia addere. ibid.
Verba formæ hujus Sacramenti non poſſunt proferri deprecative. 464
Ad valorem Sacramenti non ſufficiunt alia ſigna ſed requiritur forma verbalis. ibid.
Quis ſit ſenſus verborum illius formæ. ibid.
Quomodo illa ſit vera dum abſolvitur aliquis jam præviè juſtificatus. 465
Particula *te* eſt de neceſſitate formæ. ibid.
Poteſt unica forma aliquis abſolvi à peccatis & cenſuris ſimul. ibid.
Invalida eſt forma abſolutionis ſub conditione de futuro. ibid.
An licitum ſit quandoque abſolvere ſub conditione. 466
Poſſunt plures ſimul valide abſolvi. 467
An abſolvi poſſit qui ſolum ſcripto eſt confeſſus. ibid.
Preces & impoſitio manuum non eſt de eſſentia formæ. 469

EIUS NECESSITAS.

Sacramentum Pœnitentiæ eſt relapſis in mortale neceſſarium ad ſalutem. 470
In re, quando haberi poteſt: aut ſaltem in voto quando haberi non poteſt. 471

POENITENTIÆ MINISTER.

Eſt ſolus ſacerdos. 514
Confeſſio in mortis periculo facta Diacono aut laico non eſt Sacramentalis. 515
Ut ſacerdos valide abſolvat debet habere juriſdictionem. 516
A quo detur illa poteſtas juriſdictionis. 517
In mortis periculo quilibet ſacerdos poteſt quemlibet abſolvere. 518
Non approbatus tamen invalide abſolvet ſi adſit approbatus. ibid.
Abſolutus à ſimplici ſacerdote in mortis articulo non tenetur poſtea approbato confiteri. ibid.
Quilibet ſacerdos poteſt abſolvere à venialibus. 518
In quos aliquis cenſendus habere juriſdictionem. 523. 524
Excommunicatus occultus poteſt valide abſolvere. 528
Item ille qui juriſdictionem habet tantum probabilem. 528. 530
Item ille qui habet titulum coloratum cum errore communi. 527
Pœnitentiæ miniſter debet eſſe approbatus, & à quo 531
Vid. verb. *Approbatio Confeſſarius.*

POLLUTIO.

Quid ſit. 274
Ex quibus cauſis proveniat. ibid.
An & quando impediat à ſuſceptione Euchariſtiæ. 275. 276
Qui culpabiliter pollutus eſt, eſto confeſſus non poteſt illo die cõmunicare 268. 277

POSSESSIO.

Eſt ſufficiens titulus deponendi dubium dum adhibita eſt diligens diſquiſitio. 900
Non tantum in materia juſtitiæ, ſed & aliarum virtutum. ibid.
Poſſidens rem bonâ fide, ſuperveniente

Digitized by Google

dubio tenetur diligentiam adhibere. ib.
Adhibitâ illâ diligentiâ ſecurus manet in poſſeſſione. ibid.
Si illam diligentiam non adhibuerit & dubitet de proprietate, an poſſit re uti. 901
Poſſidens rem dubio titulo an illam teneatur reſtituere. ibid.
Ad quid teneatur poſſeſſor malæ fidei. 902

POTESTAS IURISDICTIONIS.

Alia ordinaria, alia delegata. 517
Quibus competat ordinaria. 519
Quid poteſtas delegata. 520
Qui poſſint delegare. ibid.
An delegans poſſit ſubdelegare. ibid.
Per quid expiret poteſtas delegata. 521
Per quid amittatur juriſdictio ordinaria. ibid.
Non eſt poteſtas juriſdictionis completæ in omnibus ſacerdotibus. 572
Valent acta ejus qui habet titulum coloratum cum errore communi. 527
Poteſt valide abſolvere qui habet juriſdictionem tantum probabilem. 528
An & quæ ratihabitio det juriſdictionem ſufficientem. 529
2. PRESBYTERATUS Vid. *Sacram. Ordinis.*

PRÆCEPTA.

Præcepta Dei quomodo infidelibus & obduratis ſint poſſibilia. 430. 431

PRIVILEGIA.

Pontifex concedens privilegia non cenſetur derogare Concilio Tridentino niſi derogationis expreſſam faciat mentionem. 586
Vid. verb. *Regulares.*

PROFESSIO.

Profeſſio ſolemnis facta in religione approbata dirimit matrimonium ratum necdum conſummatum. 908
Idque jure tantum Eccleſiaſtico. ibid.
Non dirimit matrimonium ratum conſummatum. 909

PUERI.

Pueri quando debeant baptizari. 128. 135
Pueris quando poſſit dari Euchariſtia. 285
Ante annum decimum ætatis ordinariè non ſunt admittendi ad communionem. 289
Neque talibus ordinariè viaticum dandum eſt. ibid.
Quandonam cenſeantur perveniſſe ad annos diſcretionis & eſſe capaces abſolutionis. 481. 482.
An & quomodo ſint abſolvendi dum dubitatur an habeant ſufficientem diſpoſitionem. 89. 481
Pueri citius ſunt capaces abſolutionis quam Sacramenti Euchariſtiæ. 289. 489
Puer doli capax percutiens clericum eſt excommunicatus. 482
Puer poteſt valide ordinari. 785

PURGATORIUM.

Datur purgatorium poſt hanc vitam. 696
Reſpondetur ad objectiones in contrarium. 698
Ubi ſit purgatorii locus. 701
An animæ ex purgatorio aliquando egrediantur. 702
Animæ exiſtentes in purgatorio certæ ſunt de ſua ſalute. 703
Patiuntur interea pœnam damni. 704
Et pœnam ſenſus per ignem materialem. ibid.
Gravitas pœnæ purgatorii. 705
Quamdiu duret pœna purgatorii. 606
Poſſunt animæ illæ juvari precibus viventium. 318. 707
Vivorum ſuffragia pro illis non valent ex opere operato & infallibiliter. 319. 708
Illis potiſſimum proſunt, qui ut ſibi prodeſſe poſſent hoc in hac vita meruerunt. 319

RAPTUS.

Digitized by Google

R

RAPTUS.

QUid raptus. 956
Eſt impedimentum dirimens matrimonium. ibid.
Quænam requirantur ad raptum illum. ibid.
Probabile eſt raptum non eſſe impedimentum dirimens niſi fiat cauſa cogendi raptam in matrimonium. ibid.
Si mulier conſentiat in raptum, quamvis vis illata ſit parentibus, an valere poſſit matrimonium inter illam & raptorem. 957
Non valet matrimonium initum inter raptorem & raptam etſi conſentientem antequam reſtituatur loco tuto. ibid.
Raptor quas pœnas incurrit. 957
Incurrit ipſo facto excommunicationem. ibid.
Illam incurrit eſto matrimonium ſubſequatur. ibid.

RATIHABITIO.

AN & quando ſufficiat ad delegandam juriſdictionem. 529

REATUS.

PEccati reatus alius culpæ alius pœnæ. 435
Reatus pœnæ æternæ & temporalis ex peccato contrahitur. 436
Remiſſo culpæ reatu per baptiſmum ſimul remittitur omnis reatus pœnæ. 133
Non ita per pœnitentiam. 437

REGULAREES.

REgulares vi ſuorum privilegiorum non poſſunt confeſſiones ſæcularium audire niſi approbati ab Epiſcopo. 533. 592
Nequidem ſæcularium habitantium in ſuo monaſterio. 539
Poſſunt tamen audire confeſſiones Regularium ſine illa approbatione. ibid.
Regulares etiamſi ab Epiſcopo approbati non poſſunt confeſſiones excipere niſi à ſuis ſuperioribus exponantur. 339
An abſolvi poſſint à ſacerdote ſæculari. ib.
Non poſſunt vi ſuorum privilegiorum ſine licentia abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis. 589
Uti nec vigore privilegiorum conceſſorum certæ Confraternitati. 586
Regularis approbatus in una tantum Diœceſi non poteſt validè in alia abſolvere. 534. 592
Regulares ſemel approbati poſſunt ab Epiſcopo revocari ad examen. 535
Regulares poſt Concilium Tridentinum non poſſunt extra Eccleſias celebrare in altari portatili. 348
Graviter & contra juſtitiam peccant ſine Paſtorum licentia miniſtrando ægrotis ſæcularibus viaticum. 295
Regularis ordinatus titulo paupertatis ſi Religione egrediatur debet ab illa ſuſtentari. 776

RESTRICTIO MENTALIS.

EST jure naturæ illicita. 569
Licitum tamen ex juſta cauſa uti æquivocatione. ibid.
Non tamen in judiciis aut contractibus. 570

S

SACERDOS.

QUid ſit Sacerdotium vid verbo *Ordo*.
Sacerdos celebrans in ſtatu peccati mortalis committit duplex peccatum. 71
Non ita ſi miniſtret in illo ſtatu aliud Sacramentum. ibid.
Vi ſuæ ordinationis obligatur aliquando celebrare. 339. Et quando & quoties. 340
An & quando ſacerdoti licitum ſit plures miſſas in die celebrare. 346
Legens miſſam ante lectum matutinum an peccet. 347

Digitized by Google

Quam intentionem formare debeat ſacerdos ut alicui fructum Sacrificii applicet. 332
Licitum eſt pro celebratione miſſarum ſtipendium accipere. 334
Non accipitur illud ut juſtum pretium miſſæ, ſed tamquam debitum ad ſuſtentationem miniſtri. 335
Quodnam ſit juſtum ſtipendium miniſtri celebrantis. ibid.
Ratione celebrationis Miſſæ non debetur ſacerdoti ſtipendium ſufficiens ad totalem ſuſtentationem. 336
Sacerdos qui ſtipendium accipit ut pro certa perſona celebret, non poteſt alteri effectum applicare. 331
Accipiens duplex ſtipendium pro una miſſa peccat mortaliter. ibid.
An qui legit miſſam poſſit illam applicare illi qui poſtea dabit ſtipendium. 333
Qui accepit plura ſtipendia juſto minora, an poſſit pro rata numerum miſſarum minuere. 337
An qui accipit amplum ſtipendium pro una miſſa poſſit illam curare legi ab alio data tantum parte illius. ibid.
Quid de beneficiatis qui per alios curant legi miſſas. ibid.
Qui accipit ſtipendium ut celebret in certo loco, an poſſit aliud accipere pro applicatione Miſſæ. ibid.
Obligatus ex fundatione ad certum numerum miſſarum, tenetur illas applicare ad intentionem fundatorum. 338
Ad quem ſpectet reductio miſſarum quando reditus beneficii jam non ſufficiunt ad omnes. ibid.
An qui obligatus eſt legere hebdomadatim tot ſacra, poſſit illa anticipare. 333
Qui dum celebrabat non formavit intentionem applicandi fructum Sacrificii, an poſſit poſtea applicare. 332

SACRAMENTUM.

VOx Sacramentum variam habet ſignificationem. 1
Quid Sacramentum. ibid.
Quid Sacramentum novæ legis. 2
Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile. 3
Sacramenta ſunt ſigna ex inſtitutione divina. ibid.
Sacramenta ſunt ſigna practica rei ſacræ. 4
Ideo imagines SS. v. g. non ſunt Sacramenta. ibid.
Sacramenta veteris legis etiam ſigna fuerunt practica. 5
Sacramentum debet eſſe ſignum ſtabile. 4
Ideo ablutio pedum in cœna v.g. non fuit Sacramentum. 4
Aqua luſtralis & ſimilia non ſunt Sacramenta. 5
Sacramenta nulla fuerunt in ſtatu innocentiæ. 45
Sub lege naturæ fuerunt Sacramenta. 46
Sacramenta veteris & novæ legis dicuntur univoce Sacramenta. 5
Sacramenta veteris legis non cauſabant gratiam. 47
Sed illam ſolum ſignificabant. ibid.
Utentes tamen illis Sacramentis ex opere operantis juſtificari poterunt. ibid.
Sacramenta novæ legis conſtant rebus tamquam materia & verbis tamquam forma. 6
Quid per res & verba ibi intelligatur. 6
In quovis Sacramento eſt aliquid quod eſt res tantum, aliud ſignum tantum, aliud ſignum & ſimul res ſignificata. 6

CAUSA EFFICIENS SACRAMENTORUM

TRiplex eſt poteſtas inſtituendi Sacramenta, authoritativa, excellentiæ poteſtas, & miniſterialis. 52
Prima competit ſoli Deo nec eſt communicabilis puræ creaturæ. ibid.
Poteſtas excellentiæ quid ſit. 53
Illa competit per ſe ſoli Chriſto. ibid.
Potuit tamen communicare aliis. ibid.
Non eſt communicata Eccleſiæ. ibid.
Chriſtus inſtituit omnia Sacramenta novæ legis. 10

Digitized by Google

Vid. verb. *Miniſter Sacramentorum.*

NUMERUS SACRAMENTORUM.

SAcramenta novæ legis ſeptem numero. 55

Non ſunt omnia æqualiter ad ſalutem neceſſaria. 56

SUSCIPIENTES SACRAMENTUM.

SOli homines mortales ſunt capaces Sacramentorum ſuſceptionis. 56

Unde brutum manducans hoſtiam conſecratam non ſuſcipit Sacramentum. ib.

Non omnes homines ſunt capaces omnium Sacramentorum. ibid.

In adulto ut valide ſuſcipiat aliquod Sacramentum requiritur intentio illud ſuſcipiendi. 57

Qui plane invitus Sacramentum ſuſcipit, invalide ſuſcipit. 58

Secus ſi ex metu tantum etiamſi gravi. 58

Suſceptio Sacramenti in adultis debet eſſe actio humana, adeoque voluntaria. ibid.

Parvuli quorum Sacramentorum ſint capaces, 59

Quæ differentia inter intentionem requiſitam ad validam ſuſceptionem & validam adminiſtrationem Sacramenti. ib.

Suſcipiens Sacramentum in peccato mortali gravius peccat quam illud miniſtrans in tali ſtatu. 60. 70

Præter intentionem quæ aliæ conditiones requirantur in ſuſcipiente. 60

SACRAMENTORUM EFFECTUS.

SAcramenta habent totam vim ſuam ex morti Chriſti. 39. 40

Sacramenta novæ legis non intelliguntur ſine ſanguine quo novum teſtamentum firmatum eſt. 41

Sacramenta novæ legis phyſicè producunt gratiam. 37

Illam cauſant dum complentur. 35. 38

Per illa nobis meritum Chriſti applicatur 39. 40

Tria Sacramenta novæ legis imprimunt characterem. 41

Et idcirco ſunt irreiterabilia. ibid.

Unde ſi baptizatus, confirmatus aut ordinatus mortuus rediret ad vitam non deberet illa Sacramenta iterum ſuſcipere. 44

Sacramenta novæ legis conferunt gratiam ex opere operato. 24

Omnia conferunt gratiam ſanctificantem. 22

Illam conferunt tamquam cauſæ phyſicæ inſtrumentales. 24

Tota virtus illorum profluit ex Paſſione Chriſti. ibid.

Non omnia Sacramenta æqualem conferunt gratiam. 27

Sacramenta irreiterabilia conferunt majorem gratiam quam alia cæteris paribus. ibid.

Idem Sacramentum confert æqualem gratiam omnibus æqualiter diſpoſitis. 26

Inæqualem autem inæqualiter diſpoſitis. 29

Major illa gratia quæ datur melius diſpoſito cauſatur à Sacramento ex opere operato. ibid.

Sacramentum miniſtratum à meliori miniſtro an conferat majorem gratiam. 28

Sacramenta alia ſunt vivorum, alia mortuorum. 31

Et unde ſic dicta. ibid.

Non omnia Sacramenta ſunt inſtituta ad conferendam primam gratiam 31

Sacramenta vivorum aliquando conferre poſſunt primam gratiam juſtificantem. 32

Sacramenta ultra gratiam ſanctificantem quam cauſant conferunt ſingula particulares gratias actuales. ibid.

Illæ gratiæ actuales non ſemper dantur in ipſa ſuſceptione Sacramenti, ſed ſuo tempore. 33

Illæ gratiæ non cauſantur phyſicè à Sacramentis. 34

Sacramentum in ſtatu peccati ſuſceptum non producit illas gratias. ibid.

Digitized by Google

An & quando per peccatum veniale commiſſum in actuali ſuſceptione Sacramenti impediatur illius effectus. 61
Qui ſuſcipit Sacramentum cum actuali affectu peccati venialis qualiter peccet. 61. 62. 263
EORUM FORMA ET MATERIA.
MAteria & forma Sacramentorum novæ legis ſunt determinata à Chriſto. 10
Eccleſia non poteſt quidquam immutare circa materiam aut formam à Chriſto inſtitutam. 10. 58
Non licet adhibere materiam aut formam dubiam dum certa haberi poteſt. 12. 18
Vide verb. *Materia Sacramentorum.*
Materia & forma in Sacramentorum adminiſtratione, debent eſſe moraliter conjunctæ. 13
Sacramentorum materia alia eſt proxima alia remota. 8
Significatio Sacramentorum poteſt dici eorum forma. 6
Forma Sacramentorum eſt verbum cæremoniale non autem doctrinale. 8
SACRIFICIUM.
QUid Sacrificium propriè dictum. 297
Non omne opus bonum habet rationem perfecti Sacrificii. 296
Ad quid adhibeatur Sacrificium. 299
Sacrificium ſoli Deo offertur. 317
Varia Sacrificii diviſio. 499. 300
Fuiſſet Sacrificium in ſtatu innocentiæ. 46
In nova lege præter Sacrificium Crucis eſt Sacrificium Miſſæ. 300
In quo differant Sacrificium cruentum & incruentum novæ legis. 306
Quid propriè offeratur in Sacrificio novæ legis. 305
Sacrificium Miſſæ eſſentialiter conſiſtit in conſecratione. 307
Conſecratio utriuſque ſpeciei eſt de ratione Sacrificii. 311
Non poteſt Eccleſia diſpenſare ut in una tantum ſpecie conſecretur. ibid.
Sacrificium Miſſæ eſt propitiatorium & impetratorium. 312
Eſt latreuticum & Euchariſticum. 313
Qualiter Miſſæ dicantur in honorem Sanctorum. 317
Sacrificium Miſſæ ut tale non eſt Sacramentum. 4
SACRIFICII EFFECTUS.
SAcrificium Miſſæ qua ratione valeat ex opere operato. 322
Non operatur remiſſionem peccatorum mortalium ex opere operato. 323
Sed tantum per modum impetrationis. ib.
Non operatur ex opere operato remiſſionem venialium. 324
Nec producit immediatè augmentum gratiæ habitualis. ibid.
Nec etiam ſic confert bona temporalia. ibid.
Sed illos effectus confert tantum remotè & impetratorie. ibid.
Valet ad remiſſionem pœnæ temporalis ex opere operato. 325
Ut quis illum effectum percipiat vi ſacrificii debet eſſe in ſtatu gratiæ. ibid.
Triplex portio effectus ſacrificii, & qualiter unaquæque applicetur. 326
Valor ſacrificii diſtinguitur ab ejus effectu. 327
Valor ſacrificii quâ ratione ſit infinitus, & qua ratione finitus tantum. ibid.
Effectus ſacrificii an pendeat à bonitate miniſtri. 330
In quo fundetur vis impetratoria ſacrificii. ibid.
Sacrificium Miſſæ poteſt pro pluribus offerri. 317
Pro pluribus oblatum non æque prodeſt ſingulis ac ſi pro uno tantum offerretur. 328
Effectus ſacrificii non dependet à bonitate miniſtri. 330
Obligatus pro certa perſona celebrare non poteſt alteri fructum ſacrificii illius applicare. 331

Digitized by Google

Vide verb. *Miſſa. Sacerdos.*
Ad applicationem ſacrificii ut proſit quæ intentio requiratur in offerente. 87
Sacrificium non poteſt prodeſſe damnatis. 318
Quomodo proſit oblatum pro peccatoribus. 317
Prodeſt oblatum pro animabus purgatorii. 318
Non tamen infallibiliter prodeſt illi animæ pro qua offertur. 319
Sed hoc dependet ab acceptatione divina. ibid.
Quibus animabus purgatorii proſint preces & ſacrificia vivorum. 319
Sacrificium oblatum pro certa anima pro qua Deus illud non acceptat, cui proſit. 320
An poſſit offerri Sacrificium pro excommunicatis, catechumenis, aut infidelibus. 320. 321

SATISFACTIO.

Quid ſit. 607
Quid opus ſatisfactorium. 612
Satisfactio alia eſt imperfecta, alia ſufficiens, alia perfecta. 607
Alia item Sacramentalis, alia non. 608
Non poteſt purus homo Deo perfectè ſatisfacere· ibid.
Poteſt tamen ſatisfacere pro pœna temporali debita. ibid.
Cur in Sacramento Pœnitentiæ non remittatur tota pœna debita. 609
Conditiones requiſitæ ut opus aliquod ſit ſatisfactorium. ibid.
Opus præceptum poteſt eſſe ſatisfactorium. 609. 621
Noſtræ ſatisfactiones innituntur Chriſti meritis. 610
Et promiſſioni gratiæ Dei. 611
Ut homo de condigno ſatisfaciat debet eſſe in gratia. 610
Noſtræ ſatisfactiones non obſcurant merita. 612
Chriſtus ſatisfecit pro peccatis totius mundi quoad ſufficientiam. 613.
Illa tamen ejus ſatisfactio non applicatur omnibus. ibid.
Poteſt unus pro alio ſatisfacere. ibid.
Sed tantum de congruo. ibid.
Quid ſatisfactio Sacramentalis. 615
Qualiter ſit efficax. ibid
Satisfactio Sacramentalis non poteſt impleri per alium. 618
Qui ſatisfactionem injunctam implet in ſtatu peccati mortalis an verè ſatisfaciat. 415
Quis ſit effectus ſatisfactionis Sacramentalis. 617
Satisfactio Sacramentalis olim erat adimplenda ante abſolutionem Sacramentalem. 623
Et hic uſus in Eccleſia occidentali duravit ad ſæculum duodecimum. 624
Eccleſia illum uſum juſte potuit immutare. ibid.
Quæ olim pœnitentibus imponebantur ſatisfactiones. 619
Tenentur etiam modo Confeſſarii proportionatas peccatis ſatisfactiones imponere. ibid.
Et ut id poſſint neceſſaria eſt illis ſcientia Canonum pœnitentialium. 620
Peccat graviter Confeſſarius non imponens pœnitenti congruam ſatisfactionem. ibid.
Tenetur Confeſſarius etiam tempore Jubilæi pœnitentiam injungere. 618
Poteſt Confeſſarius immutare ſatisfactionem pœnitenti impoſitam etiam ab alio confeſſario. 625
Et quid ad hoc ut licite fiat, requiratur. ib.
Qui oblitus eſt implere injunctam ſatisfactionem, an teneatur iterum confiteri. 626
Peccat graviter pœnitens non implens injunctam pœnitentiam. 627

SCRIPTURA SACRA.

Debet intelligi in proprio verborum ſenſu niſi ex hoc aliquid abſurdi conſequatur. 213

SCRIPT.

SCRUPULOSUS.

AN peccet iterando formam ſuper eadem materia in Sacramentis. 20

SERVUS.

TRia ſervorum genera. 922
Error conditionis ſervilis dirimit matrimonium jure tantum humano. ibid.
Ut error talis dirimat matrimonium non debet eſſe invincibilis. ibid.
Servus poteſt valide matrimonium contrahere invito ſuo Domino. 913
An poſſit Dominus ſervum conjugatum vendere. ibid.
An poſſint conjuges ſine mutuo conſenſu ſe in ſervitutem tradere. ibid.
Proles natæ ex ſerva matre ſunt ſervæ. 924
In quibus proles ſequantur ventrem. ibid.

SIGILLUM CONFESSIONIS.

QUid illud ſit. 795
Quo jure Confeſſarius obligetur ad ſigillum. ibid.
Sigillum confeſſionis obligat ſtrictius quam ſecretum naturale. 596
Nullo caſu violari poteſt præter voluntatem pœnitentis. ibid.
Frangens ſigillum dupliciter peccat. ibid.
In fractione ſigilli confeſſionis non datur parvitas materiæ. ibid.
Obligatio ſigilli oritur ex omni confeſſione Sacramentali. 597
Etiam ex illa quæ bonâ fide fieret laico. ibid.
Non oritur ex confeſſione extra Sacramentali. ibid.
Quæ ſit materia ſigilli. 598
An frangat ſigillum qui ex ſcientia habita in confeſſione dicit in communitate aliqua committi gravia ſcelera. 599
Quandonam ſigillum violetur indirectè. 600
Poteſt Confeſſarius ex conſenſu pœnitentis revelare ipſius peccatum. 601
Non ſufficit ad hoc conſenſus illius ſolum interpretativus. ibid.
Laicus qui confeſſionem alterius audivit aut legit, tenetur ad ſigillum. 602
Non eſt licitum uti ſcientia ex confeſſione habita ad externum regimen. 603
An liceat confeſſario qui ex ſola confeſſione novit moribundam eſſe gravidam uti illa ſcientia ad ſolvandā prolem. 604
Quid ſi Confeſſarius ex ſola confeſſione noverit ſuum famulum eſſe furem. 598 605
Aut ab aliquo ſibi mortem parari, an poterit uti illa ſcientia ad illam vitandam. ibid.
Confeſſarius interrogatus à judice de crimine alicujus quod novit ex ſola confeſſione, qualiter debeat reſpondere. 606

SIGNUM.

QUid ſit. 2
Variæ ſigni diviſiones. ibid.
Non omne ſignum rei Sacræ eſt Sacramentum. 3
Vide verb. *Sacramentum.*

SPONSALIA.

QUid ſint. 79.
Quinam veniant nomine ſponſorum. 791.
Ad valorem ſponſaliorum requiritur reciproca promiſſio & acceptatio. 792.
Illa promiſſio mutua debet eſſe voluntaria. 792.
Contrahens ſponſalia ſine animo ſe obligandi, equidem obligatur. 792 794. 801.
Promiſſio matrimonii non acceptata non obligat. 793.
Sponſalia debent contrahi per ſigna externa. ibid.
Qualia debent eſſe illa ſigna. 794.
Qui contrahunt per verba de futuro ſed animo contrahendi in præſenti verum matrimonium contrahunt. 795
Sponſalia contrahi poſſunt inter abſentes. ibid.
Sponſalia clandeſtina quæ. 795

Sunt

Digitized by Google

Sunt valida. ibid.
Et quandoque licita. 796.
Qui poſſint contrahere ſponſalia. 797.
Ad validè contrahenda ſponſalia requiritur uſus rationis. ibid.
Contracta ante ſeptennium ordinarie, non ſemper, ſunt irrita. ibid.
Semper tamen per ſe loquendo ſunt illicita. 798.
Non ſemper ſufficit ille uſus rationis ad contrahenda ſponſalia qui ſufficit ad peccandum mortaliter. ibid.
Sponſalia filiorum inconſultis parentibus contracta ſunt valida. 821
Illicitum tamen ea ſic contrahere. 820.
In ſponſalibus contrahendis non ſemper tenentur filii ſequi conſilium aut præceptum parentum. 821.
An ſi ſponſalibus apponatur conditio contra ſubſtantiam matrimonii ſint valida. 862

EFFECTUS SPONSALIORUM.

Qui ſint. 822
Ex ſponſalibus oritur impedimentum publicæ honeſtatis. 947
Ex quibus ſponſalibus illud oriatur. 948
An illud impedimentum ceſſet diſſolutis ſponſalibus. ibid.
Ex ſponſalibus oritur obligatio contrahendi matrimonium. 798.
Idque ex virtute juſtitiæ & fidelitatis & veracitatis. 799.
In quo differunt illæ tres obligationes ibid.
Nobilis qui ſcienter contraxit ſponſalia cum ignobili tenetur illis ſtare. 800.
Fictè contrahens ſponſalia tenetur illis ſtare. 792. 801.
Multò magis qui per fictam promiſſionem alteram decepit. 802.
Quid ſi contrahentes ſeſe mutuo deceperint. 802
Quid ſi unus cum duabus contrahat ſponſalia ſub conditione de futuro, quam debebit ducere. 862.
Illicitum eſt contractui ſponſaliorum apponere pœnam. 818
Licet tamen arrhas apponere. 819.
Injuſtè reſiliens illas amittit. 820.
Injuſtè reſiliens à ſponſalibus non eſt abſolvendus. 820.

DISSOLUTIO EORUM.

Impedimentum abſolutè dirimens matrimonium invalidat ſponſalia. ibid.
Non omne impedimentum impediens matrimonium invalidat ſponſalia. 803
Diſſolvuntur ſponſalia per validum contractum matrimonium cum alia. 803
An in illo caſu mortua conjuge teneatur primam ſponſam ducere. 804
An diſſolvantur per impedimentum dirimens ſuperveniens. ibid.
Ille cujus culpa ortum eſt illud impedimentum, tenetur procurare illius diſſolutionem. 804.
Non diſſolvuntur priora ſponſalia per ſubſequentia etſi jurata. 805. 890
Nec per copulam habitam cum poſteriori ſponſa. 805
Quid ſi poſterior fuerit ignara priorum ſponſalium. ibid.
Poteſt quis obligari ad aliquam ducendam etſi non fuerint valida ſponſalia contracta cum illa. 805
Sponſalia diſſolvuntur per mutuum conſenſum. 806
Etſi fuiſſent juramento firmata. ibid.
Sponſalia impuberum non poſſunt ab illis diſſolvi mutuo conſenſu, quamdiu manent impuberes. ibid.
Secus quando alter aut uterque ad pubertatem pervenit. ibid.
Niſi fuiſſent juramento firmata. 807
Diſſolvuntur etiam per ingreſſum unius in religionem. ibid.
Aut per profectionem in longinquam regionem. 815
Sponſalia habent hanc tacitam conditionem annexam *niſi ſtatum meliorem elegero.* 808
Et *niſi notabilis rerum mutatio ſuperveniat.* 808. 809

An qui ſponſam corrupit poſſit tranſire ad Religionem ipſa invita. 808
An diſſolvantur per votum ſimplex caſtitatis ſuperveniens. 809
Aut per fornicationem alterius ſponſorum cum tertio. ibid.
Quid ſi uterque fornicatus fuerit cum alio. 810
Quid ſi superveniat notabilis defectus corporis aut animi. 811
An ſponſalia inita cum talibus defectibus ſint ipſo facto irrita. 812
An qui contraxit ſponſalia cum occulto defectu, poſſit compartem illius ignaram, cogere ad matrimonium. 813. 814
An & quando ſponſalia diſſolvantur per lapſum temporis præfixi. 814
An ad diſſolvenda ſponſalia requiratur judicis authoritas. 816
Ad quem ſpectet cognitio cauſæ ob quam diſſolvuntur ſponſalia. 817

SVSPENSIO.

Quid ſit. 655
In quo differat ab aliis cenſuris. ibid.
Suſpenſionis variæ ſpecies. ibid.
Poteſt quis ſuſpendi ab una functione ſicut non ſit ſuſpenſus ab alio. ibid.
Quis poſſit ſuſpendere. ibid.
Suſpenſus à beneficio non cenſetur ideo ſuſpenſus ab officio. 656
Suſpenſus ab inferiori ordine cenſetur ſuſpenſus ab altiori, non è contra. ibid.
Suſpenſus in uno loco cenſetur ubique ſuſpenſus. 657
Suſpenſus ab ordine ſi illum exerceat fit irregularis. 656
Acta ſuſpenſi an ſint valida. 657
Suſpendi poteſt communitas. ibid.
Quæ ſint ſuſpenſiones latæ à jure. ibid.
Sacerdos aſſiſtens ſine licentia matrimonio alienorum eſt ſuſpenſus. 658
Item clericus notorie concubinarius. ibid.
Ordinati ſine dimiſſorialibus proprii Epiſcopi. ibid.
Ordinati cum titulo ficto. ibid.
Ordinati per Simoniam, ſaltum, aut exiſtentes in cenſura. ibid.
Quis abſolvere poſſit à ſuſpenſione. 659

STIPENDIVM.

Vide verb. *Sacerdos.*

T

TIMOR.

Timor ſervilis quo ſenſu dicitur initium pœnitentiæ. 382
Eſt principium ſolummodo extrinſecum pœnitentiæ. 383
Dolor de peccatis ortus ex ſolo timore ſervili non eſt vera contritio. 386

Vide verb. *Contritio.*

TITVLVS.

Ad ordines majores ſuſcipiendos requiritur titulus. 773
Eſt triplex, beneficii, patrimonii, & paupertatis. 774
Quale beneficium requiratur & ſufficiat pro titulo. 774. 782
Titulus ille debet eſſe perpetuus. 774
Nec poteſt alienari ſine conſenſu Epiſcopi. 775
An ordinari quis poſſit titulo gravato debitis. ibid.
Qui ordinari poſſint titulo patrimoniali. 776
Ordinatus titulo paupertatis in Religione, ſi ex illa exeat, à quo debeat ſuſtentari. ibid.

TONSVRA.

Quid ſit. 748
Non eſt ordo, nec Sacramentum. ib.
Qui prohibeantur à ſuſcipienda tonſura. 749
Quid ſignificent cæremoniæ adhibitæ in collatione tonſuræ. ibid.
Corona clericalis quid ſignificet. ibid.
Tonſura non eſt de neceſſitate Sacramenti Ordinis. 748
Ad Tonſuram ſuſcipiendam requiritur ætas ſeptennii. 769

TVR-

Digitized by Google

TVRPITVDO.

ALlegans propriam turpitudinem in judicio, quando ſit audiendus. 905

V

VAGI.

VAgi in Paſchate ſatisfacient præcepto, communicando in Parochia in qua pro tunc exiſtunt. 293
Quis cenſetur proprius ipſum Paſtor in ordine ad matrim. 875
Non poteſt Paſtor aſſiſtere illorum matrimoniis ſine licentia ordinarii. 878
Etſi alter tantum ſit vagus. 879

VESTES.

Veſtes Sacerdotales. Vide verb. *Miſſa*.

EXTREMA VNCTIO.

SI putetur mortuus infirmus, eo deprehenſo adhuc vivere, illæ repetendæ & adjungendæ reliquæ. 14
In ultima demum unctione confertur gratia Sacramentalis. 14. 730
Extrema unctio eſt verum Sacramentum novæ legis. 710
A Chriſto Domino inſtitutum. 711
Quid extrema unctio. 712
Quandonam ſit inſtituta. ibid.
Quot unctiones ſint neceſſariæ ad eſſentiam Sacramenti. 713
Quid ſi æger careat aliquo organo ſenſus ubi debet fieri unctio. 717
An quinque unctiones poſſint fieri ſub una forma. ibid.
Quæ ſit forma hujus Sacramenti. 718. 720
Cur ſit deprecativa. 721
Materia ejus duplex alia remota alia proxima. 718
Poteſt ſimplex Sacerdos ex conceſſione Papæ oleum benedicere. 719
Quibus hoc Sacram. debet conferri. 722
Invalidum eſt collatum ſano aut leviter tantum infirmo. ibid.
Poteſt miniſtrari ægro de cujus vita timetur ex morbo. 723
Utilius eſt illud miniſtrari ægro dum adhuc viget uſus rationis. 724
Pueri utentes ratione ſunt capaces illius Sacramenti. ibid.
In morbis contagioſis qualiter miniſtrandum. 723
Peccat æger negligens ſuſcipere hoc Samentum. 724
Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos. 725
Non licet illud ſibi ipſi miniſtrare. ibid.
Non omnis Sacerdos poteſt licitè illud miniſtrare. 726
An plures ſimul poſſint illud miniſtrare. ib.
Tenetur Paſtor in morbo contagioſo illud ſubditis miniſtrare. 727
Etiam cum periculo ſuæ vitæ. ibid.
Quis ſit hujus Sacramenti effectus. 728
In eodem ſtatu morbi non poteſt iterari. 731
Ad quæ teneatur Paſtor adminiſtrato hoc Sacramento. 732

VNIO.

QUa fideles Chriſto uniuntur per Euchariſtiam, eſt maxima unio poſt hypoſtaticam. 165

VOCATIO.

SUſcepturus ſtatum Eccleſiaſticum attendere debet an ſit vocatus. 762
Ad illam vocationem cognoſcendam præmittenda exercitia ſpiritualia. 763
Quid ſit vocatio illa. ibid.
Signa ex quibus illa poſſit cognoſci. ibid.

VOTVM.

QUid votum ſimplex, item ſolemne. 924
Non differunt inter ſe eſſentialiter. 930
Solemnitas voti ſolemnis eſt ex conſtitutione Eccleſiaſtica. ibid.
Votum ſimplex caſtitatis non obſtat validitati matrimonii. 824. 924
Per votum ſolemne dirimi poteſt matrimonium. 908
An illud etiam dirimatur per votum ſimplex emiſſum in Societate Jeſu. 909

Digitized by Google

An qui ſponſam corrupit poſſit tranſire ad Religionem ipſa invita. 808
An diſſolvantur per votum ſimplex caſtitatis ſuperveniens. 809
Aut per fornicationem alterius ſponſorum cum tertio. ibid.
Quid ſi uterque fornicatus fuerit cum alio. 810
Quid ſi ſuperveniat notabilis defectus corporis aut animi. 811
An ſponſalia inita cum talibus defectibus ſint ipſo facto irrita. 812
An qui contraxit ſponſalia cum occulto defectu, poſſit compartem illius ignaram, cogere ad matrimonium. 813. 814
An & quando ſponſalia diſſolvantur per lapſum temporis præfixi. 814
An ad diſſolvenda ſponſalia requiratur judicis authoritas. 816
Ad quem ſpectet cognitio cauſæ ob quam diſſolvuntur ſponſalia. 817

SVSPENSIO.

Quid ſit. 655
In quo differat ab aliis cenſuris. ibid.
Suſpenſionis variæ ſpecies. ibid.
Poteſt quis ſuſpendi ab una functione ſicut non ſit ſuſpenſus ab alio. ibid.
Quis poſſit ſuſpendere. ibid.
Suſpenſus à beneficio non cenſetur ideo ſuſpenſus ab officio. 656
Suſpenſus ab inferiori ordine cenſetur ſuſpenſus ab altiori, non è contra. ibid.
Suſpenſus in uno loco cenſetur ubique ſuſpenſus. 657
Suſpenſus ab ordine ſi illum exerceat fit irregularis. 656
Acta ſuſpenſi an ſint valida. 657
Suſpendi poteſt communitas. ibid.
Quæ ſint ſuſpenſiones latæ à jure. ibid.
Sacerdos aſſiſtens ſine licentia matrimonio alienorum eſt ſuſpenſus. 658
Item clericus notorie concubinarius. ibid.
Ordinati ſine dimiſſorialibus proprii Epiſcopi. ibid.
Ordinati cum titulo ficto. ibid.
Ordinati per Simoniam, ſaltum, aut exiſtentes in cenſura. ibid.
Quis abſolvere poſſit à ſuſpenſione. 659

STIPENDIVM.

Vide verb. *Sacerdos.*

T

TIMOR.

Timor ſervilis quo ſenſu dicitur initium pœnitentiæ. 382
Eſt principium ſolummodo extrinſecum pœnitentiæ. 383
Dolor de peccatis ortus ex ſolo timore ſervili non eſt vera contritio. 386
Vide verb. *Contritio.*

TITVLVS.

Ad ordines majores ſuſcipiendos requiritur titulus. 773
Eſt triplex, beneficii, patrimonii, & paupertatis. 774
Quale beneficium requiratur & ſufficiat pro titulo. 774. 782
Titulus ille debet eſſe perpetuus. 774
Nec poteſt alienari ſine conſenſu Epiſcopi. 775
An ordinari quis poſſit titulo gravato debitis. ibid.
Qui ordinari poſſint titulo patrimoniali. 776
Ordinatus titulo paupertatis in Religione, ſi ex illa exeat, à quo debeat ſuſtentari. ibid.

TONSVRA.

Quid ſit. 748
Non eſt ordo, nec Sacramentum. ib.
Qui prohibeantur à ſuſcipienda tonſura. 749
Quid ſignificent cæremoniæ adhibitæ in collatione tonſuræ. ibid.
Corona clericalis quid ſignificet. ibid.
Tonſura non eſt de neceſſitate Sacramenti Ordinis. 748
Ad Tonſuram ſuſcipiendam requiritur ætas ſeptennii. 769

TVR-

Digitized by Google

TVRPITVDO.

ALlegans propriam turpitudinem in judicio, quando ſit audiendus. 905

V

VAGI.

VAgi in Paſchate ſatisfacient præcepto, communicando in Parochia in qua pro tunc exiſtunt. 293
Quis cenſetur proprius ipſum Paſtor in ordine ad matrim. 875
Non poteſt Paſtor aſſiſtere illorum matrimoniis ſine licentia ordinarii. 878
Etſi alter tantum ſit vagus. 879

VESTES.

Veſtes Sacerdotales. Vide verb. *Miſſa.*

EXTREMA VNCTIO.

SI putetur mortuus infirmus, eo deprehenſo adhuc vivere, illæ repetendæ & adjungendæ reliquæ. 14
In ultima demum unctione confertur gratia Sacramentalis. 14. 730
Extrema unctio eſt verum Sacramentum novæ legis. 710
A Chriſto Domino inſtitutum. 711
Quid extrema unctio. 712
Quandonam ſit inſtituta. ibid.
Quot unctiones ſint neceſſariæ ad eſſentiam Sacramenti. 713
Quid ſi æger careat aliquo organo ſenſus ubi debet fieri unctio. 717
An quinque unctiones poſſint fieri ſub una forma. ibid.
Quæ ſit forma hujus Sacramenti. 718. 720
Cur ſit deprecativa. 721
Materia ejus duplex alia remota alia proxima. 718
Poteſt ſimplex Sacerdos ex conceſſione Papæ oleum benedicere. 719
Quibus hoc Sacram. debet conferri. 722
Invalidum eſt collatum ſano aut leviter tantum infirmo. ibid.
Poteſt miniſtrari ægro de cujus vita timetur ex morbo. 723
Utilius eſt illud miniſtrari ægro dum adhuc viget uſus rationis. 724
Pueri utentes ratione ſunt capaces illius Sacramenti. ibid.
In morbis contagioſis qualiter miniſtrandum. 723
Peccat æger negligens ſuſcipere hoc Samentum. 724
Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos. 725
Non licet illud ſibi ipſi miniſtrare. ibid.
Non omnis Sacerdos poteſt licitè illud miniſtrare. 726
An plures ſimul poſſint illud miniſtrare. ib.
Tenetur Paſtor in morbo contagioſo illud ſubditis miniſtrare. 727
Etiam cum periculo ſuæ vitæ. ibid.
Quis ſit hujus Sacramenti effectus. 728
In eodem ſtatu morbi non poteſt iterari. 731
Ad quæ teneatur Paſtor adminiſtrato hoc Sacramento. 732

VNIO.

QUa fideles Chriſto uniuntur per Euchariſtiam, eſt maxima unio poſt hypoſtaticam. 165

VOCATIO.

SUſcepturus ſtatum Eccleſiaſticum attendere debet an ſit vocatus. 762
Ad illam vocationem cognoſcendam præmittenda exercitia ſpiritualia. 763
Quid ſit vocatio illa. ibid.
Signa ex quibus illa poſſit cognoſci. ibid.

VOTVM.

QUid votum ſimplex, item ſolemne. 924
Non differunt inter ſe eſſentialiter. 930
Solemnitas voti ſolemnis eſt ex conſtitutione Eccleſiaſtica. ibid.
Votum ſimplex caſtitatis non obſtat validitati matrimonii. 824. 924
Per votum ſolemne dirimi poteſt matrimonium. 908
An illud etiam dirimatur per votum ſimplex emiſſum in Societate Jeſu. 909

Qui emiſit votum ſimplex caſtitatis an poſſit licitè inire matrimonium. 824. 924
Talis non poteſt petere debitum. 925
Poteſt tamen reddere petenti. ibid.
An talis teneatur ante conſummationem matrimonii ingredi religionem. ibid.
Qui emiſit votum ſimplex religionis ſine conſenſu conjugis, peccat conſummando matrimonium. ibid.
Non peccant illud conſummando ſi ex mutuo conſenſu voverint. 928
Conſummato matrimonio qui vovit religionem non peccat petendo debitum. 925
Defuncta conjuge talis tenebitur intrare Religionem. 926
Qui vovit caſtitatem ex conſenſu conjugis non tenetur reddere debitum. 928
Poteſt in tali voto Epiſcopus ex cauſa diſpenſare. 929
Uti & in voto ſimplici Religionis. 569
Votum caſtitatis emiſſum à conjuge ſine conſenſu compartis eſt validum. 927
Poteſt tamen maritus irritare tale votum emiſſum à conjuge ſine ſuo conſenſu & è contra. 929
Niſi compars dederit cauſam per adulterium. ibid.
Vota impuberum poſſunt reſcindi à parentibus. 568
Votum de opere aliquo faciendo, ſi totum non poſſit impleri, an obliget ad partem operis poſſibilem. 926.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google